RERUM

HIBERNICARUM

SCRIPTORES VETERES.

TOM. I.

CONTINENS

EPISTOLAM NUNCUPATORIAM

QUÆ CODICUM VETUSTISSIMORUM HIBERNENSIUM NOTITIAM, ET REGUM CHRONOLOGIAM COMPLECTITUR.

ITEM

PROLEGOMENA AD ANNALES,

PARTIBUS II,

QUARUM PRIMA VETUSTISSIMORUM DE HIBERNIA TESTIMONIA HISTORICA, SECUNDA ANNALIUM ET CARMINUM HIBERNENSIUM CATALOGOS COMPREHENDIT.

AUCTORE CAROLO O'CONOR, S. T. D.

"L' histoire n' est fondee que sur le temoignage des Auteurs qui nous l' ont transmise. Il importe donc extrememeat, " pour la scavoir, de bien connoitre quels etoient ces Auteurs. Rien n' est a negliger *en ce point."*

HIST. DE L'ACAD. DES INSCR. t. x.

BUCKINGHAMIÆ,
EXCUDEBAT J. SEELEY,
VENEUNT APUD T. PAYNE, LONDINI.

1814.

AD LECTOREM.

HABES, Amice Lector, in hoc volumine, plurimorum Codicum notitiam, qui hactenus, vel fama tantum noti erant, et admodum obscure, vel penitus ignoti latuere.—Ut tanti laboris difficultatem agnoscas, atque ut erroribus nonnullis, in *Indicibus* annotatis, humaniter condonandum censeas, satis superque sufficiet, si Codicum *specimina* æri incisa diligenter inspicias, et æquo animo perpendas.—*Tigernachi* Codicem Bodleianum quater descripsi, *Inisfalensium* ter, cæterorum Annalium Apographa bis, ita ut, quidquid de *versione* censeatur, saltem *textum* haberes integrum, et omnibus numeris absolutum, etiam in iis quæ mihi quidem absurda videbantur, et Amanuensium incuriæ tribuenda.—Hinc *Lugadium, trium Connorum filium,* in Prolegom. parte ii, p. 13, et alios solæcismos alibi servavi, quia, etsi ista absurda videantur, Religioni duxi, non *parce detortas* exhibere res antiquas, sed eas fideliter, prout extant, tradere, prout leguntur conservare.

Ingentem laborem respiciens, valetudine jam deficiente, horresco; et tamen errores occurrunt, ad hujus voluminis Calcem notati, quibus ut ignoscas orandum sentio, et veritati consulens, ut benigne emendas humili animo imploro.—Ignorantiæ inimicus alienæ, inimicissimus meæ, et a quocumque corrigi paratus, oro præterea, ut quæ in *Prolegomenis* omissa sunt, parte ii, pag. 48, restituas ex *Indice*, pag. 204, Voce *Regum numerus,* ut alios errores corrigas ex *Erratis* in fine, ut *res* perpendas, potius quam stylum, atque ut *Indices,* Alphabetico ordine accurate digestos, pro totius Operis Repertorio habeas, in quo nonnulla ad Codicum fidem emendantur, præsertim Vocibus *Poemata, Codices, Abbreviationes, Dii, Druides, Annus, Annales, Aurum, Regum numerus, Ratha, Rhythmica Methodus, Scotorum, Temoria, Tigernac, Turres, Vulgata, &c.*

Rudi scribendi genere non terreor. Æqui enim rerum æstimatores, si modo Tigernachi et Inisfalensium Annalium Codices inspiciant, fateantur necesse erit, vix difficilius esse Herculanensia Membrana explicare et evolvere, quam Codicum istorum abbreviationes, et notas Chronicas, ad

pristinam restituere integritatem. Quod si in rebus istis tam nodosis explicandis, styli, et Latinitatis, potius quam rerum ipsarum rationibus consuluissem, et in Ciceronianis elegantiis eligendis tempus tererem, actum esset de Annalibus Hibernicis.—Itaque clarissimi Viri *Samuelis Johnsonii* auctoritate et consilio ductus, ut in Epistola Nuncupatoria, pag. 4, Gentis Hibernicæ Monumenta vetera in medium afferre studui, potius quam propriæ famæ consulere, aut Commodo inservire.

Non deerunt certe, qui, in his meis molestissimis laboribus, potius plura carpere studebunt, quam quæ laudabilia sunt extollere, vel commendare. Quod si, priusquam vel unum Apicem in lucem ederem, non defuere, qui sibi licuisse arbitrati sunt asserere, vel saltem *innuere*, me non fideliter Annales prolaturum, ut in recenti Libello, cui titulus "*A Theological Examination of Columbanus*," quanto magis nunc, cum malignitati materiam abundantem ministrabunt tot paginæ, tot spinosæ difficultates, tot carmina hactenus intentata, et linguæ jam periturae tot verba antiqua, quæ nemo antea explicavit!—Tu autem, quisquis es, qui res humanas æquo animo consideras, in quibus nihil est undequaque perfectum, memento genus esse hominum, adeo malignum, ut quidquid bene egeris in pessimam semper partem accipiant, et aliorum mentes suo metientes ingenio, benefacta quælibet pravo animo interpretentur.—Cogita demum, neminem mihi in hoc studiorum curriculo facem præbuisse, et propriæ memor infirmitatis, aliorum erroribus disce humaniter indulgere.

VALE.

Nobilissimo et Clarissimo Viro

RICHARDO MARCHIONI DE BUCKINGHAM.

TRIA a me petiit Vir Summus, Pater Tuus, *tot titulis deflendus, Munificentissimus mihi Patronus, Gentis Hibernicæ Cultor eximius,*—1°. *ut Historiæ Hibernicæ Fontes, et Codices, si qui invenirentur, Sæculo* xii *antiquiores, literis Hibernicis exaratos, indicarem, et a Saxonicis secernerem*—2°. *ut Annalium Hibernensium* Textum, *ad Codicum fidem, omni qua possem diligentia elimatum, exhiberem*—3°. *ut Annalium istorum Auctores a* Collectoribus *distinguerem, atque Versione* literali, *ac notis illustrarem.*

Rem arduam, eo suadente, aggressus, id mihi imprimis curandum proposui, ut Codicem aliquem, Hibernicis Literis ante Sæculum xii *exaratum, invenirem, ideoque Catalogos Cottonianos, Bodleianos, et Harleianos, evolvi, et cum plura in Wanleo nôtassem, æque ac in opere egregio Benedictinorum,* "Nouveau Traite de Diplomatique," *quæ Viros doctissimos plane indicabant, in rebus Hibernicis et Wallicis parum versatos,* (1) *placuit Codices nonnullos, quos* Anglosaxonicos *appellant, diligenter perlegere, eorumque characteres minutiori collatione ad trutinam revocare.*

---

(1) In descriptione Codicis Bodleiani NE. D. 19, Wanleus inquit—"In eo nonnulla verba Britan-" nice, *ut videtur,* glossata sunt, et folio 19, Alphabetum Nemnini, Britannico, *seu potius Runico,* " haud satis accurate publicato inter Epistolas Usserii, et folio 22, plurima verba Britannica *aut* " *Hibernica* leguntur." Catalog. p. 63. Confer sequentem Epistolam, p. 156 ad 162, 213, 220, 232.

In his investigandis, Hickesium inveni, ingenue fatentem, "Omnes qui supersunt Codices Anglosaxonicos, nova Ælfredi Magni manu Gallico Romana scriptos esse, (1) *et Codices antiquissimos Cantuarienses, fatentibus omnibus, esse peregrinos; et quamvis Wanleus Hickesio non adstipuletur, in medium enim affert Codices nonnullos, ante Ælfredi tempora scriptos, quos literis* antiquioribus *Anglosaxonicis scriptos esse declarat, in his tamen enumerandis, Vir ille doctus, eumque secutus, T. Astle,* (2) *plura asserunt, quæ secum parum consentiunt, et alia quæ procul dubio incerta, et nonnunquam erronea inveniuntur. Liceat ad Codicis* Rushworthiani *descriptionem appellare, de quo Wanleus ita scribit in* Catal. p. 81.—

"*Literis majoribus Saxonicis* scriptus est.—Id genus Majusculas volo, quibus exarantur Codices illi antiquiores Cottoniani, qui inscribuntur *Otho* C 5, et *Nero* D 4, sive Codex *Lichfeldensis* Ecclesiæ, qui vulgo dicitur Textus *S. Ceaddæ,* et Psalterium *S. Salabergæ,* quod quidem ab aliquo Anglosaxone *videtur* scriptum, et a Mabillonio memoratur, Diplom. p. 358; quibus tamen omnibus hunc Codicem paulo inferiorem arbitror. Vetustior vero *videtur* Glossario illo Latino Saxonico Bibliothecæ c.c.c.c. S. 3, imo vel illo Codice Bibliothecæ Cottonianæ, qui inscribitur *Otho* A. 1, scriptus *ut videtur,* A.D. 749.

Qui in hoc scribendo Codice operam navarunt, memoriam illi suam æternitati consecrandam propriis manibus curaverunt. Alter enim, in postrema pagina, *eadem manu qua Textum Latinum exaravit,* sic de scribit—*Mac Regol dipinxit hoc Evangelium.* Quicumque legerit et intellegerit istam narrationem, *orat pro Mac Reguil* Scriptori. Ex quibus intelligere est, quod ille Mac Regol, Scriptor Librorum, *Textum integrum* Codicis scripserit, et deinde illum imaginibus Evangelistarum diversicoloribusque literis Uncialibus decoratum, tantum non inluminaverit.

Hunc Codicem docti tradunt olim peculium fuisse Bedæ, qui obiit A. D. 734. Certe temporum

---

(1) Vide Epistolam sequentem, p. ccxxxiv, not. 2.

(2) Erravit Casleus in *Uncialibus* literis accipendis pro *Initialibus.* Vide *Indicem* ad hujus Epistolæ Calcem, Voce *Unciales.* Casleum tamen sequitur vir doctus *T. Astle.* "The term *Uncial* "is of no great antiquity. It probably took its rise from *Literæ initiales,* which the ignorant Monks "and Schoolmen mistook for *literæ Unciales!*" Origin of Writing, fol. Lond. 1803, p. 81. Errat præterea asserens *Ulphilam* Scriptorem fuisse *Codicis Argentei,* qui non ante Sæculum vii exaratus est. "The Gospels translated by Ulphilas into Gothic, and written in ancient Gothic "characters, *about the year* 370. This MS. is now in the library of Upsal." p. 87. Litteras Lombardicas, quæ ignotæ erant usque ad tempora Columbani, effert ad tempora Athanasii! et Tigernachi Annales Bodleianos, inquit desinere in anno 1407, p. 136, etsi Tigernachus obierit anno 1088!

quibus Beda floruit specimen præsefert, quandoquidem vetustior *videtur* Codice Cottoniano qui scriptus fuit circa annum 749, ut et Charta quadam Originali Cottoniana, literis haud multum dissimilibus exarata, A. D. ni male memini, 767."

Hæc Wanleus, qui in tota hac descriptione nullibi advertit, nunquam extitisse Anglosaxonem, cui nomen Mac-Regol, *vel* O'Regol, *cum nomen istud sit exclusive Hibernicum; ignoravit præterea extitisse Monachum Hibernum, Abbatem Birrensem, qui officio* Scribæ, *inter Hibernos Regio honore habito,* (1) *fungebatur in Hibernia, Sæculo exeunte viii, obiitque A. D.* 820, *ut ex Tigernachi et aliorum Annalibus patebit.*

His indiciis ductus, onus a Patre Tuo impositum, eo libentius suscepi, quia spes illuxit me posse, facem aliis præbere, qui materiam in se vastam et difficilem, ingenio, eruditione, et linguarum peritia illustrarent; et quamvis nequirem ex solis Characteribus, *Codicis cujusvis ætatem ad unguem definire, illud tamen efficere me posse sperabam, ut ex multis indiciis in unum conspirantibus, Codicem quemlibet ante sæculum* xii, *scriptum esse, atque literis Hibernicis exaratum, demonstrarem.*

Variæ quidem difficultates superandæ erant, et vires tanto operi impares, dubius eventus, atque hominum hujus ævi eruditorum consideratio, sæpe me ab incepto retrahebant. Rem tamen aggressus sum, suadente inclitissimo et Noblissimo Viro, si quid errassem, illud a Doctis condonatum iri, si modo ea qua decebat modestia meam sententiam protulissem, nec sine validis rationibus a doctorum auctoritate dissentirem.

Persuasit præterea ejusdem Viri erga Hibernos studium, (quod grati animi affectu lugens memoro,) qui ideo Bibliothecam Hibernicam, ad hoc Opus idoneam, magnis impensis comparavit, unde paulatim crevit Bibliotheca Vestra Stowensis, omni librorum genere nobilissime referta. In animo nempe ei erat, quæcumque ad Historiam Hibernicam illustrandam conducerent, in unum

---

(1) Vide sequentem Epistolam, p. ccxxxvii, et *Indicem,* Voce *Scribæ.*

colligere, atque ordine Chronologico evulgare, ea ipsa methodo qua Historicos Gallos edidere Benedictini. Sed cum cujusvis Scriptoris Hibernici ætas non aliunde quam ex Annalibus Hibernicis dignoscenda erat, placuit primo Annales *publici juris facere, saltem usque ad adventum Anglorum, A. D.* 1172, *ut suus cuique scriptori locus, ordine Chronologico servaretur. Ad hunc finem assequendum non necessarium existimavit sermonis nitorem, aut politioris Latinitatis elegantiam. Imo vero absolute prohibuit, ne declamantium quisquilia pro veritate ipsa substituerentur; cuique enim linguæ idioma proprium esse, quod nequit accurate in aliam transferri, quin veritas ipsa lædatur; cuique etiam ætati quædam esse propria, quæ impediunt ne in Codicibus evolvendis, quod uni ætati pertinet, alteri vindicaremus; habere etiam Barbaras voces plurimam emphasim, paucis multa complecti, atque in iis minus esse ambiguitatis, copiæque verborum. In rebus præterea Historicis non agi de verbis; neque in* Annalibus *scribendis eandem verborum curam exigi, quam Historica Ars sibi postulare videtur. Scopum denique Annalium Hibernorum esse, cuique Regi et familiæ Hibernicæ, propria tempora tribuere, cuique Scriptori Opera quæ vere conscripsit; idque imprimis curandum, Genti Hibernicæ, ex authenticis Majorum documentis demonstrare, nec* ipsam Religionem, *quantumvis acriter vel fortiter propugnatam, plurimum inter vulgus valere,* nisi boni mores bonis Legibus, sapienter et rite administratis, tueantur.

Hæc sunt præcipua, quæ summum ac sapientissimum Virum, Patrem Tuum, ad Opus hoc arduum suscipiendum impulerunt. Superest ut Epistolam Nuncupatoriam, quam Ei Patrocinanti offerendam proposui, Vestræ benevolentiæ et humanitati commendam. Cum primum eam scribendam suscepissem, longe mihi alia mens erat, quam ut eam, Annalibus nondum editis, publicarem; cum autem editionem tamdiu expetitam nequirem, absque diuturniore cura, emittere, et publica vox exigeret, ut saltem quandam suscepti Laboris portionem evulgarem, statui hanc publici juris facere, ut ex specimine modico, labor improbus, curæque ingentes, et Operis totius vasta moles, perspiciantur.

Haud nescius sum plura esse tollenda forte relinquendis, plura quæ mentem Vestram, bonis literis optime imbutam, offendent. Placebit tamen Operi finem imposuisse, quod Pater ad finem tot nominibus laudabilem excogitavit. Placebit Annalium Textus *integerrime servatus; placebunt Codicum specimina æri incisa; Regum Hibernorum Chronologia, Eclipsarum ope restituta; Carmina spuria a genuinis segregata; Index rerum, in quo plura ad Historiam spectantia illustrantur; humilis demum de meipso opinio; corrigi enim paratus ubicumque deficio, non mihi Magisterium arrogo, neque commissurus sum, ut Gratiam Tuam, quæ ad* veritatem tuendam *comparata est, velim fabulis aut mendacitati patrocinari.*

Nihil est quod apud Posteros magis testatum velim, quam mea erga Illustrem Familiam Tuam voluntas, erga Paternam atque Maternam memoriam ardens animi affectus.—Iis quidem, non quantas debeo, sed quantas possum, ubicumque occasio id exigere poterit, reddere gratias, animique desiderium manifestare, non pietas, non Religio tantum, sed res ipsa postulat, justitia exigit, clamat ingenita Natura. Deum precor ut quod mea imbecillitas nullo pacto præstare possit, Cæleste Numen persolvat.

Nolo Amplitudinem tuam diutius remorari, quum maxime cupiam, ut hanc totam Epistolam, benignitate, et patientia, ac Paterna erga me humanitate perlegas. Tanti enim Tuum judicium facio, ut quod probaveris, neminem æquum rerum æstimatorem improbaturum putem.

VALE.

(1) Rerum Gallicarum Scriptores, Paris, 1738.

DE FONTIBUS

HISTORIÆ GENUINÆ HIBERNORUM,

EORUMQUE CHRONOLOGIA,

DEQUE

ANTIQUISSIMIS CODICIBUS

LITERIS HIBERNICIS ANTE SÆCULUM X

EXARATIS,

EPISTOLA NUNCUPATORIA

ANNALIBUS HIBERNICIS

PRÆFIGENDA.

AUCTORE CAROLO O'CONOR, D. D.

" *L' histoire n' est fondee que sur le temoignage des Auteurs qui nous l' ont transmise. Il importe*
" *donc extremement, pour la scavoir, de bien connoitre quels etoient ces Auteurs.* Rien n' est a
" negliger *en ce point.*"

HIST. DE L'ACAD. DES INSCR. t. x.

TYPIS BUCKINGHAMENSIBUS,—EXCUDEBAT J. SEELEY.
A.D. M.DCCC XIII.

ELENCHUS CONTENTORUM.

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO,

Illustrissimo

GEORGIO GRENVILLE NUGENT,

MARCHIONI DE BUCKINGHAM,

Salutem, &c.

Quanquam ea sit Scriptorum consuetudo, ut dum Viris Illustrioribus studiorum suorum fructus consecrare conantur temeritatis veniam Epistola nuncupatoria exposcant, quæ plerumque absona et præpostera videtur, cum excusatio culpam præcedat, ea tamen est vis, ea conditio, et natura argumenti, quo Gentis Hibernicæ *Annales*, Vestræ Celsitudini conservandos, exhibere atque committere audeo, ut id non modo tibi deberi, verum et Tuum, proprio quodam jure, Patrocinium reposcere videatur. Decimus jam agitur annus, ex quo publicus jurium ac libertatum Hibernicarum Propugnator et Vindex, mihi, licet indigno, onus imposuisti, Annales Patrios, quibus possem studiis, qua valerem industria, et laboribus, Vestris impensis, iisque non levibus, in unum colligerem, conferrem, atque e lingua *Celto-Hibernica*, totius Europæ vetustissima, ac, senescente jam mundo, pene deperdita, Latio donarem, obscura notis illustrans, omniaque integerrime, juxta Codicum MSS. fidem, artis criticæ regulis ductus, in ipsis Ædibus Stowensibus, instructissima bibliotheca munitus, acerrimo studio ad trutinam revocare conarer. In re

tanti momenti non est cur gratias referam. In referenda enim gratia, si modo Hesiodo credimus, agros fertiles imitari debemus, qui plus multo adferunt quam acceperunt. Animi autem ingrati notam effugere vix possem, si illud silerem, quod ad argumentum maxime pertinet, *Annales* hos ei præsertim et præ omnibus deberi, cujus opera, impensis, adhortatione, nonnunquam etiam industria ac studiis, jam demum in medium proferuntur, ita ut totum hoc beneficium Tibi uni acceptum Gens Hibernica referre cogatur.

Te quidem decebat, nobilissime Vir, natalium splendore illustrem, (1) animique et loci celsitudine conspicuum, bisque Proregis Hiberniæ officio nobiliter functum, et illustrissimæ Nugentiorum stirpis vices et honores jure connubii gerentem, res nostras antiquas, animo a partium studiis alieno, investigasse. Quanto enim quisque vetustiore stirpe ortus est, tanto magis illi, omni ope nitendum, ut a se et a posteris opprobrium depellat, quo quid domi

---

(1) Inter alia quæ mihi contigit, in Cimeliis Stowensibus, manibus tractare, numerandi sunt 140 Codicilli, sive Juris formulæ veteres membraneæ, diversorum Regum Angliæ temporibus exaratæ, a regno Henrici I. usque ad regnum Henr. VII. quarum plures, sigillis integerrimis munitas, ipse perlegi, ex quibus patet *Feudum Wottonianum*, simplex et liberum, simplici nempe et perpetuo jure tenendum, annorum plusquam 700 spatio, linea recta descendisse a *Richardo de Grenville*, qui sub Gulielmo I. e Normannia Angliam adveniens, postea Cruce signatus, in Itinere Hierosolymitano obiit anno 1147. Vide *Librum Nigrum Scaccarii*, ex vetusto Codice in Scaccario servato, editum a Thoma Hearneo, Oxonii 1728, vol. 1, p. 189, ubi Carta *Walteri de Gifford, Comitis scilicet secundi Buckinghamiæ*, indicat *Gerardum de Granville* Wottoniæ feudum tenuisse de *veteri feoffamento*, Servitio *III milit.* Vetus autem feoffamentum ad Gulielmi I. regnum referendum esse, patet ex Dugdalii Baronag. vol. 1, p. 113, et ex Hearnei Præf. p. xiii, &c.

Porro, de vocis *Feudi* etymo, cum tot Scriptores tam varie tamque incongrue scripserint, aliis eam deducentibus a Latino *fœdere* vel *fide*, aliis a Danica *feide* militia, vel *faida* inimicitia, aliis demum a Germanica *fiod* bellum, quod si mihi liceret, in tot opinionum conflictu, meam sententiam proferre, inquirerem imprimis quas inter gentes vox ista fuerit vernacula? Certe non inter *Latinos*, vel *Danos*, vel *Germanos*, cum primum inveniatur sub Carolo Crasso in Gallia, in Constitutione quam edidit circa annum 884, ut apud Du Cangium et Goldastum. Vox itaque origine Gallica, e Celtica sumenda est, in qua *Fiadha* est Dominus, *fiadh* terra, ut in Vocabulario Hibernico. Adeo verum est voces plurimas, quæ doctis rixarum occasionem præbuere, linguæ Hibernicæ vetustissimæ adminiculo explicari.

annos ante plurimos gestum sit, quove sermone dictum, aut quibus in membranis conservatum, recentiores nonnulli se neque scire, neque inquirere velle fatentur. Vir enim nobili genere ortus, non magis per Majorum monumenta et imagines, non magis per pictas tabulas et toreumata, a plebe distinguitur, quam per ea studia quibus maxime ingenii ardor, et animi innata nobilitas manifestari consuescit; quibus gentis cujusvis origines et progressus cognoscere, et familiarum erga Rempublicam merita vel crimina, studia vel odia definire, vetusta instituta cum novis conferre, præsentia cum præteritis conjungere, ex contrariarum collatione veritatem elicere, et quæ meliora sunt populis subditis prospicere et providere valeamus.

In rebus Græcis atque Romanis indagandis, Scriptoribus nostris nihil intactum, nihil infectum fuisse læti agnoscimus, et summam inde gloriam Anglorum genti deberi nulla ætas conticescet. At certe quandam ignominiæ notam vix effugere poterunt, qui, in alienis tantopere occupati, populorum subditorum Historiam contemptui habere, domestica negligere, atque in ipsa patria hospites esse, et veluti peregrinos transire, et turpi socordia, atque ignavia bonum otium terere non erubescunt. Obfuit sane hactenus obscuritas, ex antiquariæ suppellectilis penuria orta. Sed tamen tentanda erat via, neque ea erant spernenda consilia, quæ a vestra, potissimum, solicitudine, et ab Edmundo Burke, clarissimæ memoriæ viro, sæpius repetita, a Johnsono pariter laudata, atque iterum iterumque declarata leguntur. (1)

---

(1) "Our antiquaries have been more attentive to the illustration of Roman remains, or of trivial "topics of mere curiosity, than to the grand province of national history. In historical researches "we yield to most of the nations of Christendom, even to the northern nations. Every young man "who takes a degree at Upsal is obliged to produce a printed dissertation, in Latin, on some topic "of national antiquity. In the eye of Patriotism, such pursuits will appear more useful and honor- "able, than the fabrication of insipid verses in Greek or Latin, or the composition of Theses which "leave not a trace behind. It is far from our intention to shew a disesteem for classical or mathe-

Illuxit tandem, licet sera, dies, qua Tu, qui successionis jure tot præclaros Hibernicæ gentis Nugentios repræsentas, (1) quibus lingua Hibernica erat vernacula, viam aperuisti, et laudabile studium Hibernicæ Juventuti indicasti, cognoscendi quæ illorum temporum opera, qui mores, quæ leges, quis sermo, ut non unicæ tantum gentis *Anglo-Hibernicæ*, sed totius gentis

---

" matical studies, but we wish that a fair avenue may be opened for Candidates in other depart-
" ments of science." Crit. Rev. 1800, vol.38, p.12.

Item Johnsonius his verbis—" Dr. Leland begins his History too late. The ages which deserve an " exact inquiry, are those times, if such there were, when Ireland was the school of the West, the " quiet habitation of sanctity and literature. If you could give a history, though imperfect, of the " Irish nation, from its conversion to Christianity, to the invasion from England, you would amplify " knowledge with new views and new objects. Set about it therefore if you can. Do what you " can easily do, without anxious exactness. Lay the foundation, and leave the superstructure to " posterity." Ex ipso autographo edito a Boswello, Dr. Johnson to Mr. O'Conor, 1771.—Boswell's Life of Johnson.

(1) *Nugentiorum* nomen eodem modo scripsit Usserius—" A Lomano, S. Patricii Discipulo, appel- " lationem accepit Port-Loman, Nugentiorum in Occidentali Midia oppidum." Primord. Dublinii ed. 1639, p. 966.—Mihi tamen eorum opinio arridet, qui Latine *Novigentinorum*, Gallice vero *De Nogent* scribi debere arbitrantur.—Monasterium B. Mariæ de *Novigento*, alias *De Nogent*, Diæceseos Laudunensis in Britannia minori, sæculo XImo conditum, ab ista antiquissima familia nomen desumpsisse videtur. Mabillonii Annal. l. 61, n. 42, et l. 65, n. 10.—Philippus Rex Galliæ anno 1090, cum Novigenti Abbatia jam a pluribus annis condita esset, meminit " Villæ *Noujandi*, quam pater meus " bonæ memoriæ Heinricus Rex, anno ætatis meæ x, liberam faciens, etiam sigillo Regiæ imaginis " confirmaverat." Ib.—Quomodocumque res se habeat, nam in obscuris nihil dogmatice definiendum puto, hoc saltem pro certo teneo, Domum istam præclaram cum Gulielmo I. anno 1066 Angliam venisse, atque inde Hiberniam annum circiter 1181, ut recte notat Stanihurstus, qui de Hugone Laceo verba faciens inquit—" Venit ad ejus Societatem in Hiberniam Gilbertus *Nogentus*, vel Nugen- " tus, Equestris census vir, qui, in Hibernicis bellis, multum rerum gestarum laude processit. Is " uxorem duxit Rosam, Hugonis sororem. Eum Laceus Fouriæ et Delviniæ coloniis muneravit. " *Gilbertus* Germano fratri, *Richardo Nugento*, quem rerum veterum Codicilli *Richardum de Ca-* " *pella* nominant, Delviniam admodum fraterne donavit, e cujus stirpe Delviniæ Barones enati sunt, " quorum virtus cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari semper extitit." Stanihursti De Reb. Hibernicis edit. Princeps Plantiniana ann. 1584, p. 209. Recte inquam, et apposite, ut patet ex Diplomate apud Lodgeum.—Nobilissima hæc stirps in plures alios expansa est illustres ramos, de quibus vide Archerii opus, The Peerage of Ireland, vol. 1, p. 215. Dublin. 1789.

Historiæ consuleres, et omnium Hibernorum felicitati et tranquillitati, absque ullo religionis discrimine, provideres. Te quidem decebat, in rebus arduis componendis felicem, toto animo incumbere, ut ii quos tuæ fidei potestatique Rex et Senatus Britannicus commisit et credidit, quam beati essent et prosperi. Quoties a Teipso audivi, quod si sorte tibi evenisset ut Afris, aut cuicumque genti immiti aut barbaræ præficereres, humanitatis vestræ esset eorum commodis consulere, et utilitatibus inservire? Cum vero ei hominum generi præfuisses, qui non modo ipsi exculti fuere, sed a quibus etiam humanitas ad alios, et quidem ad Anglo-Saxones Majores pervenisse demonstratur, iis potissimum, beneficiorum memor, beneficia cum gaudio inenarrabili conferres, quibus Majorum Religio, Literæ, Ecclesiæ, acceptæ referuntur. (1)

Hæc cum non modo a Teipso, verum etiam a clarissimis fratribus, conferto Senatu, et a filiis, Paternæ eruditionis præceptis imbutis, indole præditis, ingenii acumine conspicuis, audire contigerit, mihi inde vehemens ortum est desiderium, et ardens animi cupido, ut quodcumque onus imponeres, etsi, me

(1) Vide quæ de Anglosaxonum studiis in Scholis Hibernicis *Ardmachana, Magionense, Rathmelsigense, Hionense, Cluanense, Derrense,* dicta sunt ex Adamnano, Aldelmo, et Beda, æque ac ex nostris Annalibus, in notis ad Annal. Ult. ann. 626, 644, 650, 651, 653, 660, 663, 675, 684, 686, 691, 696, 697, 703, 712, 715, 716, 728, 731, 747, 756, 777, et a pag. 126 ad pag. 130, ex quibus omnibus patet quam vera sunt quæ a Beda narrantur l. 4, c. 26.—"Anno D. Incarnationis DCLXXXIV "Ecgfridus Rex Northanhymbrorum, misso Hiberniam cum exercitu Duce Bertho, vastavit misere "gentem innoxiam, et *Nationi Anglorum semper amicissimam.*"—Idem iterum, de Hibernia scribens, inquit—"Erant ibidem *multi* Nobilium, simul et mediocrium de gente Anglorum, qui tem- "pore *Finani* et *Colmani* Episcoporum, relicta Insula Patria, vel Divinæ lectionis, vel continentioris "vitæ gratia, illo secesserant, et quidam quidem mox se Monasticæ conversationi fideliter mancipa- "verunt, alii magis circumeundo per Cellas, *Magistrorum* (Hibernorum) lectioni operam dare gau- "debant. Quos omnes Scoti libentissime suscipientes, victum eis quotidianum *sine pretio, libros* "*quoque ad legendum,* et *Magisterium gratuitum* præbere curabant." l. 3, c. 27.

judice, vires excederet, susciperem tamen, atque semel susceptum omni qua possem diligentia complerem.

Hæc mihi causa, hæc occasio præcipua, cur ex umbra et secessu meo, grati animi, et obedientiæ obsequio, potius quam cultus elegantia, spectandus, Te Auspice, in lucem prodire audeam, comparata, præcipue in Ædibus Vestris, Rerum Hibernicarum scientia, loco nempe ad studia amœno, ubi Bibliotheca instructissima, Porticus, Atria, Templa, Horti irrigui, et omnia ad studia accommodata, quæ animum, etiam a literis alioquin abhorrentem, allicere possent, atque ad discendum componere et conciliare. Ibi, negotiis Imperii, curisque, quoties licebat, depositis, meminisse juvat, quanta cum humanitate, animum pene deficientem adhortari soleres, ne diuturno labore oppressus, resipiscerem, atque ab incepto resilirem; abunde mihi otii suppetere persuadens, neque dimitti debere occasionem tam præclaram, quam tuo beneficio, nactus eram, de universa gente Hibernica optime demerendi; lucos mihi et lacus adesse, et nemora, natura et arte ad amœnitatem comparata, ubi possem peragrando "ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ," et in illis quasi sacris umbraculis, diurno labore completo, discurrere et diversari.

Neque Te pigeat, Illustrissime Vir, in Rebus hisce indagandis paulo diutius immorasse. Quamvis enim non negem jejuna et exilia primo aspectu videri, quæ in Annalibus nostris tradita legimus, certissimam tamen invenies Regum atque Regulorum Hiberniæ seriem chronologicam, progeniemque; certissimas Episcoporum, Abbatum, et Scriptorum successiones, ab antiquissimis temporibus deductas; Poetarum Hibernensium tempora definita; etCodicum Sacrorum ætates; idque ex vetustis Codicibus, ante Sæculum X scriptis, qui a *Tigernacho*, Sæculi XI Scriptore, vetera *Scotorum Monumenta*, et a Giraldo *Chronica* vetera, *diffuse* nimium, et *inordinate* scripta dicuntur. (1)

---

(1) Tigernachi Codex Bodleianus Rawlinson No. 488, fol. 1, col. 1. Giraldi Topogr. Hib. Dist. 3.

Hæc colligere, et publici juris facere, molliti sunt, Inclitissimi Viri, Vestri in Hiberniæ regimine Decessores, G. Carew, H. Sydnæus, Ormondus Comes, Clanrickardus, et Wentworthus Comes Straffordensis, qui Rerum Hibernicarum Monumenta quæ poterant, ferventibus odiis, e bellorum plusquam civilium fragoribus eripere, non sine fructu, conati sunt. (1) Atque utinam alii similes, sæculis anteactis, extitissent, priusquam antiqui Codices Hibernici et Latini, tam sacri quam profani, a Columba, Comgallo, Columbano, Baitheneo, Adamnano, Cannico, Dallano, et aliis conscripti, periissent; neque enim in iis qui supersunt illustrandis, tanta esset difficultas, quantam experiri mihi contigit, dum vix aditum aperire potuerim, quo voces nonnullas antiquatas, in Bardorum metris extantes, exponere concederetur. Silent autem leges inter arma, et lugent, demisso capite, literæ, dum Codicum MSS. jacturam, militum et Præfectorum ipsorum rapacitati tribuendam esse perspiciunt, qui cum literas tueri debuissent, et se, et Rempublicam literariam, turpi flagitio et maximo damno affecerunt, id testantibus *Rootheo* Ossoriense, quem Usserius *Patriarum antiquitatum indagatorem diligentissimum* appellat, (2) et Auctore Cambrensis Eversi, (3) quod et leges ipsæ, in Hibernicos Bardos Sancitæ, abunde indicare videntur.(4)

---

(1) Vide Waræi Epistolas nuncupatorias Wentwortho præmissas operibus Dublinii editis, De Script. Hib. ann. 1639, et Campioni Chronico, ac Spenseri *View of Ireland*. fol. Dubl. 1633.

(2) Usser. Primord. p. 737, et in Epist. Hib. Sylloge p. 125.—Vide Rothei Analecta, p. 557 et 559. Coloniæ 1617 et 1619. "Nec mirum, inquit Waræus, nam periisse liquet plurimorum notitiam, "una cum *multo maxima operum eorum parte*, cum Hibernia nostra seditionibus intestinis oppressa, "quasi miseriarum diluvio inundata fuerit." Ded. ad Scriptores Hiberniæ præmissa, p. 2, Dubl. 1639.

(3) "Exploratum est Patrum memoria, Hibernia bello conflagrante, Reginæ milites e castris ru-"ralibus, et quibuscumque vel hostium vel amicorum ædibus, quoscumque Hibernicos libros summo "studio corrasisse, ut eos Dominis abripere in imperatis habuisse videantur, qui postea in Urbium "præsidiis collocati, membraneorum illorum voluminum folia grandiora, inter pueros in ludis litera-"riis ad librorum sittibas, et inter sertores ad lascinias, pro vestium forma dimetienda, partiti sunt... "Ut istud inter alia sibi demandata, quando in hoc regnum mitterentur, injunctum fuisse videatur, ut "quam diligentissime abolerent omnem vetustatis memoriam in Hibernia." Cambrensis Evers. p. 41.

(4) Irish Statutes of Kilkenny and of Henry VIII. et Cox's Hist. of Irel. p. 128.

Jamque, ut ad ea accedam, quæ meos hos labores, et veritatem historicam propius attingunt, id imprimis curavi, et maxima adhibita diligentia me effecisse confido,—I, ut *Textum Annalium ubique ad exemplariorum fidem, quam accurate exprimerem.* Explicatis enim innumeris fere Codicum MSS. abbreviationibus, iisque antiquis scribendi compendiis, sive siglis, in characteres vulgares, ad communem intelligentiam, summa cum molestia redactis, ut Lectori, in compendiis istis legendis parum versato, omnia apertiora redderentur, impressorum foliorum Revisor ipse, Castigatorque, Typographum coegi, ut ne latum quidem unguem a subjecti Codicis textu discederet; tantaque fuit in hoc munere fungendo, tamque minuta collatio, ut folia pleraque abjecerim, potius quam vel in uno Iota a textu aberrarem; omni ope contendens, ut quidquid de versione censendum esset, verba saltem Hibernica, eorumque orthographia, et variantes diversorum Codicum lectiones, imo et defectus, et errores chronologicæ hinc inde servarentur.

II, Textu ita disposito, secunda mihi cura fuit, ut versionem Latinam ad Textum, non vero Textum ad versionem accommodarem, atque ut sensus, non quidem soluta et eleganti oratione, sed interpretatione fideli ad literam redderetur; hoc mihi scopo imprimis proposito, non ut Lectorum animos splendida narratione deciperem, sed ut veritatis studiosos, nuda et simplici Rerum Hibernicarum expositione, delectarem, ea in medium proferendo, quæ veteres Chronographi Hiberni, inter flammas et rapinas versantes, e Monasteriorum incendiis eripere, ac posteris servare et tradere conati sunt.

Cur autem stylo politiore hæc Versio non prodeat, duo potissimum effecerunt. Primum, quod, cum Annales nostri a priscis Scriptoribus, stylo simplici, et idiomate ac phrasibus Hibernicis, a lingua Latina alienis, compilati fuerint, consultius duxerim primigeniam ipsorum phrasim, licet contra grammaticæ leges sæpius impingentem, retinere, quam eam in aliam paulo Latiniorem commutando, efficere, ut ii, qui tempore vetustiores erant, ex stylo recenti-

ores fallaciter censerentur. Secundum, quod in solidioribus veritatis historicæ fundamentis jaciendis, studium mihi propensius fuit, quam in coloribus ruda arte pingendis, quibus venustati potius quam veritati morem gerere existimarer.

Reprehendent fortasse nonnulli, quod tantum operis posuerim, in incultis explicandis sermonibus, et Chronicis, de quibus Giraldus "*superflue* satis et "*frivole, rudi quoque et agresti stylo, diffuse et inordinate* congesta fuisse," proclamat.(1)—Sperare tamen jubet animus, me nec in rebus inutilibus vel injucundis tempus omnino perdidisse; neque id mihi exprobrandum, quin, a *fortiori*, Waræi, Usserii, Spelmanni, atque Camdeni studia et opera lædantur, qui non alia ad Hiberniam spectantia edidere, quam quæ, Latinis literis et lingua conscriptæ, facillime evolvi poterant, et explicari; neque enim linguam veterem Hiberno-Celticam, jam a vulgo fædatam, et cito perituram, servaverunt, neque Historiæ Hibernicæ Scriptoribus ansam præbuere, qua Hiberniæ incolis, ex propriis Hibernorum monumentis, lingua vernacula scriptis, ostenderent, non nisi moribus, et legibus recte institutis, Regna florere, neque aliter pacem inter ipsos fratres, aut cognatos, aut cives, vel vitæ securitatem, aut famæ præsidium posse ullatenus conciliari, nisi Magistratus Imperio, qui legibus coerceat, et cohibeat, tam *vindice gladio*, quam moribus et religione. Multum præterea interest ne pereant ista, quæ Majores nostri posteris prodidere, cum si semel obliterarentur, nunquam possent industria humana restaurari.

Non is sum certe qui jejunam Annalium macilentiam facundiæ Græcæ vel Romanæ splendoribus prætulerim. At talis mihi semper visa est veritatis Historicæ indoles, tantaque auctoritas, ut pluris valeat nuda et agrestis in ore barbari, cujus simplex erat animus, nulla simulatione tectus, nullo rhetoricæ

---

(1) Giraldi Topogr. Hib. Præfat. 1, ed. Francof. 1603, p. 693.

calliditatis artificio munitus, quam in ore periti Oratoris fabula quantumvis splendida, qua " Fortunam Priami narraret et nobile bellum."—Quod si in Annalium solœcismis lugendis dies noctesque insumsissem, actum fuisset de Historia, actum de Annalibus Hibernorum, et res nostræ, diu præ incuria latentes et labentes, omnino perituræ erant, nisi solœcismorum æque ac impensarum rationes penitus eliminarentur. Cum ergo caliginosæ antiquitatis immensum oceanum emetiendi provinciam susceperim, satius esse duxi, ad antiquas veritates ex obductis tenebris eruendas, animum adjicere, quam in styli minutiis occupari, quæ ad Historiæ intelligentiam parum, ad linguam vero Hibernicam comparandam nihil prodesse inveniuntur. Rem denique suscepi imprimis arduam, atque hactenus intactam, ideoque in pluribus condonandus sum, præsertim cum iis præiverim, qui meos hos labores emendare cupientes, ad Provinciam hanc felicius exornandam, auxiliis suffulti quæ mihi deerant, ad labentem et quasi fugientem antiquitatem sistendam, tandem aliquando surrecturi sunt.

III, Tertium quod mihi onus imposuisti, declarandi nempe *quinam fuerint nostrorum Annalium Scriptores,* quo tempore singuli floruerint, quibus adminiculis, quove antiquariæ suppellectilis subsidio muniti, res gestas tradiderint, id, ea qua potui diligentia, non tamen exitu, quo vellem, omnibus numeris absoluto perfeci.

Alios fuisse horum Annalium *Collectores,* alios autem Auctores manifestissime constat, non solum asserentibus Usserio, ut alibi indicavi, (1) et Waræo,(2) verum etiam ex argumentis ab intrinseco petitis, quæ plane indicant, recentiores scribas, qui Codices nostros antiquos collegere, et descripsere, non raro in ipso textu, et nonnunquam in margine, et inter lineas, voces vetustas

---

(1) Prolegomena a pag. cxxxv ad clxxv, et not. ad Annal. Ult. ann. 731, pag. 82.

(2) Waræi Scriptores, pag. 74, 77, 83.

quarum interpretatio suo ævo obscura erat aut ignota, aliis vocibus recentioribus Hibernicis explicasse, ut eo facilius intelligerentur. (1)

Annalium Ultoniensium Collectores.

Usserius et Waræus, quorum quis ignorat non esse spernenda judicia, inter *primam* partem Annalium Ultoniensium et *posteriorem* latum esse discrimen opinati sunt. (2) Flaherteus quidem Ultoniensium *Scriptores* obiter et in transitu indicat *Cathaldum Maguir*, qui obiit anno 1498, et *Rodericum Cassidæum*, a quo *recogniti* erant et *continuati*, (3) et Colganus de eodem *Maguir*; "*compilavit*, inquit, ex variis vetustis Patriæ monumentis Annales *Senatenses*, "i. e. Ultonienses." (4) At, Usserius et Waræus Maguirium et Cassidæum non Scriptores sed *Collectores* appellant Ultoniensium, quos Gulielmo Malmesburiensi cognitos fuisse, indicat Usserius, etsi non ubique ab eo, uti decebat, Momoniensium Catalogo antepositos affirmat. (5) Atqui Momoniensium Catalogus, de quo agitur, is est vetus Episcoporum Catalogus, qui in Psalterio Casselense, a *nongentis annis* exarato, servatur. (6) Cum ergo, juxta Usserium, cui adhærent Waræus et Colganus, huic antiquo Catalogo, anteponendi sint Annales Ultonienses, in iis rebus enarrandis, quæ ante sæculum X evenere, sequitur *prioris partis* Auctorem longe alium fuisse a Maguirio, qui, multis post X volventibus sæculis, obiit A. D. 1498.

Waræus de *Augustino Magraidin* hæc habet—" Ineunte sæculo XV claruit "Augustinus Magraidin, Canonicus Augustinianus, Cœnobii Insulæ omnium

(1) Vide Annal. Ult. ann. 453, 537, 570, 572, 602, 603 p. 35, 776 p. 106, 789, et IV Magistror. Annal. ad ann. 189, 920, 921, 930, 937, 941, 942, 954, 973, 989, 999, 1012, 1014, 1021, 1032, 1064, 1072, 1083, 1086, 1097, 1136, 1143, 1154, 1157, &c.

(2) Waræi Scriptores Hib. ib. Usser. Primord. p. 876.

(3) Flahert. Epist. ad Linæum, Londini 1684, p. 19.

(4) Colgani Acta SS. Lovanii 1645, Præf. p. 7.

(5) Usser. ib.

(6) " The oldest Irish MS. which we have discovered is the *Psalter of Cashel* written about the " end of the Xth century." Astle's Origin of Writing, c. v, p. 123, et Prolegom. p. clxvi.

" Sanctorum, quæ Shenano fluvio circumfunditur, in occiduo limite Comita-
" tus Longfordiæ. Vir doctus et prudens. Inter cæteros studiorum fructus
" scripsit Vitas SS. Hiberniæ, et *continuavit* Chronicon, quod alii ejusdem
" Cœnobii Canonici inceperant, *usque ad sua tempora*, cujus partem aliquam
" MS. habeo, cum *auctario post mortem* ejus. Decessit die Mercurii proxime
" post festum omnium SS. anno D.ni 1405, et in dicto Cœnobio sepultus
" est."(1) Neque igitur *Magraidinus*, neque *Maguirius*, neque *Cassidæus*, neque alius quispiam post sæculum XII, *Prioris partis* Ultoniensium Scriptor censendus est.

Alibi indicavi celebriora Hiberniæ Monasteria Amanuensem aluisse, *Scribhinn* appellatum, et primarios quinque Hiberniæ Reges Poetam et Historicum seu Genealogum, *Fileadh* et *Seannchaidh* Hibernice dictos, in castris et Ædibus habuisse, quorum officium erat, et quidem jure hæreditario, quæcumque, sive laudabilia, sive sæva, atque crudelia evenissent, ea in Codice ad id destinato describere, et ad exemplum vel ad odium conservare, ne temporum labilitate perirent. (2) Hos veteris Hiberniæ Historiographos, Scribas et Notularios appellatos fuisse, patet ex Schedis Monasterii Hibernici S.Gallensis in Helvetia, editis a Goldasto; ex Epistola Albini sive Alcuini ad *Colcum Lectorem* Hiberniæ, edita ab Usserio;(3) et ex Simeone Dunelmense de Gestis Reg. Angl. ad ann. 794, quo Colcus iste obiisse narratur; itemque ex Mabillonii Opere egregio De Re Diplomatica, p.125. Atqui ex his principiis Annalium nostrorum originem petendam esse alibi demonstravi.(4)

Waræus recte notat Carolum Maguir, Ardmachanæ Ecclesiæ Canonicum, Hiberniæ Annales, i.e. Ultonienses, ad sua usque tempora produxisse; eumque

---

(1) Waræi Scriptores Hib. Dublin. 1639, p. 75. Vide plura in Prolegomenis nostris a pag. cxxxv ad pag. clxxv. (2) Prolegom. p. lxi, xci, et Annal.Ult. a p. 162.

(3) In Sylloge Epist. Hibern. ad ann. 793.

(4) Prolegom. ib. et pag. lxi, xci, et Annal. Ult. a pag. 162.

obiisse xx Kal. April. A. D. 1498, ætatis suæ lx,(1) et Rodericum Cassidæum Archidiaconum Clochorensem, *Patriarum Antiquitatum scientissimum*, præter partem Regesti Clochorensis, scripsisse etiam *partem posteriorem Annalium Ultoniensium*, et obiisse grandævum A. D. 1541.(2) Nemo est profecto, qui res nostras paulo diligentius considerat, qui non perspicit cujusvis sæculi scriptores, ad alios præcedentes, uti testes temporum, provocare, quorum fidei omnia in Annalibus scripta tribuuntur.—Tigernachus, qui sæculo XI floruit, *omnia monumenta Scotorum usque* Kimbaoth *incerta esse* declarat, et non raro *Cenfaoladii, Maolmurii, Eochodii,* et *Libri Genealogiarum* verba ipsa adducit.(3) Cenfaoladius autem obiit antequam Beda natus esset, A. D. 678,(4) et quædam ejus Metrica, a Tigernacho memorata, et antiqua lingua Hibernica scripta, extant in Bibliothecæ Vestræ MS. Codice No. I. *Maolmurius,* cujus plura extant, in eadem Bibliotheca conferenda, fuit Nennii coætaneus, obiit enim anno 886. (5) *Eochodius,* cujus Carmina Hibernica extant in Vestræ Bibliothecæ Codice MS. *Leabhar Gabhaltas,* sæculo XI floruit. (6) *Flannus mac Lonain,* Maolmurii coævus, obiit enim anno 896, plura reliquit Carmina Historica, quorum fragmenta nonnulla extant in Codice Vestro *Din-Seannchusa,* a quingentis saltem annis exarato, fol. 17, col. 2. *Flannus* Junior, *Flan Mainistreach* cognominatus, cujus *Synchrona* pariter extant in vetusto Codice Membraneo ejusdem Vestræ Bibliothecæ No. I, quique obiit anno 1056, plura itidem subministravit, quibus traditio historica, auctoritate co-

(1) Waræi Script. p. 77, et Cassidæus in parte posteriori Annal. Ult. ad ann. 1498. Codex Rawlinson Bodleian. No. 489.

(2) Waræus ib. p. 83, et Harrisius in additam. ad Waræum, Dubl. 1746, p. 93. Confer Flahertæi Epist. Nuncupat. p. 43, cum notis nostris ad Annal. Ult. ann. 453, 537, 570, 572, 602, 603, p. 35, ann. 776 p. 106, et ann. 1014.

(3) Tigernachi Chron. ad ann. 513, 533, 562.

(4) Tigernach. ib. ad ann. 679. Annal. Ult. 678.

(5) Vide Annal. IV Magistr. et Ulton. et Tigernachi, et Inisfal.

(6) Annal. Ult. et IV Mag. et Nicholson. Append. p. 187.

ætanea, fulcitur. Neque defuere alii plurimi, ut *Coemanus* qui Carmen suum Historicum, nunc primo editum, composuit anno 1072, et *Gildas Moduda,* qui Carmen istud continuavit, obiitque anno 1143, qui Rerum Hibernicarum seriem ita contexuere, posteriores res gestas iis quæ a Majoribus traditæ erant adjungentes, ut nullus de eorum fide ambigendi locus relinquatur. Ii *Coætanei,* si liceat vocibus uti sæquioris ætatis, quas castæ Latinorum aures non admittunt, eo circiter tempore scripsere, quo res gestæ evenerunt, quas Patrum Chronicis adjicere, sui officii fuisse arbitrati sunt. Auctores autem hujusmodi Lampridius *suorum temporum Scriptores* appellat, et cum Josephus, de Sacrarum literarum veritate disputans in l. 1 contra Apionem, *veracis Historiæ indicium esse,* asserat, *si de rebus iisdem omnes eadem dicant et scribant,* ita et nos, de Rebus Hibernicis agentes, a Patrum et Avorum memoria dissitis, idem valere asserimus coætaneorum fidem, quod in rebus ætate nostra actis, oculatorum testium auctoritas valere censenda est.

Neque enim aliter intelligere possumus, quomodo Annales nostri non solum *diem* referant quo res gestæ quædam evenerunt, verum etiam ad *horam* descendunt, ut de Eclipsi anni 664 in Prolegomenis observavi, idque tam accurate, ut Beda ipse horum Annalium ope corrigendus sit.(1)

Neque aliter scio, quomodo iidem Annales referre possent *Niallum Glundubium,* Hiberniæ Regem, a Danis prope Dublinium occisum fuisse *xvii Kalendarum Octobr. feria iv,* præsertim cum minutæ quædam circumstantiæ referantur, quæ alios subministrant temporum characteres, quibus eadem chronologica veritas manifeste confirmatur. Inquiunt nempe Dominicam Paschalem *vii Kal. Maii,* et octavam Paschatis *in æstate* eo anno incidisse, et *Gormlathiam* Nialli Reginam, mariti casum, versiculis Hibernicis in iisdem Annalibus citatis, deplorantem, et quemdam Poetam *Comgallum,* aliis versibus ibider

(1) Vide Prolegomena nostra a pag. lxiii ad pag. xcix.

memoratis, eundem Paschatis diem eo anno observatum decantasse. Hæc autem omnia annum unicum 919, toto volvente sæculo, declarant.(1)

Atque hi quidem, more antiquo, Patrum suorum gestas, Carminibus Hibernicis, ad Cytharæ modulum cantandis, edidere. Alii autem prosaice, res singulorum annorum mandabant literis, efferebantque in album, atque in Codice ad id destinato, memoriæ publicæ retinendæ causa, sine ullis verborum ornamentis, aut ambagibus, describere assueti erant; unam dicendi laudem *brevitatem* putantes, ut non exornatores, sed narratores censerentur. Sic, ex IV Magistrorum Annalibus, et ex Jocelino, Sæculi XIImi Scriptore, constat, "*Anno C.* 438, *Regis Leogarii decimo,* – *vetustis Codicibus, aliisque antiquis Hiberniæ monumentis undique conquisitis, et in unum locum congregatis, Hiberniæ antiquitates et Sanctiones Legales S. Patricii authoritate repurgatas et conscriptas fuisse,*" curantibus tribus Regibus, tribus Episcopis, et tribus Antiquariis, quorum nomina servantur. (2)

Hoc Opus usque ad Sæculum X extitisse, indicavi in nota ad Annales IV Magistror. ann. 438, pag. 114, ejusdemque fragmenta servari in Codice Bodleiano vetusto Laud F 95, cujus specimen in eruditissimi Astlei Ectypis, in Vestra Bibliotheca servatis, accurate descriptum habes, posthac, Deo juvante, demonstrabo.

Sic etiam, in Annalibus Ultoniensibus, et Tigernachi, sæpe citatum invenio Chronicon *Cuanachi*, usque ad annum 628, sed non postea; unde conjicere licet, Chronicon suum de Rebus Hibernicis non ultra produxisse, eoque tempore floruisse, ut scribunt Waræus et Colganus; nisi forte fuerit *Cuana Nepos Bessani Scriba Treoit*, i. e. Scriptor Droghadensis, qui, juxta eosdem Annales, obiit A. D. 738.

Sæculo nono exeunte floruit Rex et Episcopus *Cormacus mac Cuilenain*, Vir

(1) Vide IV Magistror. Annal. ann. 917, et 942 not. p. 471.

(2) Annal. IV Magistr. ann. 438 et 937, cum Disticho vetere sæculi 6ti vel 7mi, ibid.

eruditus, et antiquitatum Hibernicarum, scientissimus, qui scripsit Historiam, *Psalter Cashil* vulgo dictam, " quæ etiamnum extat, inquit Waræus, et " magno habetur in prætio. Fragmenta quædam Genealogica ex illa Historia desumpta in vetusto habeo Codice MS. ante annos plusquam 300 exa-" rato, ut e characteris antiquitate liquet."(1)

His, et aliis pluribus adjiciendus est *Dubdalethcus* Archiepiscopus Ardmachanus, qui obiit anno 1064, et scripsit Rerum Hibernicarum Annales quos citatos invenio in Annalibus Ultoniæ ad annos 962 et 1021.

Hi omnes Annalibus nostris originem et materiam præbuisse censendi sunt. (2)

Annalium Inisfalensium Codex Bodl. Rawlinson No. 503.

Quod de Ultoniensibus dictum est, id et de Inisfalensibus dicendum constat. *Compilatores* nempe et *Continuatores* diversos fuisse, qui diversis sæculis scribentes, quæ in vetustis Monasteriorum Schedis descriptæ erant collegisse, et posterorum temporum gesta addidisse censendi sunt.—*Prioris partis* Inisfalensium, prout nunc extant, Collectorem, anno 1215 floruisse patet, non solum ex Waræo et Nicolsono,(3) verum etiam ex ipso Codice autographo, ut videtur, Bodleiano, olim *Chandoisense*, qui partem posteriorem ad calcem adjectam exhibet, ab anno prædicto Mccxv ad annum usque Mcccxx, quo pars ista, alia manu, alia pergamena, atramento, et characteribus, Hibernicis

(1) Waræi Scriptores Hib. pag. 45

(2) Giraldus, sæculo 12mo, ad " *antiquissimas Hibernensium Historias*" appellat. Topogr. Hib. Dist. 3, c. 1 et 2, edit. Francofurti 1603, p. 735.

(3) Waræi Catalog. Codicum MSS. 4to, Dublinii 1648, pag. 8, No. xxvi. " Annales Cœnobii " Inisfalensis in agro Kerriano, in quibus Author leviter attingit Historiam universalem ab orbe con-" dito usque ad ann. 430, vel circiter. Inde vero res Hibernicas usque ad ann. 1215, quo vixit, " satis accurate describit. Hos Annales *continuarunt* alii usque ad ann. 1320, in 4to membr."

Hibernicis certe, sed recentioribus, exarata fuit, ut in Prolegomenis fusius exposui.

Cur prima octo Inisfalensium folia omiserim.

Et hæc quidem, de Inisfalensibus dicta, sufficerent, nisi argumenti ratio postulasset, ut breviter causas indicarem, cur, octo primis foliis prætermissis, ea omnia omiserim, quæ Christianæ Religionis exordia præcedunt. Imprimis itaque notandum velim, me ista omisisse, non quod inter fabulas amandanda censuerim; nec quod cum fabulis intermixta, ut posterioris ævi figmenta despexerim; sed quod folia lacera, excesa, corrupta, vix, ac ne vix quidem, non continuatim, sed frustatim, et intermisse legantur. Desunt præterea quædam folia, duo ut opinor, in initio, et unum post illud quod ordine est septimum. Primum incipit abrupte, sine litera initiali, a sententia quæ Historiam antecedentem præsupponit; et cum cætera Chronica vel ab initio Mundi, vel a Christo, vel saltem a S. Patricii adventu, exordium petant, folium hoc quod nunc primum est, agit de Patriarchis, usque ad Diluvium; et deinde, ad ea referens quæ de Creatione, in superioribus jam deperditis, dicta fuere, breve Compendium Historiæ Mundanæ ab ipso rerum exordio auspicatur. Paucissima Hiberniam respiciunt, quorum *Excerpta*, valde quidem mutila, hinc inde, improbo labore, expiscata, in Prolegomenis edenda curavi. Cætera, ut dixi, Compendium exhibent Historiæ Universalis, quod, utpote a Rebus Hibernicis alienum, et a Tigernacho, iisdem fere verbis, ex Eusebio, Hieronymo, Prospero, Julio Africano, Marcellino, Orosio, et Beda descriptum, prætermittendum duxi.

Postea vero quam *Excerpta* ista ediderim, Oxoniam iterum petiisse contigit; ibique, ab Ænei Nasi Collegii Illustrissimo Præside et Senioribus, comiter exceptus, atque ad clarissimum Bibliothecarium *Priceum*, virum omni laude majorem, commendatus, licuit eadem folia iterum leviter detergendo emacu-

lare, et alia copiosiora *Excerpta*, quæ infra subjicio, exscribere, ut futura aliorum Codicum collatione, Deo juvante, illustrentur.

Inter alias scilicet præclarissimas Oxoniæ laudes, non ultima est illa, quod illustres Viri, qui ibi studiis, ingenio, et eruditione claruerunt, inclita veterum scripta monumenta undique collegerint, et Codices antiquos cujusvis generis summo pretio habentes, eos præsertim qui ad Britanniarum Historiam pertinere censebantur, munifice comparare, et studiosis Lectoribus, omni Religionis discrimine postposita, subministrare curarint. Inter hos Codices, nonnullos extare, quibus antiquissima Regum Hibernorum Historia illustrari posset, minime dubitandum esse, triginta fere Codicum millia, industriæ et disciplinarum Anglicæ gentis inclita monumenta, satis superque indicare videntur.

Codicum Characteres Hibernici collati et conferendi.

Præclare quidem de re literaria mœreretur, qui, per sæcula eundo, *scribendi formulas*, cujusvis ætatis proprias, juxta seriem temporum delineatas, colligeret, atque, veteres pingendo scripturas, quarum ætates, *omni dubio amoto*, plane definire posset, aliarum ætates incertas, congruis rationibus, a characterum, interpunctionum, et abbreviationum forma, indole, vel identitate deductis, eruere, et sine ambagibus explicare curaret.—Ut autem aliquid lucis huic tam difficili, in rebus Hibernicis, desiderato, quodammodo afferrem, atque ut appareat cuinam tempori hoc vel illud Scripturæ genus pertineat, Specimina quædam integra, Te favente, imo et expostulante, in Prolegomenis exhibui, quibus Codicum ætates, si non certe, saltem ex indiciis ad certitudinem accedentibus indicarentur.' Ideoque, cum plurimi Codices in manus meas incidissent, aliquorum historias, ea qua potui diligentia, ex vetustis Scriptoribus colligere studui, ut non *ex solis characteribus*, sed etiam ex aliis adminiculis, ad rectum de quovis Codice judicium efformandum accommodatis, de cujusvis ætate judicare liceret. Incepi ab iis qui in Hibernorum Scholis Nordanhym-

bricis, vel ab ipsis Monachis Hibernis, vel ab eorum Discipulis, sæculis VII et VIII, exarati fuere.' Deinde eos adduxi, quos Monachi Hiberni, ejusdem et sequentis Ævi, in Galliam, Germaniam, atque Italiam asportaverunt, vel propriis, aut Discipulorum manibus, in istis regionibus commorantes, descripserunt. Denique ad eos respexi, quorum plurimos, a sæculo X et XI exaratos, in Angliæ Bibliothecis perlegere licuit, et perscrutari; ea ipsa methodo, quoad licuit, qua *Codicem Hibernicum IV Evangeliorum*, in Bibliotheca Harleiana servatum, anno 1138 descriptum fuisse demonstravi.(1)

Scriptorum Hibernorum Antiquitas.

Et quidem mihi sæpe de his cogitanti videtur, majorem et Hibernicos et Saxonicos Codices antiquos diligentiam mœreri, quam hactenus, in rebus saltem Hibernicis, impensam fuisse perspicio. Cæterarum enim gentium Septentrionalium Antiquitates *scriptas,* longe recentiores esse existimo, si cum Hibernicis comparentur. Non is sum qui fabulas venditare audeam. Imo vero fabulas stomachor, et odio potius quam risu, natura et indole penitus abhorrente, excipere assuetus sum. Sed quid respondendum erit, si quæstio instituatur, quis Scriptorum Septentrionalium, qui lingua quavis Septentrionali scripsisse creditur, cum *Alildo Olumio, Dubthacho, Ficcho Sleptense, Brogano, Cennfaeladio, Dallano Forgail,* et aliis etiam antiquioribus, in nostris Prolegomenis memoratis, non dico Arte Poetica, sed *antiquitate historica,* conferendus sit? (2) Quis cum Poeta illo Hibernico, qui, *ex more suæ artis, carmina modulabiliter cantabat* anno 560, quo eum in agro Roscomman-

(1) Prolegom. p. cxliii.

(2) Vide Annal. IV Mag. p. 103, et not. ad p. 127, 129; item p. 136, et Prolegom. p. lxvi, lxxxvi, et cx.

ense, juxta Lacum *Ce*, cum S. Columba colloquentem, Adamnano referente, demonstramus? (1) Quis cum *Becco* filio Deei, quem IV Magistri memorant ad ann. 478? Quis cum *Columba* ipso, cum *Forcherno*, (2) *Manchenio*, (3) *Eochodio*, *Maelmura*, *Flanno mac Lonan*, *Flanno Monasterii*, (4) aliisque pluribus, sæculorum quinti, sexti, septimi, et octavi, Scriptoribus metricis, ad quorum carmina Tigernachus, Annales Inisfalenses, et IV Magistri, iterum iterumque, eorum Rhythmos lingua vetusta servantes, appellant? Non agitur de *Arte Poetica*. Nemo enim æquus rerum æstimator Hibernorum Historias Metricas rejiciet, eo quod a suavitate sæculi aurei Augusti, aut a grandiloquentia, et splendida Homeri sublimitate abhorreant. Neque etiam si de *Arte*, aut de suavitate, quæstio esset, ex versione nostra literali, Poetarum Hibernorum, ad Citharæ modos canentium, vel suavitatem vel artem elicere liceret. Beda recte inquit, Carmina, quamvis optime composita, ex alia in aliam linguam *ad verbum*, sine sui decoris ac dignitatis detrimento, transferri non posse. (5)

Tacitus quidem inquit Germanos celebrare *carminibus antiquis, quod unum*

---

(1) Adamnani de Vita Col. l. 1, c. 42, cujus titulus, æque ac totum opus, ab Adamnano ipso descriptus, est—" *De Cronano Poeta.*" Vide editiones varias tam Canisii in tom. 4 Antiq. Lect. Engoldastii anno 1604, quam Messinghami Parisiis 1624, Colgani in Triade Lovanii 1645, Mabillonii in Actis Bened. Basnagii, et Pinkertoni. Confer Bibliothecam nostram Hibernico-Cotton.

(2) Vide Prolegomena p. lxvi.

(3) De *Manchenio*, Auctore Hibernense libri de Mirabil. S. Scripturæ, vide quæ dicta sunt in Annal. Ult. ad ann. DCLI, et S. Augustini Opera t. 3, ad ann. C. 655, quo Manchenius scripsit; et Prolegom. p. cxxiv, et IV Mag. pag. 1, n. 1. De Manchenii Lethensis Carmine Rhythmico Hibern. *Iodhal a ro h airgeadh som.* Vide Flahert. p. 286.

(4) Vide Prolegom. pag. lxxxviii.

(5) Bed. Hist. Eccl. l. 4, c. 4. Confer duos versus Poetæ Ethnici ignoti in Annal. IV Mag. ad ann. C. 106, et quatuor alios ad ann. 283. Itemque alii versus de obitu Regis Laogarii, a Sole et Vento Diis Hibernorum occisi, ad ann. 458. Hi versus, ut et alii antiquiores Hibernici, Latinorum metros ætate excedunt.

apud eos memoriæ et Annalium genus est, Tuistonem Deum. (1) Agit autem non de Carminibus scriptis, sed de cantilenis de quibus apte Menalcas apud Virgilium—

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis indocte *solebas,*
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Quis nescit, omnibus retro sæculis, apud Barbaros omnes, ut ex Americæ populis compertum est, (2) eundem fuisse carminis *non scripti* usum, et diversa genera. Canadensibus sua sunt Carmina, cuique genti, cuique familiæ propria, et Germanorum barbara Carmina, non antea scripta, primum *scripsisse, memoriaque mandasse*, Carolum Magnum, ab Hibernensibus Magistris *Claudio Clemente* et *Dungalo* eruditum, (3) Eginhardus, testis oculatus, affirmat. (4) Res est ex ipso Tacito manifesta, "*Literarum secreta*, inquit, *viri* "*pariter et fœminæ ignorant.*" (5) Germani ipsi peritiores et antiquiores literas in Germania penitus ignotas fuisse, declarant, donec cum Religione Christiana a *Livino, Kiliano, Columbano, Fursæo, Fridolino, Gallo,* aliisque sæculorum VI, VII, et VIII, Monachis Hibernensibus introductæ fuere.(6)

Et re quidem vera, Monchus *Otfridus* qui primus S. Scripturam Teutonicæ linguæ donavit, in Præfatione ad suam Evangeliorum Versionem Theotiscam,—" Lingua hæc, inquit, veluti agrestis habetur, dum a propriis *nec* " *scriptura, nec arte aliqua*, ullis est temporibus expolita."(7)—Scripsit autem Otfridus ante annos nongintos, unde major ei fides necessario adhibenda est, quam auctoribus Operis cui titulus *Nouveau Traité de Diplom.* qui, parum accurate S. Hieronymi verba expendentes, literarum in Germania originem ad

(1) Tacit. de Mor. German. c. 2.
(2) Charlevoix Voyage de l'Amer. let. xiv, p.217.
(3) Vide Annal. Ult. Annot. p. 176, &c.
(4) Eginhard. in Vita Caroli c. 29.
(5) Tacit. de Mor. German.
(6) Vide Annal. Ult. Annot. ibid.
(7) Apud Schiller. Antiquitates Teuton. 3 vol. fol. 1728.

quintum usque sæculum referendum esse asseruerunt. (1) Genebrardus enim et ipse Germanus, Otfridi testimonium confirmat, (2) et S. Hieronymi verba, Rhetorice potius quam Historice prolata, (3) non ad Germanos, sed ad *Gothos* Australes, in Græciæ finibus degentes, quorum Episcopus erat Ulphilas, dicta referenda sunt. Illustrissimus Maffeius abunde demonstrat literas populis Septentrionalibus ad sæculum usque sextum ignotas fuisse, et Whitakerus earum usum ex Britannia ad Saxones, non vero a Saxonis ad Britannos pervenisse demonstrat. (4)

Quod si supponamus, Carmina nostra vetusta Hibernica ad plurium Citharædorum, in unum consonantium, modos decantata fuisse, ut ego ipse, et fratres mei, et plurimi alii adhuc viventes, olim, in Christi Salvatoris Natalibus, in Connacia audivimus, certe non omnino ingrata, nec horrida, sed potius ad sublimia de Religione et de virtute censenda, animum excitare, imo et dulci violentia allicere, et impellere censerentur. At, ut dixi, non agitur hic de *Arte Poetica* veterum Hibernorum, sed de Metrorum adhuc extantium *antiquitate*, quam ad quartum usque sæculum pervenire in Prolegomenis me demonstrasse confido; quod totius Europæ Rhythmos antiquitate præcedit.

Rhythmos quidem memorat Cicero. Sed modum intellexit certa dimensione constantem, qui ex plurium vocum apte concurrentium concinnitate quadam, prout graves erant vel acres, lentæ vel celeres, numerum efficiebat. Non

---

(1) Nouv. Traité de Diplom. t. 3, p. 24.

(2) "Disciplinarum capaces cum non essent Germani, ab octingentis annis dumtaxat, i. e. a Ca-" rolo Magno, *ut ipsimet affirmant*, suam linguam cæperunt literis exscribere, et cum Christiana " Religione Musas excipere, ut non quærendum, quibus hoc tempore tum (A, D. 428) ibi literis ute-" rentur." Genebrardi Chronol. Sacr. ad ann. 428.

(3) "Quis hoc crederet, ut barbara *Getarum* lingua Hebraicam quæreret veritatem, et dormi-" tantibus, immo contendentibus Græcis, ipsa Germania S. Sancti eloquia scrutaretur." Hieron. ad Junium et Fretelam.

(4) Whitaker's Manchester v. 2, p. 329. Astle Orig. of Writ. p. 96.

intellexit certe, eamdem *syllabarum terminationem monotonam*, in medio et in fine versus, ut Hibernis in usu erat, quam Itali mædii Ævi *rima* appellarunt; quæ quidem si in mensura spectetur ipsius versus, certis syllabis, et certo temporum intervallo constantis, idem est cum Rhythmo Latinorum; sed si in medio et in fine, ubi similiter desinentia ponuntur, res est a Latinis nunquam usurpata, ab eorum methodo penitus aliena, et a Celtorum Arte Poetica, et profundissima Druidum antiquitate, procul dubio derivanda.

Hanc veterum Hibernorum methodum, in nonnullis Codicum locis me effugientem, Tu ipse notasti, ut alibi indicavi. (1) Me autem effugit, cum *Excerpta* ista mutila ex Inisfalensibus ediderim, in Prolegomenis p. ix, ubi duos Versus Chronologicos, tanquam si prosaice scripti fuerint, excerpsi; minime advertens, quod etsi ordine prosaico, sine ulla versuum distinctione, exarati fuerint, Rhythmica tamen methodus eruenda erat. Postea vero, cum secunda vice Oxoniam petiissem, eadem verba majori cura describere licuit, ea methodo quam infra in *Excerptis*, huic Epistolæ adjectis, explicare curavi.

Neque pudet id non animadvertisse, quod et Goldastum effugit et Usserium, qui quartam Columbani nostri Epistolam, anno 610 scriptam, tanquam prosaicam edidere,(2) quamvis inter ea Rhythmica referenda sit, quæ, ad *canendum digna*, Columbanum edidisse, Discipulus ejus Jonas et Sigebertus consentientes declarant.(3) Versus enim sunt parisyllabi, et modulationi accommodati, in quibus, elisionum et quantitatis ratione prorsus neglecta, xiv syllabarum numerus cum simili desinentia Rhythmica servatur.

Hæc omnia, ut dixi, Septentrionalium *scripta* monumenta vetustate exce-

---

(1) Prolegom. p. lxxiii.

(2) Vide Usserii Syllog. Veter. Epist. p. 9.—Mundus iste trans*it*—et quotidie decres*cit*.—Nemo vivens maneb*it*—nullus vivus remans*it*.—Totum humanum genus ortu utitur *pari*—Et de simili vita fine cadit eq*uali*, &c.

(3) Jonas in Vita Columb. c. 2. Sigebert de Script. Eccles. c. 60.

dunt, atque ex intimis Celticæ linguæ antiquitatibus, ex Druidum et Bardorum veterum constanti traditione petenda sunt.

Scaldorum antiquitatem non ultra Danorum in Hiberniam adventum referri posse, nemo est in rebus Septentronalibus vel tantisper versatus, qui non plane perspiciat et agnoscat. Codices *Eddæ* Rhythmicæ membranei, quibus ob ætatem aliqua fides et auctoritas debetur, non ultra sæculum XIV ætate progredere, patet ex *Edda Semundar Hinns Froda*, nempe ex Edda Rhythmica antiquiore, vulgo *Sæmundina*,(1) et cum Sæmundus ipse non ante annum 1056 natus fuerit, Septentrionales fabulæ nullo fundamento sæculo XI antiquiore nituntur. Neque vera sunt quæ de Runarum antiquitate, nonnulli, ad fabulas nimium proclives, somniarunt, cum nunquam ante sæculum XI in Codicibus scribendis usurpatæ fuerint, (2) neque ad literarum usum accommodatæ, sed tantum pro characteribus magicis in ligneis baculis, armis, et lapidibus habitæ, ita ut si liber aliquis Runice scriptus proferatur, pro certo tenendum sit, librum istum esse sæculo X posteriorem, id mihi fatente eruditissimo Dano *Zoega*, cum olim mecum in Ædibus Borgianis et in Bibliotheca Vaticana familiariter uteretur. Incerta sunt etiam quæ de Sæmundo narrantur; neque auctor fuit Eddæ, cum ejus opera, si quæ fuere, perierint.(3) Eddæ auctor fuit partim Snorro, Sæmundi nepos, qui obiit anno 1241, et partim alii, qui libros Mosaicos de rerum origine cum ævi istius fabulis, vulgo

---

(1) Ex Codice Bibliothecæ Regiæ Haffnensis, Haffniæ 1787, p. vii.—Hunc Codicem, etsi inter antiquissimos numerandum, non tamen ante *sæculi XIV medium* scriptum fuisse, Editor ipse declarat p. xli. Vix tamen inducar ut credam, ante sæculi XV medium scriptum fuisse, cum ingenue agnoscat, se potius *conjecturis*, quam ratione certa inductum, ut vetustatem ejus ad sæculi XIV medium evehat. Ibid. Ex scripturæ indiciis in specimine edito p. xlix, conjicerem potius opus esse sæculi XV vel XVI.

(2) Ibid. p. xxxv, et Zoega de Obeliscis p. 552, sed præsertim Iohan. *Ihre* Dissert. de Runarum in Succia antiquitate.

(3) Vide Torffæum in Hist. Norv.

dictis *Romaneschis*, miscentes, prodigiosam Septentrionalium antiquitatum jactationem, antea inauditam, obtrudere non erubuerunt. (1)

Vocis Scald *Interpretatio et Origo.*

Atque, ut quæ sentio, Tuo acumini, sine verborum ambagibus, subjiciam, mihi quidem semper visum est, voces ipsas *Saga* et *Scald*, quibus Dani, Norwegi, et Islandi, suos Poetas designant, ex Hibernia in Islandiam, et inde Norwegiam derivatas fuisse. Sunt enim plane Hibernicæ, (2) et ipsi Annales Islandici primos Islandiæ incolas partim ex Hibernia, partim ex Norwegia advenisse declarant. (3) Stephanus quidem inquit, *Scaldos*, vetustissimos Danorum Poetas, ita dictos fuisse, a *sono et murmure* quos canendo edebant. (4) Sed

---

(1) Huet. *de l' Origine des Romans.* Confer P. Resenii Philosophiam Antiquis. Norwego-Danicam, Haffniæ 1665, et 1673.—Sua addidit Saxo Grammaticus, homo vividi et ardentis ingenii, qui anno 1180 plura finxit, quibus Danorum antiquitates, splendida mendacitate, ad Diluvium usque perduxit. Id fateri coactus Bartholinus, de Scaldorum Carminibus inquit—" Quæ *inter deperdita* " *alias recensenda carmina*, elegantissimæ Saxonis nostri venæ debemus reservata." Barthol. de Causis contemptæ a Danis mortis. Haffniæ 1689, p. 13.—Torffæus Snorronis fabulas et metachronismos refellit in Hist. Norv. Haffniæ 1711, t. 1, p. 296, et in Serie Regum Daniæ, ib. 1702.

(2) *Scealuidhe* a Talebearer, a Romancer, also an Historian. O'Brien's Irish Dict. Lluyd's Archæol. O'Clery's Irish Dict. Mac Curtin's Ditto.—A History book Leabhar *Scealuidhe*. *Sceal* a tale or story. Item in vetusto Fiechi Poemate versu 2, " *As scadh adfeth hi* Scelaibh,"—[Id refertur in *narrationibus*.] Triade pag. 1.

(3) Arngrimi Ionæ Islandi Hist. Island. Christiano IV Dicata, l. 1, p. 18, 21, 54, et 64. Vide etiam Letters on Iceland by Von Troil p. 60. Consentiunt Vitæ *Ernulphi* et *Buonis* apud Colgan. Vox Hibernica *Scealuidhe*, qua Hiberni suos Historicos Hibernice designant, in omnibus Vocabulariis Hibernicis extat, et in usu est usque in hodiernum diem.

(4) Stephanus in notis ad Saxon. Gram. p. 11, 12, et 130.—Miror viros alioquin doctos, tam absurde in rebus Celticis hallucinari. Brotierus Vocem *Barditum*, apud Tacit. de Morib. Germ. c. 3, deducit a *Bardire*, " quod cervorum est, inquit, quos sæpissime audiebant et venabantur tum Ger- " mani tum Galli, apud quos celeberrimus fuit *Barditus*. Inde *Vates*, qui hoc modulo utebantur, " dicti sunt *Bardi*."—Quid, Hercle, absurdius! Vox Celtica *Bardus* Gallice *Cantor* appellatur, qui virorum fortium laudes canit, inquit Festus.—In Dosithei Glossis *Bardus* Carminum Conditor

cur Poetæ Dani, magis quam aliarum gentium, a sono et murmure in canendo nomen acciperent, nec indicat, nec ulla probabili ratione conjiciendum puto. Quis nescit vocum veterum origines, non solum ex soni similitudine, sed etiam ex ipsis Historiæ antiquæ fontibus esse desumendas? Atqui *Scaldos* vetustissimos ex Islandia in Norwegiam et Daniam introductos fuisse, ipsi Norwegici et Danici Scriptores uno ore fatentur; (1) iidemque præterea asserunt, inter primos Islandiæ Colonos nonnullos fuisse ex Incolis Hibernensibus; et primas Ecclesias ibi, a Monachis Hibernensibus conditas; et literas etiam ex Hibernia introductas fuisse, quæ *Ira litur*, i.e. Irlandorum literæ, appellantur usque in hodiernum diem. (2) Ipsa vox *Run*, unde vox *Runica* originem habet, est plane Hibernica, quæ *occultum* aliquid et *mysteriosum* denotat, ut ex omnibus Vocabulariis Hibernicis, et ex ipsa vulgari Hibernorum lingua manifestum est. Nempe cum literæ inter Septentrionales arcanæ essent, arcana appellatio, quæ olim rebus magicis et occultis tribuebatur, literis mansit, etiam cum publicæ esse cæpere.(3)

---

exponitur. *Parat* Hebraice est cantiones, vocibus, et sono vibrante, canere. Amos vi. 5, apud Buxtorf. Possidonius apud Athenæum l. 6, inquit, Gallorum Bardos fuisse Cantores et Poetas. Confer Diodor. l. 5, p. 213, et Ammian. l. 15. Hibernice res est manifesta, *Bardh* enim Hibernice est Poeta, Mimus, Histrio, item Satyra.

(1) It appears extraordinary that the Historian of Denmark cites for his authorities the Writers of Iceland! But this wonder, adds Torfæus, will cease, when the reader shall be informed that *from Iceland have sprung the Scalds*. Mallet. Northern Antiq. vol. 1, p. 49, et seq. Torfæi Hist. Norv.

(2) Arngrimus Islandicus ibid. p. 21, et c. 6, p. 64. Letters on Iceland by Von Troil, p. 60.—Etiam Codices *Hibernice* scriptos ibi inventos fuisse patet. "The first Icelandic Historian *Ara Frode*, born " in 1068, expressly says, that the first Norwegian settlers found there *Irish books*, bells, and cro- " siers. Preface to *Landnama Bok*, Copenhagen, 4to, 1774. The circumstance of the *Irish Books* " left in Iceland is likewise mentioned by the same *Ara Frode* in Ara Multiscii Schedis de Islandia. " Oxoniæ, 8vo. 1716, c. ii, p. 10." Johnsoni Antiq. Celto-Scandicæ p. 14.

(3) "The art of writing was not much in use in Iceland till after the year 1000." Von Troil's Letters on Icel. p. 158. "The Aræ Frode's Schedæ were written since 1122, and are the *most ancient Icelandic* accounts extant." Ib. p. 163.

Non ante annum 874 Islandiam habitatam fuisse conveniunt omnes; quo tempore Dani, Hiberniam ingredientes, pulsis vetustis habitatoribus, loca Hiberniæ maritima incolere, et Hibernorum mores, linguam, et Religionem etiam Christianam amplecti cæperunt. Impossibile vero fuit, quin, procedentibus annis, intelligerent Hibernorum Poetas, a vulgo Hibernico *Scealuidhe* appellatos fuisse, i.e. Rerum gestarum Narratores, ut usque hodie appellantur. Non solum enim Dani loca Hiberniæ maritima eo ævo occupaverant, verum et "*Islandi veteres*, inquit Arngrimus Islandicus, *Irlandiam quotannis invise*-"*bant*."(1)—Miror sane cur Dani, et Norwegi, *Scaldorum* originem ex frigida, et remota in Oceano Insula, *Islandia* petant, quin ultra inquirant undenam eos habuerit Islandia? Quis unquam literarum meminit non dicam inter Islandos, sed inter quoscumque Septentrionalium, antequam Saxones in Angliam, et Longobardi in Italiam irruentes, literas cum religione cognoverunt? Islandos quis unquam ante Hibernos erudivit?

Nonnulli scribunt de Septentrionalibus, quasi vero mundus fuisset ab æterno! Cum tamen nullum opus humanum extet, quod ad 4000 annos pertingere demonstretur. Ipsi Historici Islandi melioris notæ inquiunt, "primum Islandiæ habitatorem fuisse *Hiorleifum*, qui, a gladio insigni, quem "singulari virtute bellica in *Irlandia* nactus erat, *Hiorleifus* est dictus; quique, "dum agros coleret, a decem servis, ex *Irlandia* adductis, occisus est, qui ex "*Irlandia* erant, anno D. 874. Colligere autem licere, nautas nescio quos, "Islandiæ littora antea attigisse, quia nolas, cruces ligneas, aliaque, opere et "arte *Irlandica* et Britannica facta, quæ depræhendit ibi Ingulphus Hiorleifi "Sobreinus, ibi reliquerunt; unde verisimile esse *Irlandos*, vel Scotos, ista Chris-"tianæ Religionis utensilia reliquisse. Etenim *Irlandi* jam tum Christian-"ismo imbuti erant.—De Hiorleifo traditur, quod *Iarlandum* hominem Chris-

(1) Arngrim. ib. p. 54.

" tianum exulem in viciniam recepit, *Ernulfum* nomine, cum suis familiis, " nec recepit solum, sed et Ædem *D. Columbo* sacram extruere permisit."(1)

Hinc ergo origo *Scaldorum*, quorum in rebus Septentrionalibus nulla mentio, antequam Religio Christiana, ab Hibernis in Islandiam invecta, Literarum usum Populis Septentrionalibus, antea rudibus, paulatim communicavit. Quid quod Codex IV Evangeliorum Wirtzburgensis, ipsa *Kiliani* nostri manu exaratus, sit totius Germaniæ antiquissimus. (2)

Nulla extat vel levis suspicio, Literarum usum, ante id tempus, populis Septentrionalibus non pervenisse. At pluribus antea sæculis, literas in Hibernia notas fuisse, manifestissime patet ex Historia Pelagiana *Cœlestii*, qui, " adhuc adolescens, ad Parentes Hibernos *tres Epistolas* scripsit," annum circiter 369. (3)

Quod Ethnici Hiberni Literarum usum habuerint.

Parum credibile fortasse videbitur, Ethnicos Hibernos suorum Regum genealogias et successiones servare potuisse; quamvis enim, ab ipsis Cælestii, imo et Parentum ejus, incunabulis, longe ante S. Patricii adventum, literarum usum in Hibernia invaluisse constet, non tamen Ethnicis vetustioribus, ante Romanorum in Britanniam adventum, literas notas fuisse, Doctorum plurimi arbitrantur.—Fateor quidem me in his diutius, dubio animo suspensum, adhæsisse. Cum autem Regum seriem diligentius consideraverim, et non solum linea *recta*, verum etiam *laterali* consanguineorum et cognatorum consensu, deductas viderim, et cum Poetas Ethnicos, diu ante Columbæ tempora,

(1) Arngrim. ib. p. 20, 21, 64.

(2) Eckhardi Comment. de Reb. Franciæ Orient. &c. Wirceburgi 1729. Ludewigi Scriptores Wirceburgenses.

(3) " Habet progeniem *Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.*" Hieron. Epist. ad Ocean. Gennadius de Viris Illustr. opus scriptum anno 492.

vetusto ritu floruisse, ex Adamnano perceperim, quæsivi, cur demum quæ *facti* sunt, ex mere negatis, et *non probatis* rejicienda putarem? Quis enim *negative* asserere poterit, literarum usum Ethnicis Hibernicis penitus ignotum fuisse, cum J.Cæsar, expressis verbis, usum istum non solum Druidibus, sed et Galliæ atque Britanniæ *vulgo*, ante bellum Gallicum, innotuisse declaret?—"Druidum disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata existimatur, et qui *nunc* eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent, neque fas esse existimant ea *literis mandare*, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in *vulgus* disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, literis confisos, minus memoriæ studere."(1)

Me ignorare fateor, quomodo Druidæ possent, absque literis, *spatia temporis, et dies natales, et mensium et annorum initia observare*, uti narrat Cæsar, nec quomodo viscum *sexta luna* colligere, *quæ principia mensium annorumque eis facit, et sæculi post tricessimum annum*, uti refert Plinius l. xvi, c. 44, nec quomodo *de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, et Deorum immortalium potestate* judicare? Hæc enim qui faciunt, literarum elementis imbutos esse necesse est.

Pluribus ante Cæsaris ævum sæculis, Asiatici Phocœenses, Græco sermone usi, Massiliam Colonias duxere, anno ante Prælium Salaminium 120, ut ex Timæo refert Marcianus in Periegesi, i. e. anno 1 Olympiadis 45, ut scribit Eusebius, anno nempe ante C. 600, notante Usserio.(2) Ab his autem Galli

(1) De Bel. Gal. VI, 13 et 14.—Non quod Græcam linguam callerent Druidæ, Divitiacus enim, qui Druida erat, (Cicero De Divinat. l. 1, c. 41,) interprete opus habuit, ut cum Cæsare, Græcæ peritissimo, colloqueretur. Bel. Gal. I, 19.

(2) Herodot. l. 1. Usser. Annal. p. 69.

"*usum vitæ cultioris, deposita barbaria, didicere, ita ut non Græcia in Galliam*
"*emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur.*" (1) Phœnicum porro in Hiberniam adventum, ex Himilconis Periplo, citato a Plinio, et ex *imis Phœnicum Annalibus* demonstravit his verbis Avienus.—

Ast hinc (ex Oestrumnidis) *duobus in Sacram sic Insulam*
Dixere Prisci, solibus cursus rati est,
Eamque late gens Hibernorum colit.
Propinqua rursus Insula Albionum patet,
Tartesiisque in terminos Oestrumnidum
Navigandi mos erat. Carthaginis
Etiam colonis. Et vulgus inter Herculis
Agitans Columnas, hæc adibant æquora,
Quæ Himilco Pœnus, mensibus vix quatuor,
Ut ipse semet rem probasse retulit,
Enavigantem posse transmitti asserit.
Hæc olim Himilco Pœnus Oceano super
Spectasse semet, et probasse retulit.
Hæc nos ab imis Phœnicum Annalibus
Prolata longo tempore, edidimus tibi. (2)

A Phœnicibus Religionem Druidicam originem habuisse, et ab eis ad Europæ extrema propagatam, fatentur omnes, et Druidum in Hibernia disciplinas, et doctrinas, et ignes inextinguibiles, et aras extitisse compertum est. Imo vero, ex vestigiis Ethnicis, adhuc in Hibernia extantibus, ex diebus solemnibus adhuc commemoratis, ex ritibus vix hactenus extinctis, Ethnicorum Hibernorum Hiberniæ Religionem, non aliam fuisse a Punica, posthac, Deo juvante, demonstrabo.

In iis etiam regionibus, unde Scotorum originis cognitio eruenda est, nempe in Occidentalibus Iberiæ partibus, a Phœnicibus, ab ipso Moysis ævo, habitatis, literas ante Romanorum tempora viguisse, ipsi Romani testantur.(3)

---

(1) Justin. l. 43, c. 3 et 4. Varior. p. 726—9. Item Thucyd. I, 3, 9. Livius xxxiv. 9, 1. Massiliotas trilingues habet Varro, quod Gallice, Latine, et Græce loquerentur.

Scaliger in Euseb. p. 87. Isidor. Orig. xv, 1.—Apud veteres Massilienses, Græcarum literarum amorem adeo suo ævo viguisse scribit Strabo l. 4, p. 181, ut contractuum formulas Græce conscriberent. Manent etiam in veteribus Gallorum nummis literæ Græcæ. Pelerin Recueil des Medailles t. 1, p. 14.—Helvetii quoque utebantur literis Græcis, etsi non lingua, teste Cæsare ib. I, 29.

(2) Festus de Oris apud Maittaire Corpus Poetar. Veter. Lond. 1713, t. 2, p. 1325 et 1547, et v. 41, p. 1334. Confer Plinium l. 2, c. 67, et Melam. l. 3, c. 10.

(3) " In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos, et Persas, et Phœnicas, Celtasque, et

Quid ergo mirum si in Hiberniam, *Insulam Sacram* a priscis Druidibus appellatam, longe ante Romani Imperii tempora invectæ fuerint?—Quid quod literarum rudimenta a veteris Hibernis *Ogham* dicta fuisse, pateat non modo ex Waræo, et ex libro Lecano, et ex libro Ballimotense, et ex Annalium Inisfalensium Codice Bodleiano, a sexcentis annis exarato, verum etiam ex Codice Clarendoniano Musæi Britannici membraneo sæculi XI, cui titulus—
" *Anonymi Hiberni Tractatus de variis apud* Hibernos Veteres *occultis scribendi*
" *formulis, seu artificiis, Hibernice* Ogum *dictis*." (1)

In Codice isto variæ exhibentur Oghamiarum formæ, a Græcis et Romanis

---

" Pœnos, tradit." Plin. l. 3, Sect. 3, ed. Harduini, t. 1, p.137. Diodor. l. 5. Bibl. p. 312, ed.Wesseling. Appianus in Ibericis p. 256. Mela l. 2, c. 6. " Ultra Herculis Columnas, quæ sunt in Europa, " inquit antiquissimus Scylax, multa sunt Carthaginiensium Emporia."—De Bœtica Plinius inquit, " *Oram eam universam originis Pœnorum existimavit M. Agrippa.*—Turdetani qui Bœticam inco-" lunt, omnium Hispanorum doctissimi judicantur, utunturque *Grammatica, et Antiquitatis mo-" numenta habent conscripta, ac Poemata, et metris inclusas leges,* a sex millibus (ut aiunt) anno-" rum. Utuntur et reliqui Hispani Grammatica, non unius omnes generis: quippe ne eodem qui-" dem sermone." Strabo l. 3, in nova edit. Oxon. t. 1, p. 182. "Urbes sunt ibi ingenti numero, " quippe ducentas aiunt." Ib. p. 185.

"Tartessus in Occiduis Europæ Homero nota. Etenim et Herculis et Phœnicum expeditio huc " progressa.... Ita enim in potestatem Phœnicum venerunt, ut pleræque Turditaniæ urbes et viciniæ " ab iis nunc habitentur." Ib. p.199, 200.—Tum, Homeri versibus adductis, inquit " Phœnices porro " harum ego rerum Homero indices dico, qui, ante Homeri ætatem, optima Africæ et Hispaniæ te-" nuerunt, et Domini eorum fuere locorum, donec eorum a Romanis est abolitum Imperium." p.201.

" Phœnices a Tyro advecti, sunt Turdulorum vetustissimi, inquit Bochartus, qui ob id ipsum, supra " cæteros Hispaniæ Barbaros doctrina et cultu eminebant, quia Phœnices habuerunt Magistros." Bochart. Chanaan l. 1, c. 34, p. 665.

(1) Codex Harl. Clarend. tom. xv, in Catalogo Ayscough vol. 1, No. 4783, p. 319.—Confer quæ de Literis Oghamiis dicta sunt in Annal. Inisfal. pag. 123, 149, &c. IV Magistror. Annal. ad ann. M. 3460. Nescio utrum prædictus Codex sit is de quo Waræus inquit—" Præter characteres vulgares, " utebantur etiam veteres Hiberni variis occultis scribendi formulis, *Ogum* dictis, quibus secreta sua " scribebant. His refertum habeo *libellum* membraneum antiquum." Antiq. Lond. 1654, p. 11. Ledwichius, qui de his rebus abstrusis, quasi ex tripode, dogmatice definire non dubitat, uno loco inquit, Oghamias literas posterioris ævi esse figmenta; in alio vero " The rudeness and superstition " of the Irish *in every age* attached them to their *Bethluisnion na Ogma*." Antiq. Dubl. 1790, p. 100.

literis diversæ, in quibus omnibus literarum nomina sunt etiam nomina arborum, ut alibi indicavi. Unius ex istis formis origo sic enarratur—" *Ogom* " *ro mesc Bres,* ·i· *Bres mc Eladan,* 7 *ba geis do dulsech Og. gan a legad,* 7 *ro* " *ladra iarum in t Ogom sa in a ucht, ac techt a cath Muighe-Tuire. Ro mebaid* " *iar in cath fairsium.*"—[Oghamiæ literæ quas miscuit Bresus, i.e. filius Eladani, et proposuit animo ostendere Oghamiam, sed non explicare, et inventa est postea Oghamia hæc in ejus pectore, cum veniret ad prælium Moy-turæ. Victoria parta fuit postea in isto prælio contra eum, &c.] (1)

Non is sum qui Prælium Moyturense 1mum vel 2dum referam cum Flaherteo ad annum M. 2764, vel cum Coemano, vel IV Magistris, ad ann. M. 3303 et 3450. Non ignoro enim, inter Ethnicos Hibernos non aliam fuisse anni rationem diversam ab ea, e *quatuor Rathis* constante, quam in Prolegomenis explicavi, quæ 4 *Rathæ,* in duas majores Hyemis et Æstatis distinctæ, incipiebant ab *oiche Baal tinne,* et *oiche Samhin,* i.e. a nocte *Ignis Baal,* et a nocte *Samhini,* nempe ab Æquinoctio Vernali et ab Autumnali. (2) Non poterant ergo annum Mundi definire; neque alia illis Æra nota fuisse videtur, præter Æram *Eamaniæ Conditæ,* quam ad tempora Ptolomæi Lagidis referendam esse, Tigernachus, et omnes tum metrici tum prosaici Scriptores asseverant.(3) Septimanarum rationes illis notas fuisse, probabili argumento conjicio, ex Vita vetusta Mocthæi, primi Episcopi Lugmadensis—" Peractis " vero, ut *moris erat Gentilium,* diebus *septem* exequiarum."(4) At, certe nec Æram Mundanam habebant, nec aliam diversam ab ea *Sæculi post tricesimum annum,* cujus meminit Plinius, vel ab ea *Eamaniæ conditæ,* quam, ex vetustis

(1) Codex Harl. folio 2, col. 1, lin. 135, numerando ab initio.


(2) IV Magistr. Annal. ann. M. 3370, et ann. C. 1171 p. 839, Prolegom. p. li, lii, lix, lx, lxxix, lxxxi, et Inisfal. a p. 123 ad 156. Item Tigernachi Codex Bodl. Rawlinson No. 488, fol. 5, col. 1, l. 13.

(3) Tigernac. ib. fol. 1, col. 1.

(4) Acta SS. p. 730, c. 9.

Scotorum Monumentis, Tigernachus, et Flannus, et Maelmura, eruisse videntur. (1) At, quidquid de prælii Moyturensis *anno* dicatur, sufficit si ante Cæsaris in Britanniam adventum gestum fuisse concedamus, in quo omnes, tum metrici tum prosaici Scriptores, et Annalistæ Hibernici una voce concurrunt. Inde enim sequitur, Oghamias scribendi formas, ante Christianam Religionem in Hibernia invaluisse, ut de *Fiachrai* Herois sepulchro, Oghamiis literis insculpto, alibi annotatum est. (2)

Alias inscriptiones Oghamias, saxis sepulchralibus vetustis, in Australi Hibernia, insculptas, notavit Archæologiæ Auctor doctissimus Lhuydus; quarum nonnullas, ex suis Schedis selectas, humaniter more suo communicavit Vester ex Sorore spectatissimus Nepos, *Carolus Williams Wynne,* ex illustri Guynethorum Walliæ familia oriundus, quem honoris causa, heic nominandum, ipsa argumenti ratio postulare videtur. Ex istis Inscriptionibus unam subjicio, in lapide altitudinis pedum $4\frac{1}{2}$, latitudinis $1\frac{1}{2}$, prope *Dingle,* oppidum in Australi Hibernia, inventam, quam literis Romanis interpretor, sensu non hactenus comperto—



Demus autem et formas harum literarum, et nomina, cum arborum nominibus concordantia, fuisse a quodam Medii Ævi Merlino, sæculo posteriore, inventa, quæstio adhuc recurrit, cur inter solos Hibernos et Gallos veteres

(1) Ab hac Æra Tigernachus veram Hiberniæ Historiam auspicatur.* "*Omnia,* inquit, *Monumenta Scotorum usque* Cimbaoth *incerta erant.*" Cod. Bodl. fol. 1, col. 1.—Vetustissima methodus sæcula numerandi et chronologicas rationes instituendi, juxta Regum successiones, et generationes hominum, quam in Phœnicum Historia sequitur Sanchoniathonus, ea est quam secuti sunt vetustissimi Metrici Scriptores Hiberniæ, qui Æram Communem usque ad sæculum VIII penitus ignorasse censendi sunt.

(2) Annal. Inisfal. p. 149.—Britannis notas fuisse Oghamias, conjicere licet ex vetusta Alphabeti Britannici appellatione *Ogwiddor,* qua literas suas designabant, uti notat Rowlandus.

nomen istud *Ogham* ad literarum elementa referatur? (1) Herculem Galli venerabantur, inquit Lucianus, non quod corporeis viribus populos subegerit, aut regiones armis debellasset, sed quod *Ogmius* fuerit; i. e. quod literarum et eloquentiæ artibus, feros et agrestes homines ad vitæ humanioris instituta revocasset. Hinc τον Ηρακλεα οι Κελτοι Ογμιον ονομαζουσι φωνη τη επιχωριω, i. e. Herculem Celtæ *Ogmium* appellant, voce *vernacula*. Hinc pingebatur a Gallis non ut fortis, sed ut *senex*, qui catenulis, ex auro et electro confectis, ad linguam suam ab uno fine, et ab hominum auribus ab altero alligatis, ingentem multitudinem, auribus revinctos, literarum et eloquentiæ vi trahebat; (2) atque hinc Hercules Phœnicius, a Gallis, æque ac a Gaditanis, et a Turditanis Iberiæ, cultus, *Ogmius* appellatus est; et Punicus sermo, quo Hercules Tyrius utebatur, cum Gallico permistus, eum ita expolivit, et tanta rerum et verborum ubertate ditavit, ut Galli ultro agnoscerent, Phœnicibus Magistris se debere eloquentiam, quam deinceps summo studio semper excoluerunt. (3)

Eædem origini tribuenda est vetus Hibernorum traditio, ad quam *Fiechus Slebhtiensis* sæculo VI, æque ac *Cennfaeladius* VII, *Maelmura* IX, *Coemanus* XI, et *Giraldus* XII, respexerunt.—Hibernos nempe veteres *Fenios* dictos fuisse, a quodam *Fenio Farsaidh*, qui primus literarum Oghamiarum inventor habetur. (4) Hujus traditionis antiquitas, non solum ex istis, verum etiam ex vetere Forcherni Codice, licet interpolato, eruitur, cui titulus—" Incipit " Liber Forcherni. *Locus* libri Eamania, *Tempus* Concobaro filio Nessæ reg- " nante in Eamania, *Auctor* Forchernus *Fileadh*.—*Fenius Farsaidh* Alphabeta

---

(1) Antiquissima esse vocabula Celtica Oga, Ogum, et Ogma, quæ literarum elementa significant, demonstrat etiam Keysler. Antiq. Septent. Select. p. 38.

(2) Luciani De Hercule Gal. Varior. t. 2, Amstel. 1687, p. 365. Archæol. Lond. v. 14, Lond. 1803, p. 244.

(3) Bochart. Chanaan l. 1, c. 42, p. 736.

(4) Vide Prolegom. passim, et veterem Hymnum Hibernicum Fiechi Sleibht. n. 20. Item ejus Scholiastes sæculi VIII, n. 23, in Triade p. 2, 5, et 6, No. 13, Giraldi Topogr. Hist. 3, c. 7, Stanihurst. Append. x, c. 17, Vita Cadroe scripta sæculo X apud Colg. 6 Martii. Harris's Ware p. 23.

" prima Hebræorum, Græcorum, Latinorum, et *Bethluisnion an Oghuim* com-
" posuit." Hujus Codicis meminerunt Flaherteus, (1) Waræus, (2) Liber *Lecanus*, et Liber *Gabhaltas*, i. e. Invasionum, sæculo XII scriptus, ita ut, de tradi.ionis istius antiquitate, nullus ambigendi locus relinquatur.

Quod si asseratur, Oghamiarum literarum formas diversas esse a Phœniciis, responsio in promptu est, Phœniciarum vetustissimarum formas esse penitus ignotas. Hottingerus, de quibusdam nummis agens, " Priores duos, inquit, " Punicos esse darem, si Punicæ literaturæ vestigia extarent. Necdum ab " aliis, meo judicio, ostensum est satis, cujusmodi veterum Pœnorum ele-" menta." (3)—Nuperæ sunt ac novitiæ literæ Hebraicæ hodiernæ, ex Syriacis depravatæ; et illæ quibus, a Moysis ætate ad Templi excidium, usi sunt Judæi veteres, Samaritanæ erant, e Phœniciis ortæ, quæ a primigenia Phœnicum forma et numero desciverunt. Phœniciæ enim non plures erant quam 16 vel 17, Hebrææ vero 22, ut ex Davidis Psalmis alphabeticis manifestum est. Vetustissimæ Iones, ab Herodoto memoratæ, quamvis pariter e Phœniciis ortæ, formam pristinam, ipso Herodotis ævo, ita perdidere, ut non nisi Phœniciis *similes* haberentur. (4)

De Ægyptiorum literis nihil certi hactenus a doctis definitum est. Sunt qui duos, sunt et qui tres, et quatuor, scribendi modos ab Ægyptiis inventos existimant, quorum formæ pariter ignotæ sunt. (5) "Alio *literarum* genere

---

(1) Pag. 221.

(2) Harris's Ware p. 23, ubi librum istum, anno 628, Donaldo 2do Rege Hiberniæ, a *Cennfaoladio* Alildi filio castigatum fuisse declarat.

(3) Hottingeri Cipp. Hæbr. p. 183. (4) Herodot. l. 1, et l. 5. Wesseling p. 421, n. 48.

(5) " On ne connoit ni la puissance ni la figure des anciens Lettres Egyptiennes." Renaudot Memoires de l'Acad. t. 2, p. 254.—" Les characteres Chinois paroissent etre formees de *six traits sim-* " *ples*, qui sont une *ligne horizontale*, deux lignes *perpendiculaires*, l'une pointue, et l'autreemvussee " par le bas, un point, une ligne courb a droit, et une ligne courbe a gauche. Il est *certain* que " tout les characteres Chinois sont composes de ces six traits." De Guignes Mem. de l'Acad. t. 34,

"uti consueverunt in lapidibus, alio in libris," &c. Consulatur Zoega de Obeliscis p. 424, 433, &c. Non agitur de hieroglyphicis, sed de alphabeticis ignotis, quarum formæ et nomina interiere.

Constans est interim Oghamiarum inter Hibernos non modo fama, verum et *scripta* traditio, idque non solum a *sexcentis* annis, quibus Inisfalensium Codex Bodleianus exaratus est, et a mille annis quibus floruit Forchernus, sed a sæculo tertio quo Fiachraus Heros occisus est, et a prælio Moiturense, quod ante Romanorum in Britanniam adventum gestum fuisse indicavi.

Non ignoro quandam Alphabeti formam, sæculo X inventam, in S. Dunstani Codice servari, in quo videre licuit Alphabetum quod "*Nemninus reperit, vi-*" "*tuperante quodam Scholastico Saxonici generis, quia Brittones non haberent*" "*rudimentum.*" (1) At, hi characteres nunquam vel in libris, vel in inscriptionibus inventi sunt; neque ad literarum usum unquam, alio nomine quam ut *Nemnini* conficta inventio, memorati fuere, aut traditi, aut noti. Oghamiarum itaque conditio longe alia apparet, neque potest vox ipsa *Ogham* aliunde quam ex imis Celtarum antiquitatibus derivari.

Denique, ut unde digressus sum revertar. Si nostrorum Annalium utilitates non aliæ essent quam *negativæ*, si nihil aliud efficerent quam arma suppeditare, quibus falsariorum mendacia et metachronismi refellerentur, Tibi uni, Illustrissime Vir, id acceptum referendum est; cum temporum rationes, ex Eclipsibus in his Annalibus memoratis, clare innotescant; neque liceat ulterius fucum ignaris facere, *Oissinum* quemdam, vel *Merlinum* potius, sæculi

---

p. 12.—" Les Pheniciens avoient leurs lettres *Ammoneennes* qui n etoient pas entendues du vulgaire, " ainsi que le rapporte Sanchoniaton." Ib. p. 36. Confer Pausan. l. 5, c. 16.

Eusebius inquit, *Sanchoniathonem* Phœnicium, qui ante Trojæ excidium floruit, l. 1, c. 9, suam Historiam collegisse ex Punicum libris, scriptis *characteribus secretis*, qui a Sacerdotibus *Ammonitis* servabantur. Præp. Evang. l. 9.—De *Ammonitis* vide Numb. xxi, Jud. x, 7 et 9, et confer quæ de voce *Og-Ham* dicta sunt in Annal. Inisfal. p. 123, &c.

(1) Wanlei Catalog. p. 149. Langbaine to Usher, in Par's Collect. p. 553.

XIV Falsarium, audacter obtrudendo pro Scriptore sæculi 3tii, vel 4ti, cujus ætas facili negotio, horum Annalium ope, detegenda est.—Jamque, cum nimium prolixum me sentiam, ad alia festinandum esse opinor.

Cur prima undecim Annal. Buellianorum folia omiserim.

Eadem mihi ratio fuit, idem consilium in Buellianis Annalibus edendis, quod in Inisfalensibus. Cum enim ambo Codices eodem fere tempore scripti fuerint, unus nempe, foliorum membraneorum 56, Inisfaliæ in Momonia, anno 1215, alter Buelliæ in Connacia, anno 1253, et cum in utroque prima folia desiderentur, et quæ jam prima sunt, non nisi pauca de Hibernia contineant, satius esse duxi, ea pauca excerpere, quam ut, res Græcas et Romanas satis notas obtrudendo, Lectori fastidium inferre existimarer.

Codex Buellianus in Cottoniano, *Titus A xxv*, partim membraneus est, partim chartaceus, ut recte notavit eruditus Auctor Catalogi editi Londini 1802. At, pars primaria Codicis, ea nempe quæ Annales Buellianos continet, est tota membranea, constans foliis 34. Prima de Hibernia mentio occurrit linea 6ta folii primi, ubi fabula de Chesara, Hiberniam anno ante Diluvium adventante, narratur.(1)—Clamabunt forte nonnulli, actum jam esse de antiqui-

---

(1) Eandem fabellam enarrant IV Magistri, ex Monachorum veterum schedis, quæ a Giraldo "juxta *antiquissimas* Hibernensium Historias" memorantur. Topogr. Hib. Dist. 3, c. 1, p. 735.

Origo fabellæ hæc esse videtur. Monachi veteres, cum in Druidum traditionibus, quandam eluvionem antiquam memoratam invenissent, eam ad Diluvium universale transtulisse videntur, ut Druidum traditiones non nisi corruptas sacræ veritatis Historias fuisse demonstrarent.—In Druidum traditionibus depravandis, et abolendis, Christianorum solicitudinem maximam fuisse patet, non solum ex iis quæ dicta sunt in Annal.Ult. ann. 458, et in Annal. IV Mag. ann. 438, et ex Druidum libris S. Patricii tempore igni damnatis, ut apud Jocelinum, et Flahert. p. 219, et ex narratione de *Conlao*, insigne Brehone Connaciæ, qui adversus Druidas scriptis decertavit, "*se do rigne an choinbhliocht ris na Draoidhibh*," ut apud Flahert. p. 218, verum ex fabula de *Ruano* quodam, a S. Patricio baptizato, qui, juxta Druidicam transmigrationis animarum doctrinam, a Partholani ævo vixisse ferabatur, et, Christianus effectus, antiquas Druidum traditiones ad Judaicæ Religionis Historiam quodammodo accommodavit. Girald. ib.

tate, actum de veracitate Annalium, in quibus tam putida fabella stomachamur. Sed antiquitatem quod attinet, eadem fabella narratur a Giraldo, et si de *veracitate* Annalium quæstio instituatur, actum erit de omnium gentium Annalibus, si de eorum veracitate, ex fabellis de gentium originibus decernendum erit. Ergone omnia a Giraldo narrata rejicienda erunt, quia fabulam de Chesara servavit? Imo vero ista ipsa fabella argumento est, veteres scribas, dum Annales nostros ex vetustioribus Codicibus describerent, minime sibi licere arbitrasse, *Iota* unum immutare, quidquid ipsi vel de veritate vel de falsitate sentirent.—Hinc Ethnica illa narratio de obitu Cormaci Regis Hiberniæ Druidum præstigiis interempti A. C. 266. (1) Hinc alia narratio, pariter Ethnica, de Laogario Rege occiso a Diis magnis, *Griano* et *Gaotho*, i. e. Sole et Vento, quorum jusjurandum temeravit. (2) Hinc etiam Columba Baitheneum Discipulum laudat, quod *totum Psalterium* ita accurate descripserit, ut nec *una superflua reperiretur litera, nec alia deesse excepta,* I *vocali, quæ sola deest.*(3) Hinc denique Adamnanus eos omnes *objurat, per Christum Judicem,* qui opus suum de Vita Columbæ describere voluerint, ut postquam diligenter descripserint, *conferant, et emendent cum omni diligentia, ad exemplar unde traxerunt.* (4)

Sic itaque fabula ista de Chesara filia Bethæ, a primis Christianæ Religionis prædicatoribus inventa, Giraldus enim eandem refert, *juxta antiquissimas Hibernensium Historias,* (5) et a posterioribus Scribis fideliter tradita, ab ævo in ævum permansit.—Historiam ab exordio fuisse Druidicam, e quodam ingente Hiberniæ eluvione ortam, et a Christianis postea depravatam, indicant Giraldi et antiquiorum verba "Littus in quo præfata *tumulata* est Cæsara

(1) Prolegom. p. xxi, IV Mag. ann. 266.

(2) Vide Annal. Ult. ann. 462, Annal. IV Mag. ann. 458, et not. ib. Annal. Buel. ann. 465.

(3) Adamn. de Vita Col. l. 1, c. 23.

(4) Ibid. c. ult.

(5) Giraldi Topogr. Hib. Dist. 3, c. 1. Francofurti 1603, p. 735.

"usque hodie Cæsaræ *tumulus* nominatur." (1)—Ipse Keatingus talia tradi, inquit, non quod vera putentur, sed quod a vetustis Codicibus non liceat abire, et quod eos depravare nefas sit,(2) et Tigernachus, qui *omnia Monumenta Scotorum usque Kimbaoth*, i. e. usque Eamaniam conditam, *incerta esse* declarat,(3) Eamaniæ initia refert ad annum Ptolomæi Lagidis xviii, qui Regis Ægypti titulum usurpavit anno xviii ab obitu Alexandri, ante C. 306, (4) in quo et *Cormacus*, et *Maelmura*, et *Eochoid*, sæculo IX, et *Cuanus O'Lochan*, et *Cocmanus*, et *Liber Invasionum*, et *Colmanus O'Seasnan*, sæculo XI, concordant.

Philadelphi Lagi filii exordium, Astronomica observatione munitum, indicat Ptolomæus Alexandrinus, l. 10, c. 4. Inquit enim ab Timocharide notatam fuisse Venerem, anno *xiii Philadelphi*, in Virginis gradu 4, 10′, die Mesori xvii, qui dies convenit cum 12 Octobris A. M. 3712, ante C. 272; unde sequitur iniisse Philadelphum anno ante C. 289; et cum *Eochodius Eolochair*, qui fuit a *Kimbaotho* inclusive tertius Rex Eamaniæ, regnare inchoaverit, regnante Philadelpho, ut infra in Excerptis, pag. xli, regnasse eum sequitur post annum ante C. 289. Atqui hæc Regum Hibernorum antiquitas nemini absona aut fabulosa apparebit, qui Hiberniæ situm consideraverit, ab orbe Romano remotum et intactum. Giraldo enim ipso suffragante, Hibernia, ab initio, ab omni alienarum gentium incursu libera permansit.

Excerpta ex primis foliis Annalium Inisfaliæ et Buelliæ, cum primis Tigernachi et IV Magistrorum foliis conferenda.

Liceat jam ea pauca quæ in utroque Codice Hiberniam respiciunt, duobus columnis e regione oppositis, conferre, ut Regum Ethnicorum tempora, ex paucis quæ supersunt fragmentis, quodammodo innotescant—

---

(1) Giraldi Topogr. Hib. Dist. 3, c. 1. Vox *tumulus* plane indicat Ethnicismum.
(2) Keat. pag. 17. Confer Annal. IV Mag. pag. 3, n. 3. (3) Tigernach. ib.
(4) Petav. animadv. in Epiph. p. 382. Doctr. Temp. l. x, c. 48.

ANNALES BUELLIÆ.

Codex Cot. Titus A. xxv.

Fol. 2.—Anno lx ætatis Abraham tenuit *Partholanus mac Seru mc Esru* Hiberniam, qui primus regnavit ibidem.—Abrahamus invenit Ebreas literas, et docuit Caldeos Astronomiam, et Egyptios Geometriam. (1)

Fol. 3.—Tempore Moysis acceperunt *Tuatha Dedanand* [i.e. Populus *Dedanorum*, vel *Dodanorum*, vel *Damnonii*, vel *Dodonei*] fortitudinem et potestatem *for Feraib-Bolcc*, [contra Belgas.] Kl. Kl. Kl. Kl. *Mc Miled* [Filii Militis sive Milesii] in Hiberniam hoc tempore venerunt.

Fol. 4.—

O Abraham co D.d d.b. cen os Riagla
Da bliadhna da fichet ar Dcccc bliadhna.
O Adam co raghbadh D—d in a rige,
Is xc de bliadhna ocht cet is di mile.
O D—d co ruccad in Pop. in doere,
Lxx l. blian celhri chet cen ts. oebe.

Fol. 4, pag. 2.—

O Adam cor derach don Pop. a tire
iii blian. Lxccc, is tri mile.

[i.e. Ab Abrahamo usque David, qui fuit Supremus supra Reges,
Duo anni, bis viginti, et nonginti anni.

ANNALES INISFALIÆ.

Codex Bodl. Rawlinson No. 503.

Fol. 1, col. 1.—Ab Adam ergo usque ad Isaac II.xlvii. anni secundum Hebraicam veritatem.

Ibid. col. 3.—Ossa Joseph in Sichema sepulta sunt. Hoc tempore *ro gabhsat Fir Bolg Er.* [i. e. possederunt Belgæ Hiberniam.]

Ib. col. 4.—Natus est Moyses. Hoc tempore *ro gabhsat Tuatha Den for Er.* [possederunt Dananni vel Damnonii Hiberniam.] ... Moyses sepultus est in Moab. *Meic Miled do gabhail Erenn.* [Filii Milesii possident Hiberniam.]

Fol. 4.—Finit quarta ætas Mundi.

O thosach na Flatha—co doire na cathrach,
Sechtmoga teora bliadhna—ccc cam athbach.
O Adam co doire na cathrach adrimme,
Teora bliadhna Lx tri c. teora mile.

[i. e. ab initio Regum ad captivitatem civitatum,
Septuaginta tres anni, tercenti dilecti numerantur.
Ab Adamo ad captivitatem Civitatum prædictam,
Tres anni, sexaginta, tercenti, ter mille.](2)

Fol. 6.—Hic incipit regnum Græcorum. Alexander vii anno regni sui Alexandriam condidit in Egypto, nec mora Babiloniam obtinuit.

---

(1) Berosus et Eupolemus apud Euseb. Præp. Ev. l. 9, Abrahamum inquiunt την Χαλδαικην και την Αςρολογιαν ευρειν.

(2) Vide alia Excerpta in Prolegom. p. viii.

ANNALES BUELLIÆ.

Ab Adamo ad institutum Davidem in suo regimine,
Est spatium nonaginta annorum, octinginta, et bis mille.
A Davide donec ductus est Populus in captivitatem,
Septuaginta anni, quadringenti sine controversia.(1)
Ab Adamo ad reditum Populi in Patriam,
Tres anni, Lx, ccc, et ter mille.]

Fol. 8.—Quinta ætas incipit. Hoc tempore ignis ab altari sublatus est, et in puteo absconditus, post lxx annos vivus in aqua inventus. Kl. *Cath Monatrogaidhe.*

*O derud in Pop. co gein Fiadat Fe*dil.
Coic c. is ix bl. Lxxx co d. in.
O Adam cor genair oen mc Mairi mine
Iddubl. l. at ix c. is tri mile.

[i. e. Prælium *Mona-trogadense.*
A reditu Populi ad nativitatem Fiadati Justi
Quingenti et ix anni octuaginta vere.

ANNALES INISFALIÆ.

Is iar sein ro leth nert na n G. ar cord in domhain, u. d. an Filea.... Cethrificheł bl. 7 vi bl. 7 da cet bl. batar Grec in Airdflathius. Da Ri dec leo, 7 oen Righan, ·i· Cleopatra, 7 ishidhe dedenach boi isind flathius co ro sathrigh Iuil Cesair. [i. e. Et postea dispersa est potentia Græcorum per circuitum mundi, ut dixit Poeta.(2) Octuaginta annis, et sex annis, et cc annis, fuere Græci in suprema potestate. Duodecim eis Reges, et una Regina, i. e. Cleopatra, et ista fuit ultima in regimine donec eam superavit J. Cesar.] In Ægypto primus regnat Ptolomæus Lagi fil......*Cimbaeth mac Fintain* regnavit annis xxviii in *Emainmacha,* [i. e. Arce Regia Ultoniæ.] In xviii Ptolomæi fuit primus Rex *Emna Cimbaeth mc Fintain.* Ptol. Philadelphus annis xxiv regnat, cujus tempore *Eochu Eolachair mc Feradaigh* [regnavit in Eamania] annis xx. K.K.K.K.K.K. K.K.K.K.K.K.K.K.K.K.K.K.K.K. (3) *Hua Manchend mac Corain* annis L.

Fol. 7.—Virgilius moritur. *Rannta h Erin*

---

(1) Numeri annorum ex variantibus Codicum lectionibus emendandi sunt, ut in Prolegomenis fuse declaravi. Newtonus inter incensum Templum et Christum annos numerat 588. Diversitas inter eum et hos Annales est tantum *unius anni.* Vide Prolegom. p. xii, xiii, et infra not. 2, pag. xlii. Item *Coemani* Carmen in Prolegom.

In hujus folii fine lego—"*In diebus David. Carthago condita est. Tempore David. Homerus* "*claruit.*"—In foliis 5, 6, et 7 Inisfalensium nec verbum de Hibernia.

(2) Sequitur deinde distichon vetus Hibernicum, sed maculis offuscatum.

(3) Quævis nota *K* annum indicat, ut in Prolegom. p. cxxx.

ANNALES BUELLIÆ.

Ab Adamo ad nativitatem unigeniti Filii Mariæ pulchræ
Duo quinquaginta nongenti et ter mille.]
Alexander natus est....Socrates......Hippocrates claruit.......*Cath Odba.* [Prælium Odbæ.]........*Ugane mor mc Eachach Ruadaigh* incipit regnare.......Alexander Magnus Alexandriam condidit.....Anno xvii ab obitu Alexandri *Cath ittemrach la h Oengus Turmech Temrach, u. cec. Fergus la h Aengus.* [Prælium in Temoria gestum per Oengusium amplificatorem Temoriæ, ubi cecidit Fergusius, occisus per Oengusium.]
Fol. 9.—Hic est annus Incarnationis Christi secundum Dionysium, quia 2do anni Cicli Magni Paschalis natus est, qui annus habet v. concurrentes. Anno sequente Mors *Concullind.*(3) Mors *Emri* uxoris *Concullind.—Cath Almone, u. c. Eterscel la Nuadhat Neecht. Cath Cliach, u. c. Nuadhat la Conaire.* [Prælium Almaniæ, ubi cecidit Etersceolius occisus a Nuadatho Nivoso. Prælium Cliachense, ubi cecidit Nuadathus occisus a Conario.] *Conaire*

ANNALES INISFALLIÆ.

in coicc, ettir Conchobur, 7 Coirbri Niafer, 7 Tigernach Tethbannach, 7 Dedad macc sein, 7 Ailill macc Magach. Finit V Æ. M.—
Mad o loscud Tempuil co geinn Cr. iar Setaib,
Ochtmoga noe mblian. a chisar coici cetaib.
Cain da bliadhain coicat o chrutad in domhain,
Noecat teore mile co gein Cr. i colaind.
[Divisio Hiberniæ in quinque partes, inter Concobarum, et Carbreum Niafer, et Tigernachum Ferocem, et Dedadum filium ejus, et Alildum filium Megachi. (1) Finit V Ætas Mundi.
Spatium ab incenso Templo ad nativitatem Christi, juxta Doctos,
Octuaginta novem anni, et quingenti. (2)
Numera quinquaginta duos a creatione Mundi,
Nongintos ter mille, ad nativitatem Christi in carne.] i. e. 3952.
Ibid.—Incipit VI Ætas. *Cetna bliadhain tosaig og thalchoir, ishi sein bliadhain oc ro genair Cr. i bliadhain Tanaise ind Noidecdai.* [Primus annus inchoantis novi Calculi, fuit

(1) Hæc quinquepartita Hiberniæ divisio stetit usque ad adventum Anglorum. Vide Prolegom. p. xii, lviii, lxi, lxv, lxxviii.

(2) Vide notam 1 supra p. xli.

(3) Anni Æræ Communis recte ponuntur. Obiit ergo Concullandus (vulgo *Cucullin*) A. D. 2, et toto cœlo errant qui, duplici metachronismo, eum cum Oissino qui floruit sæculo 3tio, et cum S. Patricio qui floruit sæculo 5to, colloquentem introducunt.—Ex his intelligimus, cur Macphersonus Hibernorum Historias, tam plane sibi adversantes, tanquam nihili habendas, aspernari simulat. Vide Prolegom. a p. xi ad xiv, et l, et Annal. Inisfal. ann. 432.

ANNALES BUELLIÆ.

rexit annis xxvi vel xl.........Anno xx post obitum Octaviani Augusti *Concubur mac Nessa* obit, et *Glassne* filius ejus regnat. (1) ..... Quarto anno ab obitu Tiberii *Irial Glunmar mc Conail Cernaig* regnat *an Emain* annis xl. K. *Togail Bruidne-da-bere for Conaire mor. V bliadhna d Erind cen Righ.* [Expugnatio Arcis Bruidna da berg contra Conarium Magnum. Interregnum quinque annorum, quibus Hibernia fuit sine Rege.]........Marcus Evangelium scribsit.........*Lugaid Roderc i remraig* xxvi an. r. Triginta Reges *do Leth Chuind, o Lugaid Roderc co Diarmait mc Cerbhaill.* [Anno iii postquam Marcus scripsit Evangelium, Lugadius Rubricatus ad regnum Hiberniæ evectus, regnavit annis xxvi. Triginta Reges Dimidii Conni, i.e. Dimidii Septentrionalis Hiberniæ, regnaverunt a Lugadio Rubricato ad Diarmitium filium Cerveolii.] ....Nero regnat annis xvi. Ejus anno vi *Na Fathaid* [Fothadii, duo Reges Hiberniæ simul] regnaverunt anno uno.....Perseus Poeta moritur....Lucanus et Seneca interficiuntur.... Petrus et Paulus occisi a Nerone.....Decimo deinde anno *Irel Glunech* (Rex Eamaniæ) occisus est *o Crimthand Nia-nar.* [per Crimtha-

ANNALES INISFALIÆ.

is annus quo natus est Christus, Anno *Tanastico,* i.e. 2do decennovenale.] Anno ab initio Mundi V.CXCIX juxta LXX Interpr. Secundum vero Ebraicam veritatem III.DCCCCLII. Ab urbe vero condita anno DCCLII. Anno quoque Imperii Cesaris Aug. XLII. Anno Solaris Cicli X, feria VII, J. C. filius Dei, VI Mundi Ætatem suo adventu consecravit. Anno sequente Mors *Concallain* fortissimi Herois Scotorum.....Ab Incarnatione XX anno *Conchobar mac Nessa* Rex Ultoniæ, moritur VIII anno Tiberii.(2)...Claudius regnat annis XIII, cujus 2do anno, postquam Marcus scribsit Evangelium in Roma, misit eum Petrus in Alexandriam. Tertio deinde anno *Lugaid Roinderg mc na tri Find ñ Emna* r. an. xxvi. *Tricha Righ do Leth Chuind o tha Lugaid co rice Diarmait mc Cerbaill.* [Lugadius Rubricatus filius trium Finnorum in Eamania regnat annis xxvi. Triginta Reges Dimidii Conni ab obitu Lugadii ad regnum Diarmitii filii Cerveolii regnaverunt.](3)....Claudius moritur ...Nero moritur. Vespasianus regnat annis IX. Ejus anno IV, ab initio Mundi V.CCLXXIX, juxta LXX, secundum vero Ebreos IIII....ab

(1) Vide quæ de Concobari Chronologia dicta sunt in Prolegom. p. xii.

(2) Lege "juxta quosdam Codices," ut in Prolegom. a p. xii ad xvi.

(3) De Lugadii initiis vide Prolegom. p. xcviii. Triginta Regum successiones exhibent IV Magistri

ANNALES BUELLIÆ.

num Nia-nar Regem Hiberniæ.] *Ficha Findamnas mac Iriel Glunmair* Rex in *Emain* post patrem.

Fol. 10.—Vespasianus Imperator moritur.—*Crimthand Nia-nair* moritur. *Carpre-Cend-Cait* regnat annis v, sed non nominatur inter Reges propter capitis deformitatem. *Feradach-Find-Fechtnach mac Crimtaind* regnat annis xx.—In hoc tempore claruit *Morand mc Main*, a quo *inn Id Moraind*.(3)

Fol. 10, pag. 6.—........Post obitum Clementis Romani, regnante Trajano, *Feradach Find* rexit in Eamania annis xxvi....*Feradach Find* in Temoria mortuus est......Marcus Alexandriæ Eps. annis xvi.—Kl. *Fiacha Find* interfectus est in *Temraich o* [per] *Elim mc Conraicch*...............*Tipraide Tirech* rexit in *Emain* annis xxx. *Cond-Ceth-Cathach* oc. *Moghnuadhat hi Maig Adir.* [Connus Centum Præliorum occidit Mognuadatum in Campo *Adir.*] *Cond* occisus est *hi* [in] *Tuaitambrois. Conaire Cliamhuin*

ANNALES INISFALLIÆ.

Incarnatione LXXVI, *Crimtan Nathnair* regnat (R. Hiberniæ.)(1)....Vespasianus moritur. ..Titus moritur. Domitianus annis XV. Ejus anno nono *Feradach Find* regnavit (R. Hiberniæ) annis XXII.(2) Trajanus XIX annis. ....Ignatius bestiis traditur a Trajano. ....*Fiach Findolaid* annis XVII regnat. K. Ab initio Mundi V.CCCIX, secundum vero Eb. IIII.XC, ab Incarnatione CXXXIX, Trajanus moritur..............

(*Plura desiderantur.*)

(1) Vide quæ de Crimthani hujus expeditione contra Agricolam dicta sunt in Annal. Ult. p. 151, et in Prolegom. p. xviii, li, lxxvii, et in IV Magistror. Annal. pag. 69. De annorum Mundi numeris, hinc inde erroneis, et Codicum variorum ope corrigendis, vide Prolegom. p. x, cxxvii.

(2) Vide Annal. IV Mag. p. 71, n. 1.—Hi Annales excludunt Carbreum Felicepem propter *capitis deformitatem.* Coemanus autem, et alii, quia Attacottorum rebellione, per fas et nefas, non jure hæreditario, ad regnum evectus est, ut in carmine "*Aoibhin sin Ere ard.*" Item Tigernachi Cod. Bodl. fol. v, col. 1.

(3) De hoc Druidum pectorale magico vide Camdeni Antiquitates, Londini ed. 1789, t. 3, p. 476, et Pocockei Dissert, in Archæolog. vol. 2, p. 36.

ANNALES BUELLIÆ.

Cuind [Conarius 2dus Rex Hiberniæ, Consobrinus Conni,] regnavit annis viii secundum quosdam.

Ibid.—*Art Enir* regnat annis xxxii. *Ogman mac Fiachach Find* regnat in *Emain. Cath Cindebrat ria macaib Ailella Ulaim, 7 ris na tri Cairbrib, ·i· mc Conaire, mc Luga Lama, for Lugaid mc Con. Cath Muigi Mucruma ria Lugaid mc Con, u. c. Art Ener mc Cuindceth-cathaig, 7 vii filii Adella Ulaim.* [Prælium Cindebratense gestum a filiis Alildi Poetæ, et a tribus Carbreis, i. e. filiis Conarii, filii Lugæ Lamai, contra Lugadium filium Conni.(1) Prælium Campi Mucrum gestum a Lugadio filio Conni, ubi ceciderunt Arthurus Ener filius Conni Centum Præliorum et septem filii Alildi Poetæ.] *Lugaid Laga* occidit *Art. Benne Britnu* occidit *Eogan mc Aillella Ulaim. Lugaid mc Con* in Temoria rexit xxx annis. *Cormac Ulfata hua Cuind* rexit annis xlii. *Engus Gobnend mc Fergusa* rexit in *Emain* annis xv. Origenes Alexandriæ imo toto orbi clarus habetur.—*Cath Cranaird ria Cormac hua Cuind for Ultu. Loinges Cormaic dar Mag Rein. Cormac hua Cuind d athrigud do Ultoib*.....Paulus Her. n. e....

ANNALES INISFALIÆ.

................Macrinus anno uno. *Cormac Ulfata* regnat. M. Aurelius Antoninus annis IV.....Aurelius Alexander annis XIII. Hipolitus Episcopus clarus habetur. Is primus Paschalem Ciclum constituit....Origenes Alexandriæ imo toto orbi clarus habetur.... Ab initio Mundi V.CCCCXXVI, secundum vero Ebr. veritatem IIII.CCXIV, ab Incarnatione D.ni CCXXX, (lege CCLXIII.) K.K. Bellum *oc Fochairt Muirthemne. Memaid for Criunu, 7 for Fiachaich n Araide re Fiachaich Mullachlethain mc n Eogain, am Mumain, 7 re Cormac Ulfota.* [Prælium apud Fothartam Maritimam. Victoria parta est contra Pictos, et contra Fiachachum Aradium, per Fiachachum capitis obtusi filium Eogani, in Momonia, et per Cormacum Ulfotam Regem Hiberniæ.] Paulus Eremita nascitur.....Ab initio Mundi V.CCCCLXXIX secundum Ebr. secundum vero LXX Interpr. IIII.CCLXX, ab Incarnatione CCLIX, (lege CCCXIX,) *Fiacha Rophtene* (Rex Hiberniæ) regnat.

(1) In hoc prælio occisus est *Carbreus Riada* A. D. 212. Vide Prolegom. p. xviii, et IV Magistr. Annal. p. 110.

ANNALES BUELLIÆ.

Fol. 11.—*Cath Focharde Muirthemine ria Cormaic hua Cuind. Fergus Dubdetach r. in Em. Tesbaid Cormaic hua Cuind fri re secht mi. Cath Crinna Breg ria Cormac hua C.* [Prælium Granardiæ gestum a Cormaco O'Con contra Ultonienses. Classis Cormaci ducta ultra planitiem *Rein*.(1) Cormacus O'Con expulsus e regno per Ultonienses. Prælium Fochardiæ Maritimæ gestum a Cormaco O'Con. Fergusius Dentiniger regnat in Eamania. Expulsio Cormaci O'Con spatio septem mensium. Prælium Crinnaum Bregiæ gestum a Cormaco O'Con.]..... Constantinus Imperator, xxxvii ab Augusto, Constantii filius ex Concubina Helena, in Britannia creatus r. annis xxxii, et mensibus sex. (2)...... Paulus Eremita moritur.(3).... *Muredach Tirech o.e. o Celbad mc Cruind la Rig Ulad, ic Puirt Rig na Saball.* [Muredac Tirac Rex Hiberniæ occisus est per Celbadium filium Crunnii Regem Ulidiæ, apud Arcem Regalem Saballorum.].... *Cealbad mc Cruind* rexit anno I.—*Eocha Muigmedon mc Muiredaich Tirigh* occidit eum. Kl. *Eocha Mugmedon mc Muiredaich Tirig* Rex (Hiberniæ) annis xxxviii..... Antonius Monachus cv

ANNALES INISFALLIÆ.

Fol. 8, col. 2, l. 23.—Constantinus filius Constantii et Helenæ Concubinæ, in Britannia creatus Imperator, regnat annis xxx. Martinus nascitur..... Juvencus in Hispania claruit.... Paulus Eremita cxv anno ætatis suæ moritur. ...... Patricius Episcopus natus est....... Ab initio Mundi V.DXIX, secundum Ebr. vero IIII.CCLXXXIX, ab Incarnatione CCCXXXVIII. Donatus Artis Grammaticæ Scriptor, ac Præceptor Hieronymi, illustris habetur..... Patricius baptizatus est..... Antonius Monachus moritur cv anno ætatis suæ..... Patricius in captivitatem in Hiberniam ducitur. VI annis

(1) Vide IV Magistror. Annal. p. 84, ann. C. 240.

(2) Regnavit Constantius ab obitu Patris Constantii Chlori A.D. 305, "*annis 32, paucis mensibus et diebus exceptis.*" Euseb. in Vita Const. l. 4, c. 53. Obiit itaque A.D. 337.

(3) Paulus Eremita obiit A. D. 343. Hieron. De Vita Pauli apud Petav. Doctr. Temp. t. 2, p. 415, annos natus 113.

ANNALES BUELLIÆ.

anno ætatis suæ in Xpo. quievit.(1).... *Brian mc Ethach Mugmedhoin* (Rex Hiberniæ) regnat annis xxvi... Martinus Episcopus Gallorum miraculis multis effulsit. *Niall nae Gellach* Rex Hiberniæ annis lxxvii vel xxxviii. (2)

Fol. 12.—*Niall nae Giallach* oc. *la Eochu mac Enna Cennsalaigh ac Muir Ict.* [Niallus Novi-obses occisus per Eochodium filium Ennei Capitis immundi apud Mare Ictium.] Patricius captivus in Hiberniam ductus est.... Patricius a captivitate liberatus est per Angelum. Hieron. Prespiter quievit anno vitæ xcviii, mense vi.(3)...... *Laegare mc Neill* regnum Hiberniæ tenuit, cujus tertio anno exacto, Patricius Archiepiscopus in Hiberniam venit, atque Scotos baptizare inchoavit.

ANNALES INISFALLIÆ.

servivit..... Constantius moritur. Julianus regnat ii annis... Patricius captivitate solvitur ab Angelo. Jovianus anno I. Valentinianus annis xii. Ab Incarnatione CCCLXV, (lege CCCLXXVII.) .... Martinus claruit miraculis. K.K.K. *Niall Noi-giallach* regnat annis xxvii. K.K.K.K.K.K. Ab Incarnatione anno CCCLXXX, (lege CCCLXXXVI.) Hieronymus in Bethlehem Prædicator interpretatus est Hebraice, Græce, Latine, Siriace, Kalldaice, Attice, Pontice... Constantinopol. Sinodus CCCL Episcoporum, in qua omnes Hæreses condemnantur..... Theodosius moritur.... Arcadius et Honorius annis xiii.... Martinus Eps. *quievit.* K.K. Primus annus Decennovenalis anni D.ni CCCC. Pelagius Brito gratiam Dei impugnat. K.K. *Nathi* (Rex Hiberniæ) regnat annis xxvi.. Arcadius moritur.

Hæc præcipua sunt, Hiberniam respicientia, quæ ex primis horum Annalium foliis excerpere, operæ prètium arbitratus sum. Cætera in Prolegomenis exposui; ita ut de Inisfalensibus nihil dicendum remaneat, nisi folia omnia, a 12mo inclusive, usque 36tum, recto ordine servari. Abinde vero nonnulla desiderantur, ab anno nempe 1130 ad ann. 1160; quibus prætermissis, sequuntur recto ordine tria folia, usque ad folium 39 inclusive. Ibi porro folium unum deest, ab anno 1188 ad annum 1190, qui desinit in folio Codicis 40, in cu-

(1) Antonius obiit juxta Hieron. apud Petav. ib. A. D. 358, anno ætatis 105.
(2) Vide quæ de Nialli annis dicta sunt Prolegom. p. xxiii, xxxix, liii.
(3) Obiit S. Hieron. A. D. 420. Petav. ib. p. 445.

jus tertia columna, Inscriptio literis Oghamiis exarata notatur. Cætera usque ad annum 1215 recto ordine procedunt, i.e. usque ad fol. 44 inclusive, et tum deinceps incipit *Pars Posterior*, diversa manu, usque ad fol. 57, quod terminatur in anno 1319, ut alibi notavi. (1)

De IV Magistrorum Annalibus.

Postulat jam nimia prolixitas, ut quinam fuerint IV Magistri, et quibus auxiliis suffulti Annales suos compilaverint, et quænam auctoritas Annalibus istis tribuenda sit, breviter explicare conarer.

Hos Annales *Dungallenses* appellant Colganus, Lincæus, Flaherteus, Nicolsonus, et Harrisius; quod in Monasterio Dungallense compilati fuerint. *IV Magistrorum* tamen nomen eis adhæsisse narrat Colganus, testis coævus, quod a IV Monachis, linguæ Hibernicæ peritissimis, conscripti fuerint, qui, propter singularem rerum Hibernicarum scientiam, Magistrorum nomen sortiti sunt.(2) Inter hos præcipuus eminebat *Michael O'Cleri*, cujus Epistolam Nuncupatoriam, Fergalo O'Gara inscriptam, verbum verbo Latine reddidi, ut stylus ejus, simplex et apertus, animum, humilitate et modestia conspicuum, et nulla arte vel simulatione depravatum, exhiberet.—Fuit is, antequam Monasticam vitam amplexus esset, in sæculo professione Antiquarius, et in Antiquariorum Scholis, quarum plurimæ tum in Hibernia vigebant, (3) inter pri-

(1) Annal. Inisfal. ann. 1196.

(2) Colgani Præf. ad Acta SS. Hiberniæ. Nicolson Ir. Hist. Libr. Dubl. 1724, p. 35.

(3) " In Ecclesiis quibusque Cathedralibus, Ludus Literarius cuicumque in disciplinam excipiendo " aperiebatur; e cujusmodi Ecclesiis, Hibernia *nunc unam supra triginta*, olim multo plures habe- " bat. Præterea, ad Ardmachanam Academiam discentium multitudo indies confluebat, ita ut una " vice, numero Scholarium inito, a plusquam 7000 frequentatam fuisse, Florentius Carthæus asseru- " erit." Lincæi Cambr. Evers. p. 184, ed. 1662.

Eadem confirmat Colganus, ubi de *Dallano*, sæculi VI Scriptore Hibernico, inquit—" Scripsit Pa- " trio sermone, veterique stylo, diversa opuscula, quæ, sæculis posterioribus, a multis, alioquin in ve-

marios sui temporis habitus; ideoque, postquam Monasterio vitam devovisset, a sui Ordinis Superioribus, a Wadingo, Wardæo, et aliis, coadjutor adhibitus est, ad Sanctorum Hiberniæ veteres Vitas, aliasque quæ supererant Antiquitates colligendas, ut Lovaniam transmitterentur. In hac cura laboravit annis xv, quibus plurimas Sanctorum Vitas collegit, et Genealogias, et tria vel quatuor diversa et vetera Martyrologia, aliaque plura, quæ, denuo rescripta, Lovaniam ex Hibernia transmisit. (1)—Hisce feliciter peractis, demum ad Annales Hiberniæ meliori ordine digerendos animum adjecit, et, adjuvantibus tribus aliis, digessit, et plurium Codicum collatione, repurgavit tres Tractatus, I, De *Regum Hiberniæ annis et Genealogia;* II, De *Genealogiis Sanctorum Hiberniæ;* III, De *primis Hiberniæ Incolis et Casibus,* ab anno post Diluvium 278, ad annum Christi 1171.—Extat usque hodie in Vestra hac Bibliotheca, vetus Codex Membraneus, cui titulus *Leabhar Gabhaltas,* longe ante O'Clerii ævum exaratus, unde tertium hoc opus præcipue descripsit. Extat et hujus O'Clerianì Operis exemplar, ex ipsius autographo descriptum anno 1647, unde colligere licet, quæ omittere, quæ castigare, quæ tollenda, et quæ relinquenda arbitratus est.(2)

His parum contentus, Vir, laboribus æque ac pietate illustris, ad Annales ipsos Hiberniæ antiquiores, ex vetustis Rhythmicis et Prosaicis Scriptoribus colligendos, et ordine Chronologico, juxta æræ vulgaris annos, digerendos ac-

---

" teri patrio idiomate et antiquitate versatis, haud facile penetrari possunt; et hinc a peritioribus " Antiquariis, fusis illustrantur Commentariis, et tanquam rara priscæ nostræ linguæ et antiquitatis " monumenta, in *Scholis Antiquariorum* gentis nostræ, prælegi et exponi consueverunt." Acta SS. p. 203. Item Camdenus—" Habent enim Magnates Hiberni suos Juridicos, quos *Brehones* vocant, " suos *Historicos,* qui res gestas describunt, Medicos, Poetas quos *Bardos* vocant, et Citharædos, et " certæ et singulæ familiæ, scilicet Brehoni unius stirpis et nominis, Historici alterius, et sic de cæ" teris, qui suos liberos sive cognatos in sua qualibet arte erudiunt, et semper successores habent, " quibus singulis sua prædia assignata sunt."

(1) Colgani Præf. ib. Confer *Biblioth. Hibernico-Cotton.* MS. in Stowense.

(2) Codex Stowens. No. I, cum Codice No. XVI conferendus.

cinxit; iisdem Collegis adjuvantibus, quos in præfatis Operibus describendis Socios adhibuit; nempe *Ferfessio O'Maolchonaire, Peregrino O'Cleri*, et *Peregrino O'Duibhgennan*, qui, cum eo, *IV Magistrorum* appellatione designantur.

Accessit quidem subinde aliorum peritorum cooperatio, nempe D. Mauritii O'Maolchonaire, qui uno mense, et D. Conarii O'Cleri, qui pluribus in eo promovendo laboraverunt. Quamvis autem hi et alii ad eos expediendos concurrerint, quia tamen dispar erat eorum concursus, et brevi tempore, et in exigua et posteriore operis parte laborarunt, alii vero quatuor in toto, saltem ad annum usque 1267, quo prior et potissima pars terminavit,(1) hinc, IV Magistrorum nomen prædictis quatuor adhæsit, cæteris omissis, inter quos tamen se conspicuum reddidit Rev. Brendanus O'Conor, qui vetera aliquot monumenta, non solum ad illud opus, verum etiam ad Colgani opera promovenda, ex diversis Galliæ et Italiæ Bibliothecis, propriis manibus transumpsisse narratur.(2)

Denique, tot laboribus labefactus, obiit prædictus Michael O'Cleri anno 1644. (3)

Nicolsonus et Harrisius inquiunt, IV Magistrorum Annales Autographos, duobus tomis in 4to exaratos, in manus incidisse *Johannis Conrii*, (potius *O'Maol-Conarii*,) qui, e veteri O'Maolconariorum Connaciæ familia oriundus, ideoque unius e IV Magistris consanguineus, adhuc superstes erat anno 1724. (4) Adjungunt insuper, *primum* volumen incepisse ab anno M. 2527, et terminasse in anno C. 1171; *secundum* vero, antequam in prædicti O'Maolconarii manus pervenisset, mutilatum fuisse, ita ut prima folia perierint, et tota annorum series ab anno 1171 ad annum 1335; cætera autem

(1) Colg. Præf. ib.

(2) Ibid. et Nicolson Ir. Hist. Libr. Append. p. 244. Harris's Ware, p. 117, 118.

(3) " Ante paucos *menses* mortuus." Colg. ib. p. 4.

(4) Vide quæ de *O'Maolconariis*, Regum Connaciæ jure hæreditario Antiquariis, dicta sunt in Prolegom. p. lx, lxi, &c. Hi vetera Carmina Hibernica servaverunt quæ memorantur a IV Magistris ad annos 904, 914, 15, 16, 17, 18, 920, 923, 925, 926, 7, 8, 940, 1, 2, 945, 946, 969, &c.

extare usque ad ann. 1609; ita ut pars potissima 2di voluminis desideraretur.—Harrisius parum sibi constat, uno etenim loco inquit, 2dum volumen desinere in anno 1609, paulo postea autem, terminare inquit in anno 1636 (1)—Extante vero in hac Vestra Bibliotheca, ipso primi voluminis Autographo, Nicolsoni errorem, quo I volumen incipere inquit ab anno M. 2527, corrigere valeo, eumque simul excusatum habere, quod, cum linguam Hibernicam non intelligeret, in errorem inductus fuerit a cifris Arabicis 2527, in ipsa prima pagina, O'Clerii manu descriptis, ita ut Annales, primo aspectu, ab anno isto incipere videantur. Quod si linguam Hibernicam intellexisset, verba Hibernica paulo altius in eadem pagina scripta, exordium ab anno Mundi 2242 desumendum esse indicarent.

Hoc autem volumen, esse ipsum O'Clerii Autographum, demonstrant Epistolæ MSS. Avi quondam mei manu exaratæ, quæ in Codice insertæ, primis foliis præfixæ leguntur. (2)

Sequentia, ejusdem manu, in primo Codicis folio vacuo scripta leguntur—"*Sean O'Ferghusa mc Macraith, Ollamh orrdherc re leighus an Athcliath Duibhlinne, ro chuir an leabhar so dha chengal ar a chosdus fein A* 1735, *accus thrid sin tuillidh buidhechus a thire ar cheana,* 7 *go madh buidhech dia dhe. An leabhar so anos ag Cathal og h. Conchubhair mc Donnchaidh, mc Cathail oig, mc Cathail oig, m. Aodha, m. Diarmada, m. Cairbre, m. Eoghain Chaoich, m. Feidhlim Ghengcaidh, m. Toirrdhealbhaigh oig Righ Connacht, m. Aedha, m. Toirrdhealbhaigh, m. Aedha, m. Eoghain, m. Ruaidhri, m. Aedha, m.*

---

(1) Harris's Ware's Writers, p. 117.

(2) "In regard to the *four Masters,* I shall write to Coll. O'Gara in St. Sebastian, where he is "quartered with his regiment, and reproach him with giving more of his confidence to a little igno-"rant Ecclesiastic than to me, his nearest relation in this kingdom. His father and mine being bro-"ther and sister's children. I got that work in 1734 through the interest of Bishop O'Rorke my "uncle." Charles O'Conor to Doctor Curry. Roscommon, July 16, 1756. Epistolæ MSS. in Stowense.

Cathail Chroibhdeircc, mac Toirrdhelb. mhoir Airdrigh Erinn; 7 a urlamhus do thabhairt do la Brian O'Gadhra Ardeaspog orrdhearc Thuama da Ghualann A.D. 1734. CATHAL O'CONCHABHAIR.

Diardaoin na g Comaoinecha April 3, 1740. *An t Ardepspog orrdherc ro thiodhlaic an leabhar so dhamh, Brian h. Gadhra, d faghail bhais a g Criost. Duine uasal eagnuighthe, deghbhesach, lan do chrab. 7 denech, 7 ro toirmiscc Dia ar gach baoghal dar tionsgnadh do i b Parliament na h Erenn. Bennecht ris chum nimhe. Amen.* (1)

Memini me olim, priusquam unicum quod deest in primo volumine folium, nescio quo casu, periisset, testimonium quod infra exhibeo, Archiepiscopi Tuamensis manu scriptum, exscripsisse; (2) et duo alia testimonia, iisdem fere verbis, vel certe ad eorum tenorem, Archiepiscopi nempe Dubliniensis Thomæ Flemingi, et Episcopi Elphinensis Boetii Mac Egan, propriis manibus pariter

---

(1) Hæc verba sic interpretantur—" Johannes O'Fergus filius Macrathi, Doctor illustris Medicinæ " in Dublinio, misit librum hunc ligari suis impensis A. D. 1734; atque ideo meretur gratias Patriæ " suæ, et ut ei gratiæ reddantur exopto. Liber hic nunc pertinet ad Cathaldum Juvenem O'Conor, " filium Donnchadi, filii Cathaldi Juvenis, filii Aodhi, filii Diarmitii, filii Carbrei, filii Eogani Cœci, " filii Fedhlimidii Curvi, filii Tordelbachi Juvenis Regis Connaciæ, filii Aodhi, filii Tordelbachi, filii " Aodhi, filii Eogani, filii Roderici, filii Aodhi, filii Cathaldi Rubræ Manus, filii Tordelbachi Magni " supremi Regis Iliberniæ; et ejusdem libri possessio legitima tradita fuit ei a Briano O'Gara, Archi- " episcopo illustre Tuamense, A. D. 1734. CATHALDUS O'CONOR.

" Die inter duo Jejunia (i. e. die Jovis) Communicantium, April 3, 1740, Archiepiscopus illustris " qui dedit librum hunc mihi, Brianus O'Gara, obiit in Christo. Vir venerabilis, prudens, comes, " insignis pietate et affabilitate, et quem protexit Deus contra omnia pericula quæ intentata fuere " contra eum in Parliamento Hiberniæ.—Benedictio animæ ejus redeunti in cœlum!"

(2) " Visis testimoniis et approbationibus eorum qui præcipui sunt Antiquarii rerum nostrarum, " et linguæ et Historiæ peritissimi, ac expertissimi, de fide et integritate Fr. Michelis O'Cleri, Laici " Seraphici Ordinis, in opere quod intitulatur *Annales Regni Hiberniæ,* in duas partes diviso, qua- " rum prima continet a Diluvio ad annum Xpi 1227, secunda ad annum 1608, colligendo, casti- " gando, et illustrando, et cum omnibus vetustissimis MSS. Codicibus conferendo, Nos Malachias, " Dei et Ap.licæ Sedis gratia Archiepiscopus Tuamensis, et Connaciæ Primas, præfatum Opus appro- " bamus," &c.—Datum Galviæ, xiv Calendas Decemb. MDCXXXVI.

scripta, eidem annexa fuisse recordor; eaque omnia diversis mensibus anni 1636 data fuisse; cum *primum* volumen completum fuerit anno 1635, quo tempore Rev. Christophorus Dunlevi in Monasterio Dungallense *Guardiani* munere fungebatur, et secundum non nisi paucis postea annis, cum Bernardinus O'Cleri eidem Monasterio secunda vice præesset.

Codices quos IV Magistri contulerunt.

Non minimi quidem momenti res esset, si omnes, quotquot IV Magistri evolverunt, Codices in medium afferri possent, ut eorum fides et diligentia, eo majori certitudine, comprobaretur. Ad materiam huic rei idoneam congerendam, non solum libros typis editos, verum et Codices Manuscriptos plurimos evolvi; neque solum eos quos in hac Vestra Bibliotheca, semotis aliis curis, percurrere licuit, verum etiam eos quos in Collectione Clarendoniana Musæi Britannici inveni, non indiligenter excussi. At, inter alias quam maximas bellorum civilium calamitates, eam non minimam enumerandam doleo, qua "*non solum tabulæ publicæ, ferme omnes, Cancellariæ Hiberniæ, ad annos* 20 "*priores regni Henrici VIII spectantes, sed et omnia Regesta, et Consultationes* "*Senatus Regii Hiberniæ, ante Skeffingtonii Proregis tempora, desiderantur.* "*Neque negandum quam plurima alia subsidia, literas nempe Magnatum, Par-* "*liamentaria Diaria, Edicta, et Instructiones Regias, per diutinam in Hiber-* "*nia bellorum rabiem periisse.*" (1)

Quod si tantam conquerendi causam habuerit Waræus, poterit, qui tumultus civiles postea in Hibernia ortos perpenderit, et facinora quæ deinde patrata fuere, consideraverit, vel inde arguere, potius mirandum, adhuc reperiri quos exhibemus Codicum Titulos, quam omnem eorum memoriam desiderari. (2)

---

(1) Waræi Annales Rer. Hibern. regnante Henr. VIII. Dubl. 1662, Præf.

(2) Lincæus Auctor gravis et oculatus testis, de sui temporis tumultibus inquit—" E gravissimis

Tituli autem, ex diversis Avi mei Epistolis et Schedis hinc inde expiscati, hoc ordine sequuntur.—

I, *Leabhar Gabhaltas*, i. e. Liber Expugnationum. (1)

II, *Leabhar hua Congabhla*, Liber O'Congabhlaorum. (2)

III. *Leabhar Sil Ronain*, Liber Posterorum Ronani.

IV, *Leabhar Lecain Clanna Firbhis*, Liber Lecanus Firbissiorum. (3)

V, *Leabhar Cluana-mc-nois*, Codex Cluanensis. IV Mag. p. 44, et ann. 1005 et 1088.

VI, *Leabhar Inis na Naemh a Loch Righ*, Liber Insulæ Sanctorum in Lacu Righ. Ib. 1005.

VII, *Leabhar Sil hua Conchobuir Rossacommain*, Liber O'Conororum Roscommanensium.

VIII, *Leabhar huibh Duibhgenain Cill-Ronain*, Liber O'Duigenanorum Killronanensium.

IX, *Leabhar Senaid mc Magnusa a Loch Eirne*, Liber Senadii Mac Magnus in Lacu Erne. (4)

" quibus nos Magistratus opprimit malis, illud non postremum est, quod, ubi primum gratiæ alicu-
" jus, a V. Majestate nobis impendendæ, timor mentes eorum subiit, illico, rumor clam spargitur,
" clandestina molimina contra Rempublicam ad Hibernis adornari, eaque de causa, confestim satelli-
" tes *in eorum domos*, ex improviso irrumpunt, *angulos quosque sollicite rimantur*, &c....... In
" urbibus exteris, aut in editam altitudinem ædificia recentia surgunt, aut vetera restaurantur. In
" nostris nec unius domus fundamenta jaciuntur, et *veteres ruinosæ corruunt, tectis pluviæ perviis.*
" Qui nunc apud nos rerum summæ præficiuntur, urbium ædes vacuas habitatoribus esse malunt,
" quam *priscis Dominis tanquam inquilinis pretio locare.* In aliis ædibus antehac splendida sup-
" pellectile ornatis, advenæ gratuitis, lautisque, conviviis excipiebantur, nunc diversoria mensæque
" cauponum venales iis adeundæ sunt. Extera rura priscos incolas sua negotia citra tumultum ob-
" euntes continent; priscorum nostri ruris possessorum aures quotidianis vocibus obtunduntur aien-
" tium—*veteres migrate coloni.* Peregre Templis ornandis streme incumbitur; apud nos Templa
" vel solo æquata, vel imbribus pervia, vel tribunalibus homines morti adjudicantibus, vel illicitis aliis
" negotiis profanata sunt. Apud exteros, Sacerdotes in honore sunt, apud nos in ergastulis, silvis, uli-
" ginibus, aut latibulis. In communi Regiæ inaugurationis (Caroli 2di) lætitia, libertas aliis carcere
" detentis indicta, solos Sacerdotes e longo et lugubri custodiarum incolatu non eduxit. Per to-
" tum Christianum orbem, lex dudum et consuetudo tulit, ut una Christianæ Religionis professio
" servituti quemque subduceret, Tui tamen Hiberni (O Rex) ab uxorum, et liberorum complexu
" abrepti, ad Indias a togatis quibusdam vulturibus deportati, *sub hasta veneunt.*" Lincæi Epist.
ad Carolum II Regem, præmissa Operi cui titulus Cambrensis Evers.

(1) IV Mag. ad ann. M. 3066, p. 6, item p. 16 n. 1, et 65 n. 2. (2) Ibid. pag. 36 n. 1.

(3) Ibid. ad ann. C. 1151.

(4) Colganus inquit hunc Codicem aliter appellari *Annales Ultonienses*.

X, *Leabhar hua Maolchonaire co bliadhain T.* Mdv, Liber O'Maolconariorum ad annum usque 1505. De *O'Maolconariis,* Regum Connaciæ Antiquariis, vide Prolegom. a p. lvi ad cvii.

XI, *Slis Leabhair Cucoigrighe hua Cleri mc Diarmaid mc Taidhg Cam, o bl. T.* Mcclxxxi *co bl. T.* Mdxxxvii, Pars Libri Cucogrii O'Cleri filii Diarmitii filii Thadæi Curvi, ab anno D. 1281 ad annum 1537.

XII, *Leabhar Maolloin oig mc Bruodin o bl.* Mdlxlxxxxviii *co bl.* Mdcxxx, Liber Malonii Juvenis filii Brodini ab anno 1588 ad annum 1630.

XIII, *Leabhar Lugaid O'Cleiri o bl.* Mdlxxxvi *co bl.* Mdcii, Liber Lugadii O'Cleri ab anno 1586 ad annum 1602.

XIV, *Mac Liagi* Carmina Hibernica. Obiit is anno 1015. Vide Annales.

XV, *Psalter Caissil,* Psalterium Casselense. De hoc Codice vide Prolegom. p. clxvi. Vox *Psalter* nihil aliud significat Hibernice quam Liber Rhythmicus, ex quo veteres Bardi Regum Historias decantare solebant.

XVI, *Psalter na rann,* Psalterium Metrorum, sive Oengusii Colidei Miscellanea de rebus Hibernicis Metrice, collecta per eum annum circiter 800. Lhwyd Archæol. et Waræi Script.

XVII, *Leabhar Cluana h Eidneach,* Liber Monasterii Cluanednachensis.

XVIII, *Leabhar na g ceart,* Liber rerum quæ cuique jure pertinebant, Auctore, ut fertur, S. Benigno S. Patricii Discipulo, sed postea auctus.

XIX, *Leabhar buidhe naomh Moling,* Liber flavus S. Molingi.

XX, *Leabhar dubh Molaig,* Liber niger Molagii.

XXI, *Leabhar Fionntain Laoighis,* Liber Fintani Lagisiæ.

XXII, *Leabhar na g Caoighead,* Liber Provinciarum.

XXIII, *Reim Rioghraidh,* Rotulus Regum. Hujus libri extat exemplar, sed in nonnullis mutilatum, in Bibliotheca hac Stowense.

XXIV, *Leabhar Coimhsiorgachta,* Liber Synchronorum.

XXV, *Leabhar Coranmach,* Liber Etymologiarum. Ad librum hunc appellat Tigernachus, eundemque memorat Keatingus p. 151.

XXVI, *Leabhar Uraiceacht na n Eigios,* Liber Institutionum Poetarum. Extant duo hujus libri exemplaria, sed, ni fallor, valde corrupta; unum in Codice Lecano Dublinii, aliud in Codice Ballimorense ibid.

XXVII, *Amhra Choluimchille,* Raptus sive extatica Visio Columbæ Cille, Rhythmice, Auctore Dallano, ante ann. 693.

XXVIII, *Leabhar Dinsannchusa,* Liber Antiquitatum Munimentorum Hiberniæ. Vide IV M. ann. C. 266.

XXIX, *Psalter na Temrach,* Psalterium Temorense. Vide IV Mag. ann. C. 266.

XXX, *Leabhar Sinserach,* Liber Antiquitatum.

XXXI, *Leges Ecclesiasticæ* Hibernice, Codex folior. Membr. 53 in folio.

XXXII, *Vitæ SS. Hiberniæ* Hibernice, collectæ per Magnusium O'Donnell anno 1532, fol.

XXXIII, *Vita Columbæ* Hibernice, in fol. per eundem, anno 1520.

XXXIV, *Calendarium vetus* Hibernice cum adjuncto Commentario, partim Hibernice partim Latine, folior. 97.

XXXV, Expositio quorumdam Vocabulorum Hibernicorum in Calendario prædicto, folior. 84.

XXXVI, *Liber Ballimotensis.* Vide Prolegomena passim.

XXXVII, *Liber Kellensis.*

XXXVIII, *Liber Vetus Hymnorum,* partim Latine partim Hibernice, et *antiquissimus,* juxta Usserii Epistolam ad Vossium, præmissam Dissertationi de Symbolis Antiq. ut in Annal. IV Mag. p. 17, not. 1, et Prolegom. passim.

XXXIX, *Eochodii* Carmina Hibernica. Vide IV Mag. p. 10, n. 1.

XL, *Maelmurii* Othnensis Carmina. Ib. ann. 884. De Monast. Othnæ vide Annal. ann. 1101.

XLI, *Flanni* Butensis Carmina, ib. p. 13 n. 1, p. 52 n. 1, et ann. 1056. De Monasterio Butense vide IV M. ann. 1097, et passim.

XLII, *Coemanni* Carmina. Vide IV Mag. p. 44, p. 62 n. 1, p. 65, n. 1.

XLIII, *Naoimhseanchus Insi Fail,* Sanctorum Antiquitates Insulæ Fatorum. IV Mag. p. 57.

XLIV, *Leabhar na hui Dhri,* Liber O'Driorum. Ibid. ad ann. 266.

XLV, *O'Duvegani* Codex. IV Mag. p. 64 et 68.

XLVI, *Leabhar Drimsneachta.*

XLVII, *Carmina vetera* Hibernica. IV Mag. p. 68, n. p. 74 ann. C. cvi, p. 77 n. 1, 78 n. 1, 80 n. 1, 2, ann. 226, 283, 432, et passim.

XLVIII, *Coccadh Gall la Gaoidhil,* Bella Alienigenarum cum Hibernis. Auctore *Mac Liago* Scriptore sæculi XI. Vide IV Mag. ann. 1015.

XLIX, *Alildi* Archipoetæ Carmen vetus. IV Mag. p. 79 n. 1, 80 n. 2.

L, Opera quædam Hibernica antiqua, Cormaco Regi Hiberniæ adscripta. IV Mag. p. 87, n. 1.

LI, *Liber Ardmachanus.* Sequentia de hoc libro ex doctissimi Humphredi Lhwydi Schedis descripta, perhumaniter ad me transmisit ex Wallia prælandatus Tuus Nepos Carolus Williams

Wynne. (1)—" Codex hic, ultra omne dubium, perquam antiquus est, sive manu ipsius S. Patricii partim conscriptus, (uti habetur ad calcem folii 24ti,) sive sit, quod mihi verisimilius videtur, alicujus posterioris ævi opus. Et forsan est ille ipse *Textus Evangeliorum*, quem divus Bernardus, in Vita Malachiæ, inter insignia Ædis Ardmachanæ numerat, et *Textum ipsius S. Patricii* fuisse narrat. Ab Usserio et Waræo Liber Ardmachanus, ab indigenis vero Liber Canonum S. Patricii nuncupatur, a Canonibus concordantium inter se Evangelistarum, folio 26to inceptis, sic (ut opinor) nominatus. Liber hic ab Hiberuigenis magno olim habebatur in pretio, adeo ut familia illa, vulgo vocata *Mac Maor*, Anglice Mac Moyre, nomen suum a custodiendo hoc libro mutuatum habeat; *Maor* enim Hibernice *Custos* est, et *Maor na Ccanon*, sive *Custos Canonum*, tota illa familia communiter appellata fuit; et octo villulas in agro........, terras de Balli Moyre dictas, a sede Ardmachana olim tenuit, ob salvam hujus libri custodiam; in quorum manibus, multis jam retro sæculis, liber hic extitit, usque dum Florentinus Mc Moyre in Angliam se contulit, sub anno salutis humanæ 1680, ut testimonium perhiberet, quod verear non verum, versus Oliverum Plunket Theologiæ Doctorem, et regni hujus, secundum Romanos, Archipræsulem, qui Londini immerito (ut creditur) furca plexus est. Deficientibus autem in Moyro nummis, in decessu suo, Codicem hunc pro quinque libris sterl. ut pignus deposuit. Hinc ad manus Arthuri Brownlowe gratissime pervenit, qui, non sine magno labore, disjuncta tunc folia debito suo ordine struxit, numeros in summo libri posuit folia designantes, aliosque in margine addidit capita distinguentes, eademque folia sic disposita prisco suo velamine (ut jam videre liceat) compingi curavit, et in pristina sua theca conservari fecit, una cum bulla quadam Romani Pontificis cum eodem inventa. * Continet in se quædam fragmenta Vitæ S. Patricii a diversis authoribus, iisque plerumque anonymis, conscripta. Continet etiam Confessionem S. Patricii, vel (ut magis proprie dicam) Epistolam suam ad Hibernos, tunc nuperrime ad fidem conversos. Continet etiam Epistolam quam scripsit Divus Hieronymus ad Damasum Papam, per modum Proœmii ad Versionem. Continet etiam Canones decem, in quibus ostendantur Concordantiæ inter se Evangelistarum, ac etiam breves causas, sive interpretationes uniuscujusque seorsim Evangelistæ, necnon Novum Testamentum, juxta versionem (ut opinor) Divi Hieronymi, in quo reperitur Epistola illa ad Laodicenses cujus fit mentio ad Colossenses. In Epistola prima

---

1) Vide supra p. xxxiii. Confer Opus eruditum cui titulus "*The Royal Tribes of Wales*," by [Phil]ip Yorke, Esq. of Erthing. Wrexham, 4to, 1799, p. 10, &c. Pennant's XV Tribes of N. Wales.

Johannis deest versus ille, *Tres sunt in cœlo*, &c. Continet etiam Hebræorum nominum quæ in singulis Evangeliis reperiuntur explicationes, una cum variis variorum argumentis ad singula Evangelia, et ad unamquamque fere Epistolam seorsim referentibus. Continet denique Vitam S. Martini Episcopi Turonensis, (avunculi, ut fertur, S. Patricii,) a Sulpitio Severo conscriptam.—Nota quod in Evangelio sec. Matthæum, desiderantur quatuor (ut ego existimo) folia, scilicet a versu tricessimo tertio capitis deciniquarti, usque ad vers. 5, capitis xxi.—Nota etiam quod Epistolæ Apostolorum non sunt eodem ordine dispositæ, quo vulgo apud nos hodierno die reperiuntur."

LI, *Carmina Vetera Hibernica* Anonyma, IV Mag. Annal. ad annos 493, 537, 538, 539, 590, 600, 601, 606, 607, 613, 614, 618, 619, 622, 624, 630, 645.

LII, *Cennfaoladii* Carmina. Ib. ad ann. 499, 501, 506, 526, 527, 557. Obiit anno 679. Ib. et supra p. xiii. Extant quædam hujus Poetæ fragmenta in Codice Membr. Stowense No. 1.

LIII, *Carnechi* Carmina. Ibid. ad ann. 526.

LIV, *Ben Aodhi* Carmina. Ib. ann. 594, Æræ Com. 599.

LV, *Becci-Bairchei* Carmina. Ib. ann. 620.—Obiit anno 704.

LVI, *Maolodrani* Carmina. Ib. ann. 647.

LVII, *Colmani O'Clusaig* Carmina. Ib. ann. 661.

LVIII, *Conalli Meann mc Cairbre* Carmina. Ib. ann. 701.

LIX, *Congali* Carmina. Ib. ann. 705.

LX, *Congasii* Carmina. Ib. ann. 732.

LXI, *Aedhi Allani* Regis Carmina. Ib. ann. ib. et 733, Æræ Com. 738, et ann. 734, Æræ Com. 739, item ann. 738, Æræ Com. 743.

LXII, *Samthani* Carmina. Ib. ann. ibid.

LXIII, *Fothadii* Canonum Scriptoris Opera. Ib. ann. 799.

LXIV, *Fothadii* Carmina. Ib. ann. 876.

LXV, *Dachiarogi* Carmina. Ib. ann. 825.

LXVI, *Monachi cujusdam Ardmachani* Carmina. Ib. ann. 826.

LXVII, *Maongali Peregrini* Carmina. Ib. 844.

LXVIII, *Guaræi Cœci* Carmina. Ib. 849.

LXIX, *Aodi Poetæ* Carmina. Ib. 866.

LXX, *Flanni filii Lonani* Carmina. Ib. ann. 884. Extant in Codice *Dinseanchus*.

LXXI, *Maolmithigi filii Flannagani* Carmina. Ib. 892.

LXXII, *Dallani filii Morii* Carmina. Ib. 903.

LXXIII, *Gormlathæ* Reginæ Carmina. Ib. ann. 904 et 917.

LXXIV, *Comgalli* Carmina. Ib. ann. 917.

LXXV, *Celedaballi* Carmina. Ib. ann. 926.

LXXVI, *Congalachi filii Maolmithigi* Carmina. Ib. ann. 936.

LXXVII, *Aodhi O'Rathnen* Carmina. Ib. ann. 954.

LXXVIII, *Liber Ballimorensis*, in quo plurimi Tractatus de Veterum Regum Hibernorum Genealogiis; Exemplar etiam libri *Uriceacht na n Eigios; Ogma*, sive Ars scribendi juxta characteres occultos *Ogmios*, et alia plura Hibernice. Plura de hoc Codice habent Llwydus in Archæol. et Keatingi Interpres in Præf.

LXXIX, *Catalogus Rhythmicus* Regum Hibernorum. De his usq. ad LXXXVI vide Proleg.

LXXX, *Leabhar Connachta*, sive Annales Regum Connaciæ.

LXXXI, *Leabhar Ulad*, sive Annales Regum Ulidiæ.

LXXXII, *Leabhar Laighen*, sive Annales Regum Lageniæ.

LXXXIII, *Leabhar Muimneach*, sive Annales Regum Momoniæ.

LXXXIV, *Leabhar Midhe*, sive Annales Midenses.

LXXXV, *Leabhar Oirghiall*, sive Annales Argialliæ.

LXXXVI, *Uighir Chiarain*, Contestationes Ciarani.


LXXXVII, *Leabhar naomh Mochuda Rathin 7 Lissmoir*, Liber S. Mochudi Ratheniæ et Lismoriæ. Extant quædam inde excerpta anno 1443, in Cod. Bodl. Laud F 95.

LXXXVIII, *Opera S. Columbæ Cille* Metrica et Prosaica, Hibernice. Extant in Bibl. Bodl.

LXXXIX, Codex cui titulus *Sennchas mor, con amus ar nar netha maith o ulcc 7 olc dimaith.* i. e. Historia magna, qua distinguitur malum a bono et bonum a malo. IV Mag. ann. 438.

Opus hoc ingens, illud esse videtur cujus meminit Jocelinus c. 185 in Triade p. 106.—Pauca folia veteris Exemplaris ejusdem, extant in Codice No. 432, cujus specimina quædam exhibet Doctissimus *Thomas Astle*, in Antiquissimorum Codicum *Ectypis*, in Biblioth. Stowense, fol. 161, ubi inquit—"This specimen is taken from an ancient transcript of two "tracts relating to the old municipal laws of Ireland. The first contains the trial of Enna "brother of Laogarius Chief King of Ireland, for the murder of Oraine (lege *Odran*) Cha-"riot Driver of S. Patrick, before Dumpthac, (lege *Dubhtach*,) the King's chief Bard; and "the sentence passed thereon, about the year 430. The second is the *Great Sanction*, new "law, or *Constitution of Nine*, made in favour of Christianity by three Kings, three Bishops, "and three Sages. At the top of pages 4 and 11 are certain perpendicular and parallel lines,

" which the Irish call *Ogham*, thus—" Sequuntur deinde duæ lineæ parallelæ, characteribus Oghamiis inscriptæ, quibus charactares Romanos potestate consentientes subjicio.



De eodem Codice nonnulla habent Annal. Ult. ann. 438, p. 126, et 149, et ann. 839 n. 2, p. 214 et 264. Confer Prolegom. p. vii, xlix, clxxxiv. Memoratur etiam in Codice Ballimotense exarato anno 1364, fol. 167, et in Codice Legum Brehonnicarum in Collegio Dublin. Class E, Tab. 3, No. 5, et a Nicolsono p. 66, et in Cambrense Evers. p. 301. In fragmento Bodleiano, quod videre licuit, hæc habentur manu recentiore, sæculi ut videtur 14ti, fol. 4, b. *Or and so do Sighraidh mc Seain. mc Thorna, mc Mhaoilin mor ua Mailconaire, Fil. a glesug an leabhair se do Muiris mc Tomais, ·i· Iarla Desmuman, 7 Staneas geibh tine ainumthaiti na Bealtaine, tareis Deisceirt Er. da riarug. ittir Gall 7 Gaeind.* [Ora hic pro Sigrado filio Seani, filii Tornæi, filii Malonii Magni O'Maolconaire, Poeta, qui librum hunc compegit pro Mauritio filio Thomæ, i. e. Comite Desmoniæ, et Seniore cui jus primarium est Baalis igni, postquam Australis Hibernia tributum persolvisset ei, tam Alienigenæ quam Hiberni.

XC, *Calieni* Prophetiæ lingua Hibernica, Aliud Exemplar extat in Cottoniano.

XCI, *Colloquia Fabulosa* de Rebus Hib. scripta sæculo XIV, in quibus colloquentes introducuntur S. Patricius, Coilteus, et Oissinus, Hibernice. Extat hoc Opus MS. in Codice Bodleiano Rawl. 487, No. 2, a fol. 12 ad fol. 53.

XCII, *Finleachi O'Catalai* Acta Finni mc Cumhail (vulgo *Fingal*) cum prælio de Fintra, Hibernice. Extat in prædicto Codice No. 1, a folio 1 ad 12.

Hujus Codicis Elenchus, Waræi manu descriptus, sic legitur—" I, *Finleachi O'Catalai* Gigan-" tomachia, Hibernice; vel potius *Acta Finni Mac Cool,* cum prælio de *Fintra,* fol. 1.— " II, *Colloquia* quædam de rebus Hibernicis, in quibus colloquentes introducuntur S. *Pa-" tricius, Coiltius,* et *Oissenus,* Hibernice, fol. 12.—III, *Leges Ecclesiasticæ,* Hibernice, " fol. 53.—IV, *Miscellanea* quædam de rebus Hibernicis, fol. 68.—V, *Pars aliqua Chronici " Henrici Marlburgensis,* Vicarii de *Ballyscaddan,* in Diœcæsi Dubliniensi."

At, titulus primo folio Hibernice præmissus sic legitur—" *Cath Fintra an so sios, ·i· oige Finn " 7 Fianaib Eirionn, 7 bas Duiri duin ri an domhain moir.*" [Prælium Fintræ hic sequitur,

et obitus Finni et Finnorum Hiberniæ, et mors Darii Fusci Regis Mundi.]—Prima autem verba sunt—" *Ri ro gab asdair flaithus 7 fr. lamhas in domhain moir uili go h imlan.* ·i· " *Dairi don mc Loisgin lomgluinig.*" [Reges qui obtinuerunt potentiam Regiam et Imperium Mundi magni totius, i. e. Darius Fuscus filius Losgini Genu-debilis, &c.]

Errant qui Oissini Carmina genuina, tot sæculis, absque literarum ope servari potuisse existimant. Lingua enim Hibernica, qua Incolæ Hiberniæ et Albaniæ nunc vulgo utuntur, in pluribus diversa est ab antiqua; et cum id in Codicibus scriptis pateat, quis nisi partium studiis abreptus non percipit, diversitatem longe majorem necessario oriri debere in lingua non scripta? Omnia humana in perpetuo fluxu apparent, et nulla mutationi magis obnoxia sunt, quam linguæ. Quod Hebraica, et Græca, et Latina perseverent, literis tribuendum est, in quibus tamen insignem mutationem temporum vicissitudines invexere. Liturgias Græcas Basilii et Chrysostomi, quæ in Ecclesiis Græcis etiamnum publice leguntur, vulgus non intelligit; nec vulgarem Græcum intelligunt Docti. Eamdem mutationem in linguam Latinam invectam, indicant Versus Saliorum, et XII Tabularum Leges, editæ a Fulvio Ursinio, et Duilii Columna rostrata, et Polybius l. 3, ubi agit de fœdere inter Romanos et Carthaginienses, paulo post Tarquinii Superbi tempora initum.—Jam vero, quod in doctissimorum linguis evenit, id multo magis in barbaris evenisse constat; imo in politioribus, Gallica, et Anglica, quæ, spatio 400 annorum, tantam mutationem subierunt, ut non nisi Glossariorum subsidio antiqua eorum monumenta intelligantur.—De fabulis Oissino adscriptis, Colganus extitisse, suo tempore, inquit, in Hibernorum Bibliotheca Lovanii, " volumen, in Pergamena " scriptum, in quo *S. Patricius* et *Coilteus*, celebris olim apud Hibernos Athleta, inter se de " rebus Hibernicis colloquentes introducuntur. Est commentitium, et posterioris ævi, ut *ex* " *ipso stylo satis liquet.* Adde quod *Coilteus* ille floruerit tempore Corbmaci Regis Hiber- " niæ, A.C. 250. Aliud subsimile Opus multis in Hibernia locis habetur, in quo *S. Patricius* " et *Oissinus*, Finni, sub Corbmaco Militiæ Ducis, filius, inter se de rebus Hiberniæ collo- " quentes introducuntur. Sed quia hic Oissinus floruit eodem tempore cum Coilteo, idem de " utroque conficto Opere sit judicium." Triade, Lovanii 1647, p. 215.

In Vita S. Fintani Monachi Hibernico-Rhenaugiensis, Auctore ejus contubernali, quam ex antiquis Codicibus, S. Gallensi, Augiensi, Zwifaltensi, Rhenaugiensi, &c. edidere Goldastus, Rer. Aleman. tom. 1, pag. 321,(1) Mabillonius Act. SS. Ord. S. Bened. part. 4, pag. 377, et postremo Geor-

(1) Francof. fol. 1606. De hujus Vitæ Auctore anonymo Goldastus inquit, " *perveterem* esse, et

gius Guilelmus Zapf, in suo Itinere, Germanice scripto, editoque Friangen. 1786, tom. 1, ad pag. 243 in calce, adnotationibus in ima ora subjectis, hæc notanda sunt—" Reclusus jam " Fintanus, cum tanta eum fames urgeret, ut panem totum, et plus, manducare vellet, in " natale S. Patricii, qui tum forte advenerat, (die 17 Martii,) Deum sedulo rogavit, " ut hujusmodi ingluviem, ipsius interventu, auferret a se. Qui mox post orationes et " lacrymas, quas incomparabiliter in levibus rebus fundere solebat, tale oraculum aure per- " cepit, propria lingua prolatum—*Ataich Crist ocus Patric Artmache farna feiltam nachi- " sel teilebruchir tart doit teilco il farkisel.* Et ex hoc, edacitatis vitium minime sensit." Ad hæc adnotat Zapfius, certum esse, *modernam Hiberniæ linguam plurimum distare ab " antiqua."*—Lhuydus inquit, se in Hibernia comparasse 20 vel 30 vetustos Codices Hibernicos Membraneos, quos doctissimo viro Roderico Flaherteo ostendit, qui ingenue confessus est, stylo tam vetusto descriptos fuisse, ut *nec unam paginam interpretari potuisset.*(1)

XCIII, *Becci filii Deæ* Carmina. IV Mag. ad ann. 478. Scripsit ineunte sæculo VI.

XCIV, *Brogani Pii* Carmina. Scripsit eodem sæculo.

Præter Codices supra memoratos, alios sic enumeratos invenio, in Codice Bodleiano Rawl. 487, fol. 61, ubi ipse O'Clerius inquit, " Præparantur insuper ad prælum Diversa Martyrologia antiqua, ab ipsis Sanctis composita, in quibus præter SS. Hiberniæ, agitur de SS. aliarum gentium."

XCV, Horum primum est Martyrologium *Sen Ængusii Tamlachtensis* Monachi, qui floruit anno 750, pervetusto idiomate et metro scriptum; addendum et Latine et Hibernice, majoris fidei causa. (2)

XCVI, Secundum est *Martyrologium Tamlachtense,* ab eodem S. Aengusio et S. Malruano

---

" ipsius Findani συγχρονον, dignum profecto qui non a me tantum, sed ab omnibus antiquitatum " patriarum studiosis, perlegatur. Et pessimæ fuere manus, quæ tam probum nobis scriptorem de- " truncarunt." Rer. Aleman. t. 1, parte 2, p. 231."

(1) Lhwyd's letter to the Royal Society in Philos. Trans. No. 336. Baddam's Abridgment of Do. vol. 5, p. 492. Confer Ogygia Vindicated, p. 20, Dublin 1775, cum Dallani Vita apud Colgan. Acta p. 203, et cum vetustis Carminibus Hibernicis passim memoratis a Tigernacho.

(2) Extant hujus vetusti Operis duo exemplaria vetera membranea in Bodleiano, quæ invicem collata, posthac, Deo juvante, in Bibliotheca nostra *Hibernico-Cottoniana* descripturi sumus.

Ejusdem Operis meminit Waræus in suorum Codicum Catalogo, Dublinii edito anno 1648, p. 11, No. xxxix.—" Excerpta ex *antiquissimo* Martyrologio *Æneæ,* ut opinor, sive *Engi* Ep. filii *Oengobhan,* et adjuncto Commentario."

compositum, et ab eorum Discipulis postea auctum, in quo, ad singulos pœne mensis dies, præter multos nostrates Sanctos, ponuntur plurimi alii Sancti qui non in Romano Martyrologio, nec in alio edito quod noverim, habentur. Sed proh dolor! hoc habemus tantum mutilum in vetustissimis pergamenis, ita quod integri aliquando desiderentur menses. Sed audio aliud extare exemplar in finibus Lageniæ pœnes quemdam Presbyterum, qui, si recte nomen retinuerim, vocatur *Donaldus Camhanach mc Briain Ruaidh*, quem nunc audio obiisse, et Codicem illum retineri apud ejus Cognatos, &c.

XCVII, Tertium est Martyrologium quoddam, ex Psalterio Casselense, vel alio Codice qui Hibernice *Psaltar na rann* dicitur, transumptum, ut titulus ei præfixus habet. In hoc soli et pauci Sancti Hiberniæ continentur.

XCVIII, Quartum est Martyrologium Peregrinum B. Mariani Gormani, Abbatis Lughmadensis, qui floruit circa ann. 1150, et agit indifferenter de SS. omnibus, sed præcipue de Hibernicis.

XCIX, Quintum est aliud recentius *Martyrologium Damhinisense*, in quo Martyrologium S. Ængusii illustratur, et adduntur omnes SS. Hiberniæ quos ille omisit.

C, Libri duo de Sanctis homonymis, seu ejusdem nominis; unum de Martyribus et Confessoribus, alterum de Virginibus. In his, signa distinctiva ad S.os ejusdem nominis ponuntur ordinarie, et nomina locorum in quibus coluntur, vel Parentum, v. g. S. Aidanus de *Cluain-tairbh*, S. Aidanus de *Brocaise*, S. Aidanus de *Lismor*, &c.

CI, *Tractatus de Episcopis omnibus, Presbyteris*, et de *Diaconis* SS. Hiberniæ.

" Habemus præterea, inquit O'Clerius, multa SS. Opuscula, tam prosaice quam metrice, suo tempore edenda. Item permulta Opuscula veterum Scriptorum nostræ gentis, Historias nostras Ecclesiasticas et Prophanas concernentia, quæ si edantur, conciliabunt fidem, et dabunt magnam lucem Annalibus Sacris et Profanis totius regni, quod, Dei gratia vitam et adjutoria concedente, anæditamur."(1)

CII, *Forcherni* Carmina.(2)—Extant fragmenta in Codicibus membraneis, Bodleiano Laud F 95, et in Stowense *Dinseanchus*. (3) Vide Prolegom. p. lxvi.

(1) Michaelis O'Cleri Epistola MS. mutila, cui titulus " *Catalogus eorum quæ habemus partim " parata, partim paranda ad prelum,"* in Codice Bodleiano Rawlin. 487, fol. 68, ubi et quæ sequuntur inveni, usque ad No. cxiii, sed manu diversa. Catalogum istum adscribit *Thomæ Waræo* Gibsonus in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Tenisonianæ. Lond. 1692, p. 7, No. 21. Sed confer Colgani Præf. ad Acta SS. p. 6.

(2) Gratis asseritur Forchernum istum Archipoetam fuisse Conrigii filii Darii, Degadorum Momoniæ Regis, tempore J. Cæsaris. O'Halloran Prælim. Disc. p. xvi.—Opus est sæculi VIII.

(3) Extitit et aliud exemplar libri *Dinseanchus* in Bibliotheca Tenisoniana, ut in Catalogo.

CIII, *Ultra centum pia Poemata* antiquitatem redolentia, aliaque multa ex Psalterio Casselense. *** Horum nonnulla extant in Bibliotheca hac Stowense, quæ cum aliis memorantur a *Tigernacho*, in Codice Bodleiano Rawl. 488, fol. 7, col. 2, linea 18, col. 3, lin. 8, 41, 42, 43, 45, 47, 48, col. 4, lin. 2, 8, 10, 37, 44, 51, fol. 9, lin. 7, 46, 48, col. 2, lin. 22, 32, fol. 9, b, lin. 18, 43, ib. col. 2, lin. 2, 6, 16, 48, fol. 10, col. 2, lin. 24, 48, ib col. 3, lin. 20, fol. 11, col. 4, lin. 35, fol. 13, col. 4, fol. 16, ann. 1022.

CIV, Rationes tres quibus S. Columba Cille adductus, ex Albania in Hiberniam venit.

CV, S. Benigni antiquitas de Commoditatibus Dublinii, et omni S. Patricii Processu, et unde Dublinia dicta.

CVI, Matthæi Saliani Epistola, et alio nomine vocatur Psalterium Carminum.

CVII, Nomina IV Plagarum Mundi, atque earum longitudo et latitudo;—Pontificum, Sacerdo- et Ecclesiarum nomina, Græce, Latine, et Hebraice.—Christi D.ni et Apostolorum descriptio dum essent in humanis.—Obitus Dermitii filii Fergusii Cervoil, Maximi Iberniæ Regis.

CVIII, Jura, leges, tributa, et census Cassiliæ, et merces Regum Momoniæ et Iberniæ a Rege Cassiliæ, durante interregno.

CIX, Jus Regis Lageniæ a Rege Hiberniæ et Regulis, cum ipsemet non esset Monarcha.

CX, *Annales* Ætatum Mundi a primordio ad hæc nostra tempora, Iberniæ paradoxa.

CXI, *Duilliochan Suadh.* Libellus perdifficilis, dilucidationibus illustratus, solis literatissimis viris dicatus et sacer.

CXII, *Forus fochail,* i.e. Vocabularium, seu Repertorium Vocum, tam carmine quam prosa. (1)

CXIII, *An leabhar da n goirter Coir anmonn,* i.e. Liber qui vocatur Nominum Homonymorum, ordine alphabetico incipientium.

CXIV, *Teagusg Righ,* i. e. Regia Documenta *Cormaci* filii Arturi *Aoinfhir,* ad filium suum *Carbreum Lifiochoir*; quem probe, istis monitis, ad imitationem sui, legibus patriis, institutis, consuetudinibus, et compolitis moribus, erudire voluit. Dictus est Carbreus cognomento *Lifiochoir,* propterea quod in Lagenia, ad ripam Lifiii fluvii, vel prope, esset educatus.

CXV, De Numero et Generibus Carminum. (2)

Extat porro pars Martyrologii supramemorati No. XCV, in Codice Bodleiano Laud. F 95, cui

---

(1) Extat in Codice Bodl. Laud F 95, unde patet opus esse *Cormaci Casselensis,* qui obiit ann. 908.

(2) Extat vetus ejusdem exemplar in Codice Membr. Bodleiano Laud F 95. Sed mutilatum, deficientibus foliis in fine. Vide Codicis istius descriptionem in Bibliotheca nostra *Hibernica Cottoniana.*

notam hanc præmissam lego. "Oxford the 9th of August, 1673. This book is a famous coppie of a greate part of *Saltar Caisil*, or the booke of S. Mochuda of Rathin and Lismore, and the Chronicles of Conga, wherein *is* contained many divine thinges, and ye most part of the antiquities of the ancientest houses in Ireland, a Cathologue of their Kings, of the coming in of ye Romanes unto England, of ye coming of ye Saxons, and of their lives and raygne, *a notable Calender of the Irish Saints composed in verse eight hundred yeares agoe*, with the Saints of ye Romane Breviary until that tyme, a Cathologue of the Popes of Rome, how ye Irish and ye English were converted to ye Ch..olique faith, with many other things as the reader may finde, and so understanding what they containe, lett him remember Tully Conry. *Tuileagna O'Maolconaire.*"

O'Maolconarius annotasse debuit, diversarum esse ætatum varia Opuscula quæ in hoc Codice servantur.—Martyrologium prædictum, a folio 59 ad 72, diversa manu et vetustiore scriptum est reliquis libri ejusdem tractatibus, quorum nonnulli exarati fuere anno 1443. (1)

Ængusii nomen Martyrologio suo, paulo post obitum, et ante annum 900, appositum fuisse, notant Waræus et Colganus; et recte, cum in additamentis desiderentur omnes Sancti qui post annum 900 obierunt.—Duo penes se exemplaria habuit Colganus, ut in Actis p. 581. Aliud memorat ante annos 700 Marianus Gorman. (2) Vitam Ængusii scripsit metrice Ængusius Abbas Cluanfertæ Moluæ, cujus obitum referunt Annales ad ann. 858. Ængusius ipse, in Prologo ad Martyrologium suum, inquit, Donnchadum Donaldi filium, Hiberniæ Regem, obiisse paulo antequam Opus absolveret. Atqui Donnchadus iste obiit anno 793, et vetus Scholiastes qui Commentaria inter lineas scripsit, quæ extant in Codice hoc Bodleiano, inquit, Ængusium Opus istud absolvisse anno quo Rex Hiberniæ *Aedus Ornidius*, Comitantibus *Cormaco* Primate, et *Fothadio* Canonum Scriptore, Lageniam invasit. Adjungit, Ængusium Opus suum Fothadio exhibuisse legendum, et Fothadium ei itidem exhibuisse Opus quod, eodem tempore, ad prædictum Regem pro Cleri immunitate conscripsit, ne in posterum ad bellicas Regum expeditiones inviti traherentur. Atqui illam Regis Aedi expeditionem referunt Annales Hibernici ad ann. 799. Sequitur ergo Metricum hoc Ængusii Martyrologium tunc absolutum fuisse et evulgatum. Marianus Gormanus in sui Martyrologii Præfatione inquit Ængusium desumpsisse Sanctos, in suo Metrico Martyrologio recensitos, ex alio *vetustiore Tamlactense* quod prius exscripsit vivente Maelruano, qui obiit anno 787.

---

(1) Vide supra pag. lxii, No. xcv, et notam ibi.

(2) Obiit Marianus iste ann. 1070. Annal. Inisfal. p. 75.

De aliis Ængusii Operibus, suo ævo extantibus, hæc habet Colganus. "Extante talia egregia ejus Opuscula luce digna, quæ, Numinis favente gratia, brevi donabuntur. Scripsit enim de Sanctis Hiberniæ quinque libellos. *Primus* 3 capitulis recenset Sanctos diversorum ordinum Episcopos, numero circiter 345, Presbyteros et Abbates 299, Diaconos 78. *Secundus* libellus, Homonymorum dictus, complectitur inter se cognomines, et, in duas divisus partes, prima per capita 50 recenset Sanctos, secunda Sanctas homonymas, capitibus 12. *Tertius* liberorum, sive filiorum liber appellatur, et licet numerus Sanctorum de quibus in hoc libello agitur sit incertus, parentum, qui unum vel plures Sanctos genuerunt, nomina 94 exprimuntur, omissis aliquot aliis, quæ præ nimia exesi Codicis vetustate legi non possunt. *Quartus* libellus continet maternam 210 circiter Sanctorum Hiberniæ Genealogiam, quod indicio est paternam vel ab eodem vel ab antiquiore fuisse ante contextam. *Quintus* est Littaniarum, in quo, longa serie, per modum diurnarum precum, Sanctorum Hiberniæ cœtus invocantur. Opus ex jam memoratis Opusculis conflatum, in quibusdam antiquis Patriæ membranis, patrio sermone intitulatur *Saltuir na rann*, i. e. Psalterium Metricum."

Scripsit præterea, metrico et eleganti stylo, Historiam Veteris Testamenti, quæ etiamnum extat in Codice Bodleiano Rawl. No. 502, unde Tigernachi fragmentum vetus exscripsi; idque distichis Hibernicis, a me diligenter numeratis, plusquam *quater mille centenis et viginti octo.*

Ex his Codicibus simul collatis, IV Magistri nihil aliud sibi proposuerunt, quam Regum Hibernorum annos, prælia, Genealogias, et ordinem successionis, simul cum Episcoporum et Abbatum annis eruere, et nuda et simplici expositione, ordine chronologico enarrare, absque minutis circumstantiis, et eventuum causis, quæ in veterum Annalibus utplurimum desiderantur; hoc nempe scopo sibi potissimum proposito, ut, ex multorum consentiente relatione, veritatem historicam indagarent, eadem nempe methodo, qua scriptores Angli vetera Anglosaxonum Chronica in unum opus collegere. (1)

---

(1) "If all the Saxon Chronicles were collated with Dr. Gibson's printed edition, and if to these "were added the other historical fragments which yet exist in the Saxon language, it would be found "that the Latin narrations of all our Chronicles of the events preceding the conquest, are in general

Hinc porro exilis illa et jejuna macilentia, quam in nostris Annalibus lugendam esse non inficior. Sed venia danda est antiquitati; et cruentis etiam temporibus tribuendum est, quod non copiosiori methodo, hominum mores, leges, ritus, et vivendi rationem, tam pace quam bello peculiarem, explicaverint. Quod si nobismet ipsis contigisset, eodem tempore Annales colligere et conferre, quo illi hæc contulere, sæva inter arma degentes, et odia infensissima, et partium studia acerba, nunquam nimium a gente Hibernica deflenda, et deturpatæ ac simulatæ Religionis turpes et implacabiles iras, forte et nos, inter tot pericula constituti, plura omittenda censuissemus.

Optandum quidem esset, ut res nostras, eo quo par erat verborum delectu, et rerum gestarum splendore, et majestate, literis commendatas haberemus. Sed cogitet Lector nihil esse undequaque perfectum, et veritatis cognitionem non ab idoneo linguæ concentu petendam esse perpendet. Quid Homero jusuavius? et tamen quid mendacius?

" translations, or abridgements from the Anglosaxon documents of our Ancestors. At least the ex-
" istence of similar passages, yet in Anglosaxon, is one of the best proofs of this curious fact, curious,
" because, wherever it obtains, it gives to the whole series of our ancient Annals the *force of con-*
" *temporary evidence.*" Turner's Anglosaxon History, vol. 3, p. 22, not. 14.—Henr. Meiboinius in Præfatione ad tertiam Witichindi editionem, celebrat imprimis Monasterium Corbeiense in Saxonia, quod nobis non tantum Witichindum Historicum dederit, sed et alios, conservatis quinque prioribus Taciti libris. Illud etiam memoria dignum, quod in Præfatione Matthæo Parisio, ex Scoti nostri Chronico, præfixa legitur, statutum quondam in Anglia fuisse, ut in unoquoque Regali Monasterio, unus aliquis designaretur Scriba, doctus ac diligens, qui Regis facta ac regni eventus notaret, quæ, post Regis cujusque obitum, ad proximum generale capitulum deferrentur examinanda, postea redigenda in Chronicon, in Archivis adservandum, ad documentum posterorum.

Eadem de Annalibus Hibernicis dicenda esse patet ex dictis in Prolegom. a p. cxxxv ad cxliii, et ex Inisfalensibus ad ann. 1102, quo *partis istius* scriptor se *eo anno* scripsisse declarat. Vide supra p. xii.—Hinc *manuum diversitas* quæ in Inisfalensium Codice Bodleiano notanda est, a folio 36 ad finem, quæ diversitas plane indicat, prima 36 folia scripta fuisse ante ann. 1159; sequentia ad initium usque anni 1196, fol. 41, anno isto; inde ad finem folii 44, anno 1215. Cætera ad finem Codicis, diversis postea temporibus exarata fuisse manifestum est.

Notanda de Chronologia Annalium Hibernorum.

Qua methodo Annalium nostrorum rationes chronologicæ eruendæ sint, alibi exposui, (1) neque facile cum vulgato Æræ Dionysianæ calculo conciliantur notæ *KKK*, &c. quibus annorum series a Tigernacho, et in Annalibus Inisfalensibus, usque ad sæculum decimum distinguuntur. Has notas erroneas non Auctorum sed exscriptorum seu amanuensium vitio tribuendas esse, indicat fragmentum Tigernachi antiquissimum in Bodleiano, Rawlinson No. 502, in quo non tam incondita est dictio quam in Codice No. 488, et Auctoris verba, tam Latina quam Hibernica, accuratius exscripta leguntur. Id etiam indicant numeri feriarum erronei, a quodam imperito exscripti, qui non solum ordinem feriarum misere confundit, verum etiam feriam *octavam* nonnunquam pro prima substituit, vel pro septima, et bissextilium numeros penitus immutavit.

Attamen hos errores servare, et Codices prout extant, summa fide exscribere sacræ antiquitatis amor persuasit. Sed cum non minor antiquitatis quam veritatis amor esse debeat, et cum maxime intersit sincera secernere, ut Antiquorum Annalibus sua auctoritas firmetur, quod in tantis superiorum temporum ambiguis difficilimum invenio, id tamen pro viribus tentandum erat in notis, in quibus, non delicatis criticis amœnitates, sed antiquitatis cultoribus veritatem exhibere, et quæ repugnantia videbantur conciliare curavi. In his si aliquando hæsi, cogitet Lector quam sit res ardua " vetustis " novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis

(1) Vide Prolegomena p. xi, xlii, xlvii, et a p. cxxx ad cxlvi, et notas ad Annales Ultonienses et Inisfalenses, in quibus etsi erroneum notarum istarum ordinem secutus sim, ne a Codice discreparem, *ab intrinseco* tamen demonstravi, chronologicas Annalium rationes, notis istis sepositis, cum æra commune prope convenire.—Sic in Codice Bodleiano Annal. Inisfal. Rawl. 503, fol. 17, b, col. 2, lin. 7, annus qui juxta notas *K* est 847, in textu recte notatur *Dccclxiii*, ut in nota ibidem apposita indicavi pag. 40.

" fidem."(1) Ingenue fateor, nonnulla hinc inde occurrere, ad Lydium lapidem non omni ex parte probata. Hæc autem in *Emendationibus* ad Annalium calcem subjectis, accurate exponere studui. Quod si ob paucos errores, cætera fide carere dixerimus, actum erit de omnium gentium Historiis, cum pœne in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur, sitque Canonicarum tantum Scripturarum singularis prærogativa, ut in eis cuncta inconcussa narrentur.

Ad Annalium nostrorum rationes chronologicas emendendas, quædam principia statuere liceat, quibus tanquam axiomata positis, quæ obscuriora sunt breviter perstringam. Quæritur imprimis quænam fides Ethnicorum Hiberniæ traditionibus, a Cennfaoladio vel Forcherno servatis, adhibenda sit, cum omnium fere barbarorum narrationibus commune sit vitium, quod temporum rationes ignorarint, neque anni initium vel finem, vel mensium ordines distinguere aut percipere possent, donec Christiana fide edocti, e tenebris et ex umbra mortis eriperentur.—Respondeo, Ethnicos Hibernos, Druidum institutis imbutos, celebrasse *omni anno* diem dictum *La-Baaltinne,* et noctem dictam *Oidhche Samhin,* i. e. diem Ignis Baalis, et noctem Samhini; ac proinde *spatia temporis, et dies natales, et mensium et annorum initia observasse,* uti referunt Cæsar et Plinius, et viscum *sexta luna* collegisse, *quæ principia mensium annorumque eis fecit, et sæculi post tricesimum annum,* ut supra notavi.(2)

Adjungo insuper, annum integrum in quatuor *Rathas,* i. e. Cursus, divisisse; quarum primam appellabant *Samhin Ratha,* Samnii Cursum, incipientem ab *Oidhche Baal tinne,* i. e. a nocte Baalis ignis, quæ, quamvis hodie, a vulgo Hibernico, ad noctem Kalendas Maias præcedentem referatur, olim tamen, antequam tempus Quadragesimale Æquinoctii Sacrificiis obstacu o esset, ad Æquinoctium Vernale ab ipsis Ethnicis referebatur.—Id patet non solum ex

(1) Plin. Præf. ad Hist. Nat.
(2) Vide supra p. xxix, et seq. et Vitam Veterem S. Mocthei c. 9.

Jocelino, qui sæculo XIImo, et ex Probo, qui sæculo Xmo S. Patricii Vitam conscripsit, verum ex vetustissima Vita 2da ejusdem, partim Latine partim Hibernice, a quodam S. Patricii Discipulo scripta, et ex Codicibus vetustis Hubertino et Alnense edita in Triade p. 5. Auctor enim iste, æque ac Probus et Jocelinus, narrat Laogarium Regem, et Druidas, Baalis festivitatem ignibus eadem nocte celebrasse, qua S. Patricius Vesperas Paschæ celebravit, anno D. 433.—" *Is isind aimsir sind am do righnedhned Feis Temrathi la Laogaire mc* " *Neill, 7 la firu Ereann.*" [Et fuit tempore isto tempus quo celebrabantur Comitia Temorensia per Laogarium filium Nialli, et per viros Hiberniæ.] " Congregatis igitur Regibus et Ducibus ad illum Loegaire Regem, *eadem* " *nocte* qua S. Patricius Pascha, illi festivitatem exercuerunt suam. Statu- " tum autem apud eos erat ex edicto, ut quicumque in cunctis regionibus, " sive longe sive juxta, illa nocte ignem prius accenderet quam in Palatio " Temoriæ (lege in *Colle Sacro Magnæ Domus*) accenderetur, morte dam- " naretur." (1)

His positis, si primum Pascha quod in Hibernia celebravit S. Patricius, cum Æquinoctio Vernali concurrisse demonstraretur, Baalis festivitatem tum ab Ethnicis celebratam fuisse eo ipso pateret. Jam vero in *quinto Loegere anno, exorsum esse Patricium prædicare* scribit Ninius. Alii quidem anno ejusdem Regis *quarto*, eum in Hiberniam venisse declarant. Conciliantur autem omnes, si cum Usserio dicamus, Patricium Hiberniam adiisse *sub exitum* anni 432, anno Laogarii *quarto*, et Evangelium ibidem annunciare cæpisse *ineunte Laogarii quinto*, i. e. A. D. 433.

---

(1) Auctor hic vetus voces Hibernicas *Grianan Teamor-Raithi* interpretatur, non ad literam, sed late, *Palatium Temoriæ*, cum re vera significet *Solis Collis Sacer Magnæ Domus*, ubi Comitia, et Ludi, et Sacrificia Druidum statutis diebus omni anno celebrabantur.—Vide vocem *Grianan* in Vocabulario, et quæ de Ludis dicta sunt passim in Annalibus, et in Prolegom. a p. lxxvii ad lxxx, et xcvi, et Annal. Inisfal. a p. 124 ad finem. Confer notam sequentem, et Annal. IV M. ann. 3460.

Atqui Pascha incidit anno 433 in diem 20 Martii, Æquinoctio proximum. Ergo Festum Solemne Baalis incidit in Æquinoctium Vernale, unde Ethnici Hiberni primam anni *Ratham* auspicabantur.(1)—*Ratha* secunda dicebatur *Fogh-mhoir Ratha*, i. e. Hilaritatis, seu Conviviorum Magnorum Cursus, incipiens a Solstitio Æstivo, quo 2dum solemne Baalis festum celebrabatur, diem circiter 24tum Junii, quo tempore usque hodie Baalis ignes, in omnibus fere Connaciæ regionibus, a vulgo omni anno accenduntur. Durabat Ratha ista, æque ac prima, 3 mensibus, usque ad *Oidhche Samhin*, i. e. Noctem Dei Samnii, sive Æquinoctium Autumnale, quo tempore etiamnum nox ista pluribus Ethnicorum ritibus celebratur.(2)—*Tertia*, incipiens a nocte ista, dicebatur *Geimh-Ratha*, i.e. Captivitatis Cursus, sive Tempus Hyemale, cum omnia rigebant, et veluti vinculis capta tenebantur. *Quarta* dicebatur *Iar-Ratha*, hodie corrupte *Earrach*, i. e. postremus anni Cursus, incipiens a Solstitio Hyemali, et desinens in Æquinoctio Vernali, a quo anni initium auspicabantur.

Cormacus Casselensis Eps. qui sæculo nono Glossarium suum Hibernicum composuit, a doctissimo Lhuydo ex vetere Codice Hibernico membraneo

(1) O'Brianus in Præfatione ad Vocabularium suum Hibernicum fatetur se Kalendas Maias *La-Beal-tinne* appellasse, non quod antiquitus festum Baalis in Kalendas Maias inciderit, sed quod hodie a vulgo communiter, sed improprie, Kalendæ Maiæ appellantur.

(2) *Samnii* Festum sæpe occurrit in Annalibus, ut in Tigernachi Codice Bodleiano Rawl. 488, fol. 5, col. 1, lin. 13. Confer Prolegom. p. lx, lxvi, et a p. lxxvii ad lxxxi, ubi ex pluribus Codicibus vetustis, æque ac ex Tigernacho et IV Magistris, patet Cormacum, Regem Ethnicum Hiberniæ, anno D. 244 exegisse a Lageniensibus tributum, quod imposuerat prædecessor ejus Tuathalius, "propter "30 Regias filias, et 30 famulas spectantes ad singulas earum, quas, in *secessu mirabili* prope Te-"moriæ Regiam habitantes, nefando sacrilegio occiderat Dunlangius Rex Lageniæ, *nocte Solemnita-"tis Dei Samnii.*" Vide etiam Prolegom. p. xcvi, ubi de Idolo *Crom-Cruach*. Keatingus recte inquit exercitus veteres Hibernorum in Hiberna secessisse *o Oidhche Samhain co Baaltinne*, [i. e. a nocte Samhini usque ad ignem Baalis] quæ fuit *pars anni Hyemalis*. Edit. Lond. p. 269. Confer O'Briani Vocabular. Hibern. voce *Samhin*, et Codicem Stowensem *Dinseanchusa* fol. 17, col. 1, lin. 23, et Annal. Buell. MS. in Cotton. Titus A xxv, fol. 32, col. 2, lin. 6, et Annal. Ult. ann. 776 et 780, et IV Mag. ann. 777, 790, 794, &c.

descriptum, et adhuc in alio vetere membraneo extans in Bodleiano, sed mutilum, (1) has anni divisiones inter Ethnicos Hibernos solemnes fuisse ostendit, et annuis ignibus celebratas. "*Da teinne soinmech do gnitis na Dru-*" *ithe con tincetlaib moraib foraib*, 7 *do berdis na ceatra eatarru or tomandaib* "*cecha bliadhna.*" [i. e. Duos ignes solemnes accendebant Druidæ cum incarnationibus magnis supra eos, et conducebant armenta inter eos, ad transeundum per eos ignes omni anno.] (2)

Hinc porro chronologicæ Rationes, quarum vestigia in Ethnicorum Hiberniæ Regum Nomenclatura apparent, originem habuisse censendæ sunt. Quatuor anni tempora, ope lapidum, quos in Collium Sacrorum apicibus erigebant, et ope Turrium quos *Fiadh-Neimhe*, i. e. Indices Cœli, appellabant,(3) facillime ex Solis umbra definiebantur. Hi Colles, ideo Sacri habiti, *Rathæ* a vulgo dicuntur usque in hodiernum diem. *Rath-Cruach-an*, i. e. Collis Sacer acervi circularis, Arx Regia Connaciæ, *Tea-mor-Rath*, i. e. Domus Magnæ Collis Sacer, Arx Regia Midiæ, totius Regni præcipua, *Rath Emain Macha*, i. e. Collis Sacer Eamaniæ Campi, Arx Regia Ulidiæ, *Rath Cais-il* sive Collis Sacer Lapidis Vectigalium, Arx Regia Momoniæ, (hodie *Cashel,*) et *Rath Al-maine*, i. e. Collis Sacer Saxi Divitiarum, Arx Regia Lageniæ, a vulgo adeo Sacræ habentur, ut usque hodie piaculo credant, Rathas istas ligone vel vomere violare, et Heroum veterum phantasmata aliquando ibi apparere existimant; et Patrum antiquorum umbræ, et Genii Hiberniæ, nunc tristi et lugubri, alias vero hilari et jucundo concentu Hibernorum res adversas vel prosperas in istis *Rathis* decantare, et fatidico futurorum vaticinio præmonere creduntur.(4)

---

(1) Vide Codicem Laud F 95, fol. 79, &c.

(2) Vocabular. Hibern. O'Briani, voce *Bealtinne* e Codice Lhuydiano prædicto.

(3) Annal. IV Mag. ad ann. C. 898 et 995.

(4) Plane errat Ledwichius, qui Hibernorum veterum *Rathas*, sive Colles Sacros, a Danis construc-

Hinc jusjurandum solemne usque hodie *Rath* dicitur. IV Magistri ad ann. 457 inquiunt, "*Cath Atha-dara ria Laignibh for Laoghaire mc Neill.* "*Ro gab don Laogaire isin cath sin,* 7 *do* rad *Laoghaire* ratha *Grene* 7 *Gaoi-* "*the,* 7 *na n Dul do Laignibh nach tiocf forra tria bithin ara legaidh udha.*" [i.e. Prælium Vadi Quercuum gestum a Lageniensibus contra Laogarium filium Nialli. Captus est autem Laogarius in prælio isto, et juravit Laogarius *jusjurandum* Solis, et Venti, et Elementorum, Lageniensibus, non venturum se contra eos durante vita ad intentum istum,] nempe ad tributum boum erogandum, quod prælio isto præbuit occasionem. Postea, paucis interjectis, ejusdem Laogarii obitum ex Ethnicorum relationibus his verbis enarrant ad ann. 458—"*Atbath ittaob Caissi edir Er* 7 *Albain, ·i· da cnoc iad sein filet in* "*uib Faolain,* 7 *Grian* 7 *Gaoth ros marbh somh, ar ro saraigh iad, con idh do* "*sin atbert an Fili—Duile De ad raegaid* raith—*tuc sat dail in bais for san* "*righ.*" [Occisus est in regione Cassiæ, inter Hiberniam et Albaniam, i. e. duo colles sunt isti, qui sunt in regione Faolan, et Sol et Ventus occiderunt eum, nam temeravit eos, atque ideo cecinit Poeta vetus—Elementa divina, quorum violavit *jusjurandum*—inflixerunt decretum mortis in Regem.] Eandem narrationem Ethnicam, iisdem fere verbis, servaverunt, ex vetustis Carminibus, Tigernachus, Annales Inisfalenses, Ultonienses, et Buelliani.

Neque solum anni in 4 partes divisionem, et initium ab Æquinoctio Vernali, verum et hebdomadum etiam rationes, Ethnicis Hibernis haud ignotas fuisse, patet ex dictis supra p. xxxii.

Quo itaque argumento Ethnicorum Regum Hiberniæ vetustis Catalogis, a sæculo VI conservatis, et longe antea traditis, fides deneganda erit, si vetustioribus Græcorum aut Romanorum calculis ulla fides adhibenda est?

---

tas esse declarat, proprias conjecturas pro Hiberniæ antiquitatibus dogmatice obtrudens, quibus linguæ Hibernicæ ignaris, fucum faceret. Antiquities of Irel. p. 184.

Quo enim alio fundamendo nituntur?—Omnis Græcia, usque ad Alexandri tempora, popularem annum ad lunæ curricula, ab anni tropici periodo aliena, direxit; et quamvis paulatim annum istum reformaverint docti, varios excogitantes Cyclos, uti refert Geminus, tanta tamen labe, tot Cyclis et emendationibus, annum civilem affecerunt, ut Hellanicus, qui 12 tantum annis Herodotum præcessit, nullam aliam supputandi methodum habuerit, quam eam qua cuique hominum generationi tot annos tribuerat, quot tribuendos esse ex vulgari opinione existimavit; neque Olympiadum ratio in Historia conscribenda habita est, usque ad tempora Timæi Siculi, qui primus, Olympiade 129, ante C. 264, ex quadruplici Catalogo, Ephorum nempe, Archontum, Regum Lacedemoniorum, et Sacerdotissarum Argivensium, successiones Regum, a Trojæ excidio, cum quarto quovis Olympiaco anno conciliare tentavit. (1) Quod si id ex quovis Olympico ludo quodammodo efficere poterat, ignorare me fateor, cur Hiberni veteres, præsertim postquam Britannia Romanis cesserat, cognitis successionibus Imperatorum, quos *Mundi Reges* appellabant, non potuissent Regum suorum successiones ad annuos *Baalis* ignes, et annuos Ludos *Taltinenses* et *Temorenses* pariter accommodare.(2) Hi enim Ludi non minori frequentia nec minori Druidum solemnitate in Hibernia celebrabantur, quam Ludi Olympici in Peloponneso. (3)

Atqui id eos revera effecisse, patet ab intrinseco, ex ipsis Regum Ethnico-

---

(1) Anni Olympici non memorantur in lapidibus Arundelianis, post Alexandri ævum insculptis.

(2) " Foreigners may imagine that it is granting too much to the Irish to allow them lists of " kings more ancient than of any other country in modern Europe. But the singularly compact " and remote situation of that island, and its freedom from Roman conquest, and from the concus- " sions of the fall of the Roman Empire, may infer this allowance not too much." Ita vir doctus, sed Hibernicæ Historiæ, et Hibernorum doctrinæ et ingenio, iniquississimus, Pinkertonus. Enquiry into the Hist. of Scotland, Lond. 1789, vol. 2, p. 50.

(3) Vide Annal. IV Mag. ann. M. 3370, 3502, et C. 894, et Prolegom. p. lix, a lxxvii ad lxxx, xciii, &c. Annal. Ult. ann. 454, 461, 467, 469, 470, 554, 557, 559, 564 not. 4, 1006, 1120.

rum Catalogis, in quibus non modo totius Hiberniæ Regum, verum et quatuor Provinciarum successiones, et genealogiæ, ita exhibentur, ut, data periodo annorum 500 ante adventum S. Patricii, (1) quintuplex ista Catalogorum collatio, successiones prodat, easdem fere numero, eadem sæculorum periodo; quæ convenientia non aliunde quam ex ipsa veritate poterat derivari.—Erravit Timæus tot annos tribuens cuique successioni Regum quot cuique generationi hominum. Si autem Ethnicis Hiberniæ Regibus tot annos tribuamus, quot Regibus Christianis tribuendos esse, de certo cognoscimus, res erit ex ipsa humanæ naturæ conditione manifesta.—Atqui Regum Christianorum certissima successio, ex omnibus Annalibus et Scriptoribus metricis antiquis simul collatis desumpta, hæc est:—

Catalogus Chronologicus Regum Christianorum Hiberniæ.

1. *Laogaire mac Neill* regnavit ab anno 428, annis 35, ad ann. 463
2. *Alildus Molt mac Nathi* ab anno 463, annis 20, ad ann. 483
3. *Lugdach mac Laogaire* ab anno 483, annis 25, ad ann. 508

Interregnum annorum quinque, ad ann. 513

4. *Muircertach mc Muiredhaicc, mc Eoghain, mc Neill,* dictus a matre *Muircertach mac Earca,* ab anno 513 annis 21, ad ann. 534

Auctor vetus Vitæ Brigidæ inquit, "anno ætatis suæ 80, anno vero 30 post obitum S. "Patricii, *regnante in Temoria* Regum Hiberniæ *Murcertacho filio Ercæ,* cui successit in regno *Tuathal Maelgarb,* primo autem anno regni Justiniani Imperatoris, "(lege *Justini,*) sedente in Sede Apostolica Papa Hormisda, S. Brigida obiit." Usser. Primord. p. 883, et Annal. IV Mag. p. 134.—Erca mater Murcertachi filia erat Loarni Regis Albaniæ. Vide Annal. Ult. et IV Mag. Annal. pag. 110.

(1) Vide quæ de anno et de veritate Missionis S. Patricii dicta sunt, ex Scriptore coævo Vitæ S. *Gertrudis* apud Mabillon. sæc. 2, p. 462, ex Cyclo S. Patricii, ex Cumeneo, Adamnano, Beda, et Alcuino, et ex Antiphonario Benchorense annorum mille adhuc extante, Prolegom. p. xlviii.

i. e. Diarmitius I, *annis xxi.* Conveniunt cum vetustis Carminibus et Annalibus Hibernicis Usserius, Waræus, et Flaherteus, qui Diarmitium a Laogario *sextum* recte statuunt, et annis xxi regnasse declarant.—Adamnanus, qui obiit annis 27 antequam Beda Historiam scriberet, eum appellat *Diarmitium filium Cerbhuill, totius Scotiæ* (i. e. Hiberniæ) *Regnatorem, Deo Auctore ordinatum,* (1) i. e. more vetero inauguratum et inunctum. (2) Adjungit S. Columbam *anno 2do post Cuiledrebhne bellum, ætatis suæ xlii, de Scotia*(3) *ad Britanniam primitus enavigasse.*—Et quidem, *Regis Diarmitii insidias declinantem,* post prælium istud, ex Hibernia Hionam enavigasse, narrat ineditus ejusdem Vitæ Scriptor apud Usser. p. 604 et 902; unde, cum prælium *Cuiledreibhne* gestum fuerit anno 561, ut patet ex Annalibus Ultoniensibus, sequitur Columbam ex Hibernia primitus enavigasse, regnante Diarmitio, anno 563, vel 562 exeunte, si prælium gestum fuit, ut mihi videtur, ineunte anno 561. Columba enim biennio citius Hionam adiit, et biennio diutius ibi commoratus est, quam Beda narrat, qui in his, ut in aliis, Annalium nostrorum ope corrigendus est. (4)
Stemma duxit Diarmitius a Conallo, Nialli Magni filio, de cujus Posteris S. Patricius de tota Hibernia regnaturos prædixisse narratur a Jocelino c. 53, et a Benigno longe vetustiore, in vita 3tia c. 43. Regnante porro Diarmitio, Temoriæ Arx, a S. Ruadano maledicta, desiit esse sedes Regia, et Regni sedes ad alium collem haud procul a Temoria situm translatum fuit, unde Hymnum vetus Hibernicum, Fiecho Sleibhtiensi tributum, regnante Diarmitio scriptum fuisse opinor, cum Auctor de Temoria deserta vel tum deserenda tanquam de recenti eventu sibi parum grato conqueratur "*nim* "*dil cidh ditrubh Temair.*" [non mihi gratum quod Temoria deseratur.] (5)

(1) Adamn. l. 1, c. 36.

(2) Sic "Columba *Aidanum in Regem ordinavit,* imponensque manum super caput ejus, ordinans benedixit." Adamn. l. 3, c. 5.

(3) "De *Scotia,* sive ut MS. meus eodem sensu habet, *de Hibernia.*" Usser. Primord. p. 694.

(4) Vide Prolegom. a p. cxxxv ad clviii.

(5) Vide Annal. Ult. ad ann. 564.

7\. *Feargus 7 Domhnall da mac Muircheartaicc mc Earca,* i. e. Fergusius et Donaldus I, duo filii Murcertachi filii Ercæ, filiæ Loarni, *anno uno.* Vide Annal. Ult. ann. 565. .. 566
Horum Regum meminit his verbis Adamnanus,—" Eadem hora qua in Scotia com-" missum est bellum quod Scotice dicitur *Monamoire,* (anno 563, ut in Annal. Ult.) " idem homo Dei, coram Conallo Rege filio *Comgill* in Britannia conversatus, per " omnia enarravit, tam de bello commisso, quam de illis Regibus quibus Dominus " victoriam condonavit: quorum propria vocabula *Ainmerius filius Setni,* et *duo filii* " *Maic Erce, Donallus et Fergus.*" (1)—Ex hac narratione plane sequitur, IV Magistrorum calculos ad Ultoniensium Annalium normam esse emendandos, ut in notis passim appositis declaravi. IV Magistr. Annal. p. 164, n. 1.

8\. *Eochoid mac Domhnaill mc Muircheartaicc mc Earca, 7 Baotan mac Muircheartaicc mc Earca,* i. e. Eochodius filius Donaldi I, et Baotanus I filius Murcertachi filii Ercæ, filiæ Loarni, *annis ii.* IV Mag. ann. 563, æræ com. 568................ 568
Sociatum hunc Imperium Anmirei Imperio successisse, scribunt Waræus et Usserius, qui Anmireum a Laogario *octavum* erronee numerant, cum fuerit *nonus.*—Confer Annal. Ult. ann. 571 et 572 cum anno 565.
Horum Regum meminit Adamnanus l. 1, c. 12. " De duobus aliis regnatoribus qui " duo nepotes Muredachi vocitabantur, &c........... *Baitanus filius Mac Erce* et " *Eochodius filius Donail,* Reges Scotiæ, ab Inimicis decapitati," &c. Clientelæ erant Eogani, ac proinde ex O'Niallis Septentrionalibus Arcis Alichiæ orti.

9\. *Ainmireach mac Sedhna, mc Fergusa Cennfhoda, mc Conaill Gulbain, mc Neill, annis iii.* Hujus Regis meminit Adamnanus, uti supra No. 7. 571
Conveniunt in *annis tribus* Usserius et Waræus, æque ac Flaherteus, et IV Mag. ad ann. 566, æræ com. 571. De eodem Rege agunt Scriptores Vitarum Colmani Elo et Gildæ ex Bibliotheca Floriac. c. 9 et 10, et Caradocus in Vita Gildæ. Confer Annal. Ult. ann. 572, et corrige notam ad Annal. IV M. ann. 568, juxta dicta in nota ibidem ad ann. 656, p. 214, ubi Anmirei genus recte exprimitur.

10\. *Baotan mac n Indedha, mc Fergusa Cennfhoda, mc Conaill Gulbain, mc Neill,* sive Baodhanus II, *anno uno* 572

(1) Adamn. ibid. l. 1, c. 7.

Hunc Regem omittunt Annales Ult. et Waræus, æque ac Usserius. Sed vetustiores Catalogi Metrici *annum unum* ei tribuunt. Vide IV Mag. ann. 567, æræ com. 572.— Vetus Scriba qui, sæculo XI, Aengusii Colidei Opera descripsit, ex Codice *Psaltar na rann*, cujus extat exemplar annorum 600, in Codice Bodleiano Laud F 95, fol.75, inquit, " nullum Regem Hiberniam tenuisse post Patricium, nisi ex semine Herimo-" nis, exceptis duobus, *Boetan* et *Brian*. Sed alii Boetanum inter Magnos Reges " non numerant." Catalogi veteres sic conciliantur.

11. *Aodh mac Ainmirech*, sive Aodhus I, *annis xxvii*. Annos tantum 26 ei tribuunt Waræus et Usserius. Occisum vero a Brandubio Rege Lageniæ *iv Id. Jan.* ætatis suæ 66, conveniunt omnes; quæ notæ, cum aliis characteribus collatæ, regnasse indicant annis 27, et occisum fuisse exeunte anno 598, ut in Annal. Ult. ann. 597, et in Annal. IV Magistr. ann. 594, æræ com. 599, p.178 n.1, et p.214 n.2. 598-9
Hunc Regem sæpe memorat Adamnanus, ut l. 1 c. 10, 11, et 49. " Post Regum " in *Dorso-Cette* condictum, *Aidi* videlicet *filii Ainmireach*, et Aidani filii Gaurani." Colganus eum Aodhum II appellat, quia alius fuit Rex Ethnicus Hiberniæ *Aodhus Rufus* filius Badorni, qui ante conditam Eamaniam regnasse narratur.

12. *Aodh Slaine mac Diarmada, mc Fergusa Cerrbheoill*, i. e. Aodhus II, et *Colman Rimedha mac Baodhain*, i. e. Colmanus filius Baodani I, *annis vi*, ... 605
His Regibus annos sex recte tribuunt Waræus et Usserius, sed ambos Diarmitii I filios fuisse, erronee declarant. Vide IV Mag. ann. 600, æræ com. 605.

13. *Aodh Uairiodneach mac Domhnaill, mc Muircheartaicc, mc Earca*, i. e. Aodhus III, filius Donaldi I, *annis vii*, ut in Annal. IV Mag. ad ann. 607, æræ com. 612........ 612
Usserius recte inquit Aodhum III obiisse anno 612. Errat vero ubi hunc Aodhum *Allanum* appellat, cum *Allanus* pluribus postea annis regnaverit ab ánno 734 ad 743.—Occubuit, non Temoriæ ut scribit Waræus, sed in prælio apud *Ath-da-ferta*, hodie Ardee, ut in IV Mag. Annal. ann. 607.

14. *Maolcobha an Cleireach, mc Aodha, mc Ainmireach*, i. e. Maelcobhaus Clericus, filius Aodhi I, non vero Aodhi III, ut scribunt Waræus et Usserius, *annis iii* 615
Aodhus I is est Anmirei filius, a Brandubio Rege Lageniæ occisus, cujus meminerunt Vita Maidoci, sive Aedani Fernensis, c. 25, et Vita S. Coemgini c. 20, et Acta Heroica Brandubii, Authoribus S. Aidano et Brogano Pio, quæ MS. habuit Colganus, ut ipse

testatur in Actis SS. p. 89, n. 5, qui tamen eum *Aidum II* appellat, juxta dicta supra No. 11. Memoratur etiam in Actis Synodi Dromchettensis ibid. p. 204. (1)

15. *Suibhne Meann, mac Fiachna, mc Feradaig*, i. e. Subneus Illustris, filius Fiachnai, filii Feradagi fratris Murcertachi mc Earca, *annis xiii* 628
Usserius perperam scribit Subneum filium fuisse *Mendi*, cum *Meann* fuerit ejus cognomen. Waræus item erronee eum appellat filium *Fiacri*. Vide Annal. IV Mag. ad ann. 610, æræ com. 615, et ad ann. 623, æræ com. 628, et ad ann. 656.

16. *Domhnall mac Aodha mc Ainmireach*, sive Donaldus II, filius Aodhi I, *annis xiv*, ... 642
Obiit placide apud *Ardfothaig* Regiam suam, anno 642, ut prædixit Columba. Adamn. l. 1, c. 10, et l. 3, c. 5. Confer Annal. Ult. ad ann. 641. Auctor vetus Vitæ S. Fechini inquit eum venisse cum exercitu ingenti, *vivente Fechino*, "ut antiquam quæ "erat inter regiones utriusque gentis O'Nellorum divisionem mutaret, et regiones illas "denuo mensuraret, ut æquius dividerentur, unde expeditio ista Scotice vocabatur "*Sloigheadh an mhcich*, i.e. Expeditio Mensuræ. Domnaldus enim erat ex Aquilona-"ribus O'Nellis, ex stirpe *Conalli Gulban*. Contra eum, in loco qui *Druimnua* ap-"pellatur, filii *Aidi Slaine*, Duces Australium O'Nellorum, seu Midensium, collegerunt "alium exercitum," &c. Habuit nempe Niallus Magnus octo filios, quorum quatuor, *Laogarius*, *Conallus-Crimthann*, *Fiachus*, et *Manius*, manserunt in Midia, eorumque posteri dicti sunt *O'Nialli Australes*; alii vero 4, *Conallus Gulban*, *Eogan*, *Cairbre*, et *Enna*, in Septentrionales Hiberniæ partes profecti, amplas regiones ibi occupaverunt, quas eorum posteri *O'Nialli Septentrionales* ad nostra ferme tempora possederunt. Inter has familias, etsi cognatas, propter Regni gubernacula et æmulas prærogativas, plurima dissidia orta continuis bellis originem præbuere.

17. *Ceallach* et *Conal Cæol*, duo filii Maelcobhæ Regis filii Aodhi I, Sociato Imperio, *annis xii*, et deinde *Conallus* solus *annis iv*. Annal. IV M. ann. 656, n. 1......... 658
Ceallacho interfecto a Diarmitio filio Aodhi Slanensis anno 654, regnavit solus *Conallus* annis iv, usque ad annum 658. Errat Waræus scribens *Conallum* a Diarmitio in-

(1) Ex hoc Catalogo emendandæ sunt rationes chronologicæ Annalium IV Magistrorum, Colgani, Waræi, Linræi, et Usserii, ut patet ex Eclipsibus passim memoratis a Tigernacho, et ex annis Pontificum et Imperatorum, quos cum Regum Hibernorum annis collatione chronologica conjungit.

terfectum, et *Ceallachum* postea regnasse. Usserius huic regno tribuit *annos* 16, et recte, si Conalli anni numerentur. Vide IV Mag. Annal. ad ann. 656, n. 2.

18. *Diarmitius II* et *Blathmacus* filii Aodhi Slanensis, i. e. Aodhi II, *annis septem*, ... 665

Obiere ambo in mortalitate magna anni 665, de qua vide Prolegom. p. cxxxv, et Annal. Ult. ann. 664. Annos *octo* eis tribuit Colganus, et obiisse inquit anno 664. Annales vero Ultonienses æram communem uno anno antevertunt, et hi Reges e mortalitate, quæ incæpit anno 664, obiere anno 665. Annal. IV Mag. p. 220, n.1.

19. *Seachnasach mac Blathmaic mc Aodha Slaine, annis vi*, ... 671

Obiit interfectus a Duibduino Rege Coirpriæ, sub initium hyemis anni 671, ut in Annal. Ult. ad ann. 670, IV Mag. 669, æræ com. 671.

20. *Cennfaoladh mac Blathmaic annis* 4. IV Mag. 673, Annal. Ult. 674, æræ com. 675

21. *Fionachta Fledach mac Donnchadha, mc Aodha Slaine, annis xx*, ... 695

Is annuum boum tributum, *Boruma* dictum, quod prædecessores sui a Lageniensibus erogare solebant, impetrante S. Molingo, libere remisit. Occisus est autem die 14 Novembris, anno 695, ut in Annal. IV Mag. 693, Ult. 694, æræ com. 695.

22. *Loingseach mac Aongusa, mc Donnchadha, mc Aodha Slaine, annis ix*, ... 704

Fuit is Finachtæ Regis ex fratre Oengusio nepos, a Ceallacho Ragallachi filio Connaciæ Rege occisus in prælio, cum tribus filiis suis, non anno 703, ut scribit Waræus, qui annos tantum octo ei tribuit, sed anno 704, ut patet ex consentiente narratione Tigernachi et Gildæ Modudii, qui eum *die Sabbati* occisum fuisse aiunt 4 *Id. Julii*, ac proinde anno 704, ut in Annal. IV Mag. p. 235 n. 2, et p. 238, ann. 701, æræ com. 704, non vero ut in Annal. Ult. ann. 702, æræ com. 703.

23. *Congal-Cennmagair mac Fergusa-Fannaid, mc Domhnaill, mc Aodha Slaine*, i. e. Congallus Promontorii Magarensis, *annis vii*, ut in Annal. Ult. p. 69, n. 3. 711

Longsechus Rex erat Donaldi prædicti, nempe 2di, pariter nepos, sed ex alio filio *Enna*, sive Aengusio.—De eo vetus Poeta scribit—

" *Congal Cinn-magair maith* Ri—*Bliadhain da bliadhain fo* tri
" *D' Erinn gan cogadh gan* cath—*Fa Ri sona seacht bliadh*nach."

Congallus Cinnmagarius bonus Rex—anno et bis tribus annis
Hiberniæ Rex fuit, sine bello sine prælio—Regno prospero septem annorum.

Waræus ejus obitum perperam refert ad ann. 710, et Temoriæ seu Midiæ Regem

fuisse narrat, cum e Niallis Septentrionalibus fuisse pateat ex cognomine Cenmagar, qui-locus est in Tirconnallia, ut patet ex Annal. IV Mag. ad ann. 919. Synodum in Hibernia hoc Rege celebratam fuisse, Præsidente Flanno Archiepiscopo Ardmachano, et præsente Adamnano et aliis 40 Episcopis, indicant Acta istius Synodi MS. apud Colgan. in Actis p. 454. Sed vereor ne sincera, cum tempus Synodi, annum circiter 695, Congalli regnum præcedat. (1) *Annis vii* regnasse consentiunt omnes.

24. *Fergal mac Maoileduinn, mc Maelfithric, mc Aodha Uairiodnach, annis xi,* 722
Obiit, juxta Tigernachum, 3 *Id. Dec.* i. e. die 16 Decembris *feria vi,* quæ notæ indicant ann. 722, quo occisus est in prælio *Almuine.* Carmen vetus, cui initium *Cruachan Chonnacht Rath co Rath,* inquit Innrachtachum Donnchadi filium Connaciæ Regem in eodem prælio occisum fuisse, quem tamen alibi interiisse indicant IV Mag. ad ann. 705. De obitu Fergali vide Annal. Ult. p. 77, n. 5, ad ann. 721.

25. *Fogartach mac Neill, mc Cethernaig-Sotail, mc Diarmada, mc Ferghusa Cerbheoil, uno anno* et paucis mensibus. A Cennetho successore occisus in prælio Cindelgense anno 724, ut in Annal. Ult. ann. 723, æræ com. 724

26. *Cionaoth mac Iorgalaigh, mc Conaing-Carre, mc Congalaig, mc Aodha Slaine, annis tribus,* ut in Annal. IV Mag. p. 252 n. 1, ... 727-8
Avus ejus *Conangius* erat Diarmitii Regis e fratre Congalagio nepos. Obitum refert Waræus ex Annal. Ult. ad ann. 728. Occubuit autem in prælio de *Druim-Chorcain,* ut in Annal. IV Mag. ad ann. 722, æræ com. 727-8.

27. *Flaithbertach mac Loingsigh, mc Aongusa, mc Donnchadha, mc Aodha Slaine, annis vii,* ut in Annal. Ult. 733, æræ com. 734
Sex annos tantum ei tribuit Waræus, qui tamen recte inquit eum Regno abdicasse anno 734. Diadema enim Cucullo commutavit Ardmachæ anno isto.

28. *Aodh Allain mac Fergail, mc Maoileduinn, mc Maelfithricc, mc Aodha Uairiodnach,* sive Aodhus IV, *annis ix,* 743
Anno 4 Regni ejus gestum est prælium *Uchbhadense,* die 14 *Kal. Sept. feria 3tia,* juxta Tigernachum; quæ notæ indicant ann. æræ com. 738. Occisus est autem in prælio apud Kells, anno 743, ut in Annal. IV M. p. 264, ad ann. 738, æræ com. 743.

---

1) Vide de hac Synodo IV Mag. Annal. ad ann. 664, 688. De Congalli annis vide ibid. ad ann.., ubi pro Congallo *Sine-Matre,* lege Congallo Cenmagarense.

29. *Domhnall mac Murchadha, mc Diarmada, mc Airmedach, mc Conaill Gathbhinn, mc Suroin, mc Colmain, mc Diarmait,* i.e. Donaldus III, qui fuit sextus a Colmanno Magno filio Diarmitii I, *annis xx.* Annal. IV Mag. p. 140 n. 3, et 157 n. 3....... 763
Obiit 12 *Kal. Decembris*, in peregrinatione apud Hionam, ut in Annal. Ult. ann. 762, et in Annal. IV M. ad ann. 758, æræ com. 763. Sepultus est autem Duruagiæ in Hibernia. Regnante Donaldo Dani Hiberniam primum infestare cæperunt, anno 748, ut in Annal. Ult. ann. 747. Confer ann. 794, æræ com. 795.

30. *Niall-Frossach mac Fergail mc Maeleduin,* alias Niallus II, Aodi IV sive Allani frater, *annis vii,*.. 770
Regno abdicans anno 770, Monasticam vitam amplexus est, obiitque apud Hionam, ibique sepultus est, anno peregrinationis octavo, Christi 778, ut in Annal. IV Mag. ann. 765, æræ com. 770.—Annos 15 ei tribuit Waræus, qui peregrinationis annos cum annis regni perperam conjungit.

31. *Donnchadh mac Domhnaill mc Murchadha,* sive Donnchadus I, filius Donaldi III, natus anno 733, *annis xxvii,* ab anno 770, ut in Annal. Ult. ann. 796, et in Annal. IV Mag. pag. 305 et 322, anno 792, æræ com. 797
Eo regnante ora Hiberniæ maritima Danos primum infestare cæpisse, scribunt Waræus et Flaherteus, sed erronee, ut supra No. 29. Annos tantum 19 ei tribuit Waræus. Hic est Dunchadus Rex Hiberniæ quem Ængusius, in primo Prologo Festilogii sui Metrici, paulo antequam Opus istud absolveret obiisse declarat.

32. *Aodh Oirdnidhe mac Neill Frassach,* sive Aodhus V, *annis xxii,* ut in Annal. IV M. ad ann. 817, n. 1.. 819
Aodhus VI appellatur a Colgano, qui annos 25 ei perperam tribuit. Eo Rege, Dani iterum anno 798 Ultoniam et Insulas adjacentes infestarunt, et Hiberniam ingressi annis 807 et 812, demum, Duce Turgesio, fixas ibi sedes maritimas statuerunt anno 815. Eodem regnante, Ængusius Colidæus Festilogium suum Metricum composuit, cum ante composuisset Prosaicum, ut patet ex Carmine Hibernico alterius Ængusii Abbatis Cluainfertensis Moluæ, cujus obitum referunt IV Magistri ad ann. 858, itemque ex veteri Ængusiani Festilogii Scholiaste, in Codice Bodleiano Laud F 95. Vide supra p. lxv et lxxvii. Aodhum hunc ad vada de Athaferta in *Tirconallia* occisum fuisse scribit Waræus, cum scribere debuisset in *Conallia-Muirthemne.* Confer Annal Ult. ann. 816.

Annos tantum 12 ei tribuunt Waræus et alii; at Flaherteus annos 14 ei recte tribuit. Vide Annal. IV Mag. p. 833, n. 1. Obiit anno 833, quo ejus successor Niallus Danos prælio superavit. Vide Annal. Ult. ann. 832.

Cognomen Calne Waræus interpretatur gracilis, sed erronee, cum vox *caol* gracilis, diversa sit a voce *Cailne.* Obiit nempe Niallus submersus in flumine *Callinæ,* ut in Annal. Ult. ad ann. 845, æræ com. 846.

Turgesium Rex iste superavit et submersit, et Legationem ad Carolum Calvum mittens, munera ab eodem retulit annum circiter 864. Obiit die 30 Novemb. *feria* 3, ut in Annal. IV Mag. ann. 860, æræ com. 862, et in nota ib. p. 363.

Obiit *xii Kal. Decemb. feria* 6, ut scribit Tigernachus, ac proinde die 19 Novembris anno 879, ut in Annal. IV Mag. pag. 363 n. 1, et p. 382 n. 1, et Annal. Ult. 878.

Obiit apud Talteniam 8 *Kal. Junii,* i.e. die 24 Maii, anno ætatis 68, *feria vii,* uti narrat Tigernachus, anno regni 37. Vide IV Mag. p. 426, et Annal. Ult. ibid.

Vide Annal. Ult. ann. 918, æræ com. 919, et p. 252, n. 1.

Occisus a Danis anno 956, ut in Annal. IV M. p. 485, n. 1, non anno 953, ut scribit

Caradocus Lhancarvanensis, nec anno 954 ut scribunt IV Magistri, qui æram com. annis duobus antevertunt, p. 485.—Ligacha filia Regis Flanni Sionnæ mater erat Congalachi, et Malmaria filia Kennethi Mac Alpin Regis Albaniæ mater erat Ligachæ. Porro Malmaria primis nuptiis Regina erat *Aodhi Finnliath*, secundis vero *Flanni Sionnæ.* Erat itaque *Ligacha* Kennethi filii Alpini, Scotorum Albaniæ Regis, ex Malmaria filia neptis, Donnchadi II Regis Hiberniæ, et Gormlathæ Nialli Glundubii Reginæ, e diverso toto soror, ac Glundubii prædicti per Maelmariam soror uterina. Congalachi itaque pater Maolmithigius, tritavum prætulit Congalagium Kennethi Regis patruum, Congalagii enim erat ex Iorgalacho fratre nepos Rex Kennethus, ut supra No. 26, ann. 727-8, et IV Mag. p. 485 n. 1.

41. *Domhnall mac Muircertaicc mc Neill Glunduibh*, sive Donaldus IV, Nialli IV nepos, *annis xxiv*. Obiit Ardmachæ anno æræ com 980

42. *Maelsechlan mac Domhnaill mc Donnchadha*, i. e. Donnchadi II nepos, O'Niallorum clientelæ Colmanni, sive Australium, ultimus; regnavit prima vice annis fere xxiii, usque ad ann. 1003, quo regnum Briano Boromæo cessit, qui regnavit annis 12, usque ad Prælium Cluantarbhense anno 1014. Tum, Briano occiso, Maelsechlannus iterum regnavit usque ad ann. 1022, quo *Septuagenarius obiit*, 4 *Non. Sept.* apud *Cro-Inis-loch-h Ainin*, prope Regiam suam *Dun na Skiath*, in 43 anno regni sui, *iv Nonas* Sept. die Dominica, Luna ii, præsentibus venerabilibus SS. Patricii, Columbæ, et Kiarani Hæredibus, ut in Annal. IV Mag. ad ann. 1022. 1022

Maelsechlannum hunc *patri defuncto* successisse scribit Waræus, sed perperam, cum non fuerit filius prædecessoris, sed Donaldi alterius, filii Donnchadi II, uti notavit ex IV Magistris et aliis Patriis Annalibus Colganus, qui recte eum appellat Maelsechlannum sive Malachiam II, *Donnchadi II ex Domhnaldo filio nepotem.* Errat etiam Waræus, ejus obitum referens ad 2 *Sept. anni* 1023, cum obierit die 2 *Sept.* quæ fuit *Dominica dies*, et duæ Eclipses, Solis nempe et Lunæ, inciderint sequente Januario, qui fuit Januarius anni 1023.——*Gildas Modudius*, qui Regum Hiberniæ Christianorum Catalogum Metricum Hibernice composuit ante annum 1043 quo obiit, interregnum statuit annorum 72 ab obitu Maelsechlanni, anno 1022, quo durante, Primarii Hiberniæ Duces fuere *Cuanus O'Lochan* Poeta et Chronographus, qui obiit occisus anno 1024, *Corchranus* Anachoreta, *Donnchadus* filius Briani Boromæi, qui in peregrinatione Romana obiit anno 1064, *Diarmitius filius Maelnambi*, dictus a

Waræo Diarmitius III, Lageniæ Rex, qui regnum sibi vindicavit anno 1042. Hujus obitum Caradocus Lhancarvanensis refert ad ann. 1068; sed erronee, Coemanus enim, testis coævus, occisum fuisse narrat a Melachlino Rege Midiæ in prælio *Odhbhæ, vii Id. Feb. feria iii,* anno 1072. (1) Interim *Tordelbachus O'Brian,* Briani Boromæi e Thadæo filio nepos, Patruo suo Donnchado in Australis Momoniæ regimine successit anno 1064, et anno regni 22, ætatis 77, obiit in Arce Cenncoræ, *pridie Id. Julii, feria tertia,* anno 1086, ut in Annal. IV Mag ex vetusto Poeta ad ann. 1086. Extat Lanfranchi Cantuariensis ad eum Epistola anni 1074, in Usserii Sylloge p. 71.

His positis, Interregnum statuo annorum 72, ab anno 1022 ad annum usque 1094

Prædicto annorum 72 intervallo elapso, *Murcertachus O'Brian* Tordelbacho patri in Australis Hiberniæ regimine successit, et *Domhnaldus mac Lochlain O'Nial* inauguratus est Rex Hiberniæ Septentrionalis, utpote Arcis Alichiæ Princeps, et O'Niallorum Septentrionalium jure hæreditario Supremus. Erat enim Lochlanni Alichiæ Principis ex filio Artgallo nepos, ideoque *Mac Lochlain* patronimice appellatus, pronepos autem Maelsechlanni II, abnepos Maelruani, quintus a Flanno, et sextus a Donaldo fratre Nialli Glundubii. Hunc inter supremos Hiberniæ Reges jure hæreditario numerandum esse, indicant dicta in Annal. IV Mag. ad ann. 1090. (2) Contendebat tamen potenti manu pro supremo dominio Rex Momoniæ, et quisque se *supremum* referebat spatio annorum 25, teste Modudio, usque ad ann. 1119, quo *Murcertachus O'Brian* obiit, juxta Tigernachi Continuatorem pœne coævum, 3 *Id. Martii, Kal. Jan. feria* 4 *incidentibus, et Luna* 16, quæ notæ indicant ann. 1118-19. Ejus Epis-

---

(1) Vide Coemani Carmen Chronolog. scriptum anno 1072, et ex Hibernico Idiomate ad literam interpretatum Prolegom. p. xxxii.—Confer *Gildæ Modudii* Carmen *Eire og Inis na naomh,* scriptum ante ann. 1143, cujus extant diversa vetera exemplaria membranea in Bibliotheca Stowense, aliaque a Flaherteo memorata in O'Duvegani Codice Dubliniense fol. 11, p. 2, col. 2, et in Codice Lecano fol. 312, p. 2, col. 1, et pag. 71, unde constat Carmen istud ante Tordelbachi O'Conor exitum fuisse concinnatum, uti recte notavit Flaherteus in margine Exemplaris Stowensis, ubi hæc leguntur.—" Distichon litera *C* notatum xx annos, Tordelbacho O'Conor in Codice Lecano assignatos, non ha-" bet; et recte, cum poema anno 1143 compositum sit, et ille anno 1156 20 annos regni terminavit." Confer quæ de Diarmitii Regis obitu habent ex Poeta coævo Annales IV Mag. ann. 1072.

(2) De Murcertachi et O'Niallorum Septentrionalium ad supremum Imperium titulo, jure hæreditario stabilito et recognito, vide Annal. IV Mag. ad ann. 1084, 1090, 1150 p. 767, 1151 p. 773, 1157 p. 792, 1161 p. 806, 1166 p. 817.

tolas ad Anselmum Cantuar. et Anselmi ad eum inscriptas, edidit Usserius in Sylloge Ep. 34, 35, 36, 37.—Donaldi obitum consignatum habemus in Annalibus IV Magistror. ex Scriptore coævo Hibernico ad ann. 1121.

Hiberniam itaque duobus Regibus, Australi nempe *Murcertacho O'Brian*, et Septentrionali *Donaldo O'Nial*, subditam statuo *annis* 25, ad annum usque 1119

Regnavit tum *Donaldus* solus jure hæreditario Rex Hiberniæ *annis duobus*, usque ad annum æræ communis 1121. (1) 1121

Deinde Interregnum invenio *annorum xv;* quo intervallo elapso, *Tordelbachus* Rex Connaciæ, potentior cæteris effectus, et ab Eochodio Muigmedonio Rege Hiberniæ originem ducens, (2) ad Hiberniæ Solium vi et armis pervenit anno 1136

Tordelbachus O'Conor, Magnus appellatus, antequam ad Solium totius Hiberniæ evectus esset, Rex erat Connaciæ, a præfato Eochodio 23tius, ut in Annalibus IV Magistror. ad ann. 1136. Regnavit autem *annis xx*, usque ad annum 1156, quo obiit, ætatis anno 68, apud Dunnmoræ Arcem, in agro Galviense, xiii Kal. Junii, præcedentibus Kalendis Januariis incidentibus in diem Dominicam, ut in Tigernachi Continuatione, et in parte 2 Annal. Ult. itemque in Annal. IV Mag. ad annum 1156

Tordelbacho defuncto successit *Murcertachus Mac Lochlain O'Nial*, filius Nialli, nepos Donaldi, pronepos Murcertachi fratris Donaldi Mac Lochlain, *annis x*. (3)—Occisus est in Prælio Letterluinense *anno regni* 10, Christi 1166, ut indicant Annal. IV Mag. et Annalium Ult. pars 2da, et notæ chronicæ in Tigernachi Continuatione MS. Bodl. Rawl. 488, in qua Kalendæ Jan. anni istius in *feriam vii* incidisse narrantur........ 1166

Tordelbacho Patri successit in regno Connaciæ *Rodericus O'Conor* anno 1156; qui postea, Murcertacho defuncto, ad totius Hiberniæ Solium evectus est, ultimus Rex Hibernorum Hibernici sanguinis, ab anno 1166 (4) ad ann. 1175

---

(1) Obiit in Monasterio Dorensi anno ætatis 73, et Principatus in Hibernia 27, in festo S. Mochuaroci, nono Februarii, feria iv. Ita Annal. IV Mag. Proinde inter annum interregni elapsi 1094, et annum 1121, anni intercedunt 27, sicut inter ann. pariter 1094 et ann. 1119, quo obiit Rex Murcertachus, intercedunt anni 25 quibus regnavit, uti notat Flaherteus p. 439.

(2) Hanc Genealogiam, ex diversis Codicibus invicem collatis excerptam, exhibet Flaherteus p. 439.

(3) Annal. IV Mag. et Annal. Ult. parte 2 ad annum istum.

(4) *Niallus Mac Lochlain O'Nial*, Murcertachi filius, cum regnum jure hæreditario affectaret, a Roderico victus est anno 1167, ut in Annal. Ult. parte 2, ad annum istum.

Regnante Roderico, Anglo-Normanni primum in Hiberniam, Ducibus Roberto Stephanide et Mauritio de Prendergast, irruerunt Mense Maio anni 1169, quo S. Johannis festum, dies nempe Junii 24, Solstitio Æstivo propinquus, incidit in feriam vi. Cum autem vulgus Hibernicum, more vetero, Druidum ignes sacros in Vigilia S. Johannis accendere solerent, (1) id, nescio qua superstitione, pro malo augurio habitum, (2) occasionem præbuit ut annus 1169 inter nefandos numeraretur.—Eo tamen anno Rodericus annuum censum instituit, pro Scholaribus tam Albaniæ quam Hiberniæ in Academia Ardmachana imbuendis. (3) Anno vero sequente Richardus Strongbow, Penbrochiæ Comes, in Hiberniam applicans, Waterfordiam cepit die Augusti 25, et Henricus 2dus, cum 400 navium classe, ad totam Hiberniam potenti manu subigendam, ibidem appulit die 17 Octobris 1171. (4) — Regni Magnatibus paulatim postea deficientibus, Rodericus conditiones ab Anglo accepit, editas a Reymero; sed non nisi anno 1175, et ea conditione, ut Regnum Connaciæ sibi et posteris jure hæreditario, et supremo ac absoluto Imperio regeret, totamque Hiberniam, exceptis civitatibus maritimis in Lagenia et Momonia, jure regio gubernaret.(5) Nono deinde anno 1184, *non* 1186 ut scribit Flahertæus, Anglis ubique grassantibus, gubernaculo se ultro abdicavit, et dimissis singulis Regionum et Regulorum Hiberniæ obsidibus, regnoque Connaciæ filio suo Concobharo relicto, in Congæ Monasterium se recepit, ubi, senio et mœrore confectus, diem clausit extremum anno 1198. Obitus annum ita Hibernice notatum invenio, in vetusta penes Flaherteum ejusdem temporis Annalium pergamena, vel certe ex ejusdem temporis autographo excerpta, non enim ultra annum 1201 pertingit.—" Kalendis Januariis a feria v, " luna xx, annum Decennovenalis Cycli et Bissextilis secundum aperientibus. Rode- " ricus filius Tordelvachi O'Conor, Rex Hiberniæ, obiit *iii Kal. Decemb. die Domi-* " *nica*, Lunaris ætatis xxvii, ætatis suæ lxxxii. Postquam *x annos* a morte patris " Connaciæ præfuisset, et inde *annos xviii* toti Hiberniæ, donec Imperio se ultro ab-

(1) Vide supra pag. xxxii, lxix, et seq. Annal. IV Mag. p. 303 not. 1, item ann. 1110 et 1117, Annal. Ult. 533 not. 2, 559, et passim alibi.

(2) Annal. IV Mag. 1096 et 1099, ex Carmine coævo Hibernico.

(3) Ibid. p. 828, et Annal. Ult. p. 127.

(4) Vide IV Mag. ad ann. 1169, ubi Lelandi et aliorum errores castigantur.

(5) Vide Fœderis Conditiones apud Reymerum t. 1.

" dicaret, dimissis in suam singulis Regionum Hiberniæ obsidibus, xiii reliquos vitæ
" annos apud Congam S. Fechini Monasterium, suscepta peregrinatione, ad obitum
" confecit. Inde Cluaniam corpus effertur, et ab Aquilonari latere Altaris, in summo
" Templo, qua decuit pompa sepelitur, post palmam peregrinationis et piorum ope-
" rum obtentam. Aurum, argentum, et multa alia Deo, pauperibus, universis Hi-
" berniæ Ecclesiis, Romanæ etiam et Hierosolymitanæ, moriens legavit."

Habemus itaque Regum Christianorum Hiberniæ seriem chronologicam certissimam, (1) ab anno C. 432 ad annum 1022, periodo annorum 590, quo Reges Supremi regnaverunt numero 42; unde patet cuique Regi tribuendos esse *annos circiter* 14; quos regni annos nemo certe ut nimios rejiciet, qui Regibus Angliæ 32, a Gulielmo I, anno 1066, ad GEORGIUM III feliciter regnantem, annos tribuere cogitur 23½.

Jam vero in Regum Hiberniæ Ethnicorum serie, quam non solum Tigernachi et IV Magistrorum Annales, verum etiam vetustissimi Catalogi metrici, Hibernice a sæculo sexto scripti, enumerant, Reges habemus Ethnicos numero 42, a *Crimthano Cosgrach*, i.e. Crimthano Feroce, qui regnavit anno ante C. 109,(2) ad Laogarium, qui regnare incæpit anno C. 428, spatio annorum 537; unde patet cuique Regi Ethnico tribuendos esse *annos circiter* 13; paulo quidem minores quam Regibus Christianis, sed eo ipso majori fide dignos, quia Reges ante fidem receptam immitiores fuisse censendi sunt.(3)

Adde quod etiam in periodo breviori, et recentiori, et pariter *Ethnico*, eoque certo, annorum 432, a nato Christo ad S. Patricii adventum, Reges Ethnici a *Conario I* Ederscolii filio ad *Laogarium* filium Nialli, sint numero non plures nec pauciores quam 32, quod cum prædicto annorum *circiter* 13 calculo, cuique Regi Ethnico tribuendo, mire consentit. Si enim numerum 32

(1) Vide infra pag. xc, ubi Eclipses a Tigernacho memoratæ recensentur.
(2) Vide Annal. IV Mag. ad annum Mundi 4907, cum nota ad ann. 4880, pag. 58.
(3) Vide seriem Regum Ethnicorum in Annalibus.

multiplicas numero 12, summam efficient annorum 348, quibus si *Attacottorum* dominationem, annorum fere 80 periodum complentem, subjungas, ad Patricium pervenies, et annum 428.

Buchananus quidem Fergusium filium Erci, primum Albaniæ Hibernicæ Regem, refert ad annum 419, quem referre debuit ad annum 503; atque ideo cuique e suis successoribus *annos* 18 tribuere cogitur, ut sæculum istum supposititium, et eventibus vacuum, quodammodo historicum efficiat. Eo autem ipso, Historiæ istius fictitiæ prodit falsitatem, cum *anni* 18 medium constituant in Imperiis stabili legum administratione munitis, neque in ulla Monarchia præterquam in Judaica, Persica, Egyptiaca, Anglo-Normanna, et Gallica, anni Regum ultra 18 producantur. Gibbonus ex Casaubono inquit, 70 Imperatores Byzantinos regnasse spatio annorum 700, adeo erant in illo Principatu Comitia Imperii semper incerta. (1)

Accedit quod Reges Albaniæ Hibernicæ a Fergusio I, A. D. 503, ad *Malcolmum* III, A. D. 1157, regnaverint numero 52, spatio annorum 554; unde patet Regibus istis, pariter Hibernicis et Christianis, atque iisdem legibus et institutis assuefactis, annos circiter 12, esse tribuendos, uti et ipsis Hibernicis; quod Hibernici Regiminis calculum prædictum ita confirmat, ut ab eodem absque Historicis rationibus, iisque validissimis, abire non liceat; temerarii enim et vix sani hominis est, quidvis ex libidine vel affirmare vel negare, et sine ratione Scriptoribus antiquis fidem demere est insanire.—Denique, ut huic argumento finem imponam, omnes Catalogi antiqui, tam metrici quam prosaici, tam Hibernici quam Latini, Reges Christianos Hiberniæ statuunt numero 48, vel 49, a *Laogario*, anno 432, ad *Maelsechnallum ii*, defunctum anno 1022, spatio annorum 570, quod cuique Regi annos Regni relinquit circiter 12, quod unum demonstrandum suscepi.

(1) Confer Montesquieu Grandeur des Romains, &c. Amst. 1735, p. 179, cum Newtoni Chronolog.

Mirabuntur quidem nonnulli, tot Reges Hibernos, linea recta a Niallo Magno deductos, regnasse usque ad annum 1022, imo vero a *Conario* I, spatio annorum mille. Omnes enim isti, excepto Rege Attacotto *Carbreo-Cin-Cat*, una ex stirpe fuisse narrantur. Sed mirari desinent, qui Hiberniam Insulam ab orbe Romano remotam, et ab omni alienarum gentium dominatione immunam, cum Lacedemoniorum Regum Imperio conferre curabunt, qui ex unius Aristodemi familia regnaverunt, spatio annorum 900! Neque desunt alia exempla quibus legitima successio, pluribus sæculis, linea eadem descendentium, Historica demonstratione comprobatur. Quod si id in Græcia fieri poterat, cur non in remotiori ab orbe Hibernia?

Prædictæ Chronologicæ Rationes Eclipsarum ope firmantur.

Quod si inquiras quibus argumentis Regum Christianorum annos tam accurate, ordine Chronologico, definire audemus? Responsio in promptu est; iisdem nempe Solis et Lunæ motibus, eodem feriarum et hebdomadum ordine, iisdemque Scriptorum testimoniis, pœne coævis, et inconcussis, quibus aliorum Regum et Imperatorum Europæ et Asiæ anni, et Imperia, initia, exitusque statuuntur.

Deo quippe, rerum humanarum Provido Rectori, tanti fuit temporum ordo, ut eorum intervallis nihil unquam derogatum voluerit, ne per illud quidem prodigium quo, Christo morituro, Luna ex plenilunii sede recedens, Solis discum tribus horis obscuravit; hoc enim functa Salvatori obsequio, non in pristinam sedem rediit, sed in locum sesquigradu circiter a loco plenilunii Orientaliorem, quantum scilicet trium horarum spatio, juxta motum suum ordinarium, progressa fuisset, remeavit. Alioquin Eclipses 700 et amplius antecedentium annorum, a Chaldæis observatæ, et a Ptolemæo in medium productæ, non possent retroactis calculis definiri, quin trium horarum intervallum adhiberemus, ut Cœli ordo restitueretur. Neque ad Joshuæ imperium

interruptus est ordo iste, neque in gratiam Ezechiæ; sed restituta cœlitus temporum series ad pristinam, disponente Deo, redire coacta est. (1)

Hinc itaque, obscurata certis diebus Luminaria, prout in Annalibus nostris memorata, facem præbent, qua Regum et Regulorum annos, et Episcoporum ac Abbatum successiones, ad æræ communis ordinem, atque ad exterorum Regum tempora revocare, et secum conciliare possimus.—Sic, exempli gratia, Tigernachus inquit, "*Cennethum filium Cethbothæ*, Episcopum Luscæ, obiisse anno "quo Sol defecit, et Papa Gelasius obiit." (2) Atqui Papa iste obiit anno 496, et deliquium quo Solis discus Europæ oppositus obscuratus est, incidit eo anno in diem Octobris 22. (3) Ergo annus antecedens in Tigernachi narratione est æræ com. 495, et subsequens a pari dignoscitur esse 497, etiamsi nulla alia nota chronica annum designaret.—Iidem Annales, de sociato Regno Regum Hibernorum *Diarmitii* et *Blathmachi* agentes, inquiunt—

"*Cendfaelad mac Colgo r. Conds.*—estate celum ardere.—Kl. tenebre *i Callaind Mai* in hora "nona, 7 in eadem—visum est mortalitas magna in Hib.niam p.venit *hi Kallaind Auguist*, "*·i· imuig Itha illaing.* Mors *Cernaig Sothail* filii *Diarmida mc Aeda Slaine*, 7 terre- "motus in Britannia."

Hæc verba sic leguntur—

[Cendfaelad filius Colgi Rex Connaciæ obiit. Anno sequente tenebræ Kalendis Maiis factæ sunt, hora nona diei, et in eadem æstate cœlum ardere visum est. Mortalitas magna in Hiberniam pervenit Kalendis Augusti, i. e. in campo *Ith* in Lagenia. Mors Kernagii Superbi filii Diarmitii, filii Aodi Slani, et Terræmotus in Britannia.]

Jam vero, ex his characteribus simul collatis, demonstratum est in Prolegomenis I, Hoc deliquium evenisse anno 664; II, Bedam, horum Annalium ope corrigendum esse, qui Eclipsim eandem refert ad diem *tertiam Maii* istius,

(1) Confer S. Thomæ Aquinatis Part. 3, 44, Art. 2.

(2) Tigernachi Codex Bodl. Rawl. No. 488, fol. 8, col. 1, lin. 26.

(3) Art de Verifier les Dates pag. 61, fol. ed. Paris 1783. Ferguson's Astron. Lond. 1799, p. 257.

anni; (1) III, Non nisi ex Scriptore coævo hæc potuisse in Tigernachi Annalibus enarrari; IV, Vitam Fursæi antiquissimam, a Beda memoratam, (2) non alio anno scriptam fuisse quam anno 665. Auctor enim iste de eadem Eclipsi inquit, Fursæum prædixisse, fame et mortalitate humanum genus esse vexandum; " quod jam signo Solis, cum radios suos *anno præterito* abs-" condisset, in modum Lunæ splendentis significatum est." (3)

Eclipses a Tigernacho memoratæ, quarum ope annorum series ad æræ communis ordinem, aliis etiam notis, iisque non paucis, id confirmantibus, revocantur, eæ sunt quas in sequenti Elencho ex Codice Bodleiano descripsi.

Eclipses Solis et Lunæ.

Ex Tigernachi Codice Bodleiano Rawlinson. 488.

I. Fol. 7, col. 1, lin. 27. " *Kal. ii Defectus Solis apparuit. Expugnatio Duinlethglaisse,*" i. e. *Duni* in Ultonia.—Characteres trium *præcedentium* annorum, prout in hoc Codice notati, sunt *K v, K vii, K i,* indicantes Kalendas Januarias annorum istorum incidisse in ferias *v, vii,* et *i;* et character anni proxime sequentis est *K iii.* Ergo anni sic designati sunt anni æræ com. 493, 494, 495, 496, et 497, et cum hi Annales uno anno æram communem sæpe antevertant, sequitur annum prædictum, quo Solis deliquium incidit, juxta hos Annales, fuisse annum æræ com. 496, quod in rebus Hibernicis, pro Cardine chronologico, et in Tigernachi Codice Bodleiano pro clave statuendum est, quo annorum præcedentium et subsequentium ordo apperitur.

II. Fol. 8, b, col. 2, lin. 33.—" *K vi. Defectio Solis,* ·*i*· *u*[n] *c*[a] *g.ni* (4) ·*i*· *mane tenebrosum. Aed* " *mac Fogartaig r. ꝺs. q.*" Quæritur jam ad quem annum Tigernachus hanc Eclipsim

(1) Bed. l. 3, c. 27. Vide Prolegomena pag. cxxxv et seq. et IV Mag. Annal. ann. 664, et Annal. Ult. 652 et 663. (2) Bed. l. 3, c. 19, et Annal. Ult. p. 54, n. 2.

(3) Vita antiqua S. Fursæi in Codice Bodleiano Rawl. 505, fol. 174. Eadem verba in mædium afferuntur ab alio vetere Auctore anonymo Vitæ Fursæi, editæ a Colgano ex membranis Monasterii Cygniacensis in Gallia. Acta l. 1, c. 23, p. 79. Confer l. 3, c. 1, p. 87.—Extat et Vita Fursæi Saxonice scripta in Codice Cotton. cui titulus *Menologium Saxon.* Julius A x.

(4) Verba hæc Hibernica abbreviata sunt *arcra* vel *urcra Greine,* i. e. Eclipsis Solis.

referat, cum æræ communis annum non indigitet, nec nisi ex contextu, id elicere aut ratiocinando indicare possimus, ut in Prolegomenis indicavi p. xi et cxxvii.

Atqui annus ex contextu ab intrinseco manifeste eruitur. Ad notam enim chronicam *K* abinde quartam, i. e. ad quartum deinde annum, refertur obitus S. Columbæ, quem anno 596 obiisse, rationibus invictis demonstravi in Prolegomenis p. cxxxv, et seq. Ergo Eclipsis Solis prædicta refertur a Tigernacho ad annum 590, æræ com. 591, quo Kalendæ Jan. inciderunt, non in feriam 6, ut erronee dicitur in Codice, sed in *feriam* 2, ut in Annalibus Ultoniæ, in quibus eadem Eclipsis *iisdem verbis* refertur ad annum 590, æræ com. 591.—Aliam Solis Eclipsim notant prædicti Annales Ultoniæ ad annum sequentem æræ com. 592, quæ pariter convenit cum calculis. Incidit enim anno isto in diem Martii 19, nona hora ante meridiem, Europæ centralis. *Art de Ver. les Dates* p. 63.(1) Obiit ergo *Aodus* Rex Connaciæ anno 591. Confer Annal. Ult. p. 31, n. 1.

III. Fol. 9, b, col. 1, lin. 2.—" K. vii. *Stella visa est hora vii diei. K i. Maelcoba mac Aedha* " *m. est.*"—Annales Ultoniæ ad ann. 613, æræ com. 614, inquiunt, " *Stella visa est hora* " *octava diei.*"—Silent quidem Beda, Chron. Saxon. et Historici Angli. Annales autem Ulton. et Tigernachus consentientes narrant, Maelcobum Regem anno deinde proximo obiisse, ac proinde anno 615, ut supra pag. lxxviii, No. XIV.

IV. Fol. 9, b, col. 2, lin. 11. " K. i. *Annus tenebrosus.*" i. e. Kalendis Jan. incidentibus in feriam 1, annus fuit tenebrosus.—Agitur hic de anno 29no ab obitu S. Columbæ, ut patet ex annis intermediis, quæ sunt numero 29, ac proinde de anno æræ com. 625, quo Eclipsim Solis revera incidisse in diem 10 Junii, Europæ centralem, patet ex calculis.(2) Eodem anno incidere duæ Eclipses Lunæ, ut in Annalibus Ulton. ib. p. 42, not. 2, ita ut proprio quodam jure annus *tenebrosus* dici debeat. Hinc sequitur S. Aidanum, primum Fernensem Episcopum, qui eo anno obiit, obiisse anno 625. Scribit quidem Tigernachus

(1) Hujus Solaris deliquii meminerunt Annales Constantinopolitani, *anno nono* Mauritii et Gunthramni, tempore vernali. Item Theophanes et Fredegarius, in Appendice ad Gregor. Turon. annumque ibi 32; et Petavius de Doctr. Temporum, ubi eam refert ad diem *Martii* 19, *ab hora* 8, 54', *ad horam* 11, 23', Constantinopoli, ac digitorum fuisse 10. Keplerus in Opticis eam inter *totales* reponit, quia putat Solis Eclipses a mædii ævi Scriptoribus raro memorari nisi totales. Sed ab anno 360 ad 418 nullas omnino Solis adnotatas legerat nisi per Idatium; postea vero plures sæculi sexti et septimi a Beda et aliis, tam partiales quam totales.

(2) Art de Ver. les Dates t. 1, p. 64. Annal. Ult. ann. 624, æræ com. 625.

Kalendas Januarias eo anno incidisse in feriam 1, quamvis inciderint in feriam 3, et anno præcedente 624 in feriam 1. Sed alibi notavi Tigernachum uno anno æram communem sæpe antevertere, et feriarum notas in hoc Codice esse plerumqe vitiatas, nec nisi maxima adhibita diligentia, Tigernachi mentem, inter tot amanuensis errores, posse divinari. Vide Prolegom. p.xi et cxxvii. (1)

V. Fol. 10, b, col. 2, lin. 33.—" Kl. Tenebræ *Kalendis Maiis hora nona, et in eadem æstate* "*cœlum ardere visum est. Mortalitas magna in Hiberniam pervenit,*" &c.—Hæc est Eclipsis anni 664, de qua supra p. lxxx No. 18, Annal. Ult. p. 55 not. 3, et Prolegom. p. cxxxv.—Petavius inquit digitorum fuisse 10, 20′ et cæpisse Londini hora 3, 7′, post meridiem, desiisse vero hora 5, 14′. (2) Keplerus totalem fuisse existimat. Sed ob levem conjecturam quam supra memoravi, No. II not. 1.—Beda in hac Eclipsi enarranda inquit " *Patrum memoria evenisse, tertia die Maii.*" Sed Annalium nostrorum ope corrigendus est, ut in Prolegomenis p. cxxxv. Tigernachus inquit Reges Hiberniæ *Diarmitium* et *Blathmacum* anno sequente obiisse. Obiere proinde anno 665, uti supra pag. lxxix.

VI. Fol. 11, col. 1, lin. 42. " Kl. *Nubes tenuis ec tremula, ad speciem cœlestis arcus, iv vigilia* " *noctis, v feria ante Pascha, ab Oriente in Occidentem, per serenum cœlum apparuit.* " *Luna in sanguinem versa est. Anno sequente prælium contra Regem Hiberniæ Cenn-* " *faeladium filium Blathmachi filii Aodhi Slanensis gestum est per Finachtaum Conviva-* " *torem filium Dunchadi, qui victor erat, et regnare incæpit.*"—Hæc habentur sub decimo charactere *K*, numerando ab Eclipsi prædicta anni 664, ac proinde sub anno æræ com. 674, quo etiam anno eandem Eclipsim memoratam invenio in Annal. Ulton. quamvis omissam in Catalogo Eclipsarum Operis *L'Art de Ver. les Dates*, in qua duæ incidisse declarantur anno præcedente 673, et duæ aliæ anno sequente 675. Lunæ autem Eclipsim notavit ad ann. 674 Hermannus Contractus, ut in Annal. Ult. ad ann. 673, æræ com. 674. Sequitur ergo *Finachtaum* regnare cæpisse anno æræ com. 765, ut supra declaravi p. lxxx.

VII. Fol. 11, col. 2, lin. 2. " Kl. *Stella Cometes visa est luminosa in mense Septembris et Oc-* " *tobris. Dunchadh mac Ultain Rex Oirgialliæ occisus est per Maelduinum filium*

---

(1) Eclipsim Lunæ notant Annales Ult. ad annum 638, æræ com. 639, de qua vide notam ibi.

(2) Aureus numerus erat XIX, Cyclus Solis 1, G F. Novilunium medium contigit Londini primo Maii, feria iv, hora 5, 5′, post mediam noctem. Vide Prolegom. p. cxxxv.

"*Maelfithrigi. Prælium inter Regem Hiberniæ Finachtaum et Lagenienses,*" &c.—Hæc habentur sub tertia nota *K*, numerando a prædicta No. VI, ac proinde sub anno æræ com. 677, uti etiam in Annalibus Ulton. ad ann. 676, æræ com. 677, pag. 60. Eandem Stellam notant Annales Anglo-Saxonici, et ex eis Florentius, ad ann. 677, ed. Francof. 1601, p. 567. Sequitur ergo res gestas quas sub anno isto enarrat Tigernachus, ad annum æræ com. 677 esse referendas.

VIII. Fol. 11, b, col. 1, lin. 44. "Kl. *Finachta* [Rex Hiberniæ] *revertitur ad regnum*......
"*Obscurata est pars Solis. Adamnanus reduxit captivos in Hiberniam.*"
Eclipsis hæc legitur enarrata sub 14to charactere *K*, numerando retrogade ad prædictam Lunæ No. VI, et sub undecimo ab anno quo Cometa visa est No. VII, ac proinde sub anno æræ com. 689, quod cum calculis Astronomicis plane concordat, ex quibus patet Solis Eclipsim incidisse anno 689, in *diem* 3 *Julii, hora* 10 *diei cum dimidio ante meridiem, Asiæ centralem, Europæ et Africæ visibilem,* ut in Opere *L' Art de Verifier les Dates* t. 3, p. 64. Hanc Eclipsim neque Petavius notat, neque Ricciolus, nec Fergusonus. Confer autem Annal. Ult. ann. 688, æræ com. 689.—Sequitur ergo Regem *Finachtaum,* qui Clericatum suscepit anno 688, ut in Annal. Ult. ann. 687, rediisse ad regnum anno æræ com. 689, ut in Annal. Ult. ad ann. 688, et *Adamnanum,* qui missus est Legatus ex Hibernia ad Regem *Aldfridum* anno 687, ibid. p. 64, not. 1, rediise cum captivis anno itidem 689, ut ibidem indicavi. (1)

IX. Fol. 11, b, col. 2, lin. 8.—"Kl. *Adamnanus xiv annis post pausam Failbea ad Hiberniam* "*pergit. Luna in sanguineum colorem versa est in natale S. Martini.*"—Eclipsis hæc legitur enarrata sub *tertio* charactere *K* a prædicto No. VIII, ac proinde sub anno æræ com. 691, et S. Martini Natalis, i. e. dies obitualis, Hiberniæ Monachis semper memorabilis, (2) incidit in diem xi Novembris.(3) Jam vero Eclipsim Lunæ in diem xi Novem-

(1) Nemo profecto, nisi qui animo in res nostras Hibernicas plane iniquo, ad hæc legenda accedit, tot circumstantiis fidem denegare, sibi licitum existimabit. Nihil enim hic ambigui, nihil obscuri. Nescio quidem utrum aliarum gentium Septentrionalium Chronologia, tot in unum consentientibus adminiculis, tam manifeste fulciatur.

(2) Prolegom. p. xlix, cvi, et seq. Item Annal. IV Mag. p. 100, 104, et Ult. ann. 691, et præsertim Buelliani, in quibus Martinus confertur cum Apostolis pag. 2, not. 1.

(3) Histoire de l' Abbaye de Marmoutier et de l' Eglise Royale de S. Martin de Tours, Opus egregium Monachi Benedictini Dom. Badierii, Tillemont, t. 1, 4to ed. p. 309, et Memoires de Trevoux ann. 1765, p. 1238—1269. Confer Annal. Ult. p. 65, not. 4.

bris incidisse anno 691, *hora sexta post meridiem, graduum 9, et digitorum 3 et ¼*, ex calculis manifestum est. Ergo annus supra a Tigernacho memoratus, quo Adamnanus ex Hiona Hiberniam rediit, fuit æræ com. 691, regnante in Hibernia Rege Finachtao, ut alibi indicavi. (1) Conveniunt dicta de anno obituale Finachti 695, supra p. lxxx,

X. Fol. 13, col. 2, lin. 41.—" Kl. *Eclipsis Lunæ in xi Kal. Feb. .... Aedh Allan regnat.*"—Enarratur Eclipsis hæc sub nota *K* 43tia, i.e. sub anno 43tio ab anno obituale S. Martini, ac proinde sub anno æræ communis 734.(2) Atqui concordat Chronologia Eclipsarum ad annum istum, ubi Eclipsim Lunæ totalem notatam invenio, non quidem ad diem 22, sed ad diem 24 *Januarii*, ut in Opere L'Art de Verifier les Dates, t. 1, p. 66. Ergo Aodhus Allanus regnare incæpit anno 734, ut supra p. lxxxi.

XI. Fol. 14, col. 1, a linea 13 ad 22.—" Kl. *In nocte signum horribile et mirabile visum est in " stellis....... Anno sequente Dracones in cælo visi sunt. Anno sequente Ruman mac " Col. Poeta optimus quievit*"—Hæc habentur sub notis *K* undecimo, duodecimo, et decimotertio a præcedente No. X, ac proinde sub annis æræ communis 745, 746, 747. Obiit itaque Rumanus Poeta, regnante *Donaldo III*, anno 747. Conveniunt Annales Ult. ad ann. 744, æræ com. 745, et Chron. Saxon. ad ann. 744. De *Rumano* Poeta vide Annal. Ult. ann. 746, æræ com. 747, et Codicem Bodl. Laud F 95, fol. 10, col. 1, lin. 19, ubi Carmen ejus procul dubio genuinum servatur.

Fol. 14, col. 2, lin. 43.—" Kl. *Sol tenebrosus. Dormitatio mc Coicedh Abbatis Lismoir..... " Dath fola f. sin esca isin bl. se,*" [i.e. color sanguinis supra Lunam anno hoc.]—Hæc habentur sub 19no charactere *K*, numerando a præcedente Eclipsi anni 734, supra No. X, ac proinde referenda sunt procul dubio ad annum æræ com. 753.—Atqui Eclipsim Solis, eo anno Insulis Britannicis visibilem, memorant Struykius in Catalogo Eclipsarum, et Fergusonus ex eodem, ad diem 8 Junii, digitorum 10, 35'.(3) Rectius vero refertur ad diem 9 Januarii, ut in Annalibus Ult. ann. 752, æræ com. 753, not. 2; idque eo magis Cardinem chronolo-

---

(1) Annal. Ult. ann. 691, pag. 65, not. 3, et ann. 701, item Prolegom. p. lxxx.

(2) Ejusdem meminit Struykius in Catalogo Eclipsarum apud Fergusonum, ad diem Jan. 23, totalemque indicat. Confer *L'Art de Ver. les Dates* p. 66. Annales Ultonienses aliam Lunæ Eclipsim memorant ad ann. 724, æræ com. 725, de qua silent Struykius, Ricciolus, et Fergusonus.

(3) Alias Lunæ Eclipses memorant Annal. Ult. ann. 717, æræ com. 718, de qua vide notam ibi, et ann. 724, æræ com. 725, et ann. 733, æræ com. 734, quibus annorum istorum ordo, et rationes nostræ chronicæ, omni dubio semoto, certissimæ declarantur.

gicum statuit in rebus Hibernicis, ex eo quod Lunæ Eclipsim eodem anno incidisse calculi Astronomici declarent. Ambo enim Eclipses, tam Solis quam Lunæ, a Tigernacho memoratæ, conveniunt cum Chronologia Eclipsarum in *L'Art de Ver. les Dates* p. 66, ann 753.

Fol. 14, b, col. 2, lin. 17. "Kl. *Nix magna et Luna tenebrosa. Nox lucida. Anno sequente "Donaldus filius Murchadi Rex Temoriæ ·i· c. r. Er. do cl. Foindsinna i xii Kl. De-"cembr. m."* [i. e. Donaldus Rex Hiberniæ primus e clientela Flanni Sionnæ Regis Hiberniæ, xii Kalendar. Decembr. mortuus est.]—Hæc leguntur sub nono charactere *K*, numerando a præcedente, ac proinde sub anno æræ com. 762; quod cum calculis plane consentit, in quibus Eclipsim Lunæ Europæ centralem eo anno incidisse legimus in diem 15 *Januarii*, aliamque pariter centralem eodem anno in diem 10 Julii, ut in Annalibus Ultoniæ ad ann. 761, æræ com. 762. Ergo *Donaldus* Rex Hiberniæ obiit anno æræ com. 763, ut supra memoravi p. lxxx.

Ibid. lin. 28.—"*Sol tenebrosus in hora iii diei. Bruidi Rex Fortchern moritur. Niall Fros-"sach regnare incipit.*"—Hæc ad eundem annum referuntur quo Rex Donaldus obiit ut in numero præcedente. Ergo ad ann. æræ communis 763. Atqui eo anno incidit revera Eclipsis Solis, die 16 Junii, uti etiam in Annal. Ulton. ann. 762, æræ com. 763. Confer Chronologie des Eclipses p. 66, ann. 763. Ergo Rex Donaldus obiit uti supra, et Niallus Frossach regnare incæpit anno 763.

Ibid. lin. 40. "Kl. *In nocte signum horribile et innarrabile in stellis visum est. Flaithber-"tach mac Loingsig rex Temoriæ in clericatu mortuus est.*"—Hæc leguntur sub secundo charactere K numerando a præcedente. Ergo sub anno 765, uti etiam in Annal. Ult. ad ann. 764, æræ com. 765.

Fol. 16, col. 2, lin. 13.—"*Earcra Greine a medon lai.*" [Eclipsis Solis ipsa meridie.]——Agitur de anno D. 1023, quo, Tigernacho dum adolescente, Solis Eclipsim, Britannicis Insulis visibilem, in diem Jan. 23 incidisse, ex calculis manifestum est.

Hæ Eclipses, aliæque quas ex nostris Annalibus afferre possem, (1) satis superque evincunt, Regum Hibernorum initia, exitusque, iisdem posse rationi-

(1) Ut ex Annal. Ult. ann. 762, 772, 787, 806, 864, 884, 920, qui sunt æræ com. anni 763, 773, 788, 807, 865, 885, 921, et passim alibi, ut in Annal. Buell. ann. 1139, æræ com. 1140, p. 23. Annal. Inisfal. fol. 22, col. 1, ann. 1124—"*h erchra n greine, ·i· errach in duibhneoil,*" [Eclipsis Solis, i. e. apparitio nigræ stellæ,] et fol. 23, col. 3, ann. 1024—"*Erchra n greine* in hoc anno," &c.

bus definiri, quibus cæterarum gentium Imperia suis respective temporibus assignantur.—Quod si inquiras unde harum defectionum notitiam hauserit Tigernachus, aut qua ratione eas ad Regum Hibernorum annos potuerit tam accurate accommodare? Id procul dubio effecisse respondeo, non calculis astronomicis ad anteriora productis, qua methodo Sinenses usi sunt, ut, longa sæculorum enumeratione, portentosam sibi antiquitatem vindicarent, sed veterum ope Scriptorum Hibernensium, qui ea quæ vel ipsi viderunt, vel quæ in Monasteriorum Bibliothecis reposita erant, (1) ad posterorum memoriam servavere. Plura quidem in vetustis Annalibus tradita omisisse videtur, utpote Druidum superstitionibus fœda, fabulosa, et quæ animarum transmigrationi fidem præbere censebantur. (2) Alia vero fide digna e " Scotorum Monu-

---

(1) Vide supra a p. x ad xvi, et a p. xix ad xxxvii, et Prolegom. p. cxxxvi et seq. et p. clxiv et seq. et Tigernachi Cod. Bodl. Rawlin. 488, fol. 1, col. 1, " Omnia Monumenta Scotorum usque " Kimbaoth incerta erant," et fol. 10, col. 2, lin. 4, ubi diversas veterum narrationes indicat, dicens " *Sic quidam dicunt Historiographi.*"

Gildas Modudius, qui obiit anno 1143 Fedhlimidium Momoniæ Regem e Regum Hiberniæ albo excludit, etsi a Momoniensibus Rex Hiberniæ dictus, quia eum inter Reges supremos non numerant *monumenta vetusta.*

" *Ge airmid Muimhnigh* mhine—*Feidlimidh na Ard*righe,
" *Im Dhuain ni labhram a* linn—*uair ni fagham e os E*rin."

Distichon hoc edidit, sed valde corrupte, Gratianus Lucius pag. 298.

(2) " Cormacus occisus est præstigiis Druidum, *iar n abraith do Maelcenn Draoi,*" [i. e. juxta Carmina Maelconis Druidæ.] Tigernachi Cod. prædict. fol. 5, b, col. 1.—Extat in Codice Bodleiano Laud F 95, fol. 102, fabulosa narratio cujusdam *Tuani,* cui titulus " Incipit in *acallain Tuain fri* " *Finnia iar tuidhect do Finnio cosin t soiscela lais hi tir n Eir, hi crich n Uladh.*" [Incipit colloquium Tuani cum Finnio, postquam venisset Finnio cum Evangeliorum Codice secum in regiones Hiberniæ, in partes Ultoniæ.]—Postea, in fine colloquii, hæc de Tuano narrantur—" Tuanus fuit in " forma viri centum annis *in h Eri iar Fintain* [in Hibernia post Fintanum;] *fiche blian* [xx annis] " in forma porci; lxxx annis in forma cervi; centum annis in forma aquilæ; xxx annis *fo lind* [sub " aqua] in forma piscis; et iterum in forma hominis, *co sentaibh, co h aimsir Finnio mac hui Fiathach* " [cum vetustis Historicis, usque ad tempora Finnii filii O'Fiatachi.]" Confer dicta supra p. xxxviii cum J. Cæsaris de Bel. Gal. l. vi, c. 19, et Plin. l. xvi, c. 44, ubi de Druidibus—" In primis hoc per- " suadere volunt non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime

"mentis" enarrans, non raro ipsa veterum verba in medium adducit, idque tam accurate, ut quæ hactenus manent istorum veterum fragmenta, ejus fidem omni exceptione majorem confirmare inveniantur. Qui autem, ex veterum adhuc manentium collatione, vera retulisse probatur, e reliquis quæ non remanent, vera pariter retulisse censendus est.

Aliquorum Carminum et Scriptorum veterum Hibernensium Elenchus, ex quibus Tigernachus res Hibernicas et Eclipses prædictas collegit.

Non inquiro quænam fides iis adhibenda sit, licet vetustis Scriptoribus, qui inter Poetas Hibernenses numerant *Amerginum,* Heberi fratrem, quem Gildas Comdeus O'Cormaic, in Poemate Hibernico de præcipuis Hiberniæ Authoribus, primum Hiberniæ Poetam, Historicum, et Brehonem, i. e. Legisperitum, declarat,(1) vel *Rognium Rosgadach,* Eoganii Magni Regis Hiberniæ filium, qui sæculo ante Christum 3tio floruisse dicitur, vel *Deagum* filium

---

"ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto....... Funera [ideo] sunt pro cultu Gallorum "magnifica et sumptuosa, omniaque quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam ani-"malia; ac paulo supra hanc memoriam, servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis "funeribus confectis, una cremabantur." Cesar. ib. et Diodor. Sic. l. 5, et Mela l. 3, c. 2.—Hinc Lucanus de Druidibus inquit—

Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi,
Pallida regna petunt. Regit idem spiritus artus,
Orbe alio. Longæ, canitis si cognita, vitæ
Mors media est. Certe populi quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget, lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, et ignavum rediturae parcere vitæ.

(1) Hunc ex Hispania in Hiberniam advenisse scribunt omnes antiqui. Atqui Iberorum nonnullos Carmina scripta ab immemorabili servasse scribunt Strabo et alii, ut supra p. xxx, et Universal Hist. Dubl. 1745, vol. 17, p. 737.—Extant quædam Amergino adscripta, et quidem valde vetusta in Psalterio Casselense, scripto exeunte sæculo IX, ineunte X, ut patet ex Codice Boleiano Rawlin. 506, fol. 11.

Seni, Olilli Aronni nepotem, et Oengusii-Turmeach-Tireach Regis Hiberniæ e Fiacho filio abnepotem, a quo Duachus Rex Hiberniæ *Dalta Deaga*, i. e. Deagi-Alumnus dictus est, et Deagadii Momoniæ, sæculo Christi primo, æque ac Albaniæ Hibernicæ Reges originem traxere; (1) vel *Forchernum* Deagi filium, vel *Nedium* filium Adnei, vel *Athirnum*, qui Colloquia de Legibus, quæ extant partim in Codice Bodl. Rawlin. No. 505, vetere idiomate scripta, et varia Carminum genera, eodem ævo tradidere.

Omitto et *Seanum* filium Agii, item coævum, qui *Fonn-Seanchuis-moir*, seu Carmina Historiæ Magnæ, composuisse dicitur; et *Moranum* Judicem, Præstigiis Druidicis insignem, qui regnante Feradacho Justo, pariter Legum Scriptore, floruit anno C. 88; (2) et *Concullinum* Heroem, Suabhalti filium, vulgo *Cucullin* dictum, qui, consentientibus omnibus antiquis, occisus est, non Oissini ævo, ut scribit Macphersonus, sed anno Christi 2, ut alibi demonstravi; (3) et *Olildum Olum*, i. e. Olildum Poeticæ Artis Magistrum, Momoniæ Regem A. C. 218, cujus Carmen de septem filiis suis in Prælio Mucromio occisis, vetere idiomate scriptum, sed an genuinum nescio, in hac Vestra Bibliotheca, æque ac in Bodleiana servatur. (4) Prætermitto etiam Carmina *Caltei* filii Ronani,(5) et *Senchani Torpestii*,(6) et *Cormaci* Regis,(7) et *Ceallachi* ejus filii ac *Brehonis*, (8) et *Fithili ac Conlai* pariter *Brehonum*, sive Legisperitorum,

(1) Kennedie's Royal Line of Stuart. Paris, 1705. Tigernach, ubi de Rege *Duacho-Dalta-Deaga* Cod. Rawlin. 488, fol. 2, col. 2, lin. 42, Flahert. p. 122 et 226, et IV Mag. Annal. p. 62.

(2) Tigernach. ib. fol. 4, col. 1, lin. 20, et IV Mag. Annal. p. 71.

(3) Prolegom. p. xii. Tigernach. Rawlin. 488, fol. 2, b, col. 1, lin. 40, col. 2, lin. 15 et 44, supra p. xlii not. 3, et IV Mag. p. 65. Extant Concullino adscripta in Cod. Bodl. Laud F 95, fol. 117, col. 2.

(4) Vide quæ de hoc Carmine dicta sunt Prolegom. p. xxii, lxxv, et xciii. Confer Tigernach. ib. fol. 4, b, col. 2, lin. 30 usque ad lin. 48, et Cod. Bodl. Laud F 95, fol. 73, b, et IV Mag. p. 78, 79, 80, 81, 87.

(5) Extant vetere idiomate ei adscripta in Codice Bodleiano Laud F 95, fol. 9, b, et fol. 82, col. 2.

(6) Extant ibid. fol. 73, b, col. 2.

(7) De ejus Operibus vide IV Mag. Annal. ann. 266, p. 86, 87, et not. ib.

(8) Ibid. ann. 265.

qui adversus Druidas scriptis decertavere;(1) et *Carbrei* Regis, qui Osgarum Oissini filium singulari certamine, in Prælio Gaurano, occidit anno C. 283,(2) cujus leges ad sua usque tempora extitisse, scribunt Gratianus Lucius et Flaherteus pag. 217; et *Oissinum* ipsum omitto, cum Carminum ei adscriptorum exemplaria quæ remanent antiquissima, spuria esse, et sæculi XIII vel XIV figmenta inveniantur. (3)

Hos omnes, et *Finnum* Cubhalli filium, e Vasconiorum Momoniæ gente oriundum, vulgo *Fingal* appellatum, (4) et *Dubthacum* Regis Laogarii Archipo-

(1) De obitu Cormaci Regis, Præstigiis Druidum occisi, quia eis credere noluit, vide Tigernachi Codicem Bodl. Rawlin. 488, fol. 5, b, col. 1, lin. 33, et fol. 6, b, ubi de " Prælio *Dubcomarense, ita dicto a Dubcomaro, Regis Fiachi Druida, ibi occiso,*" et lin. 18, ubi de tribus Collais Druidum ope ab exilio revocatis. De Druidibus Hiberniæ vide Annal. IV Mag. p. 66, n. 1, item ann. 186 et 266, et not. ib. p. 87, et p. 303 n. 1, p. 628, n. 1, p. 820 n. 1, Annal. Ult. ann. 886 not. 2, et p. 291, Tigernach ubi de Prælio *Cinfebratense,* et in regno *Cormaci Ulfada,* ubi de cæde filiarum in valle mirabili, fol. 4, b, col. 2, fol. 5, col. 1, fol. 6, b, fol. 8, col. 1, lin. 45, et supra p. xxix et lxix, et Prolegom. p. li, lvii, lxi.—" Quæ de concertatione Patricii et Magorum, quos *Druidas* liber Hi-" bernicus vocat, coram Rege Laogario peracta referuntur, apud Probum et Jocelinum videri " possunt." Usser. Primord. p. 852. Vide supra p. xxix, et infra p. cix, No. xxi.

(2) Prolegom. p. xiv et xxiii, et Annal. IV Mag. p. 89, 90, et Tigernach. ibid. col. 2, lin. 47.

(3) Antiquissima extant in Codicibus Bodleianis Laud F 95, et Rawl. 487, de quo supra p. lx. Hunc Codicem, cui titulus in Elencho *Gigantomachia,* Macphersono ostendit cl. Bibliothecarius Pricæus, cui id mihi testanti, se nec verbum quidem Carminum istorum intellexisse confessus est! Adeo verum est, non solum non extare Oissini Carmina genuina, sed nec ista sæculi XIII vel XIV figmenta, adhuc bona fide, non dicam a quovis editore edita, sed neque a quovis amanuense descripta esse; unde colligere liceat, quam vere scripserim quæ supra p. lx, No. XCII, et in Prolegom. p. xii, xiv, xx, xxii, li, lxvi, et quam merito Hume in Epistola ad Gibbonum inquit—" I see you entertain great doubt with regard to the Poems of Ossian. You are certainly right in so doing. " It is indeed strange, that any man of common sense could have imagined it possible, that above " twenty thousand verses, along with numberless historical facts, could have been preserved by " oral tradition, during fifty generations, by the rudest perhaps of all the European nations, the " most necessitous, the most turbulent and unsettled. [loquitur de Scotiæ Albanicæ monticolis et " Insulanis.] Where a supposition is so contrary to common sense, any positive evidence of it ought " never to be regarded." Gibbon's Miscell. Works, vol. 1, Lond. 1796, p. 149.

(4) Antiquissima quæ de *Finno* extant Scotorum Albiensium testimonia sæculum XIVtum non excedunt, *Barbourii* nempe et *Boethii.* Vide Report of the Committee of the Highland Society, Edin.

etam,(1) et *Cronanum* Connaciæ Poetam, qui sæculo VI floruit,(2) aliosque plures omittens,(3) quorum opera periere, eos tantum adduco, e quorum scriptis, suo ævo manentibus, Tigernachus Regum Hibernorum initia, exitusque, medio sæculo XI, colligere et conferre curavit.

Carmina et Auctores antiqui Hibernici ex Tigernachi Codicibus Bodleianis Rawlin. 502, *fol.* 2, *col.* 2, *et Rawlin.* 488.

I. Anonymi Distichon de anno nativitatis *Fidati Feidhlach,* i. e. Fidati Justi.—Extat pariter in Annalibus Buellianis, ut supra p. xli. Antiquum esse indicat, aliis rationibus prætermissis, quod, medio sæculo XI, a Tigernacho pro antiquo afferatur.

II. Codex Rawlin. 488, fol. 2, b. col. 2, lin. 27 —Anonymi Distichon de anno Incarnationis. Extat et in Codice Bodleiano Annalium Inisfalensium, exarato anno 1215, ut supra p. xlii.

Horum versuum antiquitati nonnulli objicient, æram communem ignotam fuisse ante tempora Dionysii Exigui, qui æram istam, annis centum post S. Patricii adventum in Hiberniam, primus excogitavit anno C. 532.—Aliud est autem Æræ Christianæ usum in calculis chronologicis invaluisse, aut in libris scribendis, vel in chartis, vel carminibus ad signanda tempora usurpatum fuisse, aliud vero annum Incarnationis nonnunquam a vetustis Scriptoribus memorari, ut, calculis retro subductis, indicarent quot anni a nato Christo, quot ab incenso Templo, quot a Diluvio intercessere. (4)

Incarnationis annum statuunt ante Dionysium, Tertullianus contra Judæos, J. Africanus

---

1805, p. 21.—De Finno antiquissima sunt Hibernica, quæ in Prolegom. p. xi, et seq. in Annal. IV Mag. p. 87 n. 1, in Tigernacho fol. 5, b, col. 2, lin. 15, in Vita vetere S. Patricii, ex Codice Salmanticense, in Triade p. 26, c. 67, in Probo, in Vita Tripart. ib. part. 2, c. 71, in Jocelino c. 81, in Annal. Ult. p. 223, n. 1, et Annal. IV Mag. p. 89.

(1) Vide IV Mag. Annal. p. 129 n. 1, itemque ann. 478 et 489, et Vitas veteres S. Patricii. Poetarum Ethnicorum Hiberniæ Carmina, ante S. Patricii adventum scripta, adducunt IV Mag. in Annal. ad ann. C. 106, et 283, ut supra notavi p. xx.

(2) Adamn. de Vita Col. l. 1, c. 42, et supra p. xx, n. 1.

(3) Omitto *Arnæum,* de quo IV Mag. p. 123, n. 1, et alios, ut supra p. xx, n. 5.

(4) Confer quæ de usu æræ communis inter veteres Hibernos dicta sunt Prolegom. p. cxxxii. Extat Epistola Claudii Presbyteri Hibernensis ad Justum Abbatem quæ incipit *Anno octingintesimo decimo quinto Incarnationis, &c.* Vide Usser. Sylloge p. 53.

apud Hieronymum in Chronico, Clemens Alexandrinus Stromatum l.1, S. Augustinus de Civitate Dei l.4, c.10.—Eusebius æræ Christianæ initium, uno anno istis omnibus posterius statuens, seriem annorum a Christo nato cum Fastis Consularibus coaptavit; et quamvis Fasti, et Imperatorum ac Indictionum anni, in signandis temporibus, absque æræ Christianæ usu invaluerint usque ad sæculum VI, et Dionysius, natione *Scytha*, is sit cui debemus quod "in Cyclo suo anni non per Olympiades, Coss. aut Indictiones, sed a Christi Incarnatione "numerari cæpti sunt," testante Beda,(1) et quamvis Beda ipse primus sit qui in libris scribendis æram vulgarem ad signanda tempora usurpaverit, et non ante Synodum Leptinensem in publicis Ecclesiæ Conciliis adhibita fuerit, constat tamen manifestissime annum Nativitatis sæpe inter Hibernos a sæculo VIII memorari, ut a Claudio Scoto, et ab Auctore Hibernense Operis de Mirabilibus S. Scripturæ, S. Augustino falso adscripti (2) et ab aliis vetustioribus, a quibus Dionysius methodum istam derivasse potuisset.

Æræ quidem vulgaris usum apud Hibernos non invaluisse usque ad annum 1020, Flaherteus *se existimare* declarat. Errat autem vir doctus, errore gravissimo. Ex isto enim principio semel admisso sequeretur, omnia fragmenta metrica Hibernica in quibus annus a nato Christo signatur, esse sæculo undecimo recentiora; *Eochodius* autem et *Maelmura*, qui annos a nato Christo nonnunquam enumerant, floruere sæculo nono, et Flaherteus ipse *Aidum O'Rathnen* spatium annorum 954, a nato Christo ad Dubliniense excidium, versibus compegisse fatetur, et Dubdaletheum, Antistitem Ardmachanum, annos enumerasse 978 a nato Christo ad obitum Donaldi O'Nial Regis Hiberniæ, qui, obiit A. D. 980.

Erravit quidem Dubdaletheus in putandis annis a Nativitate, cum plane pateat Donaldum O'Nial obiisse, non anno 978, sed anno 980. At non inde sequitur ignorasse æram communem, quam omnes Britannici et Hibernici Scriptores post Bedam, vel a Conceptione vel a Nativitate exordium petentes(3) adhibuere; non enim eadem est Æra communis et Epocha natalis Christi, cum hæc incerta sit usque hodie, illa explorata a sæculo VIto.

(1) Bed. de Ratione Temp. c. 5, et Tigernachus in Cod. Bodl. Rawl. 488, fol. 7, b, col. 1, lin. 26, ad ann. 532. Antiquissima quæ extat Epistola anno Incarnationis signata, ea esse videtur Gregorii M. 7 Epist. l. 12, Data vii Kal. Junii anno ab Incarnatione 593, Indictione ii.

(2) Annal. Ult. ann. 651, p. 50, not. 6, et Prolegom. p. cxxv, et cxxxiii, &c.

(3) Beda a Christi *Incarnatione*, annum orditur, nos ab ejus *Nativitate*, seu potius neglectis diebus 7 anni exeuntis, a proximis Kalendis Januariis annos Christianæ Epochæ supputamus; ut ubique Tigernachus, qui *annum primum* Æræ Christianæ, a Kalendis istis incipientem, Cycli Dionysiani *Tanasticum*, i. e. secundum, declarat. Vide Prolegom. p. x, xxiii, xxxvii, lxiii, cxxviii, cxl.

Errant et IV Magistri in putandis annis a Nativitate; nemo autem inde deducet ignorasse æram communem, quæ progreditur a Kalendis Januariis anni Juliani 46, Augusti 45, U. C. 754, Per. Jul. 4714, et solido quadriennio post Christi Nativitatem incæpit. (1) Nennius inquit se a *peritissimis Hibernorum* didicisse, quo anno Mundi Scoti ex Hispania Hiberniam pervenere, et quo anno Incarnationis S. Patricius ad Hiberniam, a Papa Celestino missus, advenit. Atqui Nennius in sua Præfatione inquit se scripsisse anno Incarnationis 858, regnante Mervino. Ergo æra communis Hibernis in usu fuit ante annum D. 858. (2)

III. Ibid. fol. 7, lin. 8.—Disticha bina ex vetere Anonymi Carmine de obitu Molbtachi occisi in prælio Kilosnadense anno D. 489. Hæc Disticha esse *Dubtachi mac Lugair* Archipoetæ Regis Laogarii, qui prælio isto interfuit, indicare videntur et idiomatis vetustas, et ea quæ in Annalibus IV Magistrorum dicta sunt ad annum 489 n. 1;—Colganus Dubtachi Carmina genuina, in vetere Codice scripta, sed nunc vereor deflenda, penes se habuisse testatur. Confer quæ de Dubtacho eodem dicuntur in Usserii Primordiis p. 1102, ubi eum erronee appellat filium *Vulgari*, Poetam egregium, pro filium *Lugari*. Probus, sæculo nono eum appellat *Dubtag Poetam optimum*, l. 1, apud Usser. p. 850, item Maccuthenus

---

(1) Vera nempe Epocha natalis Christi fuit *Augusto xii*, et *L. Cornelio Sulla Coss.* anno Juliano 41, Augusti 40, U. C. 749, Olympiadis 193 anno 4, Periodi Julianæ 4709, quinto ante æram communem ad finem properante. Æra autem ista communis eadem est cum illa quam Dionysianam appellamus. Sed cum Dionysius Cyclos suos inchoaverit ab anno Diocletiani 248, æræ com. 531, ut ipse in Epistola ad Petronium a Petavio edita declarat, et docet quoque Beda de Rat. Temp. c. 45, sequitur annum primum Cycli Dionysiani esse annum Julianum 45, qui proxime initia Æræ Christianæ præcessit, ac proinde Cyclum Dionysianum ab Æra Dionysiana uno anno discrepare. Errat ergo Flaherteus qui de *Ederscolio* Rege inquit—" *Ederscolio regnante Christus natus est*, ita Codex " Lecanus fol. 205, b. Flannus vero de Monasterio, in Synchronismi poemate, idem *Conarii primi* " diebus adscribit. Utrumque a meis rationibus non dissidet, quibus vera Christi Nativitas in annum " *penultimum Ederscolii*, et initium ætatis, qua utimur ex Dionysiana supputatione, in *annum pri-* " *mum Conarii* incidit." p. 129.—Hæc nequeunt consistere, cum Conarius post sex menses patri Ederscolio defuncto surrogatus fuerit, et quatuor integri anni intercesserint inter veram Christi Nativitatem et æram communem.

(2) Vide Prolegom. p. xxxviii, lxxii, et cxxxii, et IV Mag. Annal. ad ann. 925, 928, et 1133. Annal. Ult. 651.—Casleus Specimina exhibet Chartarum 22 Regum Anglosaxonum, in quibus anni ab Incarnatione memorantur ab anno 680 ad ann. 962. Extant aliæ in hac Bibliotheca Stowense, in quibus anni ab Incarnatione numerantur ab anno 693, quovis sæculo usque ad 12 mum. Confer et Nennium in xv Scriptorib. ed. Oxon. 1691. p. 100 et 101.

ib. p. 851. Carminis antiquitatem indicant phrases jam obsoletæ, et a recentiorum idiomate alienæ—

Lin. 8. " *Adbath craeb dos bili in oir Aengus Molbtach mac* Nad-
9. " fraich *facbaigh la h Illand na rath sin cath Cellos*
10. " nad clain." Confer dicta supra p. xx.

IV. Ibid. lin. 18.—Anonymi veteris Distichon de obitu S. Patricii. Extat et in IV Magistror. Annal. ad ann. 493, p. 133.—Hujus Distichi antiquitati objicient forte nonnulli putida ista, et viro docto indigna, quibus S. Patricii missionem uti fabulosam, Scioli quidam respuere conati sunt. Horum autem miseram ignorandi jactantiam non invidendam esse, demonstravi in Prolegom p. xlix, uti supra p. lxxv; ubi, ex Vita vetere S. Gertrudis Nivallensis, scripta ab Auctore æquali, S. Patricii Sanctitas, et ad Hibernos Apostolatus, expressis verbis, et testimonio nunquam labefactando comprobatur; præsertim si cum iis conferatur quæ ex Adamnano, ex Cummineo, ex Cyclo S. Patricii, ex Alcuino, et ex Antiphonario Bennchorense annorum mille, in Prolegomenis coacervavi, quæ omnia consentiunt cum Muratorii et Montfauconii testimoniis, in Prolegomenis nostris ibidem, et cum Bibliotheca nostra Hibernico-Cottoniana, ubi quæ falso et mala fide Usserio tribuitur sententia, manifeste refellitur, et nunquam ab Usserio, nisi pro stolida, habitam fuisse, demonstratur. (1) Confer Riveti Histor. Literar. t. 4, p. 39, et t. 6, p. 292, et Dom. Bouquet Recueil des Hist. de France T. 2.

V. Ib. lin. 38.—*Cennfaeladii* Disticha bina de prælio *Segsa*, gesto a Murcertacho filio Ercæ Rege Hiberniæ, contra Duachum, cognominatum *Linguæ Æris*, Regem Connaciæ, anno C. 502. Horum versuum antiquitati nemo objiciet, qui et idiomatis vetustatem, et Cennfaeladii tempora perpendet. Obiit enim Poeta iste anno D. 678.—Extant eadem Disticha in Annal. IV Mag. ad ann. 499, æræ com. 502. Confer Annal. Ult. ann 501, pag. 10, not. 2. De obitu Cennfaeladii vide Annales eosdem p. 12, not. 3, et Waræi Scriptores Hiberniæ.

" *Cath Seghsa ben do mnaib f. do* ruair *ro bo cro derg*
" *ar cruisigh la Duisig ingin* Duach," &c.

VI. Ib. col. 2, l. 8.—Anonymi Distichon de Prælio *Fernmagiense*, gesto contra Fiachraum filium Nialli, per Falgios Beradenses, anno 507. Alius est Fiachraus filius Regis Eochodii Muigmedonii, qui in Prælio Ceannreense occubuit, annum circiter 380, lapide sepulchrali, charac-

(1) Bibliotheca Hibernico-Cotton. Julius C. V, ex ipso Usserii autographo. Confer Smithi Epistolas Camdeni, Londini 1691, p. 238.—De S. Patricii *Codice Evangeliorum* vide infra p. cvi.

teribus Oghamiis inscripto, insignitus. (1) Hoc Distichon eandem præsefert antiquí idiomatis notam, quam Cennfaeladii versibus adscribendam esse præscripsimus.

Lin. 8. " . . . *tar cremla cille cath Ferna Midhi* meabaid

9. " *In rig aile as inbind Fiachra mc Neill na* celigh *is fair*

Confer quæ de antiquissimis Hibernorum Metris dicta sunt in Prolegomenis p. lxvi, &c.

VII. Ib. lin. 18.—Distichon vetus S. Patricio adscriptum de obitu Erci primi Episcopi Slanensis, qui obiit anno 513.(2) Extat et in Annal. IV Mag. ad ann. 512.—Usserius Erci obitum refert ad ann. 514, anno ætatis 90, Primord. p. 1047 et 1126. Auctor 2dæ Vitæ S. Patricii, testis fere coævus, in Triade p. 5, hæc habet—" Laogarius Rex, junctis *ternis novies* " *curribus*, secundum traditionem Deorum, assumptisque duobus Magis, *Luchamael* et " *Lochu*, in fine noctis illius,(3) venit ubi fuerat Patricius, hominumque et equorum facies, " secundum morem illorum congruum, atque omen aptum, ad levam verterunt, ... et " vocatus est S. Patricius, imperavitque Rex, ut nemo consurgeret in adventu ejus, ... et " nemo surrexit in adventu ejus, sed unus eorum *h Erc* nomine filius Dego. Sequenti " vero Dominica Paschæ, recumbentibus Regibus et Ducibus Temoriæ, aliisque cogitanti- " bus de his quæ contigerant præcedenti nocte, Patricius clausis foribus pervenit. Eodem " modo nullus in honorem ejus surrexit, excepto uno *Dubtacho mac hua Lugair*, qui cla- " rus Poeta erat, in cujus discipulatu erat quidam adolescens nomine *Fiec*." Eadem habent sæculo VIIIvo Maccuthenus apud Usser. p. 850, IXno Probus, XIImo Jocelinus c. 41. De Dubtacho vide dicta supra p. ci, cii.—Porro *Fiec* de quo hic agitur, is est cui Carmen Hibernicum tribuitur, in *vetustissimo Codice Hymnorum*, partim Hibernico partim Latino sermone conscripto, uti notavit in Epistola ad Vossium Usserius. Vide Prolegom. nostra p. lxviii.—De Codice Evangeliorum S. Patricii vide Tigernachi Codicem Bodl. Rawl. 488, fol. 7, col. 1, lin. 1, et Annal. Ult ann. 838, p. 264 n. 1, et supra p. lvii, lviii, et IV Mag. Annal. p. 733, not. 1, et supra p. lvii, lviii.

VIII. Ib. lin. 25.—*Cennfaeladii* Distichon de Prælio *Dromadergense* gesto anno 517, ut in Annal. Ult. ann. 516, ubi idem Distichon iisdem verbis ad unguem servatur.

IX. Ib. lin. 37.—Anonymi veteris Distichon de *Buteo* Bronagense, defuncto eodem anno quo S.

---

(1) Annal. Inisfal. p. 136, et supra p. xxxiii.

(2) *Slania* in Orientali Midia nomen adhuc retinet, et Fleminganæ sive Flandrensis familiæ Proceribus Baronis titulum impertivit; olim Episcopali Sede insignis.

(3) Vide supra p. lxx, ubi de Solemnitate Æquinoctiale Hibernorum.

Columba natus est, anno nempe 519, i. e. 26to ab obitu S. Patricii. (1) Hic est Buteus à quo Monasterium Butense in Lowthia nomen derivavit, ut in Annal. IV Mag. ad ann. 521. Ab eodem Monasterio Flannus, Poeta Hibernensis qui Carmen Hibernicum Synchronorum composuit, *Flannus Butensis* appellatur, qui obiit, ut in Annal. Ult. anno 1056. Aliud ejusdem Carminis Distichon servant IV Magistri ad ann. prædictum 521.

Line 37. " . . . *mradh nuabair bas bain buadhaig m.* Bronaig

38. " *Gen chain Colaim an Cleirig indiu os Er* Eeolaig f. *aen lith*

" *Buite bratha bri comb*laidh—*ti cechtratha dom cob*hair.

" *Geal glac go ngloraibh ngluinn ng*loir—*degh mac Bronn mc Bo*lair.

X. Fol. 7, b, col. 1, lin. 8.—Anonymi veteris Distichon de Prælio *Luachrano* gesto anno 524, proximo post obitum S. Brigidæ.—Idiomatis vetustas inspicienti manifesta est.

Line 8. " *Ċath lond Luachra huasan*uas—*adces brighid ni*

9. " *fis* fass, *Flandchadh Findabrach ba* huais—*im corb. nilladain*

" *iarm*bass."

XI. Ib. lin. 36.—*Cennfaeladii* Distichon de Præliis Cindechense, Almanense, Adneense, Cliachense, et Campi Albei, gestis anno 533, ut in Annal. Ult. ann. 532, pag. 15, n. 1, et in IV Mag. Annal ann. 526. De hoc Poeta vide supra p. cv, No. v.

XII. Ib. lin. 40.—Disticha vetera sex de dimersione Regis Hiberniæ *Murcertachi* filii Ercæ in dolio pleno vino, anno æræ com. 534.—Huic Regi annos xxi assignavi supra pag. lxxv, consentiuntque Annales Ulton. ad ann. 533, et Tigernachus, ut in nota ibid.—Paulo diverse ejus obitualem annum, ex alio Tigernachi Codice, statuit Flaherteus; ita tamen ut secum pugnare inveniatur. Annos enim 21 ei tribuit ab anno 513, idque non solum in margine, verum etiam bis in textu p. 430. Attamen quia Tigernachi Codex, quem penes se habuit, annum quo Murcertachus pridie Kal. Nov. obiit, et quo successor ejus Tuathalius regnare cœpit, Sabbati charactere Kalendis Januariis designavit, et *undecim* regni annos Tuathalio tribuit, inde argumentatus est annum istum fuisse æræ vulgaris 533; minime advertens Tigernachum ibi æram vulgarem antevertere anno uno, et feriarum notas esse erroneas. Neque Sabbati charactere annum istum in Codice Bodleiano notatum invenio, sed charactere *V*, qui tamen error est amanuensis.

Dolium vini quod attinet, difficultas nonnullis primo aspectu insuperabilis apparebit. Imprimis autem Poetæ veteris nomen, cujus Disticha Tigernachus adducit, extat in IV Ma-

(1) Confer Prolegom. p. cxxxix et seq.

gistror. Annal. ann. 526, ubi primum ejusdem Carminis distichon servatur; unde patet fuisse *Cernachum,* qui eodem tempore floruit. Extant præterea ibidem de eadem re duo Disticha *Cennfaeladii,* et unum cujusdam *Sinni,* pariter coævi, quorum omnium auctoritates, vetusto idiomate scriptas, Tigernachus in unum collegit his verbis—

Lin. 40. " *Dher iten f. taeb. cleitigh,*
41. " *Is imomun arin inbein maluaigfe ilarsin ar fiur loiscfi*
42. " *baidhfes* fin. *As misi taethen ·i· airig* Neill *is gain adaigh*
43. " *mainm in gach airm as* rein *Sin in bean ro* marb thu *a mc*
44. " *Earca* marad chiu *bidh imda a hanmand* a fus *cuirfid*
45. " *neach for ain* eolus *ni hinmuin in ben dianadh comainm*
46. " Sin *modhaigin rig loisces* ten *a tigh Cleitigh baigfidh* fin
47. " *Fillis inri mc Earca illeith h.* Neill *sirit fuil fer nuiga*
48. " *muig brogais cricha* cein ·*II*· *Cendfaelad cc. ba vii f*[s].
49. " *ais naei cairpthiu,* 7 *bid cian bus* cuman *do bt. giallu*
Col. 2, lin. 1. " *ua Neill la giallu muighe* Muman.—*Sin dixit a cindisin a hanmann*
2. " *osnadh* easnadh *sin cenail gaeth garb* 7 *gem*adhaigh *oc sad iach*
3. " *tadh radh* gen gai *ite manmann ar* aen chai."

Hæc, quæ legentibus et non intelligentibus prosaica videntur, revera metrica sunt et rhythmica, ut in Annalibus ipsis indicavi, et longe diversa ab iis Oissino falso adscriptis, quæ figmenta esse, et viro docto penitus indigna, supra observavi p. lxi ut infra p. cxi. Quid autem mirum si inter istius ævi Hibernos vini dolia inveniamus, cum Tacitus, ipso Christi sæculo primo, de Hibernia hæc habeat—" Insula medio inter Britanniam et Hispaniam sita, Gallico mari opportuna, Insulas Tyrrheni maris magnitudine superans, et " meliores habens aditus, *portusque, per commercia et negociatores cògnitos,* quam ipsa " Britannia," &c. ut in Annal. Ult. Annot. p. 153. Jonas etiam, S. Columbani Discipulus, qui paulo post Murcertachi tempora floruit, inquit navem in quam Columbanus a Rege Theodorico conscendere jussus est, " navem fuisse *Scoticam,* i. e. Hibernicam, quæ a " Nannetensi urbe in patriam Columbani redibat." Vide ibid. Elenchum ad p. 192.

XIII. Fol. 7, b, col. 2, lin. 6.—*Moctei* primi Episcopi Lowthensis Epistola, scripta ante annum 535 quo obiit, a Tigernacho hic memoratur, uti etiam in Annal. Ult. ad ann. 527, et not. 5 ibi, et ann. 534, æræ com. 535.—De *Moctei* ejusdem Chronico vide Annal. IV Mag. p. 148, n. 1, et p. 201, n. 1.

XIV. Ib. lin. 8.—Duo Disticha Anonymi de Moctæi prædicti longævitate. Extant et in Annal. IV Mag. ad ann. 534, procul dubio antiqua.—De longævitate Monachorum Hiberniæ vide Prolegom. p. cxiii.

XV. Ib. lin. 14. " *K. I. Huc usque perduxit Marcellinus Chronicon suum.*" Hæc referuntur a Tigernacho ad annum æræ com. 533 quo Johannes 2 dus Bonifacio 2 do Pontifici Romano successit. Atqui Marcellinus Comes S. Hieronymi Chronicon continuavit ab anno 379, quo desiit, ad quartum Justiniani Consulatum, qui fuit æræ com. 534, ut patet ex editione castigata Sirmondi, quæ prodiit anno 1619, et ex Cassiodoro Divin. Inst. c. 17, et 25. Ergo Tigernachi de Marcellini Chronico auctoritas, cum doctissimorum et probatissimorum fide consentit.

XVI. Ib. lin. 31.—De anno obituale *Mobei Claudi,* qui, *Bercanus Brecanensis Poeta* dictus, obiit grandævus anno D. 545, ut in Annal. Ult. ad ann. 544.

XVII. Ib. lin. 37.—Duo Disticha Anonymi de Prælio Sliguntino gesto anno D. 542, contra Eoganum Bel Regem Connaciæ, per Fergusium et Donaldum, duos filios Murcertachi filii Ercæ, et per Anmireum filium Seduei, postea Regem Hiberniæ, ut in Annal. Ult. ann. 546, et in IV Mag. Annal. ad ann. 537, sed paulo immutata ab his—

Line 37. . . . . *Fichth cath h. Fiachrach la Fergus*
i
38. *feabairtar im* Bel—*gessit buar nann f sleaga sreata in catha*
i
39. *i* Cnder—*air celt sligeach do muir fhuil fher lia*
40. feoil.—*berlait ilaigh tarreib im chend Eogain* Beoil.

Conferantur disticha ista cum iisdem, ex alio Codice descriptis in Annalibus IV Magistrorum ad ann. 537, et deinde cum recentioribus istis, quæ Oissino nostro a Scotiæ modernæ Ludimagistris falso tribuuntur. Equidem nemo est vel minimum in rebus Celticis versatus, qui non primo aspectu, in idiomate ipso, et in Rhythmorum sono, differentiam perspiciet, quæ veram et genuinam in his antiquitatem, in istis spuriam sequioris ævi mendacitatem indicat, ut fusius infra patebit p. cxx

XVIII. Fol. 8, col. 1, lin. 4.—*S. Ciarani* Distichon de Patre et Matre sua, scriptum ante annum 549, quo Ciaranus obiit, ut in Annal. Ult. ad ann. 548.

XIX. lin. 18.—Annus obitualis *Becci* filii Deei Poetæ, qui varia de rebus futuris æque ac præteritis Carmina composuit, ac proinde *in Faidh,* i. e. Propheta dictus est. Obiit autem anno 553, ut in Annal. Ult. ad ann. 552, ubi et Chronicon *Cuanachi* memoratum legimus, et Codicem Evangeliorum S. Columbæ, dictum " *Codicem scriptum ab Angelo.*"

XX. lin. 30.—Distichon Anonymi de fundatione Ecclesiæ Cluanfertensis S. Brendani anno 558 ut in Annal. Ult. ann. 557. Confer annum 563 ibid.

XXI. lin. 41.—S. Columbæ Cille Disticha bina de Prælio Culedrevnense gesto anno 561, ut in Annal. Ult. ad ann. 560.

" *A de cidh na dingbai* dind—*in ceo duss in ruirmemis*
" alin—*insluaigh do boing bregha* din—*sluagh do ching a timchell*
" chairn—*is mc ainbthe notus* mairn—*ise modi nim in er m De*
" *aslium* congeba *i salaind feras in luadh gabair baedain ria*
" *sin sluagh* fola—*baetain fuilt buidhi b. aig a h eren* fuirre

XXII. lin. 45. *Fraecanus* filius Teniusani floruit, qui Diarmitio Regi Hiberniæ persuasit ut Druides e regno expelleret. Item *Tuathanus* filius Demani, filii Sarani, filii Cormaci, filii Eogani. (1) Confer Annal. Ult. ann. 595. cum dictis supra p. ci.

Ex his, et aliis supra dictis p. ci, facile perspiciet Lector, quam præceps fuerit Pinkertoni judicium, qui iterum iterumque, non solum Druidum doctrinas Hibernis ignotas fuisse clamat, verum et ipsum nomen. " They who speak of Druidism in Ireland are mere " visionaries, there is not a shadow of authority for Druids in Ireland. Druidic is be- " ginning to be a term for the most nonsensical nonentity of Antiquism. In Ireland there " is not a shadow of authority for the very name of Druid being known. Antiquaries might " with equal reason give us Bonzes or Dervises in Ireland." Enquiry into the Hist. of Scotl. Lond. 1789, vol. 1, p. 17, et 405, 6!

XXIII. Fol. 8, col. 2, lin. 6.—Disticha tria, Auctore *Cennfaeladio* coævo, de prælio Monadarense gesto contra Pictos per O'Niallos Septentrionales, in quo septem Reges Pictorum interfecti fuere, anno æræ com. 563, ut in Annal. Ult. ad ann. 562, et not. 2 ibi.

" . . . . . —*bur comraime nad c. t—uii righ Cruith*
" *sinsit faebuir sinsit* fir—*a moind'g daire lotair—ad*
" *neach im Aedh mbrecc—ficther cath Cruithne n uile 7 f.*
" *loisc.t* elne.—*fidht cath Gabra Liffi 7 cath Cuile d*remne—
" *Bensat giallu ria Ogail assiar im chnuas* nuach—*Fergus Dom*

---

(1) Tigernachi verba sunt—*Fraechan mc Teniusain ise do rinni inairbe n* Druadh *do Diarmait. Tuatan mac Dimain mc Sarain mc Cormaic mc Eogain ise ro la inarbe* Druadh *dara chen.*"

" *nall Ainmire 7 Nindigh mc* Duach—*fillis de mac meic Earca*

" *arcend in catha* cetna—*7 in ri Ainmire adbath a selbaibh*

" setna

XXIV. Ib. lin. 29.—Anonymi veteris Disticha bina de Prælio Gaurano gesto anno 565, vel 566, contra Lagenienses, per Fergusium et Donaldum, ut in Annal. Ult. ann. 564 et 565, et in Annal. IV Mag. ad ann. 559. Confer dicta de his Regibus supra p. lxxvii.

" . . . . *Cath Gabra 7 Cath Duma*

" Aichir—*atbath amra a ces.arnai colcu 7 a* athair.—*Cath Gabra*

" *ni cath duine na* diched—*adbath fiche o faell o aill. xx* xxit.

XXV. Ib. lin. 38.—Anonymi Distichon de obitu Regis Anmirei filii Sednei, de quo supra p. lxxvii. Extant in Annalibus Ultoniæ ad ann. 575, Confer IV Magistrorum Annales ad ann. 571.

" . . . *Femin an tan rom bai* ri—*nir bo muat*

" *a* detla—*indiu is for d·g a* lii—*la h Ainmire mc* Setna.."

XXVI. Ib. lin. penult.—Anonymi Distichon de Prælio Feminense, gesto anno æræ com. 573, a Carbreo filio Crudani Rege Momoniæ, in quo Colmanus Parvus victus est, ut in Annal. Ult. ann. 572.

" *Direach he o find co* bond—*fer feraite Cairp* crom—*aire*

" *ro gab ainm ria* ais—*ara altrom a crom* glais."

XXVII. Fol. 8 b, col. 1, lin. 1.—Distichon vetus de obitu Brendani Birrensis, qui fuit *Neimandi* clari Poetæ filius, obiitque anno 571, vel 572, ut in Annal. IV Mag. et Ult. ad ann. 571.

Mairg nach cidind (n) *mor a* rath—*mairg nanailind f. a* rith.

iiii. xxit. 7. c et—*isemet ro bai arm*bith.

XXVIII. Fol. 8, b, col. 2, lin. 22—Anonymi Distichon de obitu Colmani Parvi in Prælio *Belagdathense,* anno 593, ut in Annal. Ult. ann. 592.

" . . . *Mebaidh amm adfiadar for Colum in cath* cedlach.

" *Serigh setsretaibh sorann re Dall 7 Eogan* daigh.

XXIX. Ib. lin. 39.—Anonymi Distichon de Prælio Euduindi Magni, gesto anno 594, in quo cecidit Gertigius filius Ronani Rex Cianachtorum, et Fiachnaus filius Baodani victor erat. Extat totidem verbis in Annal. IV Magistror. ad ann. 590. Sic—

" . . . *in fes. naile do* regha—*Fiachna mc Baedain*

" *am*brega—*biad cians. i* fout—*ni bud foicsiu do* road.

XXX. Ibid. lin. 43.—Anonymi Distichon de obitu S. Columbæ Cille anno D. 596. Extat

iisdem verbis, et idiomate vetusto, in Annal. IV Mag. ad ann. 593, ubi Citharæ Hibernicæ mentio reperitur—" *Is abhran re cruit gan* ceis—*Sinde deis air n argain* uais."(1) Ad Citharam hanc, *Cruit* dictam, respexit procul dubio Adamnanus, ubi de Cronano Poeta Roscommanense inquit, eum *ex more suæ Artis Carmina modulabiliter decantasse.* l. 1, c. 42. uti supra p. xv, xix, et ci, et infra p. cxvi, &c.

XXXI. Ibid. lin. ult,—Anonymi Distichon vetus de obitu Cumuscagi filii Aodhi, occisi per Brandubium filium Eachachi apud Arcem Buced, anno 597. Extat in IV Mag. ad ann. 593.

XXXII. Fol. 9, col. 1, lin. 7.—Anonymi Distichon vetus de Prælio *Dun-Bolgense,* gesto iv Id. Januarii, anno æræ com. 598-9, in quo Aodhus I Rex Hiberniæ occisus est, uti supra pag. lxxviii. Extat et in IV Magistror. Annal. ad ann. 594.

" . . . . *Ambuach—ferus in tonn*
" *i* *f sin mbruach—adfed scela cises* scith—*Aedha mc Ainmirech*
" *ad* bith." [i. e. unda quam impellit tempestas contra littus—indicat Sepulchrum ubi et Sagitta Aodum filium Anmirei quæ occidit.]

XXXIII. Lin. 9.—Aliud de Aodhi ejusdem obitu Distichon, quod cecinit conjux ejus, uti patet ex Tigernacho id expressis verbis referente, et ex IV Magistror. Annal. ad ann. 594, ubi verba *Ben Aodha* ex Tigernacho interpretanda sunt *Conjux Aodhi.*—Nemo est rerum Hibernicarum peritus, qui non facile perspiciet, hos versus antiquos esse, non solum quod a Tigernacho ad sæculum sextum referantur, sed ex ipso idiomate.

XXXIV. Ib. lin. 32, et 36.—Quatuor Anonymi Disticha de obitu *Colmani Rimedo* Regis Hiberniæ, occisi anno æræ com. 605, ut supra p. lxxviii, et de obitu Regis Aodhi Slanensis eodem anno.—Extant in IV Mag. Annal. ad ann. 600, sed quoad orthographiam paulo immutata. In Codice enim Bodleiano sic scripta leguntur.

lin. 32. . . . . *Cetu i righe*
33. *cetu irrecht cetu ant̄ f* (i, n) rigda *enig Colmain* Rimedha *rom bii*
34. *Lochan* Dilmana.
36. .... *Nibuar mairt ī da*
37. *raile do ocaibh tuaithe* turbe. *Ɔall ro bii Aedh Slaine Aedh*
38. *Slaine ro bi* Suibne.

---

(1) Romanusque *Lyra* plaudat tibi, Barbarus *Harpa.*
Græcus Achilliaca, *Chrotta* Britanna canat. Venant. Fortunat. l. 7. Carm. 8.

XXXV. lin. 42.—*Colmani* filii *Lenini* Poetæ, cujus carmina nonnulla extant in hac Bibliotheca Stowense, annus obitualis 605, et carmina hic memorantur, uti etiam in IV Magistror. Annal. pag. 182, not. 1, et in Codice Bodleiano Laud F. 95, ubi quædam ejus fragmenta ex sæculi noni Codice descripta leguntur.

XXXVI. lin. 46, et 48.—Anonymi coævi Distichon de obitu Brandubii Regis Lageniæ, occisi anno æræ com. 605, et *Lagneni* Poetæ disticha bina de obitu ejusdem. Extant et in IV Mag. Annal. ad ann 601, sed quoad orthographiam paulo diverse a sequentibus.

lin. 46. .... *Saran saebdc̄ seol glan*

47. gle—*Aircindeach Senboth* Sine—*in dalb cen bandul a b*reath—

48. *romarb Brandub mac* Each.—de quo in Caillech Laig̅ dixit *Madh*

49. *im beath mc* Each—*dotisadh in tuaiscertach*—*in cath ima* nuairidar—

50. *iscian odo fuas*carfadh—*diamadh aitreb tⁿe*dhaigh—*mc Each*

Col. 2, lin. 1. *mc Muir*redaigh—*noco b. aind mo bolc* lan—*do chill arae mc Aeda*

2. Allan."

In IV Magistror. Annalibus eadem disticha sic scripta leguntur.

Lin. 1. *Saran soeb deirc seol go* se—*Aircinneach sen boeth* sine,

2. *E ni dalb gan brandul br*ath—*ro marb Brandub mc Eath*ach.

Laign sain redach ro raidh inn so—

3. *Madh imbethaidh mc Eath*ach—*dom hi sadh in* tuaiscertach,

4. *In cath ima* nuarathar—*as cian a do* fuaiscertfadh,

5. *Diambadh hi treb* tuireadoigh—*mc Eathach mc* Muirethoig,

6. *Nocha beroinn mo bolg* lan—*do cill ar as Aodha All*ain.

XXXVII. lin. 22.—Anonymi Coævi Distichon de obitu Aodhi filii Colgani Regis Argialliæ anno æræ com. 610. Extat et in IV Mag. Annal. ad ann. 606, sed quoad orthographiam paulo immutatum ab his—

Lin. 22. .... *Ro bai tan ba lind* ordan—*loch̨* Dadam *ni bue in*

23. *loch ba* hordan—*s. flaith Aeda mc* Colgan—*Cumadam nad mair*

24. *cara ro* dumcar—*cebe focerⁱ tllsib tabᵉ ᵉtindsi locho D*adam.

Lin. 32, Anonymi Coævi Distichon de prælio Odbhæ gesto anno æræ com. 612 quo Maelcoba regnare incæpit. Extat quoad verba in IV Mag. Annal. ad ann. 607, sed quoad orthographium paulo immutatum ab his—

........................*In sce i mull* Odh*ba a caec*

aid og[n] *ni* leas—*deth b. di co leic a tend ro bai mor cend ina* creas.

XXXIX. fol. 9, b. Col. 1, lin. 8.—" Usque ad hunc annum Isidorus scripsit Chronicon suum. Ita dicens " Heraclius dehinc quintum annum agit Imperii. Hoc est in anno quinto " Imperii Heraclii et quarto Religiosissimi Principis Sissibuti, sunt ab exordio Mundi " usque ad Heraclii annum præsentem, i.e. quintum, V DCCC XIV,"—Eadem leguntur in Annal. Ult. ad ann. 616, æræ com. 617; quæ quamvis non omnino accurata, Heraclius enim regnare incæpit anno 610, quod duorum annorum a Tigernachi rationibus discrepantiam indicat, ejus tamen in conciliandis veterum calculis studium, eosque cum Regum Hibernorum annis componendis industriam demonstrant.—Isidori Chronicon primo accurate edidere Monachi S. Germani a Pratis, Parisiis 1601. Claruit ab anno 595 ad 636, Chronicon autem ejus desinit in anno 626. Vide Labbe de Script. Eccles.

XL. lin. 18.—Disticha duo, Auctore *Cumminco* coævo, de obitu Fergusii filii Colmanni occisi anno æræ com. 618, quo Coemginus, sive Kevinus Glindalochensis, *3tio Nonas Junii*, anno ætatis suæ 120 obiit. Extant et in Annalibus IV Mag. ad ann. 613, p. 19, sed ab his paulo immutata quoad orthographiam—

Lin. 18. ....*Mad domtisad im mot*each—*h*. *mesca ba*
19. *hanar*tach—*us. dorbach do* ber do—*fo bith ɔad* Ferguso—
20. *Ceptan do chorat* buidne—*cineol Colman sech* cuillne—
21. *iarmifo set disu*iidiu—*Sil Meschan imbla*itiniu—*Sc*[t]
bend in Cumnin.

XLI. lin. 24.—Anonymi Coævi Disticha bina de obitu Aodhi Bendani, Occidentalis Momoniæ Regis, anno æræ com. 619. Extant et in IV Magistror. Annal. ad ann. 614, pag. 193, sed quoad orthographiam paulo diverse ab his—

Lin. 24. ....*Aed Bendan don Eoganas̄ iar* Luchair—
25. *mairg*[e] *setaib dianadh ri cenmair dia* tuataib.—*dian* bu
26. achail—*asciath in tan* fochrotha—*abid badhu* fobota—*ce*
27. *sa becan for* amuin—*as ditiu do ni ar Mu*muin.

XLII. lin. 28.—Disticha duo de obitu Fingheni, filii et successoris Aodhi prædicti, ex Carmine Conjugis suæ, casum ejus sic deplorantis—

Lin. 28. ....*In Muma re lind Fingen*

29. *mc* Aeda—*Bennan* a bregha—*rob dar lan* a *cuil*edha—*rob dar*

30. *toirrtigh* a treba.

XLIII. lin. 43.—Duo Disticha Poetæ *Benindine Eiceas* de dimersione Comegini Conangi, filii Aedani filii Gabhrani, anno æræ com. 622.

Lin. 43. .... *Tonda mara morglan gan rodoto*

44. icsitar—*macach fleachadh find for Conaing cond cos*

45. eatar—*in bean ro la a mongfind in churach f Con*

46. aing—*is ro tibhi a gen andiu f bili tor*tan.

XLIV. fol. 9, b. lin. 2.—*Fiachi* Poetæ Coævi Disticha duo de expugnatione Arcis Gualæ anno æræ com. 623. Extant et in IV Magistror. Annal. ad ann 618.

XLV. lin. 6.—*Falbei Fidbadi* Distichon de Dario filio Aedhi Allani a se vulnerato anno æræ com. 624, ut in Annal. Ult. ann. 623.

Lin. 6. .... *ce dana damsa guin Daire air ni rubuda*

7. rene—*isand ro airg cach a daeil oro airg an diu* lene.

Extat et in IV Magistror. Annal. ad ann. 619.

XLVI. lin. 8.—Matris Darii prædicti Distichon de obitu Falbei prædicti, occisi in vindictam, pro filio suo.

Lin. 8. .... *bagain*

9. *sair—mba togail indsi cail—diamtomat gair nam* bidh—

10. bad—*im cend Failbe Flaind* Fidhbadh.

XLIII. Lin. 16.—*Becci Borchæi* Poetæ Coævi Disticha duo de obitu Mongani filii Fiachnæ Lurganensis, anno æræ com. 625, ut in Annal. Ult. ann. 624.

Lin. 16. .... *is fuar*

17. *in gaeth daraile do fuil oca i* cindtire—*do gena gnim*

18. *amnus de muirfidh Mongan mc* Fiachnae—*Land Cluana*

19. *Airtir indiu amra ni ceatr f.* sriadhad—*Cormac caem f him*

20. *ochidh 7 Illand mc* Fiachna—*ocus indias ele dia foghnonn mor*

21. *do* thuaithaib—*Mongan mc Fiachna Lurgan 7 Ronan mc* Tuathail.

Extant et in IV Magistror. Annal. ad ann. 620, et quidem paulo accuratius quoad orthographiam, quam in Codice hoc Bodleiano.

Lin. 48.—Distichon Anonymi de Prælio Duncethirnense gesto anno æræ com. 629.—Extat et in IV Mag. Annal. ad ann 624.—

Lin. 48. ....*cath Duin Ceithirn imbi cru ar suilib*

49. glassa—*batar for slicht Ɔgail crim cholla munremra* massa.

Habemus itaque Scriptorum Hibernensium fragmenta a Tigernacho servata, qui ante sæculum VI, VII, et VIII floruere, quorum nomina, et tempora, et verba ipsa servantur, et quorum idioma vetus, Tigernachi de eorum antiquitate testimonium manifesta demonstratione confirmat. Quis enim in Lingua Hibernica vel modice imbutus, qui non plane perspiciet prædicta excerpta metrica, ab iis scripta fuisse, qui de rebus sibi notis, lingua a vulgari Hibernica diversa, et Rhythmis a Græcorum et Romanorum methodo abhorrentibus, carmina sua, juxta *veterem Hibernorum Artem*, ab Adamnano sæculo 7mo memoratam, componere satagerunt, ut rerum istarum memoria ad posterorum notitiam servaretur. Quis Artem istam non perspicit, non solum in prædictis, verum etiam in sequentibus de obitu Ragallachi Connaciæ Regis, in eodem Codice, folio 10, col. 2, lin. 24.

Lin. 24. *Ragallach mac Uatach gaeta de muin ghei*leach—*muireann*

25. *deich moro chich cathal deich mode*rech—*nir greis*

26. *annin do Cathal eia contola* i *fa* rigaib—*ciasa cathal cen*

27. *athair nirsahathair cen* digail—*adaig sin dia dia* digh

28. ail—*atarailig neet ɔ a se firu L* ait—*airgnig*. VI. *hairgne*

29. *deag*.

Eadem Rhythmica Scribendi methodus, Hibernis, *juxta veterem* Artem,(1) ab immemorabili propria, ibidem notanda est, linea 48, ubi duo Disticha servantur cujusdam *Maolodrani*, Poetæ coævi, de obitu Oissini filii Osergii, et duorum filiorum Blathmaci Regis, filii Regis Aodhi Slanensis, ex quibus non solum *Molendinum manuale*, ut in Statut. Gildæ Scotiæ, c. 19, verum etiam *Hydromolas*, a Romanis primum aureo Augusti Sæculo inventas, eo ævo

(1) Vide supra p. xv, xix, cxi. et Adamn. l. 1, c. 42.

Hibernis in usu fuisse manifestum est.(1)—Quod si hos antiquitatis et veritatis Historicæ characteres, cum iis conferamus, quibus traditiones suas Giganteas reliquæ gentes septentrionales tueri conantur, quis quæso æquus rerum antiquarum æstimator non plane perspiciet, differentiam esse talem, ut vix inter se conferri possint, cum nihil in medium afferre valeant gentes istæ, quod ad sæculum nonum pertingat, (2) iis exceptis, quæ Anglosaxones ab Hibernis et Romanis, fidem Christi Sæculo VII prædicantibus, et quæ Britones longe antea a Phænicibus, et Romanis recepere.(3)

Inter Danos primus Annales scripsit *Saxo grammaticus*, annum circiter 1180, inter Norwegos *Theodoricus* Monachus anno 1178, inter Boiemos *Cosmas*

---

(1) Extant et in IV Magistror. Annal. ad ann. 645.—Eadem Rhythmica methodus servatur in Tigernachi Codice eodem, fol. 10, b col. 1, lin. 20, ad ann. 651, ubi Anonymi Coævi Distichon legitur de obitu S. Fursei, quod forte *Senchano Torpestio* tribuendum est, qui fuit eo ævo Archipoeta Connaciæ, regnante Guario Adneo, qui obiit A. D. 662, ut in Tigernacho ib. lin. 24.

" .... *Athair Fursu radh glan* gle—*Lochiu do*
" *Dalarai*dhe—*issi fa Math. don mc. Gelges* ᷠ *righ Chonnac*hta.

[i. e. Pater Fursei famæ claræ illustris, fuit Lochius de Dalaradiis.—Ea quæ fuit mater ejusdem fuit Gelgesia filia Regis Connaciæ.]—De Furseo agit Doctissimus Valesius in Notitia Galliarum voce *Perrona*, et Fortunatus Presbyter ante annos circiter 1170, in Vita Radegundis MS. apud eundem, Beda l. 3, c. 19. et Chronicon Fontanallense, et Vita veterrima Fursei, edita ex parte ab Andrea Chesnio. " Scotorum Monasterium vulgo olim appellabatur Perrona, inquit Valesius, propterea " quod Scotum Abbatem, et multos ejusdem nationis Monachos, et Furseum ac Ultanum auctores " habuit. Hinc Annales Mettenses in anno 690, Perronam Scotorum Monasterium nuncupant, " itemque Sermo vetus de relatione Corporum SS Quintini et Cassiani. Quod nemo mirari debet. " Nam multa in Gallia a Scotis Hibernis Monasteria olim extructa sunt: in primis Monasterium. " Latiniacense a *Furseo*, a fratre ejus *Foillano* Vossuense vel Fossense in pago Leodicensi, ab " *Ultano* amborum Germano Cœnobium Perronense, S. Fursei tumulo inclytum, a *Sidonio* Fursei " populari, et ut putant propinquo, in Caletis Monasterium S. Sidonii, *S Saens.* Monasterium " Luxoviense in Vosago a *Columbano*, a *Gallo* ejus populari ac Discipulo Monasterium S. Galli, " Monasteria S. Martini et S. Pantaleonis in urbe Colonia, &c. Omitto Bobium in Italia a Columbano conditum, et Cœnobium S. Petri in urbe *Torengiæ* Erfesfordia, quod *Monasterium Scotorum* Lambertus Schafnaburgensis appellat." Confer Annal. Ult. p 43, 184, et seq.

(2) Vide supra pag. xviii ad pag. xxxvi.

(3) Vide supra pag. ci, et cx.

Pragensis anno 1126, inter Boruscos *Helmoldus* anno 1180, inter Polonos *Kadlukbo* anno 1223, inter Rhutenos *Nestor* anno 1154, et antiquissima quæ extat Sueciæ Historia, Chronicon est metricum Anonymi, qui floruit anno 1319.—Hos omnes præcedit toto sæculo Tigernachus, qui obiit grandævus anno 1088. Antiquior est etiam Chronico Saxonico, saltem prout nunc extat, editum a Gibsono, terminat enim Chronicon istud in anno 1154; neque potuit Gibsonus ipse Auctorem indicare, vel Collectorem; et quamvis Florentius, qui, sub Rege Stephano, Rerum Anglicarum collectanea cum Mariani nostri Chronico commiscuit, et ad annum 1131 continuavit, se res istas enarrasse asserat, ad ann. 734, prout Anglicarum Chronicarum textum reperiit, non inde tamen sequitur, eadem fuisse omnino Chronica a Florentio visa, ac illud a Gibsono editum, quod modo Saxonicum appellamus.

Tigernachus autem quis fuerit scimus, quando floruit, et quo anno obiit; item qua lingua, et quibus adminiculis, Annales suos conscripsit. In his enim indicandis conveniunt omnes; et bibliothecam penes se habuisse patet, omni librorum genere refertam, unde plures adducit Auctores, tam exteros quam Hibernos, quorum quæ supersunt Opera, ab eo accurate, etiam quoad verba producta, plane indicant eum reliquos jam deflendos, pari fidelitate, etiam quoad verba produxisse,(1) neque de fide ejus vel

---

(1) Horum auctorum annos obituales et Opera passim memorat, ut *Cannici* filii *Liadeci* Poetæ, cujus obitum refert ad ann. 599, fol. 9, col. 1, lin. 15, consentiente Usserio Primord. p. 1133, et Annal. Ult. ex vetere Chronico Hibernico *Cuanachi* p. 125, ubi et de Evangeliorum Codice ejus manu exarato, ut apud Usser. ex Scriptore Sæculi x. p. 1065, et 1153. Item Lugidi, sive *Moluæ* Cluanfertensis obitum refert ad ann. æræ com. 609, fol. 9, col. 2, lin. 20, consentientibus Annal. IV Mag. ad ann. 605, et Ulton. ad ann. 608, *Manchenii* Abbatis obitum refert ad ann. 651, fol. 10, b, col. 1, lin. 3, uti etiam Annal. Ult. ad ann. 650, *Cuminei Inisceltraensis* obitum refert ibidem lin. 7, ad annum eundem, *Ultani mac Concobhuir* ad ii Nonas Sept. anni 655, ibid. lin. 28, *Cumminei Longi*, anno ætatis suæ lxxvii, Christi 660, ibid. lin. 45, *Colmani O'Clusag* Poetæ fol. 10, b, col. 2, lin. 7, ad annum quo Sexta Synodus Œcumenica habita est C. P. sub Papa Agathone, ac proinde ad ann. *Cuminei Albi* ad ann. 668, fol. 11, col. 1, lin. 15, *Cennfaeladii* ad ann. 678, ib. col. 2, lin. 14, *Molingi Luachrensis* et *Adamnani* disticha adducit fol. 11, b, col. 2,

minima extat dubitandi causa, cum in rebus dubiis diversorum veterum Historias adducat, eorumque narrationes, vel eligendas vel respuendas, lectorum arbitrio derelinquat. Sic, diversos Scriptores Hibernos, a se invicem collatos, memorat fol. 10, col. 2, lin. 4, ubi Donaldi Maculati Regis Albaniæ obitum referens ad ann. 642, et Donaldi Regis Hiberniæ obitum apud Arcem *Ardfothad* eodem anno, inquit "quatuor Reges Hiberniæ, *juxta quosdam Historiographos*, sociato Imperio ei successisse, nempe *Ceallachum et Conallum Cael*, et duos filios Aodhi Slanensis, *Diarmitium et Blathmacum.*"

Alios Historicos Hibernos, a se pariter collatos, memorat fol. 8, col. 2, lin. 27, ubi Brendani Birrensis obitum refert, *juxta quosdam*, diverse ab aliis, quos sequitur fol. 8, b, col 1, lin. 1; item fol. 10, b, col. 2, lin. 1, ubi, ad ann. 661, inquit "*Hic finis regni Blathmaic*, ut alii dicunt, *et initium regni Diarmata.*" Deinde diversorum auctorum annos obituales indicat, e quorum scriptis se plura collegisse, et posteris tradidisse, ipsa verba ab eo servata declarant.(1)

Diploma postea memorat aureis libris exaratum quod Aribertus Longobardorum Rex Romam direxit.(2) Librum de Temporibus a Beda scriptum narrat anno 689,(3) quod doctissimi Norrisii sententiam funditus evertit, qui, conjecturis levibus adductus, librum istum a Beda scriptum non fuisse suspicatur.(4) Iterum de Beda agens ad ann. 712, "In hoc anno, inquit,

---

lin. 34, ad annum quo Longsechus Rex Hiberniæ regnare incæpit, et *Molingi* annum obitualem 696 memorat fol. 12, col. 1, lin. 1, et Adamnani obitum refert ad ann. 703. Disticha tria adducit *Cubretani mc Congusa* Poetæ, de prælio Almaniæ a fol. 12, b, col. 2, lin. ult. ad fol. 13, col 1, lin. 5, ubi incipiunt disticha alia Hibernica *Nuadi O'Lomthuill* de eodem prælio. Deinde fol. 13, b, col. 2, lin. 3, disticha tria Hibernica adducit Poetæ *Samthanni*, qui eodem tempore floruit quo prædicti, et Regis *Aodhi Allani* distichon ibid. lin. 9, et *Samthanni* prædicti obitum refert ibid. lin. 13, ad ann. 740. Postea fol. 14, col. 1. lin. 34, inquit "*Rumanus Poeta optimus quievit,* et fol. 15, col. 1, lin. Mors *Cennethi O'Artigan Archipoetæ Hiberniæ.*"—Alios plurimos omitto.

(1) Vide notam præcedentem, et Annal. Ult. ad ann. 628.

(2) Fol. 11, b, lin. 18. Idem Diploma memorat Paulus Warnefridi De Gest. Longobard. l. 6, c. 82.

(3) Fol. 11, b, col. 1, lin. ult.

(4) Norris de Cyclo Paschali Ravennate. Operum t. 2, p. 829.

fecit Beda librum magnum .i. *B. la Beid.* [nempe Bibliam Bedæ.](1) De Isidoro ad ann. 622 inquit, " Finit Isidorus enumerare annos in libris Etymologiarum."(2)

Eusebii Chronicon sæpe memorat, et Exemplar penes se habuisse indicat, diversum ni fallor ab iis omnibus quæ hodie extant, cum ad annum 610 hæc habeat "*Finis Chronici Eusebii,*"(3) quod de nullo Exemplare hodie extante dicendum est. Eusebius enim Chronicon scripsit ab initio Mundi ad ann. C. 326, et Græcum Opus quod, præter fragmenta edita a Scaligero, intercidit, S. Hieronymus Latine reddidit, sua adjiciens usque ad ann. C. 379. Supplementum addidit Prosper ab anno 379 ad ann. 444, indeque Victor Tununensis ad annum usque 565,(4) deinde Johannes Abbas Biclarensis suum addidit Compendium Chronologicum, ab anno prædicto 565, ad ann. Mauritii octavum, Christi 593. Post hæc sequuntur ea quæ Scaliger velut Eusebiana collegit, Anonymi nempe Epitome, quod Chronici Alexandrini et Fastorum Siculorum nomine venit, ab Adamo ad ann. C. 629. Sed ex his omnibus nullum terminat in anno 610, ut Exemplar quod penes se habuit Tigernachus, quodque intercidisse dolendum est.

Denique, Hibernica tempora cum exterorum Regum temporibus se conciliasse inquit, non solum Chronica extera conferens Julii Africani, Eusebii, Hieronymi, Marcellini, Isidori, Orosii, Bedæ, et aliorum, verum etiam ista omnia ad trutinam revocando, *juxta Hebraicam veritatem.* " Hæc decursa per " tanta Sæcula, ex Hebraica veritate, prout potuimus, ostendere curavimus."(5)

(1) Ibid. fol. 12, b, col 1, lin 9. Annal. Ult. ann. 711.

(2) Ib. fol. 9. b, col. 1, lin. 38. Agit nempe de Compendio Chronologico Isidori, ad calcem libri Etymologiarum, quod Compendium, ut recte notat Tigernachus, terminat in anno 622.

(3) Fol. 9, col. 2, lin. 26, Annal. Ult. ann. 609. Confer Hieronymi de Prato Dissert. de Chronicis.

(4) Sua addiderunt Marcellinus uti supra p. cix, No. xv, et Isidorus ut supra p. cxiii, No. xxxix.

(5) Fol. 12, col. 2, lin. 13. In hac eadem Columna lin. 1, Adamnani obitum refert his verbis:

Quam diversa sit Carminum Oissino a recentioribus Scotis adscriptorum conditio, iis judicandum relinquo, qui phrases consideraverint, et idiomata longe diversa, et literas *k w x y z* a Poetis nostris nunquam adhibitas, quæ tamen in carminibus istis ēditis passim inveniuntur. Equidem Homeri idioma non magis differt a Græco vulgari hodierno, quam lingua Hibernica, in sequentibus *Molingi* et *Adamnani* distichis genuinis, a Tigernacho servatis, distat a lingua ista, corruptiore quidem quam ipsa vernacula communis, qüæ in Carminibus istis spuriis doctorum aures et oculos offendit.

Fol. 11, b. col. 2. l. 34. Moling Luachra andso ar Findsa̅.—*Ba dir sin do Fin.*
35. *ait indiu laighidh cro* lighe—*rombe la firu nime ̄i dilse*
36. *na boraime.*—Adhoman c̄c. *Finsa̅ mc Dunchadha romaith*
37. *mor do* naem—*t*ⁱ *l. c. bo slabraidh is gach bo ɔ a* laegh—*Molinc c̄c.*
38. *In bern̄ ̄ʃ sin bith Finsa̅*—*imo reith dis rig* riadhae—*eadh*
39. *ɔ doth che*rnsa—*do chuill atas ro laice nis* riadha.

Quam diversa est, inquam, Carminum recentiorum conditio, in quibus legimus voces *Houdir* Auctor, (1) *nyceith* nox, Anglice *night,* (2) *Spiorad* Spiritus, (3) *Corp* Corpus, (4) *Beist* Bestia, (5) *Corn* Cornu, (6) *Ros* Rosa, (7) *Halla* Aula, Anglice Hall, (8) *Roda* via, Anglice *road,* (9) *Arm* Arma, (10) *Anam* Anima, (11) *Muinaidh* Montes, Anglice Mountains, (12)

" Adamnanus LXXVII anno ætatis suæ in Nonis Kalendar. Octobr. Abbas Jae pausat," et deinde hæc habet valde notanda " *Altfrith mac Ossu .i. Fland Fina la Gaedelu h inaidh Rex Saxonum fuit .i.* " *dobhi.*" [i. e. Alfridus filius Oswii, qui *Flannus Fionna* ab Hibernis dictus est, Rex Saxonum obiit.] Confer Prolegom. p. lxvi, &c. cum Annal. Ult. p. 129, ubi de vetere Carmine Hibernico ei adscripto.

(1) Report of the Committee of the Highland Society. Edinburgh, 1805, pag. 93, &c.

(2) Ib. et seq. passim. (3) Ib. et seq. (4) Ib. p. 222.

(5) Ib. 100, 103, 190, 224, 246, 252, 254, et passim.

(6) Ib. p. 100, et seq. passim. (7) Ib. p. 101. (8) Ib. 104.

(9) Ib. p. 168. (10) Ib. passim.

(11) P. 102, 138, 166, 190, 202, 240, 256, &c.

(12) Ib. p. 180, 181, 182, 183, 188, 202.

Ceir Cera, (1) *Libhearn* Liburna Navis, (2) *Stoirm* Tempestas, Anglice *Storm* !!! (3)

Non ignoro quosdam etiam inter doctos asserere, Linguam Latinam plurima vocabula a Celtica derivasse; et ego quidem id alibi fusius indicabo. Neque me latet Quintilianum asserere, voces peregrinas ex omnibus fere gentibus in linguam Latinam invectas, et plurima *vocabula Gallicana*, ut *Rheda* ac *Petorium*. (4) Non tamen inde sequitur, voces quas supra ex fictis istis Carminibus adduxi, esse Celticas, cum in antiquis Celtorum Carminibus, voces longe diversæ ad res easdem exprimendas inveniantur, eæque voces nullatenus in linguam vernaculam Hibernicam, nisi in rebus Liturgicis, vel post adventum Anglorum admissæ fuerint. Nomen *Lochlan*, quod in iisdem Carminibus fictis centies pro Danis ponitur, penitus ignotum fuit, et inauditum ante sæculum X mum, quo tempore Danis ab Hiberniæ incolis impositum fuit, quia in Lacubus *Eachense*, *Ribhense*, *Feabhalense*, *Orbsenense*, &c. Hiemare solebant, ut eo commodius mediterraneas Insulæ regiones et Monasteria infestarent.—Hæ itaque voces, et aliæ plures a veterum auribus abhorrentes, itemque versuum et Rhythmorum veterum methodus antiqua, ab his fictis carminibus prorsus absona et aliena, Carmina ista non modo sæculo nono recentiora, sed a sæculo conficta, sive interpolata esse, et penitus eliminanda contestantur. Pro *Canone enim irrefragabili* statuendum est, nullum esse, non modo Codicem, verum etiam Carmen, aut Opus quodcumque, in quo vox *Lochlan* pro Dano vel Norwego ponitur, quod non sit sæculo xmo recentior, cum antea nullo alio vocabulo quam *Gal*, ullo unquam tempore, Hibernice designati fuerint.

---

(1) P. 204. (2) Ib. p. 206. (3) Ib. p. 210.

(4) Quintil Instit. l. 1. c. 9. Confer Nicholsonii Dissert. de universis totius orbis Linguis apud Chamberlayne orat. Domin. Amsteled. 1715, cum Lhuydi Archæologia. Gallia Cisalpina a Celtis Italiam migrantibus dicta est. Polyb. l. 2, c. 14, 15, 16.—Confer Leibnitii Dissert. Philolog. apud Chamberlayne ib. p. 26, et ejusdem Collectan. Etymol. vol. 1. p. 153.

Carmen omnium quæ Ossino vulgo et falso adscribuntur vetustissimum, ex Codice Bodleiano, a quadringentis annis exarato, Laud F 95, fol. 124, col. 2, linea 36, *et sequentibus.—Extat idem Carmen in alio Codice Bodleiano Rawl.* 487, fol. 27, b, col. 1, lin. 10, *et seq. cujus se nec verbum quidem intellexisse imo nec legere potuisse propter abbreviationes, Macphersonus, percontante clarissimo Bibliothecario, confessus est, uti supra p. ci, not. 3.*

Ex Codice Bodleiano Laud F 95. fol. 124, col. 2, linea 36— *Oissin cc.* (1)

*Raid a Chailti cid dia fi*ul—*mor eolus re iar fa*igid—*cet roind*
*Eir leth ar le*ith—*do cach crich fil u uis*nech.—*ff a ons*ein
*Cia do rat feran don Fh*eind—*indab'* 1' *fri um*
cia ro scar re Gills chon—*cia ros dil*
*fa tuarus*dul—*ff lessaig fiacha i feid*—
*Mead bair lem inni dia f*uil—*a mac ingine in dg* druin—*oro*
coro thrigissi a Oissein. *ff orus breg fathad* in feind—*corus*
Deich mhbli. do flaithius maith—*duitsin a Ossin a ardfl*aith—
tig set tu a Oissein—*ff daire* duib—*ro bi in mor rigua* math—
Deg mac Feradaig darli—*dar bo chomainm Fiacha F*ind—*Eithne ingen*
Fol. 124, b. col. 1, l. 1. *Feradhach s Fiacho* find—*roind set eir tind a* tind—*badar*
*areir comb*lad —*gan chocad gan co* ardad—*ff foithri*
3. *Ruc do roga in mac ba* so—*beith re feind ni hi m*argo—
*fassaigi fe*da—*aibhne is alla is ind* bra—
5. *Ro gab Feradach dar l*ein—*Airdrigi ar feraib* Eir—*afleda*
a tairg thi—*atainti sa tbaire*—*ff ba tasc*
7. *Rigi Feradaig ba* maith—*cor tuit le Nial in mc* laith—
*rig ruamnus a*gail—*bas i rig ind aidhci* sin. *ff*
9. *Luid Fiacha a Temr co* rath—*odorochair Ferad*ach—
gabais nert Eir uile—*lamar inuir mac Roch*raide—
11. *Jarsin do rat Fiach i f*eind—*do Morna gus in mor*

(1) Hæc omnia ad literam habes, ex sæculi 14ti abbreviationibus, accuratissime descripta.—Codices testes appello, loca indico, et ipsas lineas.

cheill—*cethrar doib sein dreimne* gal—*in adiaid ro*
*gab*satar—*ff a deich do garad nar*gann—*nocor*

14\. *Morna mc Cairpre con*ghus—*deich mbli do ina fla*itius—
scarad re chaem chend—*ff uii mbli gan* brath—

16\. *Daigri mc Garaid con*ghus—·*u*· *bli do na flalai*thius—*airim*
*donn mc Morna in deidin*ach—*ff bli co leith al*ine—*os*

18\. *Eoch. m. n Archada a*nair—*Ri fhiann Eir. a hul*taib—
in Feind an airdrigi—ff aib—*duban a mc mo*nar

20\. *Cas mc Cannain cruaid an*eim—*aen bli aici a hult*
*n*grind—*da bli aici air*bim—*ff raid lam*derg—

22\. *Gabsat amumain miad* cealg—*liath luacra oslab*
Deich mbli doib lith nach gan—*do macaib aithig* arann—

24\. *Trenmor hua Baiscne ba* balc—*ba hua do seta*
sith bacc—*Sen athair Find segda in* roind—*athair*

26\. *Cumaill is cri*maill—*ff an aen da*il—*rigsatar a rig*
Tarraid Trenmor tren a baig—*Fianna Eir.*

28\. *an* des—*vii. mbli dec areim*es—*ff fa tuc teora*
Ro gab Cumall ^{n}*coid an*eim—*ollos sceith* 7 *claid*im—*rigi*

30\. cath—*Scannlach Congalach coct*hach—*deich mbli do*
sim ana—*co torchair i cath* Cuncha—*ff tricha laech*

32\. *Ar sin gabsat mc* Morna—*ar* ^{o}*bn is ar bith* doghra—
ba mor an gal—*im daig ri im Goll im* Garad—

34\. *Goll mor ba miled i* cath—*mc do Morna deid*
*e*nach—*Deich mbli do lith nar* gann—*ind airdrighi Fhia*nn—

36\. *Eir*—*ff ar tairbertach saer* sluagach—*ar sai*
Ar sin ro gab in teo·oir—*Find mc Cumaill mc Tren*moir—

38\. *amra il* buadach—*ff Find ba fat a* re—*co tor*
Da cet bli com blaithe—7 *trica gan t*laithe—*saegal*—

40\. *chair ga leim* baissi—*ff ferr Find in ait sin* uile—
Secht ri dec is dei lini—*do gab rigi Fhianu* Eiren—

42\. *Cath mil ard Alm*aine.

Fol. 124, b, col. 2, l. 1. *Cuicer druag badain* duilig—*is ferr tar uill iat*

fuinid—*Is medbair limsa co* becht—*anaisneis*
3. *isandiecht*—*ff degam*—*Stocan mac Cuirc c rect*
Ba dib Bagna asid Bagna—*dib Caithbad di*—
5. *aig* chaim—*Mogruith is Find a f* mail—*ff*
Cuicir legha lith nam—*Is ferr taraill tir Banba*—
7. *Cid cian atusa daneis*—*isam eolach na faisneis*—
Miach is oirmed dalaib drecht—7 *an athair dian*
9. cecht—*Gabran liaig tar muir* anair—*Find fein*
hua Baiscne barrglai—*ff* neir—*is medbair*
11. *Cuicer fil uasal drem*—*is ferr teraill iath*
liumsa co becht—*a faisneis a filid s*—*ff* el—*Feir*
13. *Cairbri fili fuair dar* ler—*Amairgin indsi gaeid*
cheirtne re Labraid Lorc—*Mogruith is Find*
15. *faeb* nocht—*ff Fithel* 7 *Flaithri a* niac—*Cairpri* 7 *Aillbhi is*
Cuicer is gaithe u ceill ngd—*ro boi in aentig an Eir.*—
17. *Cormac*—*ff Find* fein—*in cheist do nith Find na f*led—*nec don*
In cheist do churdis tri cheill—*parap ro fuaslaiced*
19. *chuicer ni chuimged*—*ff* nelga—*budh gairbe gnim* 7 glon—
Cuicer Laech luaidis ferga—*is ferr tar aill iath*
21. *bud gairge i cath sa com* lunn—*ff lagda lam ar* gail—
Lugh mc Cein mc Cainteanall—*Cucul* 7 Conall *Lugaid*
23. *Find fein hua Baiscne barrg*lain—*ff do chined nan Gaeidel*
Cuicer is feile frith riam—*Budh fherriunbrat im umbiad*—
25. ngle—*maith ro chaith set a maine*—*ff caem cruth nar* chle—
Lug mc Eithlenn Aengus ain—*Cu na cerda caid a* baig—*Conaire*
27. *Find is mc Luchta ar aen* chae—*ff medbair limso co* becht—
Cuicer flatha ferrdi lein—*is ferr tar aill tir n* Eir—*is*
29. *anaisneis na flaithemn*acht—*ff Aengus Tuirbech treissi*
Eirimon mc Miled mor—*Jugaine andiaid Eirimoin*—
31. *anghail*—*Con. c. chathach Find feind*ig—*ff cleirech ar*
*Laech ar gairbe congnim ngl*oun—7 oglach *ar chom*und:
33. *p cept mc* De—7 *flaith re firi*nde—*ff s a de ladh*

*Ni fhetar lòcht ar fheind F*hind—*dar in ri uil os mo* chind—

35. *aill tal*man—*gan ī mac do moradh* rad—*ſſ ni fhuil*

Ni mairit in muinter maith—*ni mairenn Find in fir* laith—

37. *in cuire gan* cleith—*na ruire mun rig feind*ig—

Ferr asretha na can sreath—*ferr na can rig a tais*sech—

39. *Met na fer is met a* sciath—*met a laech ngastang*

arb liath—*ſſ sar nd* $\overset{n}{i}$ *sarf*aid—*ba bind lind can ni do* raid—*R*

41. *Ba rig ba faid ba* fili—*ba triath comet mor* fhine—*ar fisid*

In ab" im do thestaib find—*dar in ri fhuil is mo* chind—

Fol. 125, col. 1. lin. 1. *ba ferr sam fos co* $\overset{i}{\text{bat}}$—*cid mor in ni raidimsi* raid—

2. *Gu ba shecht do chreid in* ri—*Find mc Aillal* magi—*in secht*

3. *mad fecht do boi ar* fas—*Is de tainic a thing*bas—

4. *a Cairill fagein scail—ba bind lais can ni ro* raid—*Raid.*

Iam vero, si hæc, quæ, procul dubio, antiquissima sunt Oissino adscripta, et vere Hibernica, atque in Codicibus omnium qui in medium afferri possunt antiquissimis servata, nequeunt tamen esse Oissini, ut patet ex lineis 33, 34, in quibus Auctor se Christianum prodit, sequitur cæterea Carmina recentiora prædicta, esse penitus respuenda.(1) Quod si Carminum istorum editores, vel ista spuria nobis tradidissent, prout in Codicibus extant Bodleianis sæculi 14ti, Laud F. 95, et Rawlinson 487, saltem ea tradidissent, ficta quidem et spuria, sed tamen quæ sæculi 14ti mores, et linguam, et orthographiam saniorem Hibernicam istius ævi redolerent.

---

(1) Miror sane viros alioquin doctos, a partium studiis ita abreptos fuisse, ut ea quæ sequuntur de *Finni* venatione figmenta, Oissino tribuenda censerent—

" *Leig sinn ar* tri mile cu,	Solvimus *ter mille canes,*
" *Bu mhor lugh is bu ghargh.*	Celeriores et ferociores,
" *Is marbh gach cu dhinbh* da fhiadh.	Et occidit quisque Canis *duos cervos!*

Report of the Highland Society, Edinburgh, 1805, p. 258.

Fausta quidem dies! Prospera venatio! Æneas esuriens *septem* tantum cervos in Libya occidit,

Provocant quidem aliquando Scriptores Albanici ad Codices, antiquos ut aiunt, in quibus *Oissini* Carmina non solum extare inquiunt, sed iisdem *fere* verbis quoad sensum, quibus a Macphersono Anglice, et a Mac Farlano Latine interpretata leguntur. Possumus tamen, ex ipsissimis eorum verbis, asserere, I, eos nullum Codicem in medium afferre posse; lingua Celtica scriptum, nisi Hibernicum, i. e. Hibernica lingua et Hibernicis characteribus exaratum.—II, Eos nullum Codicem hactenus in medium attulisse, quod ad sæculum 13tium pertingat.(1)—III, Omnes Codices quos in Insulis Occidentalibuis invenit *Martinus*, Albanicarum antiquitatum scientissimus, fuisse

---

Miser! Si sorte ei evenisset Scotiam adire!—Quod si nec Carthaginis Arces, nec mœnia surgentia ibi videret, neque Templum Junonis, ærea cui gradibus surgebant limina, at certe splendidiora videret *Fiuni* insignia, et Aulam, cui portæ *lucentes auro, et gemmis fulgentes,* quæ Pygmalionis ipsius opes, his versibus, a quodam Ludimagistro compositis, manifeste indicarent—

" *Brathach Fhinn 's bu gharbh a greas,*	" Insignia Finni, ferox eorum intextus,
" *Lomlan* do chlochaibh ann or.	" Omnino ornata *margaritis in auro!*
	Ibid. p. 248.
" *Fosgailear an grinan corr*	" Aperitur Regia magnifica,
" *Bha ar a Thugha la cloimh ian*	" Cujus laqueare coopertum *plumis avium!*
" *Bha comlaichean ris don* or bhuidhi	" Portæ ejus *auro fulvo* cælatæ,
" *Agus ursanan do fhiundrain*	" Et postes ex *ossibus limatis!*
	Ibid. p. 236.

(1) " In Ireland are to be found numerous historical documents and records, which the Antiquarian " *looks for in vain among any Archieves or Collections of Antiquities in Scotland.* The largest " and *most valuable* collection of MSS. in the possession of the Society, was presented to it by the " Highland Society of London. One of these appears, from dates affixed to it, to have been written " at *different periods from* 1512 *to* 1529. It contains more than 11,000 verses of Gaelic Poetry. " Among the more ancient are poems of Conal son of Edirskael [Regis nempe Hiberniæ,] Ossian " son of Fingal [Ducis *Clan-hua-Bhascoine* in Momonia] Fergus Fili and Caolt mac Ronan" [i. e. Archipoetarum Hiberniæ, ut in Codice Bodleiano Laud F 95, fol. 9, b, fol. 82.] Vide Report of the Committee of the Highland Society appointed to enquire into the authenticity of the Poems of Ossian, Edinburgh, 1805, pag. 48, 92.—" Mr. Mac Intire's MS. received from Major Mac Lachlan of Kilbride, whose " family had once possessed a large collection of Gaelic MSS. *collected partly in Ireland,* contained " part of a Popish Missal, some translations from Hippocrates and Galen, a Calendar, a Genealogy of

Hibernicos, ut ipse iterum iterumque declarat.(1)—IVto, Argumenta quibus se Codicem Hibernicum, sæculo viii exaratum, penes se habere declarant, in quo Oissini Carmina quædam extare dicuntur, esse penitus rejicienda ut

"the family of Argyle, and one fragment of Fingalian poetry. But Lord Hailes observed that the "characters denoted it to be of *no great* antiquity." Ib. p. 282.—"Another, said to be of the Kilbride "collection, was *supposed* by the late Mr. W. Robertson of the Register-Office, *not later than the* "*thirteenth century*." Ib. p. 283.

(1) Martin's West. Isles, Table of Contents for pag. 87, 88, &c.—"Manuscripts in the *Irish* character "and language in the Isle Erisca. The natives speak the *Irish tongue* more perfectly here than "in most of the other Islands, partly because of the remoteness, and the small number of those that "speak English, and partly because some of them are scholars and versed in the *Irish language*, p. 87, "&c. Fergus Beaton hath the following ancient *Irish* Manuscripts in the *Irish* character, to wit, *A.* "*Vicenna, A. Verroes, Joannes de Vigo, Bernardus Gordonus*, and several volumes of *Hypocrates*, "pag. 89.—The Island of *Lewis* is so called from the *Irish* word *Leog* water lying on the surface "of the ground, Ib. p. 1. It is unlawful to call the Island of S. Kilda by its proper *Irish* name *Hirt*, "but only the high country, ib. p. 17. In the Island *Rona* there is a chapel dedicated to (the Irish) "S. Ronan. The inhabitants wear the same habit with those of Lewis, and *speak only Irish*, ib. p. 23." "The names of Churches in Lewis Isles, and the Saints to whom they are dedicated, are Irish and "Roman, as *S. Colum-kil, S. Flannan, S. Lennen, S. Brigit, S. Kiaran, S. Mulvay, S. Peter, S.* "*Michael, S. Kilda* (or *Gildas*,) ib. p. 19, 24, 27, *S. Muluag*, p. 48, *S. Tarran, S. Keith*, p. 49, "*S. Ultan*, p. 67, *S. Bannan*, and *S. Donnan*, p. 88, *S. Barr*, p. 92, 99, 100, *S. Brigid* p. 119, "hence *Kilbride*, p. 141.—At the first plantation of these Isles, all matters were managed by "the sole authority of the heads of tribes, called in *Irish* Thiarna, p. 124. The traditions of the "Isles relative to Fin-mac-coul (*Fingal*) are, that he was General of a Militia *that came from Spain* "*to Ireland*, and from thence to those Islands," p. 152.—En veritatem Historicam Annalium Hibernorum, indicantium Finnum e Clientela Vasconiorum Momoniæ fuisse, ut supra.—"The ancient way "of dressing corn in several Isles is called *Graddan*, from the *Irish* word *Grad*, p. 204. The first "habit wore by persons of distinction in the Islands, was the *Leni-Croich*, from the *Irish* word "*Leni* a shirt, and *croich* saffron," p. 206.—"All the inhabitants of Arran speak the *Irish* "language, (corruptly called *Erse*,) yet the English tongue prevails on the East side, and ordinarily "the Ministers preach in it, and in *Irish* on the West side." p. 225.

Ex his, et aliis pluribus, manifeste patet, nomina vetera, et vestigia Antiquitatum quæ in Scotia recentiore inveniuntur, convenire cum Annalibus et Carminibus genuinis Hibernicis, quæ Scotiam recentiorem et populos et mores et linguam a Scotia antiqua, i. e. Hibernia, recepisse declarant, ut in Prolegomenis indicavi. Hinc recte inquit Camdenus, "The Highland Men, being the true race of the ancient Scots, "speak *Irish*. They wear, after the *manner of the Irish*, striped mantles of divers colours," &c. Gibson's Camden, 1695, p. 933, 934. "The Highlanders, being all Scots, speak *Irish*, and are mortal enemies

futilia.—V Codicem istum non esse sæculo 14to antiquiorem, ut patet ex specimine ab ipsis edito, in quo orthographia recens, et corrupta, et phrases post sæculum 13tium, introductæ et punctuatio. pro vetere Aspirata ꟸ et characteres recentiores Hibernici, a vetere elegantiore et rotundiore Hibernorum forma alieni, omnem antiquitatis speciem penitus eliminare censendi sunt.

Non is sum qui vel meas, vel cujusvis in rebus tanti momenti, opiniones, tanquam ex tripode declarandas, aut accipiendas esse concedam; ideoque ut quæ vera sunt a falsis secernere Lectores valeant, et æquo animo, a partium studiis alieno definire, quæ facti sunt universalis et constantis, eorum arbitrio decernenda, quam brevissime potero exponam.

CODICUM VETUSTISSIMORUM,

Qui extant characteribus Hibernicis scripti, Ætates, et Specimina:

Dolendum est quam maxime, non extare jam Codicem istum celeberrimum, *Fonn-Seannchuis-moir* dictum, quod tres Reguli, tres Episcopi, et tres *Seanchadi*, i. e. Antiquarii, ex diversis vetustis Codicibus, adhuc vivente Patritio, collegere, annum circiter 438,(1) neque Codicem Epistolarum quas ad Parentes suos Hibernos scripsit *Ceallachus*, sive Cœlestius, ante annum 368,(2)

"to the Lowlanders who speak English." Ibid. p. cxxi.—Denique, vox ipsa *Plad*, qua Monticoli Albanenses usque hodie utuntur, ad exprimendam vestem exteriorem, nihil aliud est quam vox Hibernica *Plaid* vel *Ploid* Stragulum, quia antiquitus vestem exteriorem pro stragulo, et stragulum pro veste exteriore habebant, cum adhuc *seminudi* fuissent, teste Eumenio. De diversitate colorum inter Hibernos, ad diversos hominum gradus distinguendos, vide legem dictam *il-breachta*, i. e. legem plurium Colorum, Prolegom, p. xcvi.

(1) Vide supra, p. xv, xx, lvii, et lix, No. lxxxix.

(2) Vide supra, a p. xviii ad xxviii, et p. xxviii, not 3.

neque Psalterium quod scripsit Baitheneus vivente Columba;(1) neque Evangeliorum Codices, SS. Patritii et Columbæ manu exarati, de quibus supra p. cvi, et cix;(2) Neque Codicem insignem Kildarensem, arte tam admirabili exaratum, testante Giraldo, ut potius ab Angelo quam ab homine scriptum haberetur;(3) neque Codicem illum Hymnorum *vetustissimum*, partim Latino, partim Hibernico sermone conscriptum, quem penes se habuit Usserius, ut ipse testatur.(4)

CODEX I.

Vide Specimina Characterum, in fine No. 1.

Inter antiquissimos qui supersunt Codices, Hibernicis characteribus exaratos, numerandus est S. Columbani Codex Bobiensis, cujus meminerunt Mabillonius in Musæi Italici tomo I, et Ruinartus in 2da editione Operis nunquam nimium laudandi *De Re Diplomatica*, Parisiis 1709, pag. 636.

De hoc eximio Missa e, unum et idem sentiunt ambo. Sacramentarium esse, sive Missale, *ante annos mille exaratum*, quod e Luxoviense S. Columbani Monasterio Hibernico,(5) a quodam S. Columbani Discipulo allatum fuit Bobium, sæculo VIImo, forte a Bertulfo, qui fuit tertius, post Magistrum Columbanum, Monasterii istius Abbas, et *Missale fuisse portatile ad Sacra in ipsis itineribus celebranda.* Neque enim insolitum fuit, iis temporibus, ut Sacerdotes, etiam Monachi, necessaria ad Sacrificandum, cum peregrinabantur deferrent, uti constat ex S. Gregorii Turonensis libro de Gloria Confessorum c. 32, ubi Maximus, cum Ararim fluvium transmearet, demersus fuisse dicitur, "*habens ad collum, cum Evangeliorum libro, Ministerium quotidianum, id est* "*patenulam parvam cum Calice.*"

---

(1) Adamnan. l. 1, c. 23, uti supra p. xxxviii.

(2) Confer Annal. IV Mag. ad ann. 1006.

(3) Vide Annotat. ad Annal. Ult. pag. 139, et 168.


(4) Usser. Epist. ad Vossium, Dissertationi de Symbolis Ecclesiæ Romanæ præmissa.

(5) Vide Annot. ad Sæcul. VIII, Annal. Ult. a pag. 179 ad finem.

Plate 1. *page CXXX.*

Ex. Missale Hibernico Bobiense Sæculi VII.


No. 1.



Generose diei Dominic
genetrices inexpleca
bile Sacramentum
tanto magis precuna
bule Sacramentum quan

Ex. S. Kiliani Codice Wirtziburgense Sæculi VII.
Chronic Godwic p. XXXIV.

No. 2 page CXLIII



Principium Evan
gelii Jesu Christi filii Dei
sicut scriptum est
Et scribae et pharisaei
ludentes quia man
ducaret cum peccato
ribus et publicanis
dicebant discipulis ejus
Quare cum publicanis
et peccatoribus man
ducat et bibit magis
ter vester

Præ omnibus autem gentibus, fide Christi imbutis, Hibernis præsertim in more erat, e Patria per Angliam et Galliam, Germaniam Italiamque vagari, ut populos literis et fide imbuendo, delicta vetera expiarent, quibus Majores eorum, Divina et humana *diris vastationibus conculcantes,* uti narrat Gildas, peccata in Deum et homines ferro flammisque commiserunt—Hinc Mabillonius recte notat, Episcopos *Regionarios,* qui et *vagantes,* et *vacantes* dicti erant, utplurimum *Scottos fuisse, ex Hibernia oriundos,* quibus innata peregrinandi facilitas, qui quoniam passivam ubique licentiam ministros sacros ordinandi usurparent, coerciti non semel, nec sic tamen omnino quieverunt, donec eorum ordinationes irritas pronunciarent Patres Concilii Cabilonensis cap. 43, quod ipsum antea stabilierat Synodus Vermeriensis, habita anno 753, capite 13 *de Episcopis vagantibus.*

In Britannia prohibebantur Episcopi isti, ex Hibernia vagantes, a sacris faciendis, " quia incertum est nobis, inquiunt Patres Concilii Calchuthensis, " c. 5, unde, et an ab aliquo ordinentur."(1)—Fatendum est tamen, inquit Mabillonius, ejusmodi Episcopos vagantes Hibernos, *plurimum Ecclesiæ tum Gallicanæ tum Germanicæ profuisse.*(2) Aque hinc decrevit Concilium Meldense anni 845, ut Monachis, et peregrinis ex Hibernia, restituerentur *Hospitales, quæ Sancti homines gentis istius, ad excipiendos peregrinos populares suos, in hoc regno (Galliæ) constituerunt.*(3)

Ad horum vagantium usum, Codicem de quo agimus exaratum fuisse, vel inde patet, quod fuerit Missale *portatile,* quod allatum fuerit sæculo viimo, ex Hibernorum Monasterio Luxoviense in Gallia, ad Hibernorum Monasteriu Bobiense in Alpibus Cottiis, quod etsi quamdam habeat convenientiam

---

(1) Spelmani Concilia edita a Wilkins, t. 1, pag. 170.

(2) Mabillon Acta Benedictin, Sæc. 2, Præf. p. xx. Confer Annal. IV Mag. p. 594, et 608.

(3) Concil. Meldens. Canon. 4, apud Mabil. Annal. t. 2, l. 33, c. 25, p. 660. Labbe Concil. t. 7, p. 1832. Confer Annot. ad Sæc. VIII Annal. Ult. a pag. 176 ad finem.

cum Lectionario Luxoviense Benedictino, edito a Mabillonio, differat tamen in pluribus tam ab isto, quam a vetustis Missalibus Gallicano, Romano, Africano, Mozarabico, et Ambrosiano, et quod vetustissimus Auctor Libri *de Cursuum Ecclesiasticorum Origine*, cujus extat exemplar a mille annis exaratum,(1) de Columbani nostri et Hibernorum *Cursu* enarrat, Ritum fuisse quem a Germano et Lupo accepit S. Patricius, indeque Comgallum, Benchorensis Monasterii in agro Dunense conditorem, eundem ritum, per Discipulum suum Columbanum, ad transmarina Cœnobia propagasse.—"B. Hieronymus adfirmat " ipsum Cursum, qui *dicitur præsente tempore Scotorum*, B. Marcum decanta- " visse. Patricius, a Lupo et Germano Archiepiscopus in Scottiis ac Britan- " niis positus, ipsum Cursum ibidem decantavit, et post ipsum B. Wandilocus " senex, et B. Comogillus (lege Comgallus) qui habuerunt in eorum Monas- " terio Monachos circiter tria millia. Inde B. Wandilocus in prædicationis " ministerium a B. Comogillo missus est, et B. Columbanus partibus Galli- " arum destinati sunt *Luxogilum* (lege Luxovium) Monasterium, et ibidem " ipsum Cursum decantaverunt, et inde postea percrebuit forma Sanctitatis " eorum, per universum orbem terrarum, et multa Cœnobia ex eorum doc- " trina tam virorum quam puellarum sunt congregata. Et postea inde

(1) " In Anonymo de *Ecclesiasticorum Officiorum* Origine, *nongentis* abhinc annis exarato libello, " Germanum et Lupum *ordinem cursus Gallorum*, sive Gallicanam Liturgiam, a Johanne Cassiano " et Lirinensis Cœnobii Patribus acceptum, in Britanniam induxisse legimus, ut *Vita B. Germani* " *Antisiodorensis, et Vita B. Lupi adfirmat.*" Usser. Primord. Dubl. 1639, pag. 342.

" Auctor libelli de cursuum Ecclesiasticorum Origine, vulgati a Spelmanno, quisquis qualisve " fuerit, eo nobis utendum est, quando saltem ejus antiquitas ex ipsa Codicis vetustate comprobatur. " Suspicatus sum aliquando hunc esse ipsummet Gregorii nostri librum *de Cursibus Ecclesiasticis.*' (" de Cursibus Ecclesiasticis unum librum condidi," Greg. Turon. l. 10, c. ult.) Sed postmodum aliter " visum est, tum quia de Cursu S. Columbani, qui vixdum Gregorio vivente institutus erat, et de ejus " atque S. Eustasii Actis, post Gregorii obitum scriptis, mentionem facit, tum quia potius Britonem aut " *Scotum* refert stilus ejus et oratio." Mabillon De Cursu Gallicano, in Opere De Liturgia Gallicana Paris. 1729, p. 380. Vide plura de hoc libello in *Bibliotheca nostra Hibernico Cottoniana*.

" sumpsit exordium *sub B. Columbano,* quod ante B. Marcus Evangelista de-
" cantavit."(1)

Mabillonius incertum se declarat, quomodo hoc Missale antiquum appellari debeat, " quandoquidem *nullus extat titulus in Codice Bobiense.* Dici potest " Liturgia *Bobiensis.* At præferendus *videtur* titulus, Liber Sacramentorum " Ecclesiæ Gallicanæ, propterea quod in fine Codicis, ubi libri sacri recen- " sentur, extremo loco ponitur *Sacramentorum Unus.*"

Argumentum leve, et doctissimo viro penitus indignum! Noverat enim Liturgiam quæ in pluribus Galliæ Monasteriis, et præsertim in regionibus Burgundiorum, sæculo VIImo invaluerat, fuisse Liturgiam Columbani, quam *Columbani Cursum* appellat auctor Libelli prædicti de *Officiorum Eccl. Origine,* ut Mabillonius ipse, in Opere eximio de Liturgia Gallicana fatetur, pag. 381. Fatetur et Missale hoc *Bobiense* diversum esse a Missale Romano, ut primo intuitu evinci potest; neque ferme ullam habere, excepto Canone, cum Gelasiano aut Gregoriano convenientiam; (2) *neque in omnibus convenire cum Missale Gallicano;* neque facile definiri posse cuinam genti tribuendum sit;(3) et *forte* ad usum fuisse Provinciæ Maximæ Sequanorum, in qua situm erat Monasterium Luxoviense, unde Columbanus Bobium migravit.(4)

(1) Apud Usser. ibid. p. 917, et Mabillon de Liturgia Gal. 384.

(2) Musæi Italici, t. 1, p. 274.

(3) " Cujus porro Provinciæ fuerit Missale hoc, *non obvium est definire.*" Ibid. p. 276.

(4) Ibid. p. 276.—Bobiensis Monasterii originem indicavi in Annot. ad Annal. Ult. pag. 189, ubi S. Columbani secessu, ac tumulo, et Codicibus scriptis illustre fuisse dixi. Etiam adhuc *stat magni nominis umbra.* Nihil tamen superest ex prima Cœnobii antiquitate, præter cryptas subterraneas, ubi Altaria quatuor, olim quinque. In præcipuo corpus S. Columbani servatur, intra Arcam lapideam, de qua vide Annal. Ult. Ibidem. Hoc superbum illud est Mausoleum, inquit Mabillonius, Magni quondam Abbatis Columbani! Sed quibusvis loculis aureis præferendum. Lapidi insculptus cernitur Columbanus genibus flexis, coram Pontifice quodam, a quo hydriam reliquiis plenam accipit supplex, et quem Gregorium M. esse existimant. Extat certe Columbani ad eum Epistola, de celebratione

Noverat etiam vir doctus, orthographiam hujus Codicis, ab aliis istius ævi Gallicanis Codicibus esse diversam; ut *stillæ* et *stilla* ubique pro *stellæ* et *stella*, *Josep* ubique pro *Joseph*, *osanna* ubique pro *hosanna*, *exorcidio* pro

---

Paschatis, et Scriptor coævus libelli de Vita Salabergæ Abbatissæ, Gregorium ad Columbanum rescripsisse testatur. Sed hæc Epistola excidit.

In eadem crypta, ad sinistram Altaris præcipui, jacet in Arca item lapidea, Corpus *S. Cummeani*, Episcopi Hibernensis Sæculi VIIIavi, cum veteri Epitaphio edito ab Ughello in Italia Sacra. Duæ hinc inde Aræ continent reliquias Discipulorum Columbani, Attalæ et Bertulfi Abbatum. Quinta B. Virginis nomine insignis. In Sacrario Caput S. Columbani in peculiari scrinio servatur; ejusdem Cultellus, et Calyx, seu Cyathus; Hydria item prædicta ex Alabastro; Columba vetus ex Aurichalco, ad reponendum viaticum; et Arietis figura concava, in qua oleum Sacrum quondam asservatum. Vide Collectanea Sacra p. 361, Mabillon Musæum Ital. t. 1, p. 271.

Extat præterea S. Columbani Baculum, quod Hibernice *Cambatta* dicitur, e ligni specie, quod nos Hiberni *Cuileann* appellamus, Anglice *Holly*. De eodem Baculo agit Theodorus Monachus in in Vita S. Magn. apud Canisium, tom. 1, sæc. VII. Edit. Basnage Antwerp, 1725. "Baculum "ipsius, quem vulgo *Cambattam* vocant, Discipuli ejus Bobienses, per manum Diaconi ad ejus "Discipulum S. Gallum transmiserunt."—Eadem habet Jonas ejus Discipulus, et testis oculatus, Collect. Sacr. p. 243.—Nempe moris erat inter veteres Hibernos, ut Baculum Pastorale Episcopi, sive Abbatis, ad successores transmitteretur, uti narrat de S. Patricii Baculo S. Bernardus in Vita S. Malachiæ. De eodem agunt *Aileranus* Sapiens, in Triade, p. 39, c. 29, Probus ib. p. 52, c. 18, Evinus ib. p. 122, c. 37, Giraldus in Topogr. Hib. Dist. 3, c. 34, et Jocelinus, c. 24. Usque hodie in Insula Lismoriæ, fundum occupat quidam sub Comite de Argyle, ea conditione, ut *S. Moluogi* Abbatis Hibernensis, Baculum custodiat. Conservatur etiam usque hodie Pedum Episcopale *S. Lasreani* ni fallor, gemmis et auro ornatum, ut ab Ill.mo Episcopo Corcagiense, id mihi referente, accepi.

Quinque tantum supersunt Columbani Epistolæ, editæ in Collectaneis Sacris a Flemingo, quarum prima et quarta est ad Bonifacium IV Pontificem, secunda ad Gallicanos Episcopos, sui causa congregatos, anno duodecimo postquam eremum Vosagense incolere cœpit; cujus Concilii nulla alia memoria restat. Tertia est ad suos Luxovienses, quos invitus deseruerat. Quinta denique ad Gregorium M.—Quartam ad Bonifacium IV scripsit, instigante Longobardorum Rege Agilulfo, contra trium capitulorum susceptionem, in qua his verbis Pontificem alloquitur. "*Vigila itaque quæso,* "*Papa vigila, et iterum dico vigila. Te totum exspectat, qui potestatem habes omnia ordinandi,* "*bellum instituendi, Duces excitandi, arma corripi jubendi, aciem instruendi, tuba undique sonandi,* "*certamen demum, Te in fronte gradiente, ineundi. Vos prope cœlestes estis, et Roma orbis ter-*"*rarum caput est Ecclesiarum, salva loci Dominicæ Resurrectionis singulari prærogativa. Et* "*ideo sicut magnus honor vester est pro dignitate Cathedræ, ita magna cura vobis necessaria est,* "*ut non perdatis vestram dignitatem propter aliquam perversitatem. Tamdiu enim potestas apud*

exorcizo; et scriptum esse priusquam Quadragesima inciperet, ut nunc, a feria quarta Cinerum; quamvis expressis verbis agat de præcepto Jejunii Quadragesimalis, quo durante, inquit "non jejunare peccatum est."

Quod si non aliunde quam ex ipsis characteribus Hibernicis antiquis, à Ruinarto editis, judicium de hujus Codicis Scriptore efformare liceret, vel inde quidem, a quodam Hibernense S. Columbani Discipulo exaratum fuisse declarandum esset, ut patet ex Specimine No. 1, cujus characteres plane conveniunt cum characteribus Hibernicis, quos, regnante Rege Oswaldo, primi tres Episcopi Lindisfarnenses *Aidanus*, *Finanus*, et *Colmannus*, ex Hi-

---

"*vos erit, quamdiu recta ratio permanserit. Nemo nescit qualiter Salvator noster S. Petro Regni* "*Cœlorum contulit Claves, et vos per hoc forte superciliosum nescio quid, præ cæteris vobis majoris* "*authoritatis, ac in Divinis rebus potestatis vindicatis. Noveritis minorem fore potestatem vestram* "*apud Dominum, si vel cogitatis hoc in cordibus vestris, quia unitas fidei in toto orbe unitatem* "*fecit potestatis et prærogativæ..... Iam vestra culpa est, si vos deviastis de vera fiducia, et primam* "*fidem irritam fecistis. Merito vestri juniores vobis resistunt, et merito vobiscum non communicant,* "*donec perditorum memoria deleatur et oblivioni tradatur. Si enim hæc certa majis quam fabulosa* "*sunt, versa vice filii vestri in Caput conversi sunt, vos vero in Caudam; quod etiam dici dolor est.* "*Ideo et vestri erunt judices qui semper orthodoxam fidem servaverunt, quicumque illi fuerint.* "*etiamsi Juniores vestri videantur.*" S. Columbani Epist. IV in Collect. Sacr. Lovanii 1667, cui titulus "*Pulcherrimo omnium totius Europæ Ecclesiarum Capiti, Papæ prædulci. Præcelso Præsuli.* "*Pastorum Pastori. Reverendissimo Speculatori. Humillimus Celsissimo. Minimus Maximo.* "*Agrestis Urbano. Micrologus Eloquentissimo. Extremus Primo. Peregrinus Indigenæ. Pau-* "*perculus Præpotenti. Mirum dictu! Nova res! Rara avis! Scribere audet Bonifacio Patri* "*Palumbus.*"

Hac Epistola nihil solidius, nihil generosius!—*Merito,* inquit, *vestri Juniores vobis resistunt, si hæc vera sunt.* Possunt enim subditi resistere Papæ, publice in hæresim lapso, ut habetur in V Synodo Romana, Episcoporum 218, his verbis—"Oves *Pastorem reprehendere,* nisi a fide exorbi- "taverit, *non præsumant.*" Item Adrianus Papa in Act 5. Synodi VIII. "Licet Honorio Papæ "Anathema sit dictum ab Orientalibus, sciendum tamen, quod *de Hæresi fuerat accusatus,* propter "quam solam, *licet minoribus Majorum suorum motibus resistere.*"—Columbanus autem Calumniis in Bonifacium nullibi fidem adhibet, quæ ab Arianis confictæ fuere. Imo vero *Librum in Arianos scripsit,* teste Jona Discipulo suo, quem librum excidisse dolendum est. Confer dicta de Columbano in Annot. ad Annal. Ult. a pag. 179 ad finem, et in Elencho ibi.

bernia orti, Discipulis suis *Oswaldo* Regi, *Ceaddæ*, *Cuthberto*, *Eadberto*, *Ecgberto*, aliisque primis Nordanhymbrorum Christianis, a se ad fidem conversis,(1) fatente Camdeno tradidere.(2)

Idem colligitur ex orthographia ipsa Hibernica, in qua vocales *e* et *i*, *o* et *u*, et consonantes *b p* et *v* ubique vicissim transpositæ leguntur; et quod, nulla facta de Symbolo C. P. mentione, vel de processione a filio, Symbolum fidei in hoc Codice servatum, idem sit, perpaucis exceptis, quod in *Antiphonario* Hibernico Benchorense, annorum mille, in eodem Monasterio Bobiense invento, atque edito a Muratorio, ut ex sequenti collatione patebit. Parva enim inter utrumque discrepantia, ea est, quæ plane indicat, Codicis *Benchorensis* Symbolum recentius, nihil continere a priore *Bobiense* diversum, nisi explicationem paulo uberiorem doctrinæ Trinitatis contra Arianos et Eutychianos, quorum Hæreses, paulo ante Columbani obitum, a nonnullis, forte Hibernis, tum ex Italia redeuntibus, etiam in Hibernia propagari inceptæ, ut ipse

(1) Bed. l. 3, c. 3, et c. 6, et 26, 27, 28, item l. 4, c. 4, 29, Usser. Primord. p. 919, et supra p. v.

(2) " Anglosaxones rationem formandi literas accepisse ab Hibernis, cum eodem plane charactere " usi fuerint, qui hodie Hibernis est in usu." Camden *Tit. Hibernia*.—Eadem habent Aubertus Miræus in Fastis Belgicis ad 3 Decembr. et Rapinius.—" It is surprisingly strange that the con- " version of the English should be ascribed to Austin, rather than to *Aidan*, to *Finan*, to *Colman*, " to *Cedd*, to *Diuma*, and the other Scottish Monks, who undoubtedly laboured much more " abundantly than he....Before the Benedictines were spread over the Island, the Monks of " S. Columba attended," &c. Rapin. Hist. of Eng. fol. Lond. 1732, p. 80.

Conferantur Characteres Codicis S. Ceaddæ, editi a cl. Viro Thoma Astle, cum characteribus Codicis Evangeliorum scripti per Eadfridum, octavum Lindisfarnensem Episcopum, de quo Cam- " denus, Remains Lond. 1657, pag. 22.—" The *Irish tongue* was brought into the N. West parts " of Britain out of Ireland, by the ancient Scottishmen, and there yet remaineth. Lastly the " English Saxon tongue came in from Germany....The old Scottish which is the *very Irish*, " is used only by them of the West, called the Highland-Men....The ancientest Saxon that " I can find was about 900 years since, about the year of Christ 700, written by Eadfride, the " 8th Bishop of Lindisfarne."—Beda inquit " *nullum*, ut comperimus, *fidei Christiane Signum*, nulla " Ecclesia, nullum Altare in tota Berniciorum Gente erectum est, priusquam *Osuald* signum S. " Crucis (docentibus *Aidano* et Discipulis) erexit." Hist. l. 3, c. 2, Ed. Cantab. p. 104.

Columbanus in Epistola IV ad Bonifacium, et *librum contra Arianos* scribendo, et Gregorius M. in Epistola ad Hibernos plane indicare videntur.(1)

Symbolum ex Missale Bobiense.

" Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Creatorum cæli et terræ. Credo in Jesum Christum filium ejus unigenitum, Sempiternum, Conceptum de Spiritu S. Natum ex Maria V. Passum sub Pontio Pilato. Crucifixum, Mortuum, et Sepultum. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad Cœlos. Sedit ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Inde venturus judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum S. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum Communionem. Remissionem peccatorem. Carnis Resurrectionem. Vitam Æternam. Amen."

* Confer S. Maximi Episcopi Taurinensis Opus De expositione Symboli, scriptum ante ann. 465, inter Muratorii Anecdota, ex Codice Ambrosiano annorum mille, Characteribus, ut is existimat, Longobardicis.(2)

Symbolum ex Antiphonario Benchorense.

" Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Invisibilem, Omnium Creaturarum visibilium et invisibilium Conditorem. Credo et in Jesum Christum filium ejus unicum Dnm nrm. *Deum Omnipotentem,* Conceptum de Spiritu S. Natum de Maria V. Passum sub Pontio Pilato. Qui crucifixus et sepultus descendit ad inferos. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit in Cælis. Seditque ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Exinde venturum judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum S. *Deum Omnipotentem, unam habentem substantiam cum Patre et Filio.* Sanctam esse Ecclesiam Catholicam. Abremissa Peccatorum. Sanctorum communionem. Carnis resurrectionem. Credo vitam post mortem, et vitam æternam in gloria Christi. Hæc omnia credo in Deum. Amen."

---

(1) Confer Gregorii M. ad *Quirinum,* sive Ciaranum, et cæteros Episcopos in Hibernia *Catholicos* Epistolam in Sylloge pag. 3, cum Columbani Epist. IV prædicta, et cum dictis de Libro ejus *contra Arianos,* supra in nota ad p. cxxxv. Flemingus de Libro isto inquit.—" Dicitur in castro " Mediolanensi servari, quo ex Bobio translatum fuit; sicut et alia plura hujus sancti viri monu- " menta, quæ vel Romam vel Mediolanum hinc asportata fuisse, mihi, ni me fallat memoria, testatus " est Monachus quidam Bobiensis, qui tum Codicum et Bibliothecæ curam gerebat, oculatus hujus " rei testis; et ne ex toto Sancti Patris sui Operibus privarentur Bobienses, clam seposuit Codicem " illum, in quo suprascripta Opuscula fere omnia continentur, qui adhuc in ejus Monasterii Sacrario " servatur." Collectanea Sacra, p. 353.

(2) Vix inducar ut credam, Characteres Longobardicos esse Columbani obitu antiquiores. Italiam enim ingressi sunt Longobardi literarum ignari, Barbari, literis hostes infensissimi, ut patet ex Maffæi Diplom. et Opusc. Eccl. p. 59.—" Malgre les recherches que M. le Cardinal Passionei fit " faire en notre faveur, il y a cinque ans, il ne fut pas possible de decouvrir un seul MS. en ecriture " Lombardique du VII[e] siecle." Nouveau Traite de Diplom. t. 3, p. 275.

Istæ inquam explicationes, veteri Symbolo adjunctæ fuere post obitum Columbani, qui, in Epistola ad Bonifacium IV, "nullum fuisse in Patria sua "Hibernia Hæreticum, nullum Judæum, nullum Schismaticum testatur. Fides "enim Catholica, inquit, sicut a vobis primum, SS. scilicet Apostolorum "successoribus, tradita est, inconcussa tenetur."

Neutrum porro ex his Symbolis, neque vetustior ex Codice Bobiense, neque paulo recentior ex Benchorense, convenit vel cum Romano, vel cum Aquileiense, vel cum Orientali, vel cum Vulgari, editis a Dupinio.(1) Sed neque conveniunt cum Symbolo quod in vetere Missale Gallicano legitur edito a Mabillonio.(2)

Denique, Missale hoc *Portatile* S. Columbani Discipulis deberi, patet ex Pœnitentiale Hibernico ad ejus calcem apposito, in quo *ipsa verba* Pœnitentialium *Cumeani* et *Columbani* occurrunt, ut Mabillonius ipse fatetur. (3)— Scriptum porro fuisse constat exeunte sæculo VI, vel saltem ineunte VIImo, eodem fere tempore quo Columbanus suam ad Bonifacium Epistolam IVtam direxit, uti patet, non solum ex dictis, et ex eo quod nullus Sanctus, qui post Co-

---

Longobardi characterum formas a Columbani Discipulis recepisse videntur, regnante Agilulfo; atque hinc doctissimi Operis prædicti auctores recte inquiunt, vetustissimos Codices qui Longobardici appellantur, non esse revera Longobardicos, sed scriptos esse Characteribus *similimis Saxonicis;* nempe Hibernicis, quos tam Saxones Nordanhymbri quam Longobardi ab Hiberniæ Monachis accepere.—"Nous avons lieu de croire que le celebre Abbe de Godwic, qui nous renvoie aux "modeles de sa premiere planche, pour prouver qu' on employe les caracteres Lombards en Italie "au VII[e] et VIII[e] siecle, aura pris pour Lombardique la minuscule Saxone, ou *tirant sur la* "*Saxone.*" Ibid.

(1) History of the Canon, &c. London 1700, vol. 2, p. 143, ex Ruffini Expositione Symboli, ex Ambrosio, Augustino, et aliis.—Differunt etiam ambo hæc Symbola Hibernensia tam a Mozarabico, quam a Visigothico Codice sæculi VIIIavi, cui Titulus *Sacramentarium Gellonis,* ut in Opere Nouveau Traite de Diplom. pag. 86.

(2) Missale Gallicanum vetus editum a Mabillonio in Liturgia Gallicana, p. 340.

(3) "In fine etiam, quod rarissimum est, et pæne singulare, habetur *Liber Pænitentialis,* in quo "multa scitu digna occurrunt........ quæ, *iisdem fere verbis,* reperies in Pœnitentiale *Cummeani,* "editionis Lovaniensis anni 1667." Mabillon Musæi Ital. t. 1, p. 276, et 393.

lumbanum obiit, in eo memoretur, nec Columbanus ipse, nec festum quodcumque sæculo VIImo recentius, verum etiam ex eo quod bella, quæ Columbano vivente Italiam vexabant, iisdem fere verbis, in ejus Epistola prædicta memorentur, quibus in hoc Missali.—" Mundus jam declinat, inquit Columbanus, Dominus appropinquat, et prope jam in fine consistimus inter *tempora periculosa. Ecce conturbantur gentes, inclinantur regna.*"(1)—" Oremus Dominum, inquit Missale, quia amara nobis adveniunt *tempora, et periculosi adproximant anni. Mutantur regna, vocantur gentes.*"(2)

Hæc ea bella respiciunt, quibus Longobardi, Italiam vastaverunt ab anno 568 ad annum usque 616, quo tempore Agilulfus, qui regnavit ab anno 592, totam Italiam septentrionalem subjugavit. Columbanus enim Monasteria *Anagratense*, et *Luxoviense*, et postea *Fontanense* in Gallia construxit anno 590, priusquam Italiam proficiseretur; et se cum sociis in Gallia, annis plusquam xii commorasse inquit, priusquam Episcopi Gallicani Synodum contra eum convocarent, cujus mentionem facit in Epistola Secunda.(3) Atqui Monasterium Bobiense condidit anno 612, tribus integris annis ante obitum Agilulfi, anno 616; et supervixit usque ad ann. 615, quo Deicolus, sive Colidæus, ejus discipulus, *Lutrense* Monasterium fundavit.(4)

Huic venerandæ Codicis nostri antiquitati, objicient forte nonnulli, Missam pro Defunctis in eo inveniri, quam posterioris ævi esse suspicantur. Verum,

---

(1) Columb. Epist. IV in Collect. Sacris Lovanii, 1667, pag. 140

(2) Missale Bobiense in Musæo Ital. t. 1, pag. 371.

(3) Collectan. Sacr. p. 115, col. 1.

(4) Obiit Agilulfus anno 616, Columbano et ejus Discipulis amicissimus, spatio annorum 4, usque ad obitum. Vide Chronologiam ad Sæc. 2, Bened. t. 2, p. li, et Deicoli Vitam, ante annos 900 scriptam, et ex Lutrensibus Membranis descriptam a P. Fr. Chifflet in Luxovio suo, et a Bollando ad 18 Jan. t. 2, Jan. p. 200, ubi Columbani et Discipulorum in Galliam adventus refertur, *regnante Sigeberto*, ad ann. 575. Obiit *Deicola* anno 625.—De Deicolis sive Colideis Hiberniæ, Giraldus inquit—" Cœlibes esse, quos Cœlicolas vel Colideos vocant." Topogr. Hib. Dist. ii, c. 4. Confer Du Cange in Glossar.

pace fratrum, Christi fidem per orbem profitentium, Missa pro Defunctis non solum a Beda memoratur, et a longe antiquiore S. Augustino, sed etiam a SS. Ecclesiæ Patribus Sæculorum 2di, 3tii, et 4ti, notante Binghamo,(1) neque ulla prorsus extat Liturgia vetus quæ non habeat orationes pro defunctis.(2)—" Oblationes pro Defunctis annua die facimus," inquit Tertullianus.(3)—" Hoc enim a Patribus traditum, universa servat Ecclesia, inquit " S. Augustinus, ut pro eis, qui in Corporis et Sanguinis Christi communione " defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, " ac pro illis quoque id offerri commemoretur."(4)—" Non temere hæc ab " Apostolis sancita fuere, inquit S. Chrysostomus, ut in tremendis Mysteriis, " Defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis multum contingere " lucrum, et utilitatem multam."(5)

Itaque non ex nostris præconceptis opinionibus, neque ex recentibus odiis aut affectibus, de Codicis cujusvis ætate judicium præceps efformandum est, sed fides Historica diligenter consulenda, quæ indicat quænam fuerint Majorum opiniones et doctrinæ. Alioquin et hunc venerandum Codicem Bobiensem respuendum declarabimus, quia in eo occurrunt voces *Trinitas*, *Missa Cottidiana*, *Missa S. Martini Turonensis*, *Missa in Adsumptione S. Mariæ*, *Missa Quradraginsimalis*, *Missa in honore S. Michael*, et alia similia, quæ nonnullis recentiora videntur.(6) Harduinus asserere ausus est, imo et probase statuere,

(1) Bingham's Origines, Lond. 1719, t. vi, p. 671, et t. x, p. 72, &c.

(2) Vide Liturgias veteres Græcas et Latinas editas a Martene. Extat Codex Liturgiæ S. Chrysostomi in Bibliotheca *Barberiniana*, Sæculo VIII exaratus, notante *Montefauconio* in Diario Ital.

(3) Tertull. apud Bingham, ibid.

(4) S. Aug. Serm. 171, alias 32, et Confess. l. 9, c. 12. S. Ambrosius inquit se *Divina Mysteria* obtulisse pro anima Defuncti Imperatoris Valentini. Bingham ib. confer Martene de Antiq. Eccl. Ritib. l. 1, c. 4, Art. 8, num. 24.

(5) Chrysost. Hom. 69, ad Pop. Antioch.

(6) De Assumtione pluribus agunt Gregorius Turon. libro de Miraculis c. 4, S. Ildefonsus Toletanus sæculo VIImo, in sermone 6 de Assumtione, Gregorius M. in Sacramentario ex Gelasiano a se col-

omnes Codices in quibus vox *Trinitas* invenitur, *a Sæculo 14to confictos!* Trinitas enim, inquit, nec vox Latina est, nec Christiana, sed ficta a Sæculo isto pro *Trina unitas;* et quæcumque Monumenta, Trinitatis appellandæ formulam habent, falsa sunt habenda, hoc uno indicio!(1)

Erravit vir doctus, quamvis enim Tellemontius asserat, vocem istam in nullo Opere, spatio trium Sæculorum a Christo nato inveniri, pluries invenitur apud Tertullianum, Cyprianum, Theophilum Antiochenum, et in Actis Sinceris Martyrum *Fructuosi, Augurii,* et *Eulogii,* qui sub Valeriano et Gallieno passi sunt, annum circiter 259. Extat etiam Codex annorum 1300, in quo invocatio Patris et Filii et S. S. legitur, Victoris Capuani manu exarata, anno D. 546.(2) Extat et Cassiodori Opus MS. Sæculi VI, editum Florentiæ anno 1720, et postea Londini, in quo versus vii Capitis 5 Epist. 1. S. Johannis sic legitur "*In Cœlo autem Pater et Filius et S. Sanctus,* "*et hi tres unus est Deus.*" Non ergo ex præconceptis opinionibus, de cujusvis Codicis ætate decernendum est, sed, ut diximus, ex *Historica veritate.*

Ex dictis satis constare opinor, Codicem Bobiensem de quo agimus, esse

---

lecto, Missale Gallicanum annorum plusquam mille, editum a Thomasio et Mabillonio.—Inter Græcos Andreas Cretensis Orat. 2, De Laud. Virg. Germanus Patriarcha C. P. Orat. 1 in Dormitatione Deiparæ, et Menologium Græc. ad xv Aug. In vetusto Martyrologio dicto *Hieronymiano,* annorum mille, edito a *Martene* in Thesauro Anecdotor. t. 3, p. 1559, ad diem 15 Aug. legitur "*Assumtio B. Mariæ matris Dñi nri* I. C." et in t. 6, Collectionis Scriptorum et Monumentorum veterum p. 645, extat Kalendarium, seu Liber Annalis Bedæ, in quo eadem verba leguntur ad eundem diem. Alia Martyrologia vetera quæ eamdem habent formulam, reperies in Opere Bollandiano t. 7.

(1) Harduin MS. du Roi, No. 6216. Vox ista extat in Tertul. contra Praxeam c. 2, Theophil. Antioch. l. 2, n. 15.—S. Hieronymus inquit "In Symbolo, post confessionem *Trinitatis,* et unitatem "Ecclesiæ, omne Christiani Dogmatis Sacramentum carnis Resurrectione concluditur." Epist. 61 ad Pammachium c. 9. Confer Usser. De vetere Symbolo Ecclesiæ Romanæ.

(2) Schannat Vindemiæ Litterariæ p. 219. "Cette invocation des trois personnes de la S. Trinite' est a la tete du MS. de Fulde, corrige' de la main de Victor Eveque de Capoue, la cinquieme "annee du post-consulat de Basile. C'est a dire l'an 546 de l' Ere Chretienne. Ce precieux livre "est le plus ancien de trois qu' est, on pretend avoir apartenu a S. Boniface" Nouv. Traite. t. 3, p. 40.

Missale Portatile Hibernorum Luxoviensium et Bobiensium, qui exeunte Sæculo VI, fidem Christi Burgundiis et Longobardis prædicavere.

Ad usum porro Burgundiorum scriptum fuisse opinor, I, quia Columbanus Burgundios, partim a Gentilitate, partim ab Ariana hæresi reduxit; II, quia *Luxovium* condidit in regione Burgundiorum; itemque Monasteria *Anagratense* ac *Fontanense*, unde plura alia, eo vivente, vel ejus Discipulis florentibus, originem habuere; III, quia Missam exhibet Sigismundi Burgundiorum Regis, ab Arianis occisi anno 524, quæ Missa fuit Burgundiis peculiaris. (1)

Iamque, ut huic nimium prolixæ Codicis I mi notitiæ finem imponam, Characteres ejus communes, per totum textum, conveniunt cum Characteribus Codicis *S. Kiliani*, infra No. II, et cum Characteribus *Antiphonarii Benchorensis*, infra No. III, et, paucis exceptis, cum Characteribus *Epistolæ S. Columbani* MS. Sæculi viii, vel ix, servatæ in Codice S. Germani a Pratis No. 1540, (2) et cum Characteribus Operis *S. Adamnani de Locis Sanctis*, MS. Sæculi viii, ibidem No. 844, (3) itemque, paucis exceptis, cum Characteribus *S. Cumeani* De Mensura Pœnitentiarum, in Codice Monasterii S. Galli, cujus meminit Mabillonius, Analecta t. 4, p. 634.

Horum Characterum formas, ex eodem fonte, unde primi Monachi Hibernenses suas de Religione Christiana doctrinas hauserunt, derivandas esse existimo; nempe ex Scholis SS. Martini Turonensis et Germani, (4) cum quorum Codicibus, adhuc extantibus, tantam exhibent affinitatem, ut vel

---

(1) Vide Gregor. Turon. l. 1, de Gloria MM.—" Si qui nunc frigoritici in ejus (Sigismundi " Regis) honore, Missas devote celebrant, ejusque pro requie Deo offerunt oblationes, statim " pristinæ sanitati restituuntur."

(2) Nouveau Traite, ib. p. 74. Hunc Codicem Exemplaribus editis emendatiorem esse declarant. Ib. p. 286.

(3) Ibid. p. 129, 132, et 355. " Ce MS. renferme les 3 livres d Adamnan sur les lieux Saints, " et les ouvrages de Fortunat de Poitiers en ecriture *Lombardique* du VIII[e] siecle." Ib. p. 66.

(4) Vide quæ de Hibernorum in S. Martinum reverentia dicta sunt supra, p. xcv, not. 2. Hinc S. Columbanus " tribus noctibus ad S. Martini Sepulchrum vigilavit," referente Jona.

inde Probi et Jocelini fides manifestetur, qui inquiunt "S. Patricium a S. Germano accepisse *Codices Evangeliorum*, et *copiam Codicum*, et *Calices*, et *Vestimenta Sacerdotalia*, quæ in Hiberniam veniens attulit, A. D. 432."

Cum huc usque de hoc *Codice Bobiense* scripsissem, contigit fortuito me in doctissimorum virorum sententiam incidisse, qui de eodem inquiunt, non esse Gallicanum, nec ullatenus Continentis Europæ; sed Italiam translatum fuisse ex Insulis Britannicis, et iis Characteribus scriptum, qui in Insulis istis in usu erant, ante conversionem Anglorum.(1)

CODEX II.

Præcedenti ordine proximus esse videtur, *S. Kiliani* Codex Evangeliorum

---

Extat usque hodie Vita S. Martini per Sulpicium Sever. in Codice scripto anno 517, cujus Characteres cum Hibernicis prope conveniunt. "C'est peut etre l' unique MS. qui porte aussi pre-" cisement le tems, le lieu, et le nom de son Ecrivain." Nouv. Traite ib. p. 258, et Maffei Opusc. et Verona illustrata p. 237.—S. Augustini Opus De Civitate Dei MS. apud S. Germanum a Pratis No. 766, Sæculi VI, iisdem Characteribus scriptus est, quibus Codex prædictus Veronensis. Nouv. Traite ib. p. 241, 244, 265, 267, 296, et 297. Item Codex ejusdem Monasterii No. 255, cui titulus *Regula Magistri*, sæculo VII scriptus, ib. p. 244. Opus nempe *Boboleni* Discipuli S. Columbani, et primi Abbatis S. Mauri a Fossis, qui obiit anno 660, *S. Fursæi* Socius. "Ce MS. est contem-" porain a son Auteur. Nulle distinction de mots, nuls points, ni virgules. Il est plein de solecis-" mes." Nouv. Traite ib. p. 244.—Conferantur horum Codicum Characteres cum vetustissimis Hibernicis, *Bobiense, S. Kiliani, et Antiphonario Benchorense*, et cum *Sedulii* Carmine Paschale MS. sæculi V, in Bibliotheca Taurinense No. 756. Nouv. Traite ib. p. 58.

(1) "Elle tient peutetre de l' ecriture Romaine, usitee dans les Iles Britanniques avant la conuersion" des Anglois. Dans cette ecriture du VI ou VII siecle, l'*e* prend la place del *æ* et de l *i*, et l' *u* celle" de l *o*. Quoique cette ecriture soit formee de lettres onciales, demionciales, et minuscules, D. Ma-" billon la qualifie majuscule (Prefat in Sacrament. Gal. p. 275,) et donne plus de mille ans au MS de" Bobio d'ou elle est tiree. On lit a la marge d'un des feuillets le nom de Bertulfe, Abbe de ce Mo-" nastere au milieu de VII siecle. Le savant Benedictin conjecture que ce Sacramentaire y fut" aporte' de Luxeuil par S. Colomban. On peut, avec autant de fondement, suposer que ce Saint l'" aura aporte de la Grande Bretagne (lege de *l' Irlande* sa Patrie,) en Franche comte." Vide Benedic-" tinorum Opus Nouveau Traite de Diplom. Paris 1757, t. 3, p. 210, 211.

Wirtzburgensis, vel ipsius Kiliani manu exaratus, vel saltem manu cujusdam ex ejus Discipulis, qui cum eo ex Hibernia Franconiam advenerunt, ante annum 686.(1) Scriptus est absque distinctione verborum, locis nonnullis exceptis, in quibus interpunctiones, quæ nullibi in toto Codice extant, ad sensum definiendum requirerentur. Codex est formæ quadratæ, in quarto, et duabus Columnis; mutilus in initio et in fine, incipiens nempe a Capite 12mo S. Matthæi, et desinens in S. Johanne. Antiquitatem indicant venerandam, non modo verba indistincta, verum etiam versio Latina, diversa a Vulgata,(2) quæ ubique in Occidente a sæculo VIIIvo invaluit, ut ex Sæculi VIIIvi Scriptoribus liquido constare, doctissimi viri fatentur.

KILIANI PATRIA ET ÆTAS

Kilianum et Socios Germaniam ex Hibernia advenisse ante annum 685, patet ex vetusto Codice Actorum ejus, et ex Schedis Wirtzburgensibus et Mo-

---

(1) " Le celebre MS des Evangiles, trouve' l' an 743 dans le tombeau de *S Kilien*, mort en 687, " (lege 689) qu' on expose sur l' Autel, a la veneration des Fideles, le jour de la fete du Saint, dans " l' Eglise Çathedral de Wirtzbourg." Ibid. p. 101. Eckhart Hist. Franciæ Orient. Wirceburgi 1729, t. 1, p. 451, et Chronic. Godwic. p. 34. Ludewigi Scriptores Wirceburg. p. 966.
" Si ce venerable MS. n' est pas du VI.e siecle, il en aproche beaucoup. Le tradition veut que S. " Kilien et ses compagnons s'en soient servis en celebrant les Saints Mysteres. On voit a la fin les " goutes de sang, dont il fut teint, lorsqu' on mit a mort ces Saints. M. Eckhart estime, que ce MS. " n 'en cede point pour l' age aux Pandectes de Florence." Ibid. p. 231, 232.

(2) " La version qu il renferme est diferente de la Vulgate." Ibid.—Iidem Auctores de alio Codice antiquissimo inquiunt, " Ce MS. nous paroit du 5e ou 6e siecle. S. Luc y est apele' *Lucanus*, " ce qui ne convient qu aux plus anciens MSS. C'est une version Italique, ce qui est une marque de " l'antiquite la plus reculee, &c." p. 93.

Antiquissimus IV Evangeliorum Codex Vercellensis, S. Eusebii manu sæculo IVto exaratus, et ex autographo editus Mediolani anno 1748, Versio est antiqua Italica, literis Uncialibus Romanis, absque distinctione verborum, aut interpunctionibus. Continet verba Salvatoris—" *Quia Deus " Spiritus est, et ex Deo natus est*," quæ verba, Spiritus S. Divinitatem indicantia, desunt in nostris Codicibus, deleta ab Arianis ex c. 3 S. Johannis v. 6, referente S. Ambrosio in libro de S. S. Simon Hist. Crit. du Texte p. 355. Confer Bianchini Vindicia Romæ fol. 1740, p. ccclxxiii.

guntinis editis a Serrario,(1) et aliis.(2) Monumenta enim ista, scripta, procul dubio, antequam ulla M. Britanniæ pars *Scotia* diceretur, Kiliani Patriam his verbis enunciant.—" B. Kilianus e Scotorum genere, nobilibus ortus " Parentibus, Divinæ gratiæ factus est nobilitate clarissimus....Scotia, *quæ et* " *Hibernia dicitur,* Insula est maris Oceani, fœcunda quidem glebis, sed viris " sanctissimis clarior, e quibus *Columbano* gaudet Italia, *Gallo* ditatur Alema- " nia, *Kiliano* Francia Teutonica nobilitatur; qui in pueritia liberalibus stu- " diis traditus, Monasterium petiit . . . . ubi per Ecclesiasticos gradus ad " Presbyteratus officium ascendere, et deinde ejusdem Monasterii gubernandi " curam suscipere, eum Fratres coegerunt. Sed cum fama ejus longe lateque " crebresceret, metuens ne popularis favor tabem aliquam sibi adferret, cum " sociis, in quibus idem fervor ardebat, in vicinam Scotiæ Britanniam pervenit, " eamque non longa navigatione præteriens, Gallias attigit, indeque Germa- " niam; ibique in oppido Wirtzburg morari constituit. Tantam autem gra- " tiam Dominus ei contulerat, ut brevi tempore, et gentis idioma perdisceret, " et eis, ipsorum lingua, veritatis semina jactaret; ita ut tota pene Orientalis " Francia, relicto Dæmonum cultu, Divinæ Religioni operam daret."

Eadem habet Marianus Scotus in Chronico ad ann. 686,—" S. Kilianus " Scotus, de Hibernia Insula natus, Wirtzburgensis Episcopus, clarus habe-

---

(1) Serarii Opuscula in fol. Moguntii 1611, tom. 1, p. 319, et Francofurti ad Mœnum 1722. Sigebertus ad ann. 685, " S. Kilianus Scotus, Wirtzburgensis Eps. clarus habetur."

(2) Acta Martyrum *Kiliani, Colmani,* et *Totnati* (potius Totnani,) collecta per Egilwaldum, Monachum Wirtzburgensem, Monasterii S. Burchardi, Sæculo xi, edita fuere imperfecte a Surio, t. 4, integra a Canisio Lect. Antiq. t. 4, parte 2, p. 628, a Basnagio, t. 3, p. 174, a Ludewig in Collectione Scriptorum Wirtzburgensium, p. 966, et accurate a Bollando et Mabillonio. Vide Annal. Ult. p. 217, et Usser. Primord. p. 735. Eadem Acta versibus compegit, ante annos 337, Monachus Erfordiensis de Luterbache, cujus Opus MS. Serrario legendum dedit Monasterii istius Decanus, his et similibus Rhythmis concinnatum—

" Sanctorum mer } *ita* { norunt compungere m } *entes.*—Serrar. ib. p. 322.
" Cura Solic .... } *ita* { studiose pio recol .... } *entes.*

" tur;"(1) itemque Beda in Martyrologio, ad 8 Junii—" Natale S. Kiliani " Martyris, et duorum Sociorum ejus, qui ab Hibernia Scotorum Insula veni- " entes, nomen Christi prædicaverunt."(2)—Notkerus pariter, qui, regnante Carolo Calvo, Martyrologium scripsit, annum circiter 858, eadem refert, iisdem fere verbis, ad eundem diem—" V Id. Junii, Passio S. Kiliani " primi Wirtzburgensis Episcopi, et Discipulorum ejus Colonati, (lege *Colmani*) " scilicet Presbyteri, et Totnani, qui ab *Hibernia* Scotorum Insula venientes, " et a Pontifice Sedis Apostolicæ (*Conone*) auctoritate accepta, nomen Christi " in eodem loco et in circuitu prædicaverunt."(3)

Annales Herbipolitani, sive Wirtzburgenses, S. Kiliani Martyrium recte referunt ad ann. 689. Convenitque Usserius, Episcopatum ejus referens ad ann. 687, et Martyrium ex Martyrologio Notkeri ad ann. 689.(4) Convenit et S. Burchardi Historia, ubi de novo Episcopatu a Bonifacio instituto apud Herbipolim, institutum fuisse inquit Egiwaldus, "anno D. Incarnationis 751, " *anno vero 62 post passionem SS. Martyrum* Kiliani ac Sociorum ejus, quæ " incidit in annum Incarnationis 689."(5)

---

(1) Chronicon Mariani apud Usser. Primord. p. 735. Consentiunt et Sigebertus in Chronico ad ann. 685, et Florentius Wigorniensis, et Egilwaldus in Vita Burchardi apud Mabil. Sæc. 2 Bened. p. 993, ubi Burchardum et Bonifacium ex Britannia Germaniam advenisse inquit, Sanctos vero *Kilianum, Columbanum,* et *Gallum* e Scotia. Et quidem id de seipso asserit Burchardus in Bonifacii Epist. ad Zachar. Hist. l. 2, c. 1, et Vitæ l. 2, c. 11.—S. Kilianum memorant *Wandelbertus, Usuardus, Hrabanus,* et *Ado,* æque ac Beda, in suis Martyrol. ad diem 8 Julii.

(2) Martyrologium hoc esse genuinum Bedæ Opus, alibi indicavi ex Launoio et aliis. Romanum Martyrologium memorant Patres Synodi Cloveshoviensis anno 747, Bedæ Opus genuinum edidit Henschenius, memorat Usuardus in Præf. ad Martyrol. ut apud Vossium de Script. Lat. p. 279.

(3) Ed. Canisii Antiq. Lect. t. 5, p. 747.

(4) Primord, p. 735, et in Ind. Chronolog. ad ann. 689.

(5) Burchardi Vita, l. 1, c. ult. Confer Serarii notam Chronolog. loco citato, p. 334, not. x, unde apparet S. Kilianum, more vetere Hibernorum, ex Hibernia Germaniam adiisse cum 11 Sociis, *Colonato, Gallone, Arnuwilde Presbyteris, Totnato Diacano,* et *septem* aliis.—Columbanus quidem cum pluribus sociis ex Hibernia peregrinasse videtur, ex Epistola sua secunda ad Gallos, ubi inquit. " Quod Occidentales Ecclesiæ de Pascha sentiunt, Papæ per tres tomos innotui, et adhuc sancto

Ante Kiliani Adventum nulla Religio nullæ literæ in Franconia.

S. Bonifacius, Alemannos Wirtzburgenses alloquens, "*Primus,* inquit, fundator vestræ fidei Kilianus, ab Apostolica vobis Pastoralitate transmissus, fidem quam vobis docuit, hoc ipso in loco Martyrii testimonio complevit. Felix eris amodo Wirceburgum, et inter Germaniæ non ignobiles urbes, exornata corporibus Martyrum."(1) Eadem habet Auctor vetus Anonymus de quo supra, editus a Surio, Serario, et Mabillonio, qui Kilianum *cum Apostolis comparandum* inquit, "quia ad Judicium Petrus Judæam ducet, Andreas Achaiam, *Kilianus Teutonicam Franciam.*"—Hinc recte notat Serarius, in Franconia ante S. Kilianum vel nullam, vel pœne nullam viguisse religionem;(2) et Mabillonius id non semel, expressis verbis, veterum consentiente relatione declarat.(3) Walafridus in Vita S. Galli Hibernensis, Helvetiorum

" fratri vestro Arigio, brevi libello, hoc idem scribere præsumpsi. Unum itaque deposco a Vestra " sanctitate, quia in has terras peregrinus processerim; deprecor vos per commune Dominum, ut mihi " liceat, cum vestra pace et charitate, in his silvis silere, et vivere juxta ossa nostrorum fratrum *decem et* " *septem* defunctorum, sicut usque nunc licuit nobis inter vos vixisse, duodecim annis. Capiat nos " simul Gallia, quos capiet regnum cœlorum, si boni simus meriti." Collect. Sacr. p. 115.—At cum xi sociis ex Hibernia exiisse, eodem nempe numero quo *Palladius* in Hiberniam venit, eodem quo *Columba* ivit Hionam, eodem quo *Aidanus* ivit ad Regem Oswaldum, constans est, et scripta traditio, ut in Actis SS. p. 436.—Ængusius Colidæus hæc habet " *Duodecim* qui cum S. Riocho trans " maria peregrinati sunt invoco," Opusc. t. 5, n. 63, et iterum " *Duodecim* comperegrinatores qui " cum S. Maidoco Fernense trans mare profecti sunt invoco." Ib. n. 24.

(1) Burchard l. 1, c. 5, et iterum c. 9, et Sigebertus item in Chron. ad ann. 746.

(2) Opuscula, Francofurti 1611, p. 332. Confer dicta supra p. xxi.—Kiliani nomen varie scriptum invenio, *Quilianus, Kilianus, Chillianus, Cillienus.* Sed recte *Cilianus.* Nomen est exclusive Hibernicum, usque hodie extans in agro Roscommanense *O' Cilin,* et *O' Cilleen*; etsi in vetere hujus Sancti Epitaphio, et in quibusdam MSS. Codicibus, scribatur Killena et Kyllena, ut apud Luterboch in Lect. Mogunt. et apud Serar. ib. p. 323, n. 2.

(3) "Germanicæ gentis conversio, tentata non semel, sed innata Indigenaram feritate semper impe- " dita usque ad sæculum VIII. Rem *imprimis* aggressus est S. Kilianus, Franciæ Orientalis vocatus ob " id Apostolus." Acta Bened. t. 2, Præf. p. xv, et in Opere ipso iterum p. 991.

Apostoli, inquit, S. Columbanum illi injunxisse, ut Alemanniæ populos ab errore Idololatriæ revocaret, quia ipse hanc a Domino gratiam meruit, ut, non solum Latinæ, sed *Barbaricæ etiam locutionis cognitionem non parvam haberet, ut in Libello de Vita ejus in promptu habetur.*" (1)—Atqui illud idem de Kiliano asserit vetus Auctor Anonymus supra memoratus. Serarius in nota inquit, licere de Kiliano et sociis existimare, quod, sub ipsa Kiliani tempora, de duobus aliis Evangelii Præconibus, qui *ex Hibernia pariter in Saxoniam veterem venere*, narrat Beda, "Psalmis semper et orationibus "vacabant, et cotidie sacrificium Deo victimæ Salutaris offerebant, habentes "secum Vascula sacra, et tabulam Altaris vice dedicatam." (2)

KILIANI PLURES, SED OMNES HIBERNI

Sicut nonnulli e nostris Scriptoribus, plures *Gildas* in unum Badonicum immerito conflant, et plures *Columbanos* in unum Luxoviensem, et plures *Colmanos* in unum Maionensem ac Lindisfarnensem, sic plures *Cilianos*, qui Sæculis vi et vii floruere, eo quod omnes Hiberni fuerint, et Sanctitate conspicui, cum Kiliano Wirtzburgense Scriptores exteri confuserunt. Id notavit Io. Malbrancus in Historia Morinorum, ubi de Kiliano Morinorum Apostolo, pariter Hibernense, recte inquit, diversum fuisse a Wirtzburgense, etsi patria fuerit communis, et ætas eadem. Morinorum enim Apostolus *Cilianus* fuit S. Columbani Discipulus, et postea, in conversione Morinorum, *S. Vulgani* Condiscipuli sui Hibernensis Socius, et Corpus ejus servatur in Ecclesia

---

(1) Editio Mabillonii in Sæc. 2, Bened. p. 233, c. 6, Goldast. Rer. Aleman. t. 4, p. 36.—Obiit Gallus ante Kilianum anno 646, 17 Kal. Nov. ut in Notkeri Martyrol. apud Canis. t. 6, et in Mabillonio ibid. p. 248.

(2) Serarius in notis ad veterem Anonymum t. 1, p. 36.—Portio quædam reliquiarum S. Kiliani servabatur in Scrinio pulcherrimo, inter κειμηλια Electoris Brunswico Luneburgensis, anno 1713. Vide Thesaur. reliquiar. Electoralis Brunswico Luneburg. Hanoveræ 1713, et Solerii t. 2 Julii, p. 600. Confer Bed. l. 5, c. ii, MS. Laud H 38, cum dictis supra p. xx, &c.

Monasteriolense inter Morinos, ubi festum ejus solemne die 18 Martii celebratur, cum Wirtzburgensis festum incidat in diem 8 Julii.

Alius fuit eodem Sæculo *Kilianus* Hibernensis, Attrebatensium in Belgio primus Episcopus, Apostolus, Patronus, de quo Hildegarius Meldensis, in Vita *Faronis* Discipuli S. Columbani, et primi Meldensium Episcopi, Carolo Calvo Imperante inquit—" Regio sanguine in Hibernia ortus, Episco-
" patum ibi reliquit, Romam contendit, et in Galliam reversus, a Farone ad
" Attrebates missus, (circa ann. 640) eos ad fidem convertit."(1)

---

(1) Hildegar. in Vita Faronis edita a Mabillonio ib. p. 616, No. lxx, et c. 99, p. 618, et 620, not. *a*. Item Le Cointe Annal. t. 3, p. 625, et Annal. Benedict. l. 16, c. 19, p. 509.

Malbrancus libro 2 de Morinis c. 55, ex Chronico *Richariense*, et ex Ratperto, Caroli Magni coævo, eos eorumque Socios nominat, S. Columbani Discipulos Hibernos, *Frichorium*, *Caidocum*, *Rauricum*, *Quilianum*, et *Ualganium*; et recte inquit Frichorium, et Caidocum fuisse *Richarii*, primi Centulensis Episcopi, Præceptores. Id etiam declarat *Alcuinus* in Vita Richarii, qui obiit anno 645. edit. Mabillon, Sæc. 2 Bened. ex MS. Codice Compendiense p. 191. " Duo Sacerdotes, virtutum
" meritis fulgentes, Caidocus et Frichorius, de Hiberniæ partibus in Pontivos pervenere, quos prædican-
" tes Richarius audiens, conversus, confessionem fecit suorum peccatorum. Ex eo tempore initium
" Sacræ Religionis inter Pontivos," &c. Ib. Confer Hariulfi Chronographi Centulensis Chron. l. 1, c. 6, et l. 4, c. 33. Caidoci et Frichorii Epitaphia scripsit Sæculo x Angilbertus, edidit Mabillonius ib. p. 200.—Caidoci Epitaphium edidit prius H. Menardus in Appendice ad Martyrol. Bened. p. 136, ubi inquit S. Caidocum fuisse Scotum Hibernum, qui tempore Sigeberti Regis mariti Brunechildis, cum socio Adriano (alias *Frichorio*,) trajecit in Germaniam, ibique Richarium a Sæculi vanitate abduxit, et cum illo Romam profectus est. Reversus, Monasticam egit in Cœnobio Centulensi, quod S. Richarius ædificaverat, ubi et sepultus est. Ejus sepulchrum vetustate exesum instauravit Sæculo ix S. Angilbertus, eique hoc Epitaphium apponi curavit.

" Mole sub hac tegitur Caidocus jure Sacerdos,
" Scotia quem genuit, Gallica terra tegit.
" Hinc Angilbertus fretus pietate Magistri,
" Et tumulo Carmen condidit et tumulum."

Caidocum post annum 630 floruisse patet ex Alcuino et Malbranco, Dagobertus enim, cujus tempore floruit, regnavit ab anno 631 ad ann. 645. Confer Surium, Menardum, et Lippeloo in Vita Richarii ad 26 April. Frichorium a Gallis *Hadrianum* appellatum fuisse, ob vocis prioris asperitatem, notat Mabillonius, quod et in aliis Sanctis Hibernis contigisse inquit, ob *rictum vocis*. Hinc etiam

Veterem hujus *Kiliani* Vitam, ab Anonymo scriptam, memorat idem Hildegarius his verbis—" ut in descriptionibus *B. Chilleni,* viri Scotticæ gentis, exara-" tum videatur."—Fuit is *S. Fiachrii* consanguineus, et Socius, et ambo simul Attrebatibus et Meldensibus, Farone florente, prædicaverunt. Faro autem obiit anno 672.—Eundem *Kilianum* memorat Auctor vetus Vitæ Fiachrii, quam ediderunt Surius, ex Apographo Trajectensi, et Mabillonius loco memorato p. 599. Atqui obiit Fiachrius ante Faronem, iii Kal. Sept. anno 670.—Colitur præterea *Kilianus,* Attrebatensium Apostolus, *Idib. Nov.* et ejus Reliquiæ, simul cum Fiachrii Scrinio, servabantur in Ecclesia Majori Meldensi, uti narrant Menardus in Martyrologio Benedictino, et Mabillonius; quamvis alibi adservari, nescio qua auctoritate fretus, asserat Butlerus.(1) Hunc itaque *Kilianum* a Wirtzburgense diversum indicant, tempus quo floruit paulo remotius, dies obitualis diversa, locus sepulturæ, et Attrebatensium ac Meldensium Historiæ, cum Vita Faronis.

Quartus ejusdem Sæculi *Kilianus* Hibernensis, fuit Socius Livini istius, cujus Vitam, a Discipulo *Bonifacio* scriptam, edidit ex Codice Compendiense Mabillonius ad 12 Nov. Sæc. 2 Bened. p. 449. Hanc vitam, antiquitate venerandam, memorant *Gotselinus* et Malmesburiensis,—" Legimus in Vita B. Pontificis " *Livini,* fideli Sociorum suorum commendatione descripta, eum, cum tribus Dis-" cipulis suis, *Foiliano, Helia,* et *Kyliano,* qui etiam *scribendis ipsius gestis* proba-

---

nomen *Fiachrii* in Fefri mutatum est. Hildegar. Ib. p. 601, et Annal. Bened. t. 1, p. 308, 336. Item Fulconius Meldensis in Vita Metrica *Faronis,* scripta Sæculo xi.—Frichorii et Caidoci meminit Sæculo xi ineunte, Ingelramnus in Vita metrica Richarii, his verbis—

" Tunc et Pontivus meruit splendescere pagus,
" Forte Sacerdotum radians fulgore duorum,
" Nomen majorum quorum fuerat *Caidocus,*
" Egregios meritis quos misit *Hibernia* nobis."

(1) " His body is kept at Aubigny near Arras, in a Priory of Canon Regulars which bears his " name." Butler Nov. 13.

" tissimi Auctores claruere."(1)—Atqui Livinus Carmen suum ad *Florbertum*, ab Usserio editum, scripsit anno 633, quo tempore grandævus, et jam a pluribus annis Poeta, simulque fidei Præco in Belgio, senio et laboribus confectus erat, ut ipse testatur.(2) *Kilianus* itaque, Socius ejus, Kilianum Wirtzburgensem temporis ratione præcessit.

Alius fuit *Kilianus* S. Senani de *Inis-Cealtra* in Insula Lacus Derg-derg discipulus, cujus mentio fit in vetere Vita Senani ad diem viii Martii c. 23, et a *Colmano* filio Lenini, Poeta, qui Acta Senani Metrice scripsit annum circitur 600, quorum fragmentum " *stylo vetusto,* et pereleganti Patrio Sermone scriptum" penes se habuit Colganus.(3)

Sextus fuit Kilianus filius Subnei, Abbas Sagirensis, qui cum aliis 40 Episcopis et Abbatibus interfuit Synodo, per S. Flannium Primatem Ardmacha-

---

(1) Malmesb. Reg. Angl. l. 4, Gotselin in Vita S. Augustini Cant. Sæculo xi scripta, l. 1, c. 28. Confer *Bonifacii* Opus apud Mabillon ib. p. 529, n. 48, et p. 449, et ex aliis Codicibus apud Surium ad 12 Nov. et Serarium ad Calcem Epistolarum S. Bonifacii Moguntini, quem Vitæ Livini Auctorem putavit; sed perperam. Is enim qui Livini Vitam scripsit, se id opus suscepisse inquit " *postulantibus Discipulis Livini, Foilano* nempe, *Helia,* et *Kiliano, qui sibi comperta retexerunt."*—Foilanus porro iste diversus est a Foilano fratre Fursæi, qui eodem ævo Fursæo adhæsit, ut Foilanus iste Livino.—*Helias* etiam prædictus, in Livini Vita nominatus, diversus est ab Helia Abbate Monasterii Hibernorum Coloniæ, de quo Marianus, coævus et concivis suus, nonnulla habet ad ann. 1035 et 1042, quo, ii Id. Aprilis obiit.

Livinum *Scriptorem peritum* appellat Bonifacius, qui *libros plures manu sua exaravit.* Apud Mabillon. ib. p. 404 ann. 653. Confer Henschen. in Vita Amandi, et Malbrancum l. 3 de Morinis c. 18, et Nicolai Vernuli Opus rarum " De Religione in Belgio propagata per sanctos ex Hibernia Viros," et Annal. Benedict. l. xi, n. 17, p. 308, et l. 14, n. vi. p. 413.

(2) Hos postquam populos conspexi luce serena,
Sol mihi non luxit, nox fuit una mihi.
Impia Barbarico gens exagitata tumultu,
Hic Bracbanta furit, meque cruenta petit!
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto,
Pax est quod porto, cur mihi bella moves?
Sic ego qui *quondam* studio florente videbar
Esse poeta, modo curro pedester equo.
Et qui Castalio dicebar fonte madentem,
Dictæo versu posse movere Lyram:
Non sum qui fueram, festivo Carmine lætus.
Usser. Sylloge p. 20, 21.

(3) Acta SS. p. 535, vel 539, not. 15, et Vita vetus Senani c. 23, in Actis SS. ad viii Martii p. 614. S. Senanus dicitur in Vita ista c. 19, Devote visitasse Sepulchrum S. Martini Turonensis; juxta dicta supra de Columbano p. cxlv. not. 2.

mum et S. Adamnanum, in Hibernia coactam, annum circiter 696, " ut *habent Acta istius Synodi penes me,*" inquit Colganus, qui eadem Acta ex pervetusto Codice non semel adducit.(1)

Septimus fuit *Kilianus* Episcopus et Abbas Fernensis qui obiit, juxta IV Magistros, anno 713.

Octavus *Kilianus* Abbas Hiiensis, cognomento *Foda,* i. e. Longus, qui obiit, juxta IV Magistros, anno 725.

Nonus *Kilianus,* cognomento *Droicteach,* Abbas pariter Hiiensis, qui, juxta eosdem, obiit die iii Julii anno 747.

Decimus *Kilianus O'Colla* Abbas Fothanensis, qui obiit, juxta eosdem, die 3 Jan. anno 734, uti etiam in Actis SS. p. 331, not, 3.

Undecimus est *Kilianus* de *Inis-Cealtra* cujus Opus Metricum de Vita Brigidæ, Sæculo viii scriptum, extat in Bibliotheca Montis Casinensis, quod, collatum cum exemplaribus Vaticano, Barberiniano, aliisque, edidit Colganus in Triade p. 582.

Denique alius fuit *Kilianus,* Abbas Monasterii Hibernorum Coloniæ anno 986, de quo plura habet Marianus Scotus ad annum istum, itemque Hermannus Contractus, qui ejus obitum refert ad ann. 990.(2)

Alios recentiores Kilianos omitto, de quorum temporibus Annales Hibernici consulendi sunt. Hos autem a Kiliano Wirtzburgense distinguere juvat, ne confusio obscuritatem et incertitudinem pariat, quæ veritati Historicæ, præsertim in rebus Hibernicis, propter tot agnominum identitatem, plurimum officere dolendum est. Hæc satis indicant, quam sedulo *Kilianum* Wirtzburgensem, à pluribus aliis, ejusdem et sequentis ævi, Kilianis Hibernensibus distinguere debemus.—Duos tantum Wirtzburgensis Discipulos,

---

(1) In Actis p. 382, 454, 466, et in Annal. IV Mag. ad ann. 688.

(2) Ibid. p. 473. Colitur Kilianus iste die 12 April. ut in vetustis Martyrol. MSS. Tamlactense, Dungallense, et Mariani.

sive Socios, indicat Rabanus Maurus, quos minime nominat. Quatuor ejus Discipulos, *Collomannum*, *Gallonem*, et *Arnwalem* Presbyteros, ac *Donatum* Diaconum, cum eo ex Hibernia discessisse, tradit antiquior Vitæ ejus Scriptor apud Mabillonium, qui Discipulos ejus omnes cum eo capite truncatos fuisse declarat.

Superest jam, ne ingratus videar, ut Hibernos moneam, Civitatem Wirtzburgensem, usque ad nostra fere tempora, Hiberniæ incolis acceptæ Religionis beneficia rependisse;(1) et *Ainardum*, natione Teutonicum, Monasterii S. Petri ad Divam primum Abbatem, *Kiliani* Historiam cantibus decorasse, teste Orderico Vitale l. 4, p. 544.

CODEX KILIANI QUAM ANTIQUUS.

Kiliani et Sociorum Capsas, Crucem, *Evangelium*, aliaque Pontificalia vestimenta, simul cum illis in sepulchro posita fuisse, scribit vetus Auctor Anonymus, de quo supra, a Mabillonio editus in Sæculo 2 Bened. p. 993, No. 8,(2) et Serarius, testis oculatus, in omni Codicum Manuscriptorum genere eruditissimus, " *superest adhuc hodie*, inquit, *Sacer Evangelii Codex*, *quo SS.* " *Martyres usi sunt.*"(3)—Neque mirandum superesse Codicem hunc, cum in Ecclesia Moguntina repertus fuerit S. Evangelii Liber, quem S. Bonifacius,

---

(1) Extitit semper usque ad Sæculum elapsum, Monasterium Hibernorum apud Wirtzburg, de quo IV Magistri in Annal. ad ann. 1085. Item Marianus Scotus in Chron. et alii.

(2) " Ita factum est. S. Kiliano et sociis circa medium noctis orationi vacantibus, Carnifices " strictis gladiis, locum in quo orabant penetrarunt, ibique interfecti sunt, et terræ mandati, nequis " rem gestam scire posset. Vestimenta quoque, cum quibus Divina peragebant officia, *Sacrique* " *libri* cum illis defossa sunt, ne quod indicium necis eorum extaret." Confer Serarium loco citato, qui hæc eadem verba ex Codice Moguntiacense Anonymi affert p. 338, not. 19. Confer etiam Mabillonii Sæc. 3, Bened. part. 2, p. 85.—" Iste Codex cum aliis nonnullis, in Sacrario " Fuldensi hactenus servatur, testibus Serario et Browero." Mabillon. not. a, ib. ad Vitam S. Bonifacii, Authore Othlono, Sæc. xi. Confer *Ignati Groppii* Rer. Wirceburg. Scriptores ed. 1741, cum *Hansizii* Germania Sacra, et *Eyring* Dissert. de ortu et progressu Religionis Christi in Francia Orientali, Lipsiæ 1704. *Solier* t. 2 Julii p. 600.

(3) Serar. et Mabillon ibid. Annal. Bened. l. 17, c. 69, p. 587. Gerbert de Mus. Sacr. t. 1, p. 580.

occisus anno 754, *secum jugiter ferre solebat*,(1) et in Vercellensi, Codex S. Eusebii manu exaratus, qui *quatuordecim sæculis* gloriatur;(2) et in Vaticano Virgilius et Terentius Sæculi IVti, et Codex S. Hilarii de Trinitate, Casulæ in Africa cum antiquiori exemplari collatusanno C. 510, notante Mabillonio De Re Diplom. in Supplemento p. 60. Extat et in Pratensi S. Germani Monasterio, S. Germani ipsius *Psalterium*, Unciliabus literis aureis et argenteis scriptum, in Membranis purpureis. Extat authenticum Instrumentum in Musæo *Moscardiano*, Consulatu Theodosii Junioris et Albini, i. e. anno 444, in cortice exaratum, (Diplom. ib. p. 9,) et Codex *Prudentii* in Bibliotheca Regali Parisiis No. 8084, qui est Auctori coævus (3)

In *Bobiense* pariter reperti fuere, anno 1493, *Rutilius Numantianus* Poeta, *Satyra Sulpiciæ*, *Terentianus Maurus*, *Cæsius Bassus*, *Velius Longus*, *Adamantius Martyrius*, *Probi Catholica*, *Cornelius Fronto*, *Sergius Grammaticus*, et alii non pauci, referentibus Volaterrano in l. 4 Geographiæ, Pignorio in Epist. 19, et Mabillonio in Musæo; qui in eadem Bibliotheca inventum inquit Libellum antiquissimum, Franco-Gallicis litteris scriptum, exhibentem *Abbrevationem Fidei Catholicæ*, expositam a S. Hieronymo, quam sub Rufini nomine edidit Garnerius, in Dissert. x ad Opera M. Mercatoris, et *Cypriani Opuscula varia*, in diversis veterrimorum Codicum fragmentis, qui toti literis quadratis exarati erant. Item plurima vetusta *Calendaria; Missale antiquissimum Bobiense-Hibernicum* supramemoratum; *Regula S. Columbani;* Codex *Liturgiæ Gallicanæ* optimæ notæ, litteris Majusculis; Concilii *Calcedonensis* Acta, mutila quidem, sed a mille annis exarata in Bobiense Hibernorum Cœnobio, et alia plura.(4)

---

(1) Bonifacii Vita vetusta edita a Mabillonio in Actis, et a Serario.

(2) Bianchini Vindiciæ, p. cclxviii, et ccclxxv.

(3) Mabillon. Diplom. c. 3, p. 8, Annal. Bened. l. 17, c. 68, p. 587, Nouv. Traite t. 3, p. 64.

(4) Mabillon Musæi Ital. t. 1, p. 13, et 218. Confer Erkehardi Junioris de Casibus S. Galli in Goldasti Rer. Aleman. t. 1, p. 36, et Gerbert De Cantu Eccl. Vet. ed. 1774, t. 1, p. 580.

Idem dicendum de Monasterio S. Galli Abbatis, pariter Hibernensis, in quo inventa sunt Opera *Quintiliani*, et alia plura memorata a Scheutzero.(1) Ratbertus de Bibliotheca *S. Gallense* scribit, non parvam ibi fuisse suo ævo copiam librorum, inter quos numerat plurima Opera Patrum, *Chronicon Eusebii*, *Vitam S. Columbæ* per Adamnanum Hibernensem, Vitas SS. *Martini* et *Galli*, *Bedæ Martyrologium*, Lectiones Evangelii auro et argento ornatas &c. Atqui Walafridus inquit " Gallum, in patria sua Hibernia (quam " *Scotiam* appellat) Divinas epotasse Scripturas in Schola Columbani, Gram- " maticæ etiam Regulas, Metrorumque subtilitates."(2)

Quid itaque mirum, si in his Monasteriis, ab Hibernica gente conditis, et ab Hibernicis Monachis pluribus postea sæculis frequentatis,(3) antiquissimi Codices Hibernici extare inveniantur. Extat usque hodie, in hac Bibliotheca *Stowense*, Diploma literis *Anglo-Saxonicis* exaratum anno Æræ Com. 693.

---

(1) " Codices MSS. sunt in universum 1004." Scheutzeri Iter Alpin. t. 2, p. 547.

(2) Edit. Goldast. Rer. Aleman. t. 1, p. 29.

(3) De Wirzburgense et Coloniense Hibernorum Monasteriis vide Annal. IV Mag. ad ann. 1085. In vita S. Agili Resbacensis, Discipuli S. Columbani, Auctore Anonymo subæquali, annum circiter 650, hæc leguntur—" Veniens eo tempore *plebs ex Hibernia*, ferens sua suæque gentis vota Principi " Apostolorum Romæ, ob amorem venerabilis *Audoeni*, qui S. Columbani præstantissime dilexerat, " atque B. Agili famam, quem idem Columbanus adprime in S. Religione nutriverat, divertere ad " sæpe dictum Cœnobium Resbacense, orationis ac hospitalitatis causa solebant, insuper et *numero- " sis pecuniis* illud honorare, *ibique suos relinquere*, quos aut longitudo itineris attrivisset, aut de- " bilitas vexasset." Acta Vetera apud Mabillon Sæc. 2, Bened. p. 324, n. xxiv,

Walafridus Strabo et Ekkehardus sæpe memorant Hibernorum ad S. Galli Monasterium frequentes concursus; et prior, in libro de Miraculis S. Galli hæc habet—" Nuper quoque de natione Scotorum, " quibus consuetudo peregrinandi jam pœne in naturam conversa est, quidam advenientes, unum e " suis conviatoribus, multiplici peste possessum, in eodem Monasterio dimiserunt, qui cum cottidie " infirmitatis suæ remedium plena fide deposceret, nocte quadam, senem sibi per somnium vidit " assistere, gestu et habitu venerandum, quem *B. Gallum* fuisse perdidicit. Cui ille, ad hoc me " reservatum esse cognosco, ut sicut his Barbaris virtus tua latissime claret, ita etiam *gentis tuæ " hominibus*, meritorum tuorum fulgor innotescat. Succurre igitur, &c. Hic plena sanitate *S. Galli* " meritis donatus, in eodem monasterio hactenus conversatur." Apud Goldast. Rer. Aleman. p. 275, c. 47, et in Mabilloni edit Sæc. 2. Benedictin. p. 267—268.

KILIANI CODICIS CHARACTERES

Haud facile primo aspectu intelliguntur, quæ de hujus Codicis Characteribus scribunt Auctores Benedictini Operis *Nouveau Traite de Diplomatique*, ubi, uno loco inquiunt, ejus Characteres esse *prope* Saxonicos; alio Saxonicis *similes*;(1) alio *appropinquantes* Saxonicis;(2) alio Saxonicos *exteros*;(3) alio demum scriptos ad usum *Kiliani*, et Discipulorum ejus, qui ex Hibernia venientes ante annum 686, Teutonicam Franciam ad Christum converterunt! alio demum *Saxonico-Teutonicos*. Hæc parum sibi constare videbantur, donec contigit in Codicem incidisse, ab iisdem doctissimis Auctoribus specimine descriptum, qui Codex, etsi fatentibus ipsis sit *Hibernicus*, tam Hibernica lingua quam Hibernicis Characteribus exaratus, scriptum esse inquiunt Characteribus *appropinquantibus Saxonicis*.(4)

Characteres itaque quos Scriptores isti Saxonicis *similes*, et Saxonicis *appropinquantes*, et Saxonicos *exteros* appellant, sunt plane Hibernici Characteres Sæculi VIIImi.—Quod si paulo accuratius Characteres istos ad trutinam revocassent, nunquam profecto hoc præceps judicium, ex talibus præmissis efformarent,—" errare omnes, qui Saxonicos Characteres in Anglia " sola in usu fuisse existimant. *Extitisse enim in Hibernia ante adventum* " *Anglorum*," (5) quod penitus falsum esse, et toto cœlo erroneum, omnes docti, quotquot in hisce vel modicum imbuti sunt, uno ore fatentur.

---

(1) " Il est en ecriture *presque Saxone*." Ib. p. 115.

(2) " Il est en ecritnre Saxone *etrangere*." Ib.

(3) " Il *tire sur le Saxone*."

(4) " Les initiales sont en *Saxone etrangere* Teutonique.

(5) " On se tromperoit si l' on croyoit que l' ecriture *Saxone* a ete' propre aux seuls Anglo-Saxons. " Elle a eu cours en *Irlande*, et en *France*. L' Eglise de Virtzbourg a' conserve' jusque a present " plusieurs MSS. en Minuscule Saxone, de *la main de ces hommes Apostoliques* qui y annoncerent " la Religion Chretienne, et de leurs Disciples. Le MS. des Evangiles de *Lindisfarne*, (i. e. Codex

In eundem errorem incidit, vir alioquin doctissimus, Richardus Simonius, qui cum Codicem 4 Evangeliorum, nunc Harleianum No. 1802, characteribus Hibernicis procul dubio exaratum, et nonnulla etiam Carmina Hibernica continentem, penes se habuerit, asseruit, pendulus tamen et incertus, scriptum esse characteribus *Anglo-Saxonicis* sæculi ix, sed *rotundioribus*, et *elegantioribus*, quam communiter in libris Saxonicis reperiuntur. (1)—Mirantur

---

dictus *Cuthberti*) ancien de plus de mille ans (Hicks Thesaur. Præf. p. 24) est ecrit en ce meme " caractere, ainsi que le MS. de *S. Kilien* de Virtzbourg, et le MS. *Irlandois* de feu M. le President " *de Robien*, et celle de *S. Ouen de Rouen*, et plusieurs autres de 900 ans." Ibid. p. 371.

" Beaucoup de lettres initiales du MS. *Irlandois* du *President de Robien* sont dans le meme " gout que celles du MS. de *S. Ouen de Rouen*, d'ou nous avons tire' l Alphabet *Saxone* des lettres " initiales Serpentines" ib. p. 200.—Ce MS. du vii ou viii siecle, cotte' E 43 et B 29, a' apartenu' " a l' Abbaie de S. Evroult en Normandie. Il contient le Pseautier Gallican, et la version fait par S. " Jerome sur l Hebreu, en *ecriture Saxone*, ou *Anglo-Saxone*, avec beaucoup de notes interline-" aires" ib. p. 226.—Les Antiquaires, qui donnent au moins neuf cents ans a des MSS. en lettres " *Anglo-saxones*, nous sauront gre' d'en avoir produit un *plus recent d'environ trois siecles* et demi. " C'est le MS. *Irlandois* de feu M. Le President de Robien! ib. p. 228.

" Le seconde espece d'initiale *Anglo-saxone* est large, aigue, et *Irlandois*. Le mot *FINIT* " grave' sur notre planche 45, p. 186, lui sert de modele. Nous l' avons tire' d' un MS. *Irlandois* " que feu M le President de Robien eut la bonte' de nous envoyer de Bretagne a Paris. Le notice " de ce MS. tres difficile a lire, porte qu' il contient des fragmens de piete' et de morale; plusieurs " traductions, soit en vers, soit en prose; des sermons de S. Ambroise; son traite' de la Confession; " la genealogie des anciens Rois, et des premieres familles d' Irlande. Cette partie du MS. est une " des plus considerables. Sa largeur est de sept pouces et demi, sa hauteur de neuf et plus. " L' on y rencontre de tems en tems quelques lignes de Latin avant les genealogies. L' ecriture en " est *tout semblable a l' Anglo-saxone*." Ib. p. 200

" Les Anglois en s' emparant de l' Irlande, n' y aporterent point l' ecriture Saxone. Ils l' avoient " abandonnee. On en pourroit conclure que la caractere Anglo-Saxone ne fut point particulier " aux Anglo-Saxons, puisque l' Irlande ne leur fut point assujettiè, et que les habitans de cette Isle " avoient une ecriture, avant leur etablissement dans le G. Bretagne. Les Irlandois conviennent " qu' ils l'ont recue de S Patrice. Mais ils pouroient se tromper, et avoir recue les caracteres " Romains plus anciennement." Ib. p. 374.

(1) " Les caracteres sont *Saxones*.....Ils sont *tres beaux*, et *different* de ces caracteres " *Saxones* que le P. Mabillon a' representees dans la Diplomatique." Simon Bibl. Crit. t. 1, p. 274. Confer Prolegom. ad Annal. Hib. p. cxli et seq.

Benedictini Simonium in re tam manifesta ullatenus dubitasse; quamvis enim differentiam quandam, inter istius Codicis characteres et Saxonicos, notandam esse fateantur, non tamen talem esse inquiunt, quæ Codicem istum Anglo-saxonicæ genti abjudicet, sed qualem observamus inter characteres duorum Amanuensium, ejusdem gentis et sæculi, qui a se invicem variant, quantum variant vultus hominum, et nunquam in omnibus consentiunt.

His tamen non obstantibus, Codex iste scriptus est characteribus *Hibernicis*; imo vero, pluribus in foliis, etiam *lingua Hibernica*; idque Ardmachæ, anno 1138, ut suo loco patebit.(1)—Confundunt itaque Scriptores isti literas Hibernicas cum Saxonicis, idque tam gravi errore, ut Codices quos ipsi *Hibernicos*, et *Hibernica lingua* scriptos esse fatentur, characteribus tamen *Saxonicis* exaratos esse declarant! Quasi vero Saxones unquam Hiberniam debellaverint; aut in Hiberniam artes, aut literas, aut Religionem introduxerint; cum e contra constet, Saxones ab Hibernis, et Religionis et Literarum rudimenta derivasse, ut Beda, et ante Bedam Aldelmus, in Epistola ad Eadfridum ex Hibernia reducem, et Alcuinus in Vita Willibrordi declarant.(2)

Benedictinorum auctoritate inductus, similiter erravit doctissimus *Dom De Vaines*, et ipse S. Mauri Benedictinus, in Dictionario Diplomatico, voce *Ecriture*, ubi literas Anlgo-Saxonicas in Hibernia antiquitus invaluisse inquit, idque constare ex prædicto Codice *Hibernico* Præsidis de Robien!(3)

---

(1) Vide Prolegom ad Annal. Hibern. p. cxli et seq.

(2) Vide Annal. Ult. p. 128, et supra p. v.

(3) " Cette ecriture minuscule Saxonne eut cours, non seulement en Angleterre, mais en Irlande. " Le Manuscrit de M. le President *de Robien*, ecrit vers le 13[e] siecle, prouve que les Irlandois se " servoient encore de la minuscule Saxonne, long temps apres la conquete d'Irlande, faite en 1171 " par Henri 11. On pretend meme, *Defense des Anciens Auteurs* contre le Pere Hardouin, p. 87, " qu' ils ont conserve' jusqu' a nos jours cet ancien Caractere." Dict. Diplom. Paris 1774, t. 1, " p. 456.

Fatetur autem alibi, et recte, characteres *Anglo-Saxonicos* nunquam in us fuisse ante Sæculum VIImum. "*Qu' une ecriture soit Saxone, elle ne remonte* "*pas au dela du 7e siecle,*" p. 434.—Atqui Hibernicos ante *Sæculum Vtum* extitisse declarat. Hi ergo vetustiores sunt, illi juniores; et æquo jure posset veteres Romanorum characteres *Saxonicos* appellare, ac veteres characteres Hibernorum, qui nullos a Saxonis characteres, nullos a Pictis, nullos a Danis, aut aliunde quam a vetustis Phænicibus, et a Romanis Sæculi 3tii, 4ti, et 5ti derivavere, ut supra indicavi p. xxviii, &c. p. lviii, &c.

Atqui, ex concessis, characteres tam Codicis Kiliani Wirtzburgensis, quam characteres Codicis Harleiani IV Evangeliorum, Ardmachæ exarati anno 1138, qui ab his Auctoribus *prope Saxonici* dicuntur, et Saxonicis *similes*, vel *appropinquantes*, conveniunt cum characteribus Codicis *Præsidis de Robien*, qui sunt procul dubio Hibernici. Ergo characteres Codicis S. *Kiliani* pariter Hibernici dicendi sunt, æque ac characteres Codicis Hibernici Harleiani No. 1802. Quæ enim conveniunt uni tertio conveniunt inter se.

Quod si Auctores prædicti, paulo diligentius Characterum istorum formas secum invicem contulissent, et, veritati consulentes, *Hibernicos* esse aperte declarassent, errores, ad res Britannicas spectantes, qui Opus eorum, alioquin egregium, hinc inde deturpant, evitare potuissent, et plurimum adjumenti antiquitatibus ipsis Britannicis afferre.

Errores autem Historici hoc sibi peculiare vindicare videntur, ut ad alios errores necessario conducant, confusionem pariant, ac proinde incertos nos, et incredulos esse cogant, etiam in rebus certis, cum sibi minime constare inveniantur.—Si Scriptores Benedictini characteres prædictos plane *Hibernicos* declarassent, sibi constarent, ubi aiunt Codices extare istis characteribus *Sæculo VI* exaratos. Hibernici enim characteres procul dubio extitere a Sæculo IVto, quo tempore Cælestius Scotus ad Parentes suos e Monasterio scripsit

Epistolas in modum Libellorum tres, referente Gennadio.(1) At minime sibi constant, ubi Codices istos literis *Saxonicis* exaratos esse declarant.(2) Nullas enim in Angliam literas intulisse Saxones, non solum doctissimi Scriptores Angli, verum et ipsi Benedictini fatentur.(3) Fatentur etiam in ipso Operis initio, expressis verbis, nullum extare Codicem literis Anglo-saxonicis scriptum ante exeuntem Sæculum VII; quo tempore Saxones Nordanhymbri ab Hibernis, Saxones vero Orientales a S. Augustino, et a Discipulis ejus Romanis, literarum usum cum Religione Christi recepisse dicuntur.(4)

His porro principiis semel positis, quæ quidem certissima esse cognoscimus, quomodo sibi constare possunt, qui inquiunt Codicem quemlibet Sæculo VI scriptum, characteribus *Saxonicis* esse exaratum? Eadem profecto licentia asserere possent, omnes Codices qui Hibernicis literis exarati sunt, literis *Saxonicis* esse scriptos, cum omnes iisdem fere characteribus scripti sint, quibus

(1) Gennadius de Script. Eccl. c. 44, Norris. Hist. Pelag. Oper. t. 1, p. 38, item in Vetere Codice Corbeiense apud J. Martianæum, editorem Operum S. Hieronymi, et in perantiquo MS. Veronense, quem vidit Marchio Scipio Maffeius, inter variantes lectiones, quas sua manu apposuit Gennadio edito a Martianæo. Item Hieron. in l. 3 Proæmio, in Comment. in Hierem.

(2) " On trouve une Minuscule *Saxo-Teutonique* emanée de la Romaine dans plusieurs MSS. de " la Cathedrale de Wirtzbourg, *plus anciens que le regne de Pepin le Bref.*" Ib. p. 364.

" La Saxone tire son origine de la Romaine, soit telle qu' elle s' est conservee dans la G. Bretagne, " soit telle qu' elle avoit ete' aportee en Angleterre par les Moines, Disciples de S. Gregoire le " Grand. Nous decouvrons ses *caracteres les plus singuliers de le Ve et VIe*" Ib. p. 13.

(3) " Les Goths, Wisigoths, Francs, Saxons, Lombards, loin d' aporter, ou plutot d' introduire " une ecriture qui leur fut propre, adopterent celle des peuples vaincus. Ib. p. 8..... Qu' une ecri- " ture soit Saxone, elle ne surpassera pas le 7^e *siecle*. Ib. p. 11.—L' espace de tems qui s' est ecoule' " depuis l' an 444 jusqu' en 670, nous fournit un nombre tres considerable d' Actes et de MSS. Il " est impossible qu' elles soient l' ouvrage de peuples qui ecrivoient aussi peu que les Goths, les " Wisigoths, les Francs, les Anglo-saxons, et les Lombards. Elles supposent une ecriture cultivee par " une infinite' de mains. p. 14. Une pareille ecriture etoit bien au dessus de la portee' des Goths, " des Saxons, et meme de nos Francs." Ib. p. 15.—Confer dicta supra p. xxii.

(4) Whitaker's Manchester vol. 2, p. 329. " Whitaker shews that the opinion of Mr. Wanley that " the Saxons brought letters with them into England is ill founded. They were unacquainted with " letters. The Characters which they afterwards used were adopted by them in the Island." Astle Origin of Writing c. v. Lond. fol. 1802, p. 96.

Codex prædictus *Præsidis de Robien*, quem Hibernicum esse fatentur; et nulla sit inter eos diversitas, nisi quod antiquissimi Hibernici, litteris Majusculis scripti, nulla interpunctione, nulla, aut fere nulla separatione verborum, nullis recentiorum temporum notis distinguantur.—Extat usque hodie Codex, in S. Columbani Monasterio Luxoviense exaratus, quo tempore Eustasius ejus Discipulus, anno 625 defunctus, Monasterium regebat, qui Augustini Homilias novem in Epistolam B. Johannis, uncialibus literis scriptas, continet, in quarum fine sic legitur—" *Explecitum Opus favente Domino, apud " Coenubium Lussovium, anno duodecimo Regis Chlothacharii, Indictione tertia " decima, anno quadragesimo Patris nostri Columbani feliciter peracto.*"(1) Jam vero Codex hic æquo jure literis *Saxonicis* scriptus dici posset, aut litteris Saxonicis *similibus*, ac Codex *Kiliani*, aut Codex Præsidis *de Robien.* Cum tamen non aliis characteribus scripsisse dicendi sint *Columbani* et *Kiliani* Discipuli, quam iis Hibernicis Sæculi VI, quos, a Magistris suis Hibernensibus edocti, didicerunt.

Verba porro, ex Codice prædicto allata, plane indicant Columbanum in Vosagense eremum pervenisse anno C. 585. Annus enim xii Clotharii 2di in Burgundia regnantis, et Indictio xiii, anno conveniunt 625; et præterea Vitæ S. Salabergæ Scriptor subæqualis inquit, Eustasium Luxoviensibus præfuisse, *tribus non parum lustris* post discessum S. Patris Columbani, qui, anno 610, Luxovio a Brunechilde pulsus, ab Agilulfo Longobardorum Rege agrum Bobii, ad Monasterium ibi condendum, accepit; quod hic obiter notandum existimavi, ut tota hujus, et præcedentis Codicis, æque ac subsequentis notitia, in rationibus etiam difficillimis Chronologicis, æque ac in reliquis hactenus allatis, sibi constare inveniatur.

Non is sum qui eruditissimos Benedictini Ordinis Viros, qui Opus istud

(1) Mabillon. Annal. Benedictinor. t. 1, p. 327, l. xi, n. 46.

tanto labore, tantis studiis, et impensis edidere, ob errores istos parvi faciendos esse putem. Imo vero nullum de Re Diplomatica Opus extare opinor, quod sit cum isto ullatenus comparandum. Agnoscit autem et ipse *Dom De Vaines,* plurima adhuc desiderari, quæ Benedictinorum Opus, etsi egregium, ad majorem perducerent Historicæ fidei normam, et Calligraphicæ antiquitatis accuratiorem notitiam, perspicuitatem, et perfectionem; non enim ad omnis generis characteres designandos, et cuique genti suos accurate tribuendos pervenisse fatetur.(1) Neque id inscitiæ aut oscitantiæ tribuendum est. Sed cum doctissimos viros in exteris nationibus invenerint, qui propriæ gentis antiquitates caluisse censendi erant, quique tamen principia erronea tanquam Axiomata statuere, nihil sibi tutius, nihil certius statuendum opinati sunt, quam quod a viris istis, ingenio et eruditione clarissimis, statutum invenerunt. Sic ab Hickesio et aliis, Codicem *Rushworthianum* literis *Saxonicis* scriptum didicere, et Codicem dictum *Cuthberti,* et *Litchifieldensem;*(2) et cum characteres istos, qui vere Hibernici sunt,

---

(1) " Le Nouveau Traite de Diplom. tout ample qu' il est, n' a t il pas lui meme epuise' tous les " genres d' ecritures; et avec son secours, on en seroit encore souvent dans le cas de ne pouvoir " juger que par approximation." Diction. Diplom. Paris 1774, t. 1, p. 471.

(2) " Le MS. des Evangiles de *Lindisfarne,* ancien de plus de mille ans est ecrit en minuscule " *Saxone,* ainsi que plusieurs autres de 900 ans cites par Hickes. L' Histoire du *V. Bede* rendue " en lettres et en langue Saxone par Alfredæ le Grandæ, (De Re Diplom. p. 49) Le MS. des Evan- " giles, dit de *S. Boniface,* est garde' dans le Bibliotheque de Fulde, (Schannat Vindem p. 225,) " Celui que le Roi Athelstan donna aux Moines de Cantorberi, (Casley p. xiv) L' Exemplaire des " memes Avangiles de la Bibliotheque du Roi de France, (Sainjore Biblioth. Crit. t. 1, p. 271,) " Celui de S. *Germain des Pres,* l' histoire de *Bede* de la meme Abbaie en tres beaux caracteres, " Les *Evangiles* de *S. Gatien de Tours,* Le *Pseautier* de *S. Ouen de Ronen* Le *MS. Irlandois* de " M. le President de Robien, ne laissent aucun doute sur l' antiquite' et la verite' de l e criture " minuscule *Saxone.*" Ib. p. 373. Le celebre MS. des Evangiles de Lichefield, ecrit il y a environ " onze cents ans, en lettres Onciales carrees. Cette ecriture a parûe au savant Anglois *Teutonique,* " ou *Franco-theotisque,* et semblable a l' alphabet de Doracus Hicks Gram. Fran-Theotisca p. 2," Nouv. Traite' ibid. p. 86, et passim.

eosdem fuisse invenerint ac Characteres Codicis Hibernici Præsiis de Robien, omnes *Anglo-Saxonicos* appellarunt; illud pro certo tenentes, quod tamen falsum erat, Characteres nempe Codicum *Rushworthiani*, *Litchfieldensis*, et *Lindisfarnensis* Saxonicos esse, eo quod a Scriptorum vulgo, quorum unus alterum sequitur, pro Saxonicis habeantur; quod tamen diligentius inquirendum erat, utrum verum esset vel falsum, dubium vel certum, vel probabile, vel ulla Historica, aut Philologica ratione demonstrandum? Non enim in hoc studiorum curriculo, quod docti asserunt, sed quod probant, non quod declamant, vel "*audent in historiam,*" sed quod rationibus saltem probabilibus indicant, aut rationibus invictis demonstrant, intuendum est.

CODEX III.

Sive Antiphonarium Benchorense, annorum plusquam mille.

Postulat jam nimia prolixitas, ut ad tertium Codicem accedam, qui *Antiphonarium Benchorense* inscribitur, editum a Muratorio inter Anecdota Ambrosiana,(1) ex Codice Ambrosiano No. x, litera *C.*—*Vetustatem ejus ad annos pæne mille ascendere*, inquit vir iste, in omni Codicum MSS. genere eruditissimus, *Charactere ad Saxonicum accedente, literisque nonnullis minio distinctis.* " Memini, subjungit, cl. Virum P. D. *Bernardum de Montefaucon*, " dum olim Mediolani ageret, conspecta Codicis hujus ac Monumenti vetus- " tate, mihi ostendenti fuisse gratulatum. Narrabat quippe in Galliis esse

(1) *Anecdota* quæ ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus nunc primum eruit L. Ant. Muratorius Tom IV. Patavii 1713, 4to. pag. 121.

"eruditum quemdam, cui nata suspicio fuerat, non ipsas solum S. Patricii "res gestas, sed eundem S. Patricium inter fabulas Romanenses esse amandandum; tantis nempe anilibus commentis deturpata fuit Sancti illius "Episcopi Historia. At profecto unus hic hymnus, cui titulus "*Hymnus* "*S. Patricii Magistri Scotorum*" in hoc vetusto Codice servatus, satis esse "potest, ad confirmandam veritatem, cum insignium Patricii Operum, tum "celeberrimæ famæ, quæ de S. Viro, ad nostra usque tempora perma-"navit."—Eadem habet Gerbertus in Historia Musicæ et Psalmodiæ veterum Ecclesiarum, ubi Hymnum prædictum inter antiquissimos Ecclesiæ Occidentalis recensendum opinatur.(1)—Et quidem Amanuensis qui Codicem descripsit, se eum exarasse inquit, quo tempore *Cronanus* Abbas erat Benchorensis, a Comgallo fundatore *decimus quintus*. Atqui *Cronanus* iste obiit, juxta Annales IV Magistrorum, anno 688, Æræ com. 691. Ergo Codex hic ante annum istum, vivente *Cronano*, exaratus est.—

Benchorensium Abbatum Catalogus,(2) *qui*
Codicem istum ante annum æræ com. 691 *scriptum fuisse demonstrat.*

Extat in Antiphonario hoc, pag. 159, Carmen vetus, cui titulus *Memoria Patrum nostrorum,* in quo exhibetur Abbatum Benchorensium Catalogus a fundatoris Comgalli obitu, A. D. 601 vel 602, usque ad tempus quo Codex

---

(1) Gerberti Hist. Mus. Eccl. 1, t. 1, p. 80, et 82.—Hoc Antiphonarium latuit Fabricium et Lyserum.—Vide Fabricii Poet. Eccl. Basil. 1564 Hymnum. porro S. Patricii de quo agitnr edidit Usserius ex alio pervetusto Codice Hymnorum Hibernico, quem laudat in Epistola ad Vossium, idque priusquam *Antiphonarium* hoc Benchorense inventum fuerat.

(2) Muratorius recte notat, *Benchorense* Monasterium de quo agitur, fuisse in Hibernia. "Celebre, "autem olim fuit in Hibernia Benchorense Monasterium, diversum ab altero Benchorensi Cœnobio in "Wallia....Ad usum itaque insignis illius Monasterii, *in Hibernia siti,* fuit Antiphonarium hoc. E "Bobiensis autem Cœnobii Bibliotheca in Ambrosianam transiit, cura Ampl. Cardinalis F. Borromæi.

hic Bibliothecæ *Bobiensis*, regente Monasterium Benchorense *Cronano, Abbate ævto*, exaratus est, his verbis, pag. 159.—

MEMORIA PATRUM NOSTRORUM,

1.

Sancta Sanctorum Opera,
Patrum, Fratres, fortissima,
Benchorensis in optima
Fundatorum Ecclesia,
Abbatum eminentia
Numerum, tempora, nomina,
Sine fine fulgentia,
Audite Magna merita.
—*Quos convocavit Dominus*
Cœlorum Regni sedibus.

2.

Amavit Christus Comgillum,
Bene et ipse Dominum.
Carum habuit Beognoum.
Domnum ornavit Aedeum.
Elegit Sanctum Simlanum,
Famosum mundi Magistrum,
—*Quos convocavit Dominus*
Cœlorum Regni sedibus.

3.

Gratum fecit Fintenanum,
Heredem almum inclytum.
Illustravit Mac Laisreum,
Kaput Abbatum omnium.
Lampade sacra Seganum,
Magnum Scripturæ medicum.
—*Quos convocavit, &c.*

4.

Notus vir erat Berachus.
Ornatus et Cumnenus.
Pastor Columba congruus.
Querela absque Aidanus.
Rector bonus Bautherius.
Summus Antistes Cronanus.
—*Quos convocavit, &c.*

5.

Tantis successit Camanus,
Vir admirabilis omnibus.
Christo nunc sedet supremus
Hymnos canans quindecimus
Zoen ut Carpat Cronanus
Conservet eum Dominus
—*Quos convocabit, &c.*

6.

Horum Sanctorum merita,
Abbatum fidelissima,
Erga Comgillum congrua,
Invocamus altissima.
Uti possimus omnia
Nostra delere crimina.
Per Jesum Christum æterna
Regnantem in Sæcula.

"Neque mirum quod in *Bobiense* Cœnobio Monumentum hoc adservaretur. Celeberrimi enim hujus "Monasterii institutor fuit S. Columbanus [anno 612,] qui, ut Jonas (ejus Discipulus) narrat, in Mo-"nasterio Benchorense *in Hibernia*, Monachorum Albo primum adscriptus est. Proinde inter *Bobi-"enses et Benchorenses Monachos*, magna in posterum quoque necessitudo intercessit; et quamvis ab "ipso Columbano delatum in Italiam *Antiphonarium* istud fuisse, excogitare non possimus, attamen "ab ejus *Discipulis, proximisque successoribus*, id factum non immerito opinor." Muratori ib.

Inter hunc veterem Catalogum, et Catalogos alios valde erroneos, quos exhibent *Archdalus*, in Monastico Hibernico, *Flemingus*, et recentiores alii, diversitas est maxima, quæ nunquam conciliari poterit, etiam si admittamus, quod tamen penitus negandum est, utpote fidei Historicæ contrarium, Abbates nempe, qui paucis tantum mensibus Monasterium rexere, in vetere hoc Catalogo ex Abbatum Albo exclusos esse, eosque tantum celebrari, qui insigniores fuere, vel Sanctitate vel doctrina, et annorum numero quibus Monasterium rexisse noscebantur.

E contra vero, si Annalium nostrorum Catalogos conferamus, nemo est æquus antiquitatum Historicarum æstimator, qui non plane perspiciet, ac ingenue fatebitur, eorum fidem omni exceptione majorem esse, simul ac eorum cum hoc vetustissimo Codice, qui gentem Hibernicam hactenus latuit, in rebus tam minutis singularem consistentiam observabit. Conveniunt enim prædictorum Abbatum nomina, numerus, et ordo, cum eorumdem nominibus, numero, et ordine, prout in Annalibus Hibernicis servantur, ut ex sequenti collatione patebit; ita ut Concivibus gratulari liceat, tot argumenta, hactenus incomperta, in medium afferri posse, quibus Annalium Hibernorum fidem et auctoritatem tam inconcusse demonstrare possimus; neque dubitandum quin, si alii Codices similiter adduci poterint, quod et posthac me effecturum confido, aliis itidem argumentis fidem eandem comprobaturi simus.

Benchorensium Abbatum Catalogus Chronologicus
ex Annalibus Hibernicis.

1. *S. Comgallus* primus Abbas(1) obiit anno 601, vel . . . . . . 602.
2. *S. Beognaus* Abbas, annæ Æræ com. obiit die 22 Augusti . . . 606.

(1) *Comgalli*, fundatoris Monasterii Benchorensis in Ultonia, meminerunt omnes fere Hiberniorum Annales, æque ac Jonas S. Columbani Discipulus, his verbis—" Dedit deinde Columbanus operam,

3. *S. Sillanus* filius Cammini tertius Abbas, Cognomento *Magister*,(1) *obiit die* 28 *Febr.* anno Æræ Com. . . . . 610.
4. *Fintanus* Oentreibhensis quartus Abbas obiit . . . . 613.
5. *S. Mac Laisreus* quintus Abbas obiit die 16 Maii . . . . 646.
6. *Seganus* filius O'Conni sextus Abbas obiit . . . . 663.
7. *Berachus* Abbas septimus . . . . 664.
8. *Baethinius* octavus obiit, juxta IV Mag. . . . . 665.
9. Anno 666 quatuor Abbates obiere e mortalitate magna, nempe *Berachus, Cummineus, Columba,* et *Aodanus*.(2)
13. *Criotanus* Abbas XIIItius obiit 669
14. *Maelruba* Abbas Benchorensis XIVtus ivit Albaniam anno 671 ibique fundavit Ecclesiam *Apercrossan* anno 673, et obiit ibi anno 722.
15. *Cronanus* filius O'Caulnei Abbas xvtus obiit anno Æræ com. . . 691

" ut Monachorum necteretur societati, et Monasterium, cujus est vocabulum *Benchor*, petiit, in quo " virtutum Præsul cluebat *B. Comogillus*, egregius inter suos Monachorum Pater." Vita Columbani edita a Flemingo, Lovanii 1667, c. 3, p. 219, S. Bernard. in Vita Mal. c. 3, Acta *Comgalli* apud Rosewydum et Flemingum ib. p. 303, Acta SS. *Luani*, sive Moluæ, edita ex vetusto Codice Ardmachano a Flemingo ib. p. 371, Acta Mochoemogi ib. p. 382.—Comgallus Benchorense Monasterium condidit anno 559. Annal. Ult. ad ann. 558, et in Annot. ib. a p. 122 ad 126, et ad ann. 742, 747, 756, 777, 805. Obiit autem anno æræ com. 601, vel 602.

Errat itaque *Archdalus*, qui, in Monastico Hibernico, Benchoriam conditam refert ad ann. 555, idque ex Usserio ut ait p. 451, qui tamen non loquitur ibi de Benchoria, et, e contra, ejus fundationem per Comgallum recte refert ad ann. 559, in Indice Chronol. p. 1141, et in Primord. p. 132, 441, 911, 917, 919, 956, 958, et 1058, et Mabillon Annal. t. 1, p. 208, 209, 210.—Edidit nonnulla Opuscula Comgallus, quorum unum laudat Columbanus in Instructione 2da edita a Flemingo. De Comgallo vide plura supra p. cxxxii, Annal IV Mag. ad ann. 551, 552, et 600, et Adamn. l. 3, c. 17.

(1) Ab Adamnano vocatur Hibernice *Sillan*, l. 1, c. 40, l. 2, c. 4, ab aliis Latine *Sylvanus*.—IV Magistri inquiunt ad ann. 606. " *S. Siollan mc Cammin Abb. Benchair 7 Comarba Comgaill decc* " *xxviii Febr.*" *i. e.* S. Sillanus Abbas Benchorensis et Vicarius Comgalli obiit die 28 Febr.—Eadem habent Annal. Ult. ad ann. 609 æræ com. 610. Consentiunt Martyrologia antiqua MSS. Ængusii, Tamlactense, Dungallense, et Mariani.

(2) Annal. Ult. et IV Mag. ann. 666, Æræ com. 667.

Ex his sequitur primo, errare *Flemingum*, *Archdalum*, et alios,(1) qui Abbatum seriem ordine et numero diversum contexuerunt. Conveniunt enim cum IV Magistris Annales Ultonienses, et Tigernachus, neque in eorum Catalogis vel minima incongruentia, aut cum Adamnano et Antiquissimis scriptoribus repugnantia invenitur. Sequitur 2do, *Antiphonarium Benchorense* scriptum fuise ante annum 691, quo *Cronanus Abbas xvtus* obiisse narratur.(2) Amanuensis enim qui Codicem hunc descripsit, inquit Cronanum istum in vivis fuisse dum scriberet, quum ei *Zoen*, i.e. Vitam optet, atque ad Cœlorum Regni Sedes post vitam convocandum proclamat.

Muratorius quidem inquit, dubitare se, utrum in hoc Codice et loco, *Convocabit* idem sit atque convoca*vit;* præsertim cum ibi scriptum sit *Quos* convocabit, non *quem*, et cum litera *b* sæpe in antiquis Codicibus ponatur pro *v* consonanti, et vicissim.—At, quidquid sit de hac conjectura, certum est Codicis scriptorem narrare, *Cronanum*, Abbatem a Comgallo *xvtum*, in vivis fuisse cum scriberet " Christo *nunc* sedet supremus, Hymnos *canens* quinde-" cimus, *Zoen ut carpat* Cronanus—*Conservet* cum Dominus."—Duos ultimos versus quod attinet, cum eos in superioribus repetitos videamus, ad cujusque

(1) Flemingi Collectanea Sacra. p. 314.—Notandum tamen in Flemingi gratiam, eum non omnium Abbatum Catalogum texere, sed tantum *quorundam*. " Hi omnes, inquit, ex quatuor vetustissimorum " Hiberniæ Menologiorum indubitatæ fidei collectione, et aliis MSS. Codicibus reperiuntur. Sed " *an illo quo recensiti sunt ordine et tempore processerint*, non est nobis compertum." ib. p. 316. Archdali Catalogus, utpote nullo veteri fundamento suffultus, et variis erroribus deturpatus, penitus rejiciendus est. Vide *Monasticon* ejus *Hibernicum*, Dublinii editum anno 1786.

Abbates post Cronanum fuere –

XVI *Cennfaeladius*, defunctus juxta IV Mag. et Annal. Ult. anno 704 Æræ com. 705.

XVII *Saranus* defunctus anno 747. XVIII *Sumairliochus* defunctus anno 755, XIX *Fiodbadachus*, defunctus anno Æræ com. 767, XX Augustinus 20mus obiit anno Æræ com. 780.

(2) " *Cronan mac Cuchuailne* Abbas *Benchuir* obiit." Annal. Ult. ad ann. 690, Æræ com. 691, p. 65.

Strophæ finem, nullius momenti esse puto, utrum lectio sit convoca*vit* an convoca*bit;* præsertim cum versus isti ad Cantilenam potius servandam, quam ad narrationem pertineant, et narratio ipsa sit aliunde completa.

Hæret in incerto Muratorius, quis fuerit *Cronanus* iste, aut quo tempore floruerit; cum plurimos ejusdem nominis Hibernicæ gentis Monachos extitisse pateat, ex Usserii Primordiis, et ex Vitis Sanctorum Hiberniæ editis a Bollando, et Surio, a Flemingo, Messinghamo, Mabillonio, Canisio et Colgano.

" In antiquo, inquit, Catalogo Sanctorum Hiberniæ, quem Usserius publici " juris fecit in Primordiis p. 473, *Cronanus* nescio quis Sanctus Presbyter enu- " meratur. Tres vero *Cronanos* deinde agnoscit p. 502. Primus anno C. " 640 in Hibernia vixisse fertur; Secundus anno C. 665 mortem obiisse " dicitur in Annalibus Hibernicis; Tertius Abbas fuit, magnificique Monas- " terii fundator in agro Tipperariensi. Videndus etiam Bollandus ad diem I. " Januarii, ubi refert vitam S. Mochuæ, sive *Cronani,* quem facit Discipu- " lum S. Comgalli et Abbatem. Nos in Catalogo Benchorensium Abbatum " duos *Cronanos* reperimus. A vero non abhorret, recentiorem inter eos " floruisse circiter ann. 660, quamquam si recte memini, Gabriel Bucellinus, " in libro de SS. Viris Ordinis S. Benedicti, quem olim vidi, scribit *Crona-* " *num* Benchorensem Abbatem vixisse circiter ann. C. 636."

Hæc Muratorius, qui si Annales Hibernicos consulere potuisset, et simul conferre Annales Ultonienses cum Connachtensibus, Tigernachi, et IV Magistrorum, qui omnes concurrunt in *Cronano quinto decimo Abbate Benchorense,* defuncto anno Æræ com. 691, nullam profecto in re tam manifesta dubitandi causam extare fateretur.

Plures Cronani Sæculis VI et VII.

Cronani longe plures fuere, quam vel a Muratorio, vel ab Usserio, vel Bollando, vel Colgano indicantur. Sed quid inde? Plures fuere *Clementes*

Pontifices, plures *Innocentii;* Item plures *Columbani*, *Colmani*, *Kiliani*, *Aedani*, *Finani*, atque *Cronani*, omnes Hiberni. Sed facile ex locorum temporum, parentum, et dignitatum diversarum circumstantiis secernendi.

Cronani Poetæ Ethnici, agri Roscomanensis in Connacia, meminit Adamnanus qui Sæculo VII floruit.(1)—Alium *Cronanum* Episcopum Momoniensem Proselytum indicat qui se *humiliter occultabat*, *ut nullus sciret quod esset Episcopus*, sed quadam die Dominica, a S. Columba jussus *Christi Corpus ex more conficere*, cum ad Altare accederet, Columba eum Episcopum esse agnovit.(2)—Hujus *Cronani* Festus dies, juxta Codices MSS. Mariani et Ængusii-Colidæi, agitur ix Febr. et Cronanum Benchorensem Abbatem toto fere Sæculo præcedit.—In vetustis porro Festilogiis aliquando vocatur Cronanus *Sapiens*, in aliis Cronanus sive *Mochuarocus*, et in aliis *Mochuarocus*, sive *Cronanus de Nona*, quia nempe, cum videret apud priscos Hibernos, Missam ex more celebrari *Sub Nona*, i. e. post inchoatam et ante finitam istam Divini Officii partem quæ *Nona* vocatur, curavit Missam et Nonam seorsim celebrari, ne una per alteram interrumperetur. Hinc distichon antiquum Hibernicum, quod in Ængusii Festilogio extat ad diem ix Februarii—

" *Cibe dian hail sasadh* saor—*Attair na naomh cen cuid n* broin
" *Tabhraidh Mochuaroc for* ceille—*celeabradh co leir in* Noin
" *i. e. Qui desiderat delicias veras—in Patria Sanctorum omni tristitia carente,*
" *Præstet Mochuaroco attentum animum—celebretque iutegre Nonam.*(3)

Floruit eodem ævo S. *Cronanus* Roscreensis, in cujus Vita antiqua, *Dimanus*, *Scriptor peritus*, a S. Abbate Cronano rogatus fuisse dicitur, " ut sibi

---

(1) Adamnan. De Vita Columbæ l. 1, c. 42. (2) Ibid. c. 44.
(3) Vide Maguirii Collectanea Sacra, ex Antiquis Codicibus, sive Festilogium, ad ix Febr.

"*Librum scriberet Evangeliorum,* quem totum, spatio 40 dierum et noctium, "*non tam bona quam veraci littera scripsit,*"—Hujus *Demani,* æque ac *Cronani* ejusdem Roscreensis, fit mentio in Epistola, quam Johannes Papa IV ad Hiberniæ Episcopos, de Paschate rite celebrando direxit anno 639.(1)

Cronani Roscreensis Festus dies agitur in Ecclesia Roscreense 28 Aprilis, quod, cum prædictis, loci, temporis, ac dignitatis Episcopalis discriminationibus, eum a Cronano Benchorense diversum fuisse declarat.

Sequitur *Cronanus,* sive *Mocua* Abbas et Martyr, *Melani* filius, qui primus sub S. Carthacho, sive *Mochuda Ratheniense* et *Lismorense,* Monasticam professus est in Ratheniense Cœnobio, annum circiter 572.(2)—Iamque ad *Antiphonarium* vetus, unde paulisper discessi, revertamur.

Post *Hymnum S. Patricii Magistri Scotorum,* quem servatum lego (pag. 136,) iisdem verbis quibus in vetustissimo Hymnario Hibernico, apud Colganum in Triade p. 211, sequitur (pag. 139) Hymnus Alphabeticus in honorem S. Comgalli, primi Abbatis Benchorensis, cui titulus *Hymnus S. Comgalli Abbatis nostri,* incipiens a Proœmio duodecim versuum, et deinde absolute a versu—"Audite *Pantes ta erga,*"(3)—quo finito incipit (pag. 142,) Hymnus S. Camelaci Discipuli S. Patricii; deinde Symbolum Fidei supra memoratum pag. cxxxvii, et postea (pag. 156,)—"*Versiculi familiæ Benchuir,*" quos, utpote in Opere valde raro a Muratorio editos, subjungo—

---

(1) Bed. l. 2, c. 19, l. 3, c. 21. Confer l. 2, c. 4, et 25, l. 3, c. 3, et 21, et l. 5, c. 16, cum Gregorii M. l. 2, Epist. 36, et cum Annal. IV Mag. ad ann. 642, 649, 651, 658, 660, 662, cum notis ib.

(2) Ængusii Martyrol. ad x Febr. Calendar. Cassel. et Dungal Ængus Homonimor. c. 19. Vita Carthagi c. 8, 32, et Maguir. Festil. ad x Febr.—In nostris Menologiis octo *Cronani* memorantur, et 18 *Mochuani,* festis distincti, qui tamen passim nunc *Cronan,* nunc *Mo-chua* appellantur, quia *Cron* et *Cua, Cronan* et *Cuan* unum et idem significant.

(3) Serrarius inquit, Monachos Hibernos qui Franconiam cum Kiliano pervenere, literas non solum Latinas verum et Græcas ibi excoluisse, easque Germaniæ Barbaris, usque ad id tempus literarum ignaris, communicasse, ita ut frequenter Græcizarent. Confer Aldhelmi Epistolam ad Eadfridum ex Hibernia reducem anno 690, in Usserii Sylloge p. 37, cum dictis supra p. v.

Versiculi Familiæ Benchuir.

Benchuir bona regula,
Recta Atque Divina,
Scricta Sancta Sedula,
Summa justa ac mira
Muinther *Benchuir* beata,
Fide fundata certa,
Spe Salutis ornata,
Caritate perfecta.
*Navis nunquam tur*bata,
Quamvis fluctibus tonsa.
*Nuptiis quaque pa*rata,
Regi Domino Sponsa.
Domus deliciis plena,
*Super petram constr*ucta,
Nec non vinea vera,
*Ex Ægypto trans*ducta.(1)
Certe Civitas firma,
*Fortis atque mu*nita,
Gloriosa ac digna.
*Supra montem po*sita.
Arca Cherubim tecta,
*Omni parte au*rata,
*Sacrosanctis ref*erta,
*Viris quatuor por*tata.
Christo Regina apta,
Solis luce amicta,
Simplex simulque docta,
Undecumque invicta.
Vere Regalis aula,
Variis gemmis ornata,
Gregisque Christi caula,
*Patre Summo ser*vata.
*Virgo valde fæ*cunda,
*Hæc et mater in*tacta,
*Læta ac tremeb*unda,
*Verbo Dei su*bacta.
Cui vita beata,
*Cum perfectis fu*tura,
*Deo Patre pa*rata,
*Sine fine man*sura.
—*Benchuir* bona regula.

Iam vero hos Hymnos, a Monacho quodam Monasterii Benchorensis in Hibernia scriptos fuisse, patet non solum ex antea dictis, verum et ex phrasibus exclusive Hibernicis, *Muinter Benchuir*, *Familia Benchuir*, *Benchuir* Bona Regula, Hymnus Comgalli *Abbatis nostri*, *&c.* qui a nullo alio nisi ab Hibernense et a Benchorense Monacho poterant usurpari. *Benchuir* enim est inflexio Hibernica casus genitivi, et *Familia* est vox qua Hiberni utuntur ad exprimendum Cætum, sive Congregationem Monachorum; ita ut Hi-

(1) Vide quæ de Hibernorum antiquissimis Regulis Monasticis, ex Ægypto per S. Athanasium in Italiam et Galliam introductis, et postea a S. Martini Discipulis Turonensibus in Hibernia propagatis, dicta sunt in Annal. Ult. ad ann. 777.

bernica hujus *Antiphonarii* origo plane pateat, et nulla vel minima suspicio possit, in re tam manifesta, ullatenus exoriri.

His, et aliis hactenus allatis, mature perpensis, satis jam constare opinor quid sibi velit Muratorius, et quid innuat, ubi inquit, Antiphonarium hoc *charactere ad Saxonicum accedente* esse exaratum, et Hymnorum stylum diversum esse ab elegantiori stylo S. Hilarii.(1)—

S. Hilarius Hymnos Ecclesiasticos eo fine composuit, ut rudem et agrestem Hymnos cantandi methodum, quæ in Galliæ Ecclesiis in usu erat, suaviori cantu, et verbis ad Ecclesiastica officia magis accommodatis reformaret; quod plane indicat, inter Gallos sive Celtas methodum ab antiquo extitisse, cantandi et componendi Hymnos diverse a Latinis, juxta methodum, ni fallor, Hymnorum Hibernensium hujus Antiphonarii, et juxta Cantilenam Rhythmicam Carminum *similiter desinentium*, quam alibi indicavi.(2) S. Hieronymus inquit, Hilarium in Hymnorum Carmine Gallos *indociles* vocare,(3) ubi

---

(1) " Prior Hymnus qui in hoc Antiphonario occurrit, tribuitur S. Hilario Pictaviensi Episcopo, " illis verbis " *Hymnum S. Hilarii de Christo.*" Et profecto compertum est inter eruditos, teste S. " Hieronymo, Hymnorum librum a S. Hilario fuisse compositnm. Ex iis etiam nonnullos in Eccle- " sia cantari solitos fuisse, tradit Concilium Toletanum IV anni 633. At in Hymno nunc a nobis " producto, majorem fortasse elegantiam desiderabunt nonnulli, ut eum S. Hilario adscribant." Muratori ibid.—Hilarii Opus Hymnarium periit. Hymni ei adscripti in Hymnario edito Parisiis anno 1480, et Rhothomagi anno 1505, quamvis antiqui, et probabiliter Sæculi VI, vel saltem VIImi, non sunt certe S. Hilarii. Vide Hist. Liter. de la France. (2) Supra p. xxii.

(3) Hieron. Præf. in Libr. Comment. in Galat.—Vide quæ de vetere Rhythmica scribendi methodo, ante Christi fidem in Hibernia extante, dicta sunt supra p. xxii, et Prolegom. p. lxv.

De Codice Hibernico, qui *Liber Hymnorum* dicebatur, hæc habet Adamnanus " Alio in tem- " pore Hymnorum liber Septimanorum, *S. Columbæ manu* descriptus, de cujusdam pueri de ponte " elapsi humeris, cum pelliceo in quo inerat Sacculo, in quodam partis Lageniorum fluvio submersus " cecidit, &c....Sed et alia, de libris *manu S. Columbæ exaratis*, similia ab expertis indubitanter didi- " cimus, qui scilicet libri in aquis mersi, nullo modo corrumpi potuerunt." Adamn. l. 2, c. 9— " Aliud miraculum æstimo non tacendum. Quidam Juvenis de equo lapsus in flumine quod " *Scotice* (i. e. Hibernice) *Boend* vocatur, (hodie the *Boin*) mersus et mortuus, xx diebus sub aqua " permansit, qui sicuti sub ascella cadens, libros in pelliceo reconditos Sacculo habebat, ita tamen

non *indoctos*, sed *indociles* dicit, quia novam cantandi methodum, veteri Celticæ repugnantem, ediscere nolebant; quæ Celtica ratio, Hilario, in forensibus Romanorum studiis erudito, et facundiæ Romanæ splendore conspicuo, uti narrat Hieronymus, ingrata ac Barbara videbatur. (1)

Conveniunt porro hujus *Antiphonarii* characteres cum characteribus Codicum prædictorum Hibernensium ejusdem ævi, *Kiliani* nempe, et *Missalis Bobiensis*, et cum characteribus Sacramentarii Sæculi VII, quod edidit Muratorius in Liturgicis;(2) neque multum discrepant a characteribus Codicis Fuldensis Fragmenti N. T. Sæculi VI, (3) olim S. Bonifacii Moguntini, qui Monasterium istud condidit anno 746, vel a characteribus Codicis S. Germani a Pratis No. 211, folio 10, quem Benedictini inquiunt, scriptum esse characteribus *Saxonicis* elegantissimis Sæculi VIII.(4)

Nempe quia Characteres suos ab Hibernis derua vere Saxones Nordan-

---

" post supra memoratum dierum numerum est repertus, Sacculum cum libris inter brachium et " latus continens, cujus etiam ad aridam reportato cadavere, et aperto Sacculo, folium sancti Columbæ " sanctis scriptum digitulis, inter aliorum folia librorum, non tantum corrupta, sed et putrefacta, in- " ventum est siccum, et nullo modo corruptum, ac si in scriniolo esset reconditum." Ib. c. 8.

(1) Vide Opera Hilarii edita a Doctissimo *Dom Coutant*. et Riveti Hist. Lit. de la France t. 1, part 2. p. 139. Hilarius, ex Ethnico Christianus, creatus est Episcopus Pictaviensis anno C. 353, quo tempore Librum Hymnorum composuisse videtur. Vide Dom Coutant Admon. in S. Hilar. in Psalm. item Scipionis Maffei edit. Veronæ 1730, et Martene in Monumentorum Collectione Amplissima T. 9, p. 55. Confer Hieronymi l. 2, adv. Rufinum.

(2) Nouveau Traite. ib. p. 67, Muratori. Liturg. Antiq.

(3) Concordantia est Evangeliorum, si initium spectes; continet autem Fragmentum N. T. Sæculi VI. " Il est prouve' que ce beau MS. qui renferme une partie du N. T. a ete' ecrit au 6[e] siecle. " Schannat Vindem. Lit. t. 1, p. 219.—Ce morceau serve a faire connoitre la difference de la " belle onciale des premiers tems, d' avec celles des siecles suivans. David Casley a donne un mo- " dele d' onciale Saxone de la fin du 7[e]. siecle, qui n' en cede point pour la beaute a celle du MS. de " Fulde." Ibid. p. 202, Casley Catal. pl. xii, n. 3.

(4) " C'est un des anciens MSS. de Corbie, et un des plus beaux monumens de l' ecriture *Saxone*. " Il renferme le livre de Job, avec des notes interlineaires, et le commentaire de S. Jerome en *tres* " *beau Saxone* de 8[e] siecle." Ib. p. 202 et 227.

hymbri, quorum primi Episcopi fuere Hibernenses *Aidanus*, *Finanus*, et *Colmanus*; quorum primum Monasterium et prima Schola fuit *Lindisfarnensis*; et quorum prima Monacha fuit *Herua*, Aidani Discipula, quæ Monasterium Monacharum, totius Angliæ antiquissimum, condidit ad ripam fluminis Girwie, hodie the Were, annum circiter 650.

Ex Schola autem *Lindisfarnense* prodiere omnes Monachi, et Episcopi, non solum Nordanhymbrorum, verum etiam *Middle-Anglorum*, et *Mercianorum*, qui prædicantibus *Aidani* Discipulis crediderunt, et *Diumam* Hibernensem *primum Episcopum* statuerunt, nec non *Orientalium Saxonum*, quorum Rex *Sigberct*, cum frequenter ad Oswium amicum in Provinciam Nordanhymbrorum veniret, tandem credidit, testante Beda, et a *Finano* Hiberno, *Aidani* successore, cum suis baptizatus est; et postulans ab Oswio Rege ut aliquos sibi Doctores daret, qui gentem suam ad fidem converterent, virum Dei *Cedd*, et alium Presbyterum accepit, qui " cum omnia *Orientalium* " Saxonum loca perambulantes, multam Domino Ecclesiam congregassent, " Finanus prosperatum Opus Evangelii comperiens, *Ceddam Episcopum* in " gentem *Orientalium Saxonum*, vocatis ad se in Ministerium Ordinationis " aliis duobus Episcopis, (nempe Hibernensibus) ordinavit. *Cedda* autem, ac- " cepto gradu Episcopali, rediit e Lindisfarnia ad Provinciam Orientalium, et " fecit per loca Ecclesias, Presbyteros et Diaconos ordinavit, maxime in Civi- " tate quæ vocatur *Ythancaester;* sed et in illa quæ *Tilaburg* dicitur; in quibus " collecto examine famulorum Christi, disciplinam vitæ Regularis, in quan- " tum rudes adhuc capere poterant, custodire docuit.(1) . . . Primus autem in " Provincia *Merciorum*, simul et *Lindisfarorum*, ac *Mediterraneorum* Anglo- " rum factus est Episcopus *Diuma*, ut supra diximus; Secundus *Cellach*, *uter*-

(1) Bed. l. 3, c. 21 et 23. ann. 653. ed. Cantabrigiæ p.125, 126. *Ceddam* in lingua Hibernia peritissimum fuisse indicat Beda, ubi inquit " interfuisse Synodo de Streneashalch venerabilem *Cedd*, a " Scottis ordinatum Episcopum, qui et *Interpres* in eo Concilio vigilantissimus *utriusque partis* ex- " titit." ib. c. 25, pag. 132. ann. 662.

" *que de genere Scottorum;* Tertius *Trumheri*, de natione quidem Anglorum,
" sed eductus et ordinatus a Scottis."(1)

Habemus itaque, *testante Beda*, Regna Nordanhymbrorum, et Orientalium, et Mediterraneorum Saxonum, ac Mercianorum, ex Ethnicæ ignorantiæ tenebris erepta ab Hibernis; habemus *Ceaddam* fratrem *Ceddi* cujus librum Evangeliorum, in Litchfieldensi Ecclesia servatum, descripsit Wanleus,(2) Aidani et Finani Discipulum in Schola Lindisfarnensi;(3) habemus *Eadfridum*, octavum Episcopum Lindisfarnensem, pariter Hibernorum Discipulum,(4) qui Codicem dictum S. Cuthberti, vulgatæ editionis, propria manu exaravit, annum circiter 688, idque tam pulchre, ut incomparabile Calligraphiæ *Hibernicæ* specimen, dignissimus sit qui in omne ævum servetur. Ex Beda denique habemus consuetudines Hibernorum ubique in supradictis Ecclesiis prævaluisse.(5)

Quid ergo mirum si characteres Codicum, de quibus hactenus egimus, inter se convenire dicendi sint, cum omnes ex una eademque Hibernorum gente, in Anglia, Gallia, Italia, atque Germania Scholas et Monasteria condente, et feros barbarorum mores ad vitæ humanioris disciplinam revocante, prodierint, ut gentium istarum scriptores uno ore testantur?(6)

---

(1) Bed. ib. c. 24, p. 130, ann. 655—Item l. 3, c. 21, et l. 4, c. 3, p. 144, not. 12.

(2) Wanlæi Catal. p. 252. Codex Cotton Nero D. IV, in Catalogo Cotton Lond. 1802, p. 238.

(3) " Erat enim *Ceadda* de Discipulis *Aidani; eisdemque actibus ac moribus*, juxta exemplum " ejus, ac fratris sui *Ceddi, suos instituere curavit auditores.*" Bed. l. 3, c. 28. Episcopus fuit Occidentalium Saxonum et Mercianorum ib. et l. 4, c. 3.

(4) Bedæ ed. Cantabr. p. 227, not. 1, Aldhelmi ad *Eadfridum* Epist. in Sylloge No. xiii.

(5) Bed. l. 3, c. 25, p. 131, et c. 26 in fine p. 135, et Smithi not. 1 ibi.

(6) De his Monasteriis asserere licet, quod de *Bellilocense* asserit Mabillonius, " suam originem " acceptam referre Hibernis, e quibus *Rodingus* anno 647 *Bellilocense* condidit. Ita in locis ubi " erant *lustra ferarum, factæ sunt domus orationis*, ibique chorus Psallentium audiri cæptus, ubi " lupi uluare consueverunt. Illuc confluxere plures Discipuli, tum ex vicinis regionibus, tum ex " transmarinis, *maxime Scotti*, qui populares suos invisere, et cum eis conversari gaudebant." Annal. Ben. t. 1, p. 383.

CODEX IV.

Sive Codex IV Evangeliorum S. Brigidæ Kildarensis.

Objicient fortasse nonnulli, Codicum prædictorum characteres elegantiores esse, quam qui in MSS. plerumque Hibernicis, saltem a Sæculo Xmo exaratis, inveniuntur. Sed quid mirum, cum omnes fere Codices antiqui quo antiquiores sunt eo pulchriores? Quid mirum, cum propter Monasteriorum veterum incendia, et temporum recentiorum tumultus civiles, in Hibernia præcipue, et præ omnibus Europæ regionibus, a Sæculo XIImo flagrantes, non idem otium ad scribendum, non eadem antiqua Scribarum instituta, non eadem facilitas, nec eadem stipendia extitere? Regulæ Monasticæ summam in scribendo diligentiam exigebant, ita ut nec *una quidem litera superflua* in exemplaribus inesse, nec *una deesse*, absque pænitentia regulari Monastica sineretur.(1)

Quod autem ad veterum Codicum Hibernorum elegantiam attinet, quartum Codicem adduco, etsi jam deperditum, quia Geraldum ipsum habemus, Hibernorum hostem, et omnia fere Hibernica spernentem, veritati tamen in nonnullis obsequiosum, qui ingenue fatetur, nec in orbe toto inveniri librum, qui cum Evangeliorum Codice Kildarense, Sæculo 12mo a se viso, sit ullatenus conferendus—" Liber mirandus, inquit, tempore Virginis Brigidæ, ut " aiunt, Angelo dictante conscriptus. Continet IV Evangelistarum juxta " Hieronymum Concordantiam,(2) ubi quot paginæ fere sunt, tot figuræ " diversæ, variisque coloribus distinctissimæ. Hic Majestatis vultum videas " Divinitus impressum. Hinc mysticas Evangelistarum formas, nunc senas,

(1) Vide supra p. xii, Adamnan. l. 1, c. 23, in Triade p. 344, et Adamnani ad Lectores Deprecationem in fine Vitæ Columbæ. Mabillon. de studiis Monast. p. 277.

(2) Sunt qui putant Concordantias Scripturarum non esse Sæculo nono antiquiores. Extat autem in Ecclesia Fuldense Concordantia Sæculi VIII, Nouv. Traite t. 3, p. 202, ut supra p. clxxiv.

" nunc quaternas, nunc binas alas habentes. Hinc Aquilam, inde Vitulum.
" Hinc hominis faciem, inde leonis, aliasque figuras pæne infinitas; quas si
" superficialiter et usuali more, minus acute conspexeris, litura potius vide-
" bitur quam ligatura, nec ullam attendens prorsus subtilitatem, ubi nihil
" tamen præter subtilitatem. Sin autem ad perspicacius intuendum oculorum
" aciem invitaveris, et longe penitius ad Artis arcana transpenetraveris, tam
" delicatas et subtiles, tam actas et arctas, tam nodosas et vinculatim colli-
" gatas, tamque recentibus adhuc coloribus illustratas, notare poteris intrica-
" turas, ut vere hæc omnia Angelica potius quam Humana diligentia, jam
" asseveraveris esse composita. Hæc equidem quanto frequentius et dili-
" gentius intueor, semper quasi novis obstupeo, semperque magis ac magis
" admiranda conspicio; nec Appelles ipse similia efficere posset, et manu po-
" tius non mortali efformatæ ac depictæ viderentur."(1)

Quid ergo mirum si Codices vetustissimi Hibernici pulcherrimi fuerint, ævo præsertim isto, quo Beda inquit Hibernis in usu fuisse, *libros*, et *Magisterium*, et *victum gratuitum* Scholaribus novitiis, ex Anglia in Hiberniam turmatim adventantibus subministrare? Quid mirum, cum, testante eodem Beda, Artem habuerint Monachi antiqui, jam deperditam, libros minio ornandi, coloribusque et atramentis ex Conchiliis et Muricibus expressis, quorum usum posteri perdidere, quamvis quo antiquiores essent colores isti, tanto etiam pulchriores et vividi invenirentur?(2) Quid denique mirum, cum in Vita Vetere *Dagæi*, Monachi, et Abbatis *Iniscaltraensis*, qui Sæculo VIto ineunte floruit, obiitque anno C. 587, anno nempe decimo ante obitum Columbæ, legamus Artificem fuisse, et *scriptorem librorum peritissimum*, qui non solum libros plures manu sua descripsit, verum etiam librorum *coopertoria, auro, argento, gemmisque circumtexta, composuit et ornavit?* Quid mirum cum ex Adamnano pateat,

(1) Girald. Topogr. Hib. Francofurti fol. 1603, Dist. 2, c. 38, p. 730.

(2) Bed. l. 1, c. 1.

Saxones quosdam Monachos, in Hibernorum Scholis Opus Pictorium didicisse et exercuisse,(1) qui tamen, antequam Hibernorum Scholas frequentarent, *literarum secreta ignorarunt*.(2)

Ethelwolphus in Epistola Metrica ad Egberctum, tum in Hibernia scripturarum legendarum desiderio exulantem, *Ultanum* Monachum Hibernensem, Libros ornandi Arte celebrem, his versibus extollit—

" Ex quibus est *Ultan*, præclaro nomine dictus,
" Comptis qui potuit notis ornare libellos."

Ejusdem Ultani meminit vetus Auctor apud Lelandum in Collectaneis " *Ultanus Scriptor et Pictor librorum erat optimus*."(3) Harpsfieldus pariter de eo inquit " *Ultanus qui polite et concinne Libros Sacros exscribere solebat*."(4)

Reguli antiquissimæ domus O'Donnelorum Tirconallensium, qui S. Columbam pro Patrono habebant, collegere in unum, ineunte Sæculo 16to, omnes quotquot poterant Codices, qui ad ejusdem Columbæ Acta illustranda inservire credebantur; atque ex istis Codicibus simul collatis, Vitam Columbæ Hibernicam, adhuc in Bibliotheca Stowense extantem, Hibernice composuit Magnus O'Donnel anno 1520. Ex hac Vita MS. patet, Auctorem coram se habuisse Columbæ Vitas diversas, quarum nonnullæ a Discipulis suis scriptæ fuere, a *Baitheneo, Cummiano Albo, Dallano Fargal, Baitheneo* filio Cuanachi, *Comgallo, Muro, Berchano, Adamnano*, et aliis.

Atqui Auctor hic inquit, extitisse ad sua usque tempora nonnullos

---

(1) " Religiosus frater, *Genereus* nomine, Saxo, Pictor, Opus Pictorium exercebat in Jona con- " versatus Insula." De Vita Columbæ l. 3, c. 10, in Triade, p. 366.

(2) Æstuum et refluxuum Maris Ledonibus et Malinis, menses sibi et annos putare solebant, literarum secreta ignorantes." Bed. de natura rer. c. 28. Selden Mare Clausum p. 132, et dicta supra p. xx, &c. Confer Cogitosi descriptionem Ecclesiæ Kildarensis Sæculo VIto, "*pictis tabulis* et *imaginibus depictis ornata*" in Triade p. 523.

(3) Leland Collect, t. 2, p. 364.

(4) Harpsfield Hist. c. 14.

Codices et Codicum fragmenta, *ipsius S. Columbæ manu* exarata, " quo-
" rum multos, tegumento aureo vel argenteo ac gemmis obcælatos, ad
" instar præciosissimarum Reliquiarum, *posteritas ad nostros usque dies* asser-
" vat, et pie veneratur; reliquos bellorum rabies et temporum injuria ab-
" sumpsit. Plurima etiam pia Opuscula, nunc oratione soluta, sæpius stylo
" metrico, partim Latino, partim Hibernico sermone composuit."(1) Eadem refert Adamnanus qui toto fere Sæculo ante Bedam floruit, obiitque dei Octobris 23, 704.(2)

CODEX V.

Sive Codex Evangeliorum Kellensis, S. Columbæ manu, ut fertur, exaratus ante annum 596.

Quæ in fine præcedentis numeri exponenda putavi, ea, ex Codicibus in Bodleiano, et in Stowense hac Bibliotheca extantibus, manifestiora fient, præsertim si conferantur cum notitia Codicis Kellensis IV Evangeliorum, de quo in IV Magistrorum Annalibus, ex vetustis Ecclesiæ istius Schedis, hæc enarrata leguntur ad ann. 1006—" *Athnuadhach aenaigh Tailten la Maoilechloinn,*
" *7 Ferdomhnach do oirdnedh hi Ccomharbas Cholaimchille a comairle fer n Er*
" *isin aenaigh sin. Soisccel mor Cholaimcille do dubhgoid issin oidhche as in Er-*
" *domh iartharach an Doimhliacc moir Cenannsa. Prim mind iartair Domhain*

(1) In Triade p. 438, col. 2. Item Waræus in Antiq. Hibern. Lond. 1654, c. 17, Martin Western Isles, Lond. 1703, p. 89, Critical Essays, t. 2, p. 575. Catalogum Opusculorum S. Columbæ imperfectum, et in nonnullis erroneum, edidit Colganus in Triade p. 471. Extant quædam fragmenta mutila Operum ejus in Codice Bodleiano. Laud. F. 952.

(2) Vide supra p. clxxiii. et Adamn. l. 2, c. 8, 9, et 29 " De librario folio Sancti manu descripto, quod aqua corrumpi non potuit, c. 30, De alio miraculo in re simili gesto, &c.

Codex Dublin dictus S. Columbæ

Euangelium saecundum lucā

QUONIAM

quidem mul

ti conati sunt ordinare

narrationem quae

in nobis completae sunt

rerum sicut tradiderunt

nobis qui ab initio ipsi uiderunt et

ministri fuerunt sermonis uisum est

et mihi adsecuto a principio omni

bus diligenter ex ordine tibi scribere

Optime theofile ut cognoscas eorum

uerborum de quib: eruditus es ueritatē

FUIT IN DIEB:

HERODIS REGIS

iudaea sacerdos quidam no.

mine zacharias de uice abia

et uxor illi de filiabus aaron

Wm FLAVELLE, *Scripsit, Dublin.*

" *ar aoi an chumtaigh daenda, 7 a foghbhail dia fichetadh, for dibh miosaibhiar* " *ngaitt dhe a oir, 7 foid thairis.*"—i. e. " Renovatio Nundinarum sive Ludorum " Taltinensium, per Maelechlannum; et Ferdomhnachus ordinatus, (sive institu- " tus) in Vicariatu S. Columbæ Ecclesiarum, suadentibus populis Hiberniæ in " Conventione ista. Evangelium Magnum Columbæ Ecclesiarum furto abla- " tum nocte, ex sacra domo inferiori Cathedralis Magni Kellensis. Præcipua " Reliquia Occidentalis Mundi ad juramenta præstanda fuit ista, contra per- " juria hominum; et inventum est sub cespitibus, post duos menses, post- " quam furto ablatum esset ejus aurum, et cespite involutum."

Fuit itaque Codex iste antiquus, et pro antiquo, et S. Columbæ ipsius libro habitus, anno C. 1006. Extitit autem usque ad annum 1632; quamvis enim Usserium hæc latuerint cum Primordia scriberet, de hoc eodem Codice agit, ubi Monasterium *Dermagiense*, a S. Columba conditum anno 546, a *Derrense* ejusdem Columbæ Monasterio, et ab *Ardmachano* distinguit.(1)

De *Dear-maig* Monasterio (hodie *Durrow*,) a Columba condito, agit Adamnanus in Vita Columbæ, ut in Exemplaribus editis, l. 1, c. 3 et 31, l. 2, c. 1, et l. 3, c. 19.—" Vir Beatus in mediterranea Hiberniæ parte Monasterium, " quod Scotice dicitur *Dair-maig*, divino fundavit nutu."

Beda de eodem Monasterio inquit—" Fecerat Columba, priusquam Bri- " tanniam veniret, Monasterium nobile in Hibernia, quod a copia Roborum " *Dearmagh*, lingua Scotorum, hoc est campus Roborum nominatur."(2)

Usserius recte inquit, in Regio Comitatu situm esse Monasterium istud, " inter cujus κειμηλια *Evangeliorum Codex vetustissimus* asservabatur, quem " ipsius Columbæ fuisse Monachi dictitabant, ex quo, et non minoris anti- " quitatis altero, eidem Columbæ assignato, quem in Urbe *Kelles*, sive

(1) Usser. Primord. p. 691. Confer Girald. Hib. Exp. l. 2, c. 24.

(2) Bed. l. 3, c. 4.

" *Kenlis* dicta, Midenses sacrum habent, diligenti cum editione Vulgata " latina collatione facta, in nostros usus variantium lectionum, binos li- " bellos concinnavimus."(1) Habemus itaque, ex indubitatæ fidei scriptoribus, ad nostra fere tempora extitisse antiquissimos Codices, characteribus Hibernicis scriptos, qui longe ante Sæculum decimum exarati fuere; ita ut a veritate plurimum abesse censendi sint, qui nullum ante Sæculum X Codicem characteribus Hibernicis scriptum extare opinantur.

Auctor Vocabularii Hibernici editi Parisiis anno 1768, sub voce Hibernica *Cumhdach,* quæ operimentum denotat, inquit se Codicem Evangeliorum vidisse, characteribus Hibernicis, Columbæ manu, ut fertur, exaratum, in cujus operimento hæc inscriptio, Cruci argenteo, et Hibernicis characteribus incisa erat—" *Orait acus benadhacht Choliumb—Chille do Fland mac* " *Maelsechlain do righ Eren lais an dernad an cumhdach so.*" i.e. Orationes et benedictio S. Columbæ Ecclesiarum prosint Flanno filio Maelsechlanni, Regi Hiberniæ, qui hoc operimentum fieri fecit.

Flaherteus, qui eundem Codicem vidit, hanc notam, in margine folii 434, eidem inscriptioni adjecit " Flannus hic Rex Hiberniæ decessit " VIII Kal. Maii die Sabbati, ut in MS. Codice Hibernico, quod Chroni- " con Scotorum dicitur adnotatur; anno nempe Æræ com. 916. Liber " autem hic scriptus est *manu ipsius S. Columbæ Cille.*"

Lhuydus in Archæologia inquit, inter Collegii Dubliniensis Codices antiquissimos unum se vidisse, *Quatuor Evangelia* complectentem, fol. Membr. cum præfixis Canonibus antiquis, et interprætationibus quibusdam nominum Hebraicorum, et argumentis singulorum Capitum; et interpositas esse ait, concessiones quasdam Monachis factas, et alia nonnulla *Hibernice,*

(1) Usser. ibid.—Hos *Libellos* desiderari dolendum est.

"cum picturis passim intersertis, literisque quibusdam intertextis, *miri operis* "*et antiquitatis*, qui liber *Colum-Kill* vulgo dicebatur, No. D. 23."(1)

Hujus Codicis characteres Hibernicos esse fatentur omnes; sed cujusnam ævi sint, quibus interpunctionibus, qua verborum separatione distincti, utrum Majusculi an Minusculi, qua pergamena, quo atramento, quibus abbreviationibus sripti? Hæc omnia adhuc in obscuro et incerto hærent, cum nullum Specimen, nullam ulteriorem Codicis notitiam hactenus adepisci liceret; quod tamen posthac, apud Dublinienses me posse diligenti investigatione invenire, minime desperandum puto.

CODEX VI.

Psalterium Cummini, sive S. Cummiani.

Alium ejusdem ævi Codicem, characteribus pariter Hibernicis exaratum, et suo tempore extantem, memorat Usserius in Primordiis pag. 971, ubi de tertio ordine agit Sanctorum Hiberniæ, inter quos *S. Camminum* de *Inis-Cealtair*, in vetustissimo Sanctorum Catalogo, nominatum invenit. Hunc *Camminum*, sive *Cummianum*, circa annum 653 mortuum esse, docent Annales Inisfalenses, et IV Magistrorum; ex quibus etiam patet, diversum esse a S. Cummiano *Foda*, sive Alto, quem Annales Ultonienses indicant in Hibernia natum anno 592, et obiisse narrant anno 662.(2)

---

(1) Lhuyd Archæolog. Oxford. fol. 1707, p. 436, et p. 432 voce *Oroid*, ubi inscriptionem prædictam adducit, et Codicem hunc Collegio Dubliniensi dono datum fuisse inquit, a Doctore *Jones* Episcopo Midensi, consecrato dic 12 Maii anno 1584.

(2) "Cumminus *Foda* filius fuit Fiachnæ Regis *Iar-Muman*, i. e. Occidentalis Mononiæ, (Camden " p. 737 in *Desmonia*,) atque Hymni illius author fuisse dicitur, cujus initium—*Celebra Juda festa* " *Christi gaudia*—quem Scholiastes compositum notat tempore *Domhnalli* filii Aedi, hoc est

Inis-Cealtair, sive *Insula Celtra*, ut eam Marianus Scotus appellat, et Florentius Wigorniensis in Chronico ad annum 1043, in Lacu *Derg-derg* sita est, in quem Senanus, sive Sineus fluvius, ad 16tum ab urbe Limericense milliarium illabitur, ubi antiquæ Ecclesiæ rudera adhuc cernuntur, quæ *Teampul Cummain* Lingua Hibernica dicitur, Conditoris *Cummiani* nomen retinens; et hæc Ecclesia, simul cum vestigiis septem Capellarum et Turris rotundæ contiguis, a populo in summa veneratione usque ad nostra tempora habetur.—Ibi extitit Benedictinorum Monasterium haud spernendum, usque ad tempora Usserii; atque ibi, inquit is, " habebatur " *Psalterium*, cujus unicum tantum quaternionem mihi videre contigit, " obelis et asteriscis diligentissime distinctum, collatione cum veritate " Hebraica, in superiore parte cujusque paginæ posita, et brevibus Scholiis " ad exteriorem marginem adjectis, atque illud *S. Cammini manu* fuisse " descriptum, communi traditione ferebatur."(1)

" Donaldi 2di Regis Hiberniæ, qui obiit A. D. 642" Usser. Primord. p. 972.—Obiit *Cummianus* iste Episcopus Cluanfertensis anno 662.

Alius fuit Cummianus *Albus*, Abbas Hiiensis, qui obiit A. D. 669, et de quo Adamn. l. 1, c. 3, et l. 2, c. 4.—Scripsit is Opus de Vita S. Columbæ, cujus meminit Adamnanus l. 3, c. 5, et ad quod respicit Beda l. 3, c. 4, editum a Mabillonio. Extat et ejusdem Cummiani Epistola ad Segienum Hiiensem, edita in Usserii Sylloge No. XI. Vide Bibliothecam nostram Hibernico-Cottonianam, *Vitellius* A. XII, No. XII, et Annal. Bened. t. 1, p. 249. Eidem tribuendum est Opus de *Mensura Pœnitentiarum*, editum in Collectaneis Sacris, ex Codice *S. Gallense* memorato a Mabillonio, in quo extat et aliud Pœnitentiale Hibernicum *S. Finiani*, hactenus ineditum, ut in Mabilloni Analectis t. iv, p. 629. Obiit *S. Finianus* Abbas et Episcopus *Cluan-Irardensis* anno 552.

Denique alius fuit *Cummianus* Episcopus " qui natus annos amplius 95, in Bobiensi vitam absolvit, " tempore Liutprandi Regis." Annal. Bened. t. 1, p. 308. Vide dicta de ejus tumulo supra p. cxxxiv.

Neque omittendi sunt *Cummianus* sive *Cominus*, alias *Baithen* dictus, qui inter 12 S. Columbæ socios numeratur, *qui cum eo ex Hibernia Britanniam navigarunt*, ut in Appendice ad Adamnani Codicem Cotton. et Usser. Primord. p. 694, et Boeth. Hist. Scotor. l. 9, fol. 166, vel *Cummianus*, sive *Comainus Brecc*, quem anno 529 natum, anno 615 quievisse, Annales Ultonienses declarant.

(1) Primord. p. 691.—De Benedictino Iniseeltraensis Cœnobii instituto, vide Kiliani Iniseeltraensis Opus Metricum de Vita S. Brigidæ, ex vetere Montis Casinensis Codice in Triade p. 594.

Waræus de eodem Codice inquit—" S.Cummianus Inis-Celtraensis putatur " scripsisse *in Psalmos.* Habentur enim inter libros Franciscanorum Con- " ventus *de Dungall* ejus *Schedæ antiquissimæ* in Psalmum 119, quas propria " ipsius manu exaratas fert traditio." De Script. Hib. l. 1, c. 3.

De S. Cummiano *Inis-Celtraense* intelligenda sunt, quæ refert Ængusius Colidæus, vel ejus vetus Scholiastes; quod cum *Guarius Adneus* Rex Connaciæ, frater ejus, ab eo siscitaret, quibus rebus desideraret Ecclesiam suam habere repletam? Respondit " *utinam haberem tot sacros Codices, quot hæc Basilica ca- " pere posset, conferendos Divinæ Sapientiæ Studiosis, ad Christi doctrinam inter "populos disseminandam;* quam indulgentiam a Domino postea sortitus est."(1) Scripsit Commentaria in Psalmos, inquit Colganus, ex quibus " quæ in " Psalmum 119, *propria manu,* ut traditio fert, exarata commentus est, *propriis " oculis conspeximus.*"—Hoc Opus extare existimo in Collegio Dubliniense. Sed cum nullum adhuc characterum specimen videre contigerit, de iis, uti et de præcedentis Codicis ætate, impræsentiarum silendum est.

CODEX VII.

Sive Martyrologium Hibernicum Monasterii Epternacensis.

Doctissimus Rosweydus narrat, se ex Carthusia Trevirense *pervetustum* Codicem accepisse, ad Monasterium Epternacense pertinentem, qui olim liber fuit S. Willibrordi, in isto Monasterio defuncti et sepulti anno 738; quique vetustissimum et locupletissimum Martyrologium continebat, ampliorem Sanctorum Catalogum complectens, quam Martyrologium Romanum, vel aliud quodcumque ex editis. Refert etiam, suo judicio, esse illud Mar-

---

(1) Ængusii Codex MS. in Vitis SS. p. 746. *Guarium* fratrem ejus fuisse, narrant Annales IV Mag. ad ann. 662, idque ex *vetere Auctore* cujus de hac re Distichon Hibernicum adducunt.

tyrologium S. Hieronymi; titulum enim Operi præfixum id indicare his verbis – " *Christe fave votis. Codex S. Willibrordi. Continet Martyrologium " Hieronymi.*"—

Et sane Hieronymi Opus fuisse, ab origine, Titulus iste indicare videtur. Sed cum nonnullos Sanctos post S. Hieronymi ævum defunctos contineat, potius S. Hieronymi Opus *adauctum*, quam simpliciter S. Hieronymi dicendum est.

Iam vero, convenit in plerisque Codex hic cum vetere Hibernorum Martyrologio Tamlactense Ængusii Colidæi, cujus meminit Mabillonius,(1) et cujus fragmentum vetus, lingua et literis Hibernicis scriptum, extat in Codice Bodleiano Laud. F. 95; nisi quod Tamlactense, cum sit recentius, sit etiam copiosius, præsertim quoad Sanctos Hiberniæ. Codicem autem Epternacensem ex Hibernia in Frisiam a S. Willibrordo allatum fuisse, annum circiter 690, hæc persuadent—*I*, quod duo ejus Exemplaria reperta fuerint in Hibernia, testante Colgano,(2) et quod nullum ejus Exemplar in aliis Europæ Bibliothecis inveniri potuerit, vel a Bollando, vel Rosweido, aut Marteneo, aut Mabillonio, aut quovis alio Collectore, nisi unicum illud Epternacense.—*II*, quod S. Willibrordus, cujus Codex ille inscribitur, cujusque manu nonnulla in margine scripta leguntur,(3) non ex Anglia, sed

---

(1) Annales Benedictini, tom. 2, p. 632.

(2) In Vita Ængusii Colidæi.

(3) " Dans l' Abbaie d *Epternac*, a quatre lieues de Treves, l' on conserve un ancien MS. en " lettres *Saxones*, qui contient le texte des Evangiles corrigé, comme il semble par une addition qui " se lit a la fin, sur l' original meme de S. Jerome. On croit que c' est S. Willibrode qui le porta " en France. On pense la meme chose d' un *tres ancien* Martyrologe de S. Jerome ecrit *en meme " caractere*, que les continuateurs de Bollandus ont fait graver, et inserer dans leur recueil. A une " des marges du Calendrier qui suit le Martyrologe, on lit les paroles suivantes —In nomine Domini " Clemens Willibrordus, anno 690 ab Incarnatione Christi, veniebat ultra mare in Franciam, et in " Dei nomine, anno 695 ab Incarnatione, *quamvis indignus*, fuit ordinatus in Roma ab Apostolico " Viro D. Sergio Papa. *Nunc* vero in Dei nomine, agens annum 723 ab Incarnatione D. N. I. C.

ex Hibernia immediate, *circumnavigata Britannia,* venerit in partes Frisiæ, idque, postquam in Hibernia, *ab anno ætatis 20mo* usque ad *33tium,* Scholasticis Disciplinis operam navasset, testantibus Beda et Alcuino.(1)

" in Dei nomine feliciter.—Il est visible que cette apostille est *de la propre main* de S. Willibrode, " et il prouve que la date de l Incarnation, etoit commune chez les Anglo-saxones en 723." Nouv. Traite t. 3, p. 373. Vide quæ de anno Æræ com. dicta sunt supra p. cii.

(1) " *Vigesimo* ætatis suæ anno, arctioris vitæ ardore succensus, et quia *in Hibernia* Scholasticam " eruditionem viguisse audivit, etiam quorumdam Sanctorum fama narrante, conversatione incitatus, " et præcipue B. Patris et Episcopi *Ecgberti,* qui cognomento Sanctus vocabatur, necnon *Wicberti* " venerabilis viri, et Sacerdotis Dei, quorum uterque, ob cœlestis Patriæ amorem, *Hiberniam* " *secessit,* ibique dulcissimos supernæ contemplationis fructus quotidie hauriebat. Horum Beatus " Adolescens æmulari cupiens Religionem, in *Hiberniam veloci cursu contendit, ibique, duodecim* " *annos,* inter eximios simul piæ religionis, et Sacræ lectionis Magistros erudiebatur. *Trigesimo* " *itaque et tertio ætatis suæ anno,* audiens in borealibus mundi partibus, messem quidem multma " esse, sed operarios paucos, illas in partes navigare cogitavit, assumptisque secum *duodecim fratri-* " *bus* (more nempe Hibernorum ut supra p. cxlvii.) *navem conscendit, et navigavit, donec prospero* " *cursu ad ostia Rheni fluminis vela deposuit,* et mox ad Castellum *Trajectum,* quod in ipsa flumi- " nis ripa situm est, pervenerunt, in quo etiam, post aliquod tempus, idem S. Willibrordus sedem " Episcopatus sui habuit." Alcuinus in Vita Prosaica Willibrordi, edita a Surio, et a Mabillonio in Sæc. 3, Bened. part. 1, p. 601, &c. Item in Vita Metrica ejusdem.

Eadem et plura habet Beda—" Eo tempore [anno nempe 688] Venerabilis Sacerdos Ecgbertus, " quem *in Hibernia Insula* peregrinam ducere vitam, pro adipiscenda in Cœlis patria retulimus, " proposuit animo pluribus prodesse, i.e. inito opere Apostolico, verbum Dei aliquibus earum " quæ nondum audierant gentibus evangelizando committere, quarum in Germania plurimas nove- " rat esse nationes, a quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus et originem " duxisse noscuntur, unde hactenus, a vicina gente Britonum, corrupte Germani nuncupantur. " Sunt autem Frisones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boruchthuarii. Sunt etiam alii per- " plures iisdem in partibus populi, *Paganis adhuc ritibus servientes,* ad quos venire præfatus Christi " miles, *circumnavigata Britannia* disposuit.... Sed ne aliquid horum perficeret, superna illi " oracula, simul et opera restiterunt.... At vero unus de sociis ejus, vocabulo *Victbertus,* cum esset " et ipse contemptu mundi ac doctrinæ scientia in signis, *nam multos annos, in Hibernia peregrinus,* " Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat, *ascendit navem, et in Frisiam perveniens,* duo- " bus annis continuis genti illi, ac Regi illius Radbedo, verbum salutis prædicabat, neque aliquem " tanti laboris fructum apud Barbaros invenit adjutores. Vir autem D. Ecgbertus tentavit adhuc " in opus verbi mittere viros sanctos et industrios, in quibus eximius Wilbrordus Præsbyter præful- " gebat. Qui cum illo advenissent, erant autem numero *duodecim,* gratanter a Pippino Duce Fran-

IIItio, quod inter Frisios, tunc Ethnicos, Willibrordus Martyrologium istud non invenerit, nec invenire potuisset, cum nullum aliud ejusdem Exemplar in Gallia vel Germania usquam reperiatur. *IVto.* Quod Ængusius Colidæus in suo Tamlactense Martyrologio, tam *Eusebii* quam *Hieronymi* Martyrologia suo tempore in Hibernia extitisse declaret, annum circiter 787.

Auctores quidem Benedictini Operis prælaudati *Nouveau Traite De Diplom.* Codicem hunc literis *Saxonicis*, more suo, exaratum esse inquiunt t. 3, p. 373. Characterum vero specimina edidere Bollandi Continuatores, ex quibus patet, eos esse Majusculos Hibernicos, quos, ex Hibernorum Scholis, Nordanhymbri medio Sæculo septimo derivavere.—Willibrordus ipse, patre *Wilgisilo* Nordanhymbro natus, non alios habuit, vel habere potuit Magistros quam ex Schola Aidani. Pater enim ejus eum infantulum *Ripensis* Ecclesiæ fratribus alendum, et literis imbuendum tradidit; quem locum Alchfridus Rex *Eatano* Abbati, Aidani Discipulo, et *Sectæ Scoticæ* Monachis in possessionem dederat annum circiter 650.(1)

Mabillonius quidem, eumque secutus *Butlerus*, Willibrordum in Ripensi Monasterio *Sub Wilfridi tutela* eruditum fuisse opinatur.(2)—At, pace doctissimi viri, temporum ratio repugnat. Fatetur enim ipse Mabillonius, Willibrordum, *statim ac ablactatus est*, Ripensibus traditum fuisse educan-

---

" corum recepti sunt. Horum secuti exempla duo quidam Presbyteri de natione Anglorum, qui " *in Hibernia, multo tempore*, pro æterna patria exulaverunt, venerunt ad Provinciam antiquorum " Saxonum, si forte aliquos ibidem Christo acquirere possent. Uterque eorum appellabatur *Hen-* " *waldus*." &c. Deinde eorum Martyrium narrat Bed. l. 5, c. 10, 11, 12. Confer Baronium ad " ann. 690, cum Calmeti Hist. de Lorraine Præf. t. 3, et App. t. 1, et Boschart Diatriba de primis " Frisiæ Apostolis, Rivet. Hist. Lit. t. 3, p. 449.

(1) Bed. l. 3, c. 25, lin. 48, p. 131, Vita Cuthberti ib. p. 234, et Annal. Renedict. t. 1, p. 443, et 592.

(2) Annal. Bened. ib. p. 540, Butler's Lives Nov. 7.

dum.(1) Atqui natus est anno 657. Alcuinus enim et Beda conveniunt, ex Hibernia Germaniam navigasse anno C. 690, *ætatis 33tio*, postquam *annis* 12 in Hibernia literis operam navasset.—Iam vero, Wilfridus eo tempore exul Galliam peragrabat, neque rediit ante annum 659, ut patet ex Anemundi cæde, cui interfuit Lugduni, exeunte anno 658;(2) et quamvis redierit anno 659, Monachi tamen Hiberni e *Ripensi* Monasterio expulsi non fuere ante *Wilfridi* cum Hibernis, in Synodo *Streanashalense*, conflictum anni 664;(3) imo vero non ante annum 666, non enim plures ibi quam *tres annos* constitit Wilfridus, qui ad Episcopatum Eboracense evectus est anno 669. Fatetur præterea Mabillonius Wilfridum ipsum, uti et cæteri ejusdem ævi Nordanhymbri, in Aidani Schola Lindisfarnensi literarum rudimenta didicisse,

---

(1) " Statim ut ablactatus est Willibrordus, infantulum tradidit pater Ripensis Ecclesiæ fratribus " alendum, ac studiis sacrisque literis erudiendum. Puer Clericatus tonsuram ibidem accepit, " et monachum se fieri instituit. Dein, audita Sanctorum virorum *in Hibernia* eruditione, " eorum religione incitatus, præcipue *Egberti* et *Wigberti*, qui ambo *in Hiberniam* secesserant, cum " permissu Abbatis et fratrum suorum (*Ripensium*) ad eos contendit, ibique duodecim annis, inter " eximios piæ Religionis, simul et sacræ lectionis Magistros eruditus est." Annal. Ben. ib. p. 592, ex Eddio, et Alcuino. Unde corrigendus est Butlerus Lives Nov. 7.

(2) Eddius Stephanus in Vita Wilfridi inter x Scriptores ed. Gale Oxon. 1691.

(3) Id notat et ipse Mabillonius, ib. p. 472. Neque ullatenus probabile est Wilfridum, qui Hibernorum Disciplinæ hostis erat infensissimus, permissurum ut Willibrordus in Hiberniam ex Schola sua Ripensi abiret. " Wilfridus Patriam reversus, inquit Mabillonius, ab *Alchfrido* Rege *Riponensi* " Monasterio præficitur, ubi *Scotici instituti* versabantur Monachi, p. 472, qui, data sibi optione, " loco cedere potius quam ritus suos mutare maluerunt, l. 3, c. 25.—Id factum *post* celebrem con- " certationem Streanashalensem anni 664." Mabillon. Ib. p. 472, ex Beda, et Eddio in Vita Wilfridi. et Peck. Hist. of Stamford, l. 3.

Beda de Synodo Streanashalense inquit—" venerunt illo Reges ambo *Oswiu* et *Alchfrid*, Pater " scilicet et filius, Episcopi *Colman* cum Clericis suis de Scottia, i. e Hibernia, *Agilberctus* cum *Aga-* " *thone* et *Uilfrido* Presbyteris. *Jacobus* et *Romanus* in horum parte erant. *Hild* Abbatissa cum suis " *in parte Scottorum; in qua etiam erat venerabilis Episcopus Cedd, jamdudum ordinatus a Scottis,* " qui et *Interpres* in eo Concilio vigilantissimus *utriusque partis* extitit." Lib. 3, c. 25, p. 132.

et omnes has Sæculi septimi in Germaniam Missiones ex Hibernia prodiisse accurate declarat.(1)

Hæc porro Hibernorum in Nordanhymbros, Middle-anglos, et Mercianos merita, quibus se eorum Magistros fuisse et Præceptores jure merito gloriantur(2) non tantum ex Monachorum Hibernensium peregrinationibus derivanda, verum inde etiam petenda videntur, quod Nordanhymbri, qui cultus et amicitiæ necessitudinem cum Hibernis majorem contraxere, cum diversæ fuerint originis a Cantiis, et Hiberniæ propinquiores, in consuetudines Hibernicos facilius abierint. Nordanhymbri enim, et Mediterranei Angli, et Mercii ab *Anglis* proprie dictis originem habuere, quorum Patria antiqua inter *Jutas* et *Saxonas* sita erat, et seorsim a cæteris Angliæ Saxonis habitantes, lingua puriore Anglo-saxonica loquebantur, ut patet ex chartis Geographicis Smithi et Gibsoni, et ex Grammatica Anglo-saxonica Hickesii. pag. 134.(3)

His positis, quæ quidem negari nequeunt, quin omnis Historica veritas corruat, et omnis antiquarum rerum certitudo labefactetur, quæro jam quibus aliis characteribus quam Hibernicis scriberent *Eata*, Abbas Ripen-

---

(1) Accurate inquam, id testante Beda l. 5, c. 11. Confer Hist. Lit. de la France t. 4, Martene 2 voyage litteraire, Calmet Hist. de Lorraine t. 3, et Batavia Sacra.

(2) Vide supra p. v, Bed. l. 3, c. 3, 5, 13, 15, 16, 17, 19, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, l. 4, c. 3, 4, l. 5, c. 10, 11, 16, 19, et Aldhelmi ad Eadfridum ex Hibernia reducem Epistolam editam in Usserii Sylloge No. xiii, p. 38.

(3) "Venerunt Viri de *tribus* Germaniæ Provinciis, de *antiquis Saxonibus*, de *Anglis*, de Gothis " sive *Jutis*. Jutis oriundi sunt *Cantwari* et *Vectuarii*. Hæc est ea gens quæ nunc incolit Vectam, " quæque gens apud Occidentales Saxonas *adhuc vocatur Jutarum progenies*. Ab *antiquis Saxonibus* originem duxerunt Orientales Saxones, et Australes Saxones et Occidentales. Ab *Anglis* " quorum patria ab eo usque tempore mansit deserta inter Jutas et Saxonas originem duxerunt Angli " *Orientales Mediterranei, Angli, Mercii*, ac omnes Northymbri." Chron. Saxon. MS. Cotton ad ann. 949, et Gibsoni ed. ad eundem ann.—" *Purior* ille sermo antiquorum Anglorum, qui *Northymbriam veterem* coluerunt." Hicks. Thesaur. Oxon. 1705, p. 134. Nescio tamen qua auctoritate *purior*, cum nihil *Saxonicum* Sæculi VII extet.

sis, *Aidani* Discipulus, et in ejus Schola ab ipsa adolescentia educatus? vel *Willibrordus* ex eadem Schola Hiberniam profectus, et ibi 12*m* *annis* eruditus? vel *Egbertus*, qui " *dudum* cum *Ceadda* adolescente, et ipse adoles-" cens, in Hibernia Monachicam vitam sedulus agebat?"(1) vel *Cedda* frater *Ceaddi*, pariter *Aidani* et *Finani* Discipulus? vel alii innumeri, tam Anglo-Saxones Occidentales et Merçiani, quam Nordanhymbri, qui ex Hibernorum Scholis prodiere, quique *nihil melius quam quod Scotti docuissent autumasse* narrantur.(2)

Quidquid librorum, quidquid supellectilis in Germaniam navigans transvexit Willibrordus, id ex Hibernia transtulisse necesse est; neque unquam inde in Insulas Britannicas rediit; ita ut omnia concurrant ad id quod supra diximus indicandum, Codicem nempe Epternacensem ex Hibernia in Frisiam a Willibrordo translatum fuisse anno 690.

Anno Septimo post ejus in Frisiam adventum, Monasterium Epternacense condidit, opitulante Erminia filia *Dagoberti 3tii*, qui pariter ab adolescentia in Hibernia educatus, et in Galliam revocatus anno 672, Hiberniæ Monachos magno studio et favore prosecutus est.(3)

Hæc omnia hactenus de Willibrordo et de Martyrologio Epternacense in

(1) Bedæ verba l. 4, c. 3.

(2) Ib. l. 3, c. 21, p. 125, et c. 25, lin. 41, p. 131. *Oswaldus*, qui linguam Hibernicam optime calluerat, Interpretem egit inter Aidanum Episcopum Hibernensem, et Nordanhymbros quos ad fidem convertit. Bed. l. 3, c. 3.—*Oswius*, Oswaldi successor, eodem modo Interpretem egit—" qui nimirum Oswi, a Scottis edoctus ac baptizatus, *illorum etiam lingua optime imbutus, nihil* " *melius quam quod illi docuissent autumabat.*" l. 3, c. 25, p. 131.

(3) Hunc Dagobertum 2*dum* appellat Mabillonius, sed perperam. Annal. Bened. t. 1, p. 431, 432, 511, 512, 540. In Indice seipsum emendat voce *Dagobertus*.

Annus supra 661 erat a morte Sigeberti Regis Austriæ, Patris Dagoberti 3tii, et a relegatione Dagoberti 3tii in Hiberniam *annus* VII*mus*. Ib. l. 16, n. 25. Is, mortuo Chlothario, ex Hibernia revocatus est, ut patet tam ex Eddio ib. n. 26, quam ex H. Valesii editione Codicis coævi Montis Regalis ib. n. 57, p. 529, Vitæ nempe S. Salabergæ Discipulæ S. Columbani. ib. l. 14, n. 47, p. 440.

medium allata, si cum ipsis Martyrologii characteribus in unum conferantur, satis superque sufficiunt ad cordatos quosque inducendos, ut, ex auctoritate coæva Anglo-saxonica Bedæ, et ex Vita Willibrordi, tam Metrica quam Prosaica Alcuini, et ex Specimine edito a Bollandinis, Martyrologium istud Opus esse Hibernicum, Hibernicis characteribus exaratum, et ex Hibernia in Frisiam a Willibrordo ipso translatum opinentur.

CODEX VIII.

S. Ceaddæ vulgo appellatus.

Priusquam ad hujus Codicis notitiam accedam, nonnulla Historica præmittenda sunt, quæ cum accurate, juxta ordinem Chronologicum, ex antiquissimis et probatissimis scriptoribus collecta fuerint, ea ipsa methodo, qua Willibrordi Historiam ex *Eddio*, *Beda*, et *Alcuino* deduxi, rationes quibus inductus, Codicem hunc Hibernicis characteribus scriptum esse assero, quam brevissime potero exponam.

S. Ceadda, primus Liccidfieldensis Episcopus, origine Nordanhymbrus, tres habuit fratres *Ceddi*, *Cymbill*, et *Cenliu*, qui omnes Aidani Discipuli, in Schola Hibernica Lindisfarnense educati fuere.(1) Horum celeberrimus *Ceadda*, *adolescentiæ suæ temporibus*, simul ac literarum rudimenta in Schola prædicta edidicit, bonarum literarum desiderio *Hiberniam* se contulit, itemque *Ecgbertus*, " qui *dudum* cum eo, et ipse *adolescens*, in Hibernia " Monachicam, in Scripturarum lectione, vitam sedulus agebat."(2)

In Hibernia porro, non solum in *Grammaticæ*, *Geometricæ*, *Metricæ*, *Rhetoricæ*, et *Sacrarum literarum* studiis imbutus est,(3) verum etiam *lin-*

(1) Bed. l. 3, c. 22, 23, et 28.

(2) Sunt Bedæ verba l. 4, c. 3, p. 146.

(3) Aldhelmi ad Eadfridum ex Hibernia redeuntem Epist. in Sylloge.

Ex. Codice dicto S. Ceaddæ.

No. 1.

Et mihi adsecuto aprincipio
omnibus diligenter exordine tibi scribere obti
me theofile ut cognoscas eorum uerborum
dequibus eruditus es ueritatem

Ex. Codice Cotton Nero D.IV. dicto S. Cuthberti.

No. 2.
page ccix.

FUIT IN DIEBUS
herodis regis
iudaeae sacerdos
quidam nomine
zacharias deuice abia
et uxor illi de filiab; aron
et nomen eius elisabeth
erant autem iusti ambo
ante dm̄
incedentes in omnibus
mandatis et iustificatio
nib; dni sine querella
et non erat illis filius eo

✠ Pater noster qui es
in caelis scificetur
nomen tuum
adueniat regnum tuū
fiat uoluntas tua
sicut in caelo et in terra
panem nostrum
super substantiale
da nobis hodie
et demitte nobis debita
nostra sicut nos
dimittimus debitorib;
nostris
et ne inducas nos
in temtationem
sed libera nos a malo.

guæ Hibernicæ scientiam comparavit, æque ac frater ejus *Ceddi*, qui *Interpretem* in Synodo Streanashalensi egit, inter Monachos Hibernos, sub Colmano Abbate ex una parte, et adversarios Anglo-saxones sub Wilfrido ex altera.(1)

In ista Synodo Argumenta ex utraque parte, non Latine, sed *Hibernice* et *Saxonice* prolata fuisse patet, non solum ex eo quod *Ceddi* interpres fuerit, verum ideo etiam quod *Agilbertus*, Episcopus Gallus, qui et ipse diuturno tempore in Hibernia legendarum gratia Scripturarum commoratus erat,(2) Hibernorum argumentis in eodem Concilio respondere jussus, quia eorum linguam longa conversatione didicerat, id muneris in Wilfridum, *ob linguæ Anglicanæ imperitiam* rejecit.(3)—Medius itaque inter utrasque partes erat *Ceddi* Episcopus, qui Interpretis officio, ob *diversæ linguæ homines* fungebatur.(4)

Ceaddam inter Hibernos maximam vitæ suæ partem transegisse constat ex Beda. Ex Hibernia enim, ubi adolescentiæ annos transegit, revocatus a fratre suo *Ceddo*, præpositus est *Scotticæ Sectæ* Monasterio de *Laestingay*, in regione Deirorum, hodie *the Woulds of Yorkshire*,(5) quod *Ceddus* Aidano vivente condiderat, et cui etiam præfuit, donec ab Oswio Rege e regimine eductus, missus est ad Orientalium Saxonum Regem *Sigbertum*, ut primus eorundem Episcopus institueretur.(6) Eo sic abeunte, Monasterium rexit frater ejus *Cymbil*, donec alter frater *Ceadda* ex Hibernia perveniret; qui

(1) Bed. l. 3, c. 25, p. 132. Vide supra p. clxxxix, not. 3, et p. cxci.
(2) Bedæ verba l. 3, c. 7, et Annal. Bened. t. 1. p. 496.
(3) Bedæ verba ib. l. 3, c. 25.
(4) Ib. l. 3, c. 25, et Annal Benedictin. t. 1, p, 472.
(5) Ib. l. 3, c. 23.
(6) Ibid. et in Monastico Anglicano t. 1.

cum pervenisset, paulo postea, rogante eodem Oswio, Nordanhymbrorum Episcopus institutus, Monasterium suum de *Laestingay* Trumberhto, Aidani Discipulo, Bedæ Magistro commendans, Anglo-saxonum primus Sedi Eboracensi introductus est.(1)

Consecratus Episcopus mox cæpit Ecclesiasticæ veritati curam impendere, inquit Beda, lectioni operam dare, opida, rura, casas, vicos, castella, non equitando, sed pedibus incedendo peragrare. "*Erat enim Discipulus* "*Aidani, iisdemque actibus ac moribus, juxta exemplum ejus, ac fratris sui* "*Ceddi, suos instituere curavit auditores.*"(2)

Postquam tribus annis Eboracensem Ecclesiam indefesse rexisset, Theodorus Cantuariensis eum in Ecclesiam istam intrusum, contra jura Wilfridi, qui antea a Rege Alchfrido ad sedem eamdem nominatus erat, et non Canonico more ordinatum fuisse questus est, sed more Scottorum, i. e. Hibernensium, qui tum Schismatici habebantur.—*Ceadda*, ut humilimo erat animo, se libenter discessurum respondit, non enim nisi obedientiæ causa id muneris suscepisse, cujus se indignum noscebat; ac proinde ad Monasterium suum, dimisso Episcopatu, secessit. Hac modestia placatus Theodorus, Episcopatus honorem ei abrogare noluit, sed ordinationem ejus *denuo* Canonico ritu reformans, eum in sedem *Licciđfeldensem* primum Merciorum Episcopum ordinavit.(3)

His de *Ceaddæ* Historia enarratis, ordo jam postulat ut Codicis ipsius Historiam paulo diligentius ad trutinam revocandam accedamus. Imprimis quæro utrum Codex iste sit revera a Ceadda ipso exaratus?—Quod si responsio affirmativa fuerit, Textus procul dubio Hibernicis characteribus scriptus dicendus erit. Idque etiam asserendum, etsi non fuerit a *Ceadda* ipso scriptus, sed a

---

(1) Ib. l. 3, c. 28, Annal. Bened. t. 1.

(2) Ib. l 3, c. 28, et Monasticon. Angl. t. 1.

(3) Ib. l. 4, c. 3, et Chron. Saxon.

quodam Monacho Nordanhymbro, vel Hiberno, qui e Schola *Lindisfarnense*, vel *Mailrosense*, aut *Ripense* prodierit. Cum omnes isti, usque ad *Ceaddæ* obitum, Hibernorum veterum consuetudines, in scribendo, Psallendo, jejunando, orando, et ornando, secuti fuerint. Quod si nulla hujus Codicis historica notitia comparari possit, tum ex ipsius characteribus et indole totam hanc quæstionem pendere necesse est.

Iam vero de Codicis origine silent antiqui. Altum est in Historia Anglorum silentium! Quæ de eo in Catalogo MSS. Angliæ et Hiberniæ narrantur, perpauca sunt et incerta, ne dicam erronea et fabulosa; neque plura quam quæ in Catalogo suo Codicum MSS. Ecclesiæ Liccidfieldensis edidit Vir in veterum Codicum Calligraphia parum versatus, Johannes Willis Prebendarius Ulvetoniensis.—Æque incerta sunt quæ habent Lhuydus qui Codicem istum characteribus *Wallicis* scriptum esse asserit.(1)—Hickesius de characteribus Textus nihil asserit nisi quod verissimum, longe antiquiores esse quam characteres Saxonici interlineati, a quibus valde dissentiunt; itemque a Britannicis qui a 900 annis in margine exarati leguntur,(2) quod et Lhuydus ipse, ut erat vir ingenuus et sincerus, aperte fatetur.(3) Characteribus tamen *Saxonicis* scriptum esse, asserunt *Wanleus* et *Astle*.(4)

---

(1) " It is written above a thousand years, and once belonged to the Church of Landaff, and " is one of the Latin MSS. *written by Britans*." Archæol. p. 5, col. 1.

(2) Dissert. Epist. in Thesauro pag. 11. " Grandioribus litteris exaratus, mille annorum anti- " quitatem præ se fert, vulgo liber *Ceaddæ* vocatus. *Cingal* ille Brittannus a quo emptus erat, " gliscentibus bellis, eum *forsan* ex aliquo Monasterio Angliæ, quod Cambriæ vicinum erat, direptum " vendidit *Gelhi* filio *Arithiudi*, qui eum *S. Teliavo* dedit, (ut patet ex notis Marginalibus) " e cujus Ecclesia gliscentibus iterum bellis, *forsan* etiam direpta, aliquis Anglus eum abstulit, et " S. Caddæ consecravit. Verum quomodocumque res ista se habeat, ex eo multa descripsi, (nempe " ex margine) a quibus haud absimilia multa *Britannice* scripta, cernere est in *Monastici Anglicani* " vol. 3, p. 188, &c. quæ ex Landavensi Regesto congessit Dugdalius." Hicks. Dissert. Ep. p. 11,12.

(3) Lhwyd ibid.

(4) Origin of Writing " The fifth Specimen (of Saxon writing) in the fifteenth plate, is taken from a fine MS. in the Church of Lichfield, called *Textus S. Ceddæ*." Origin of Writing, p. 100, ubi

Agnoscunt autem omnes, textum characteribus Majusculis, sive *grandioribus* scriptum esse, et diversis ab interlineatis Saxonicis, atque marginalibus Britannicis, qui ab 800 vel 900 annis exarati leguntur.(1)

In Historia Liccidfieldensi recens edita, Auctore... *Harwood,* notitia Codicis S. Ceaddæ accuratissima esse dicitur, quam edidit . . . *Smalbroke.*—Atqui is nihil de Codicis characteribus asserit, neque de Codice ipso, nisi quod olim, *Landavii* in Wallia, in Altari ad Jusjuranda et donationes confirmandas adhibitus fuerit, id quod ex marginibus liquet, et a *S. Gilda conscriptus, ante ann.* 720.(2)

Iam vero ex hac *optima* Codicis notitia, characteribus Hibernicis exaratum esse sequeretur. In tota enim Britannica Historia, in toto decursu bis mille annorum, nullum *Gildam* invenimus præter unum *Badonicum,* sive *Querulum,* et *Sapientem* dictum, quem Hibernensem fuisse, omnes quotquot remanent Historiæ veteres, omnia vestigia, omnes ipsorum Cambrorum traditiones manifeste demonstrant. Duæ extant Vitæ *Gildæ,* una per *Carodocum Lancarvanensem* Sæculo 12mo, altera ab Anonymo Bibliothecæ Floriacensis, edita per *Johannem a Bosco* et Mabillonium. Ambo autem, et Giraldus, in Vita S. Davidis, *Gildam* Scotum faciunt, et filium Regis Scotorum; et omnes Codices, utcumque in aliis dissentiunt, in Gildæ tamen Scottica origine manifeste concordant. Beda quidem eum *Britannorum Historiographum* appellat. At inde non sequitur fuisse Britannum. Gibbonus Anglus dici posset Historiographus Romanorum, sed non inde sequeretur fuisse Romanum. In toto bis mille annorum, ut jam antea dixi, decursu, Historia Britan-

---

pro *Ceddæ* lege *Ceaddæ,* cum omnino diversi fuerint, unus nempe Londinensis alter Liccidfieldensis Episcopus. Hos tamen iterum confundit in *Ectypis* p.67, in Opere nempe MS. alias nunquam nimium laudando, servato in hac Bibliotheca Stowense. Confer Wanlei Catalog. p. 289.

(1) Archæol. p. 5, col. 1, Wanleus, et Hickesius, et Astle ibid.

(2) Harwood's Hist. of Litchfield pag. 107.

nica non nisi unum *Gildam* memorat, cujus Patriam et genus Smithus ignotum esse fatetur.(1) Historia autem Hibernica sexcentos.

Vox ipsa *Gildas* est nomen proprium Hibernicum, quod *Servum*, sive devotum significat et devinctum. Hinc nomina *Gilla-Patraic* servus Patricii, hodie *Gilpatrick*, *Gilla-Brighde* servus Brigidæ, hodie *Gilbret*, *Gilla-Easpuic* servus Episcopi, hodie *Gillespie*, *Gilla-Dia* servus Dei, hodie *Gildae*, *Gilla Muire* servus Mariæ, hodie *Gilmur*, *Gilla na Naomh ua Duin* servus sanctorum O'Dun, Poeta qui floruit anno 1160, *Gildas mac Liag* qui in vivis erat anno 1138, quo Codex IV Evangeliorum Hibernicus Harleianus exaratus est. *Gilla Kiarain* servus S. Kiarani Abbas Fovarensis anno 1163, *Gilla Moduda* Poeta qui scripsit Carmen adhuc in hac Stwowense servatum ante annum 1143, *Gilla-Christ* servus Christi hodie *Gilchrist*, &c.

Hæc nomina ubique in Hibernia vigent, populo Hibernico notissima usque in hodiernum diem, neque dubitandum quin, si Annales Hibernicos perquirere vellem, non pauciores numero quam mille *Gildas*, Episcopos, vel Sacerdotes, vel Scribas sive Amanuenses enumerare possem, ab adventu S. Patricii anno D. 432, ad usque adventum Henrici 2di anno D. 1172.

Gildæ Patria et genus.

Caradocus de Gilda inquit—" Ejus Pater *Nave* fuit *Rex Scottorum*."(2) Regestum Glastoniæ, cujus Excerpta quædam edidit Usserius, de eodem inquit—" Gildas Brittonum Historiographus fuit præcipuus, frater Hoelis

(1) Smith in nota ad Bed. ed. Cantabrigiæ 1723, p. 58, n. 17.

(2) Caradoc in Vita Gildæ c. 1, 2, 9, apud Capgravium, Mabillonium, Bollandum, et Usserium, et in Exemplari MS. Bodleiano Catalog. Tenison, pag. 8, ex Biblioth Regia fol. 9, itemque in Tinmuthensis Codice Lambethano.

Regis Scotiæ."(1)—Eadem habent Galfridus, Giraldus, et Priceus,(2) omnes scriptores Cambri, consentiuntque Vitæ veteres Gildæ, editæ ex diversis Codicibus tam exteris quam domesticis a Capgravio, Bollando, et Mabillonio. Non fuit ergo *Gildas* genere Brito, sed Hibernensis; neque ullatenus probabile est, Cambrorum Scriptores vetustissimum omnium Britonum qui de rebus Britannicis scripsere, a Britonum Albo exclusuros; neque credibile videtur, Gildam ipsum, si Brito fuisset, tam acriter in suos scripturum his verbis, " Sacerdotes habent Britanni, sed *insipientes, impudentes, raptores, subdolos, lupos* " *ovinis pellibus;* Reges habet, sed *Tyrannos; Judices impios;* nec *Britanni sunt* " *in bello fortes, nec in pace fideles.*"(3)—Subveniant quæ jam dicta sunt, neminem esse in tota Britannorum Historia memoratum, qui *Gildæ* nomen præseferat, nisi hunc unicum; cum mille sint Hiberni, qui eo nomine omni ævo celebres fuere, ab adventu Patricii usque in hodiernum diem.

Ex Adamnano præterea intelligimus, non solum nomen proprium *Gildæ* Hibernicum esse, verum et nomen proprium Patris ejus *Nave,* vel *Navis.* De S. Columba enim inquit, matrem ejus fuisse *Ethneam,* "cujus Pater Latine filius *Navis* dici potest, Scotica vero lingua *Mac Nave.*"(4)—Nomen quidem hoc corrupte legitur *Nau* in Caradoci MS. Codice apud Usser. sed in Codice quo usus est Balæus, Cent. 2, c. 87, legitur *Navus,* et nemo non videt, nomen esse idem quod usque hodie viget in Hibernia *Mac Navin,* et *Mac Nevin.*

Usserius *Navum* Gildæ Patrem, a Caradoco memoratum, eundem esse conjicit quem Adamnanus scribit Avum fuisse S. Columbæ,(5) quod quidem

---

(1) Regest. Glast. apud Usser. Primord p. 676, et 677. Confer p. 468, et 907.
(2) Giraldus in Vita Davidis. Priceus Hist. Brit. pag. 121.
(3) Gale XV scriptores t. 3, p. 10 et 31, Stillingfl. Antiq, p. 207.
(4) Adamn. de Vita Columbæ Præf. 2, in Triade pag. 337.
(5) Usser. Primord. p. 1131, et in Indice Chronol. ad ann. 522.

probabile videtur, non solum ex eo quod temporum rationes conveniunt, verum ideo etiam, quod, communi omnium veterum consensu, tam *Columba* quam *Gildas*, "*Regio* et *Scottico sanguine*," orti narrantur.(1)

Narrant præterea Vitæ veteres *S. Brigidæ* Kildarensis, et *S. Finiani* Cluanirardensis, et *S. Brendani* filii Finlogæ,(2) et Catalogus vetus Sanctorum Hiberniæ, ex *vetustissimo* Codice editus ab Usserio et Flemingo,(3) hos omnes cum Gilda coævos fuisse, et mutua caritate invicem familiariter egisse, ineunte Sæculo VIto. Hæc omnia, ex diversis Codicibus vetustis in unum collata, et ex diversis scriptoribus antiquis, hinc inde forte dissentientibus, in hac autem Historica veritate uno ore consentientibus, certitudinem pariunt Historicam, quæ non nisi aliis vetustioribus in medium allatis refelli, nec nisi validissimis de causis, ullo jure, a quovis cordato viro oppugnari, vel ulla sanioris Criticæ regula denegari valebit, præsertim cum, non solum in vetusto Breviario Nannetensi, *Gildas* genere Hibernensis fuisse dicatur, sed etiam in vetustissimis Hibernorum scriptis traditionibus, servatis in Martyrologio Tamlactense, in quo, ad *IV Kal. Jan.* i. e. ad diem 29 Januarii, obitus *S. Gildæ Sapientis et Episcopi* consignatus habetur.—*Mailocus* etiam frater ejus, in vetusto Codice Floriacense memoratus, is esse videtur S. Brendani Hibernensis Discipulus, de quo vetusta Martyrologia Hibernica Mariani Gormani, Tamlactense, Dungallense, et Usuardus auctus, ad diem 25 Junii, inquiunt Episcopum fuisse et Confessorem, a quo forte oppidum *Kilmallock* in Hibernia nominatur.

Caradocus insuper *Gildam* studuisse narrat, *inter suates*, i. e. inter Scotos,

---

(1) Ita Adamnanus, in cujus Operibus, *Scotia* est semper et ubique Hibernia; ut Lacus *Ce* in *Scotia*, Flumen quod *Scoticè* dicitur *Boin* in Scotia, Monasterium Derrense in *Scotia*, Lacus *Feabhail* in Scotia, &c. Confer Usser. Primord. p. 729 ad 734.

(2) Apud Usser. Primord. p. 912 et 1120.

(3) Usser. Ibid. p. 914. Collectanea Sacr. p. 430.

in *Artibus septem*,(1) et studia rexisse *in Hibernia, in Civitate Ardmachana*, et deinde venisse ex Hibernia Britanniam, ubi, cognito ejus adventu, "*Cadocus* Abbas Nancarbanensis Ecclesiæ rogavit eum, ut regeret studium "Scholarium per anni spatium, (annum circiter 508,) et rogatus rexit utilli-"mum, nulla mercede accepta a Scholaribus, præter orationes Cleri et Scho-"larium, *ubi ipsemet scripsit Opus IV Evangeliorum, quod adhuc remanet in* "*Ecclesia S. Cadoci*, auro et argento undique co-opertum..... Tenent Wal-"lenses Indigenæ illud volumen pretiosissimum in conjurationibus suis, nec "audent aperire ad videndum, nec confirmant pacem et amicitiam inter in-"imicos, nisi illud affuerit imprimis appositum."(2)

Ex his omnibus sequitur primo, errare eos qui, cum Wanleo et Astleo, asserunt Codicem hunc Ecclesiæ Liccidfieldensi traditum fuisse servandum anno 1020.(3) Floruit enim Caradocus anno 1157,(4) quo adhuc in *S. Cadoci* Ecclesia servatum fuisse testatur.—Sequitur secundo, G*ildam* ab ipsis Cam-

---

(1) Vide quæ de septem Artibus Liberalibus Hibernorum veterum dicta sunt ex Aldhelmi Epistola ad Eadfridum ex Hibernia reducem, itemque ex Martiano Capella, Johanne Rossio Warwicense, aliisque, in Annal. Ult. Annot. pag. 168.

(2) Caradoc. ib. c. 14, et apud Usser. Primord. p. 468, 676, 678, 679, et 859. Confer Vitam Cadoci veterem in Tinmouthensis Codice Lambethano, in quo hæc habentur "Rediens Cadocus ad "Monasterium suum invenit Gildam, Nobilem Scholasticum, cum pulcherrima quadam campanula "*de Hibernia illuc advenisse*," &c. Confer Waræi de Script. Hib. l. 1, c. 14.

(3) Astle ib. p. 100. Lhwyd Archæol. p. 5, Wanlei Catal. et Astle Ectypa in Biblioth. Stow. fol. 67. "Ever since the year 1020 this MS. hath belonged to the Church of Litchfield, "which being dedicated to *S. Cedd* (lege *Ceadd*) it hath thence taken the name of Textus "*S. Cedd* (lege *Ceadd.*) It is in large round Saxon, or English characters, and reckoned "above 1000 years old. Wanley Catalog. Libror. Sept. p. 289. In the margin are several "annotations, partly in Latin, partly in Saxon, and some in old British or Welch, the latter "Mr. Edw. Lhwyd judges of about 900 years standing, and one of the most ancient specimens of "that language, Archæol. p. 5. This MS. contains the Gospels of S. Matthew, S. Mark, and the be-"ginning of S. Luke."

(4) Powel's Carodoc Lond, 8vo. 1679, et 1702, Præf.

bris, non Cambrensis sed Scotticæ originis habitum fuisse, ac proinde non *Britannicis*, sed Scotticis, sive Hibernicis characteribus exaratum esse Codicem a Gilda scriptum, necessario fatendum erit, idque ante annum 570, quo Gildas in Annalibus Hibernicis obiisse narratur. Annos quidem aliter supputant alii, at non longe diversos; in Armoricam enim pervenisse, et Monasterium *Ruyense* ibi, ad maris prospectum, in Diæcesi Venetense condidisse, annum circiter 538, narrant Annales Benedictini; et post decem annos quam ex Patria recesserat, librum *De Excidio* scripsisse, eo anno quo Constantinus Damnoniæ Rex duos pueros Regios, eorumque nutritores, inter sacrosancta Altaria mactavit; anno nempe post obsidionem Badonicam 44, quam obsidionem in annum 484 incidisse demonstrat Mabillonius.(1)

Neque solum ex dictis, *Ceaddæ* Codicem Hibernicis characteribus scriptum esse sequeretur, verum vel inde præcipue, quod characteres *Textus* valde diversi sint tam a marginalibus *Britannicis*, a mille annis exaratis, testante Lhwydo, quam ab interlineatis *Saxonicis*, ab 800 annis exaratis, uti fatentur Wanleus et Astle; et quod iidem characteres, iisdem fatentibus, conveniant cum characteribus Textus *Rushworthiani*, scripti a *Mac Regol* Abbate Monasterii Hibernici *Birrensis* A. D. 820; quod et de Codice vulgo dicto *S. Cuthberti* pariter fatendum esse declarant.(2)—Iam vero quæ conveniunt

(1) Sæc. 2, Bened. p. 139 et 144. Obsessionem Badonicam in annum 520 referunt Matthæus Westmon. Priceus in Hist. Britan. p. 121, et Usser. in Ind. Chronol. ann. 520.—Gildas ipse in Prologo indicat se librum de Excidio scripsisse anno x post ejus adventum in Armoricam. Usserius scribit annum istum fuisse D. 564, quia Prælium Badonicum gestum fuit anno 520, juxta Matheum Westmon. et Annales Cambro-Britannicos apud Usser. p. 401, et Taliesinum ibid. p. 476, 477, et 904, Mabillonii autem rationibus adhærendum esse, indicant plura quæ impræsentiarum omittere prolixitas jam nimia persuadet. Vide Annal. Bened. t. 1, p. 151.

(2) Astle Origin of Writing, pag. 99. "Mr. Wanley says that the Rushworth Code is little "inferior in age to the Litchfield MS. or to S. Cuthbert's Gospels, Nero D. IV. The square or "angular capital letters, are very similar to those which appear in the Litchfield MS."

uni tertio conveniunt inter se. Ergo hi tres Codices, quorum unus procul dubio Hibernicus est, inter vetustiores Hibernicos numerandi sunt, quos Anglo-saxones Nordanhymbri ex Hibernia in Angliam transferre,(1) vel quos Hibernici Præceptores Anglo-saxonicis Scholaribus *gratis* donare solebant,(2) vel saltem quos in Scholis Hibernorum Nordanhymbricis, Monachi Hiberni eorumque Discipuli scribere assueti erant, ut ex ipsorum characterum speciminibus manifeste patebit, juxta dicta in Prolegomenis pag. clxxx.

Quæ de characteribus *Britannicis* a Saxonis usitatis nonnulli asserunt, merito denegant ipsi Saxones; neque enim aliquid unquam commune fuit inter Saxones et Britones, qui ab ipsissimo initio, ab invicem inextinguibili odio abhorrebant, ut Regius Historicus Ælfredus vehementissime testatur.(3) Nihil itaque a Britonis mutuati sunt Saxones; non ita vero ab Hibernis, a quibus *prima* literarum Nordanhymbrensium Epocha procul dubio derivanda est.(4) Primæ hujus Epochæ nihil extare *lingua Saxonica* scriptum, non ego tantum, verum et doctissimi Scriptores Angli opinantur; quod enim edidit Junius *Cædmonis* Opus Paraphrasticum supposititium esse, indicant verba *Dano-Saxonica*, a puriori *Anglo-Saxonica* dialecto aliena, et

(1) Bed. l. 1, c. 1.

(2) Bed. ut supra p. v.

(3) Apud Hicks Thesaur. in Gram. Anglosax. p. 58, et in Ælfredi Versione Bedæ l. 2, c. 2, p. 114, Cantabr. 1644.

(4) Pro tribus linguæ Saxonicæ Epochis, totidem dialectos statuendos esse censet Hickesius; *prima* ab adventu Saxonum, annum circiter 449, ad adventum Danorum, spatio annorum 337. "Sed "cum, proh dolor, nulla istius ævi literaria monumenta, neque membranis inscripta, negue lignis "saxisve incisa extant, quæ scio, præter veri *Cædmonis* fragmentum quod in libro iv, c. 24, Bedæ "Regia versione extat, et *forsan* Harmoniam Evangeliorum Cottonianam, Poetice et paraphrastice "scriptam, de hoc quod Britannico-Saxonicum dicendum esset idiomate, *nihil plane habemus dicere.*" Hicks Gram. Anglo-Saxon. in Thesaur. p. 88.—*Secundæ* Epochæ refero omnes quotquot extant Codices lingua Saxonica scriptos, literis enim Gallicanis intermixti sunt.

orthographia barbara Sæculi X, quæ in *Kalendario* Saxonico istius ævi, et in fragmento Historiæ *Iudith* Saxonico, et in *Chronico Saxonico* Gibsoni ad annos 938, et 979, unum eundemque stylum ac genium ita sapiunt, ut Hickesius ea omnia ejusdem esse Sæculi, exeuntis nempe millesimi, asserere non dubitarit.(1) At, plura extant istius ævi, a Saxonicis Hibernorum discipulis *Latine* scripta, quæ characteribus Hibernicis similimis scripta esse notavit Camdenus, ut supra pag. c. Gibson's Camden, Lond. 1722, vol. 2, p. 1318.

Ex Beda patet consuetudines Hibernicos in Ecclesiis omnibus Berniciorum et Deirorum, imo vero in omnibus a *Ceadda* conditis, a *Ceddi*, *Tuda*, et *Diuma*, reliquisque Aidani, Finani, et Colmani Discipulis, ubique viguisse, ut supra demonstravi.— " Quæ ab origine instituta erat a *Colmano* regiminis forma, inquit *Smith*, ea in Dunelmensi etiam quæ successit retenta est."(2) —Quod autem de Dunelmensi, id et de Liccidfieldensi æquo jure dicendum est. Ante *Ceaddam* enim, qui primus sedem ibi constituit, Episcopos habuit Diæcesis ista primo *Diumam* Hibernensem, deinde *Ceollach* sive Celestium pariter Hibernensem, tertio et quarto *Trumhere* et *Iaruman*, Anglos quidem patria, sed ab Hibernis

---

(1) Vide " Cædmonis Monachi Paraphrasis Poetica Genesios, &c. abhinc annos 1070 Anglo-" Saxonice conscripta, et nunc primum edita a Fr. Junio." Confer Opus Hibernicum *Ængusii Colidæi*, scriptum procul dubio ante ann. 850, de eodem argumento, in Codice Bodl. Laud. F. 95, quod Operi huic Saxonico materiam et originem præbuisse, ipsa argumenti ratio persuadet. Vide notitiam Codicis Bodl. Laud. F. 95 infra. Confer etiam Hickes. Gram. Angl. Sax. ib. p. 133.—Chronicon Saxonicum partim transcripsit, partim composuit Monachus Petroburgensis, sive Hugo Candidus, alias *White*, qui floruit anno 1130, sive Robertus Swapham, qui postea in eodem Monasterio floruit anno 1245, sive quis alius fratrum, qui Saxonicam Scripturam in nonnullis immutavit; nec mirum cum, Ingulpho teste, " modus scribendi Anglicus, i. e. *Saxonicus*, Gulielmo I regnante omitteretur et modus Gallicus, i. e. Gallico-Normannicus, in Chartis et libris ***omnibus*** admitteretur." Imo manus Saxonica tunc temporis, eodem auctore, (p. 85) " ***inusitata*** "***penitus, et invisa, ac maxime*** cum gente sua contemptui habita, et nimium inacceptata erat." Ingulph. Hist. Croyland Oxon. p. 71, et 85.

(2) Smith in not. 1, ad Bed. l. 3, c. 26, ed. Cantabr. 1722, p. 135.

eruditos et ordinatos Episcopos,(1) et quinto *Ceaddam*, qui Hibernorum consuetudines, juxta *Aidani* morem, usque ad ipsam senectam, etiam in minimis sequi gloriabatur.(2)

Non modo tres primi Episcopi Lindisfarnenses erant genere Hiberni, verum etiam *quinque* qui subsequti sunt, erant Hibernorum discipuli. Suscepit enim pro *Colmano* Pontificatum Nordanhymbrorum *Tuda*, quartus Episcopus,(3) qui, testante Beda, "erat apud *Scottos Austrinos* (i. e. in Momonia) eruditus, "atque ordinatus Episcopus, habens, *juxta morem Provinciæ illius*, tonsuram, "et Catholicam temporis Paschalis regulam observans, quam gentes Sco- "torum, qui in Australibus Hiberniæ Insulæ partibus morabantur, *jamdudum* "ad admonitionem Apostolicæ sedis Antistitis observare didicerunt."(4) *Tudæ* defuncto anno 664, successit *Eata* Abbas *Mailrosensis*, qui unus erat e "*duodecim pueris Aidani*, quos primo Episcopatus sui tempore, de natione Ang-

(1) Bed. ib. c. 21, 24, et 30, et l. 4, c. 3.—Una erat ab origine Diæcesis Merciorum et Mediterraneorum Anglorum, quorum primus Episcopus erat *Diuma* Hibernus, a *Finano* Hiberno consecratus, qui postquam *plurimos* ad fidem convertisset, obiit apud *Feppingum*, hodie *Reppington* in Derbyshire. Ei successit *Ceollach*, Deinde *Trumhere*, ab Hibernis pariter, regnante *Wulfhere*, consecratus, Bed. l. 3, c. 21, et 24.—Beda, qui annorum erat 59 cum Historiam suam absolveret anno 731, ac proinde natus est anno 673, Trumberhto *Ceaddæ* Discipulo traditus fuit erudiendus anno 680, ut ipse testatur l. 4, c. 3, et l. 3, c. 28, et Annal. Benedict. t. 1, p. 556. Confer Historiæ Bedæ Epitomen cum Poeta coævo apud Mabillon. Acta Benedictinor. t. 4, p. 562. Atqui *Ceadda*, unus ex *duodecim Aidani Discipulis* prædilectis, *iisdem actibus ac moribus* suos instituit auditores juxta mores *Aidani*, quibus frater ejus *Cedd* suos instituere solebat. Bed. l. 3, c. 26, p. 134.

(2) Bed. ib. l. 3, c. 23, 28, et l. 4, c. 3, ed. Cantabr. p. 144

(3) "Reverso autem Patriam Colmano, anno Incarnationis 664, qui fuit annus Oswii Regis 22, "Episcopatus autem Scottorum quem gesserunt in Provincia Anglorum, *annus tricesimus;* siquidem "*Aidan* xvii *annis*, *Finan* x, et Colman IIIbus Episcopatum tenuere, suscepit pro illo Pontificatum "Nordanhymbrorum famulus Christi *Tuda*, &c. Bed. l. 3, c. 26, 27.

(4) Bedæ l. 3, c. 26, p. 134, cum c. 3, p. 105, c. 25. Confer Episcopor. Lindisfarn. Catalog. apud Leland Collectanea t. 2, p. 327 et 365. Item Monasticon Angl. t. 1,

"glorum erudiendos in Christo accepit."(1) Nordanhymbria tunc temporis in duos Episcopatus divisa fuit, *Eboracensem* Deirorum, cui primus præfuit *Ceadda*, ut supra pag. cxciv, et *Lindisfarnensem* Berniciorum, cui præfuit *Eata;* ambo ab Hibernis educati, idque non solum in Schola Lindisfarnense Aidani, verum etiam in ipsa Hibernia, ubi *Ceadda*, æque ac *Tuda* et *Eata*, Beda referente, eruditus est.(2)

Cuthberti Patria et genus, et Codex Hibernicis characteribus scriptus.

Eatæ successit in sede Lindisfarnense *Nulluh-oc*, Saxonice dictus *Cuthbertus*, cujus Patriam et genus, Beda consulto, et præ verecundia, prætermisisse videtur. Vetus enim Auctor apud Capgravium, et Tinmuthensem, qui nihil de Cuthberto narraret, nisi plane notum, quod ejus cultui et venerationi apud rude vulgus officeret, Monachus enim erat Dunelmensis anni 1160, ejus matrem vi oppressam eum genuisse, et origine *Hibernensem* fuisse declarat. Et ipse quidem Beda, in præfatione ad Vitam Cuthberti prosaicam, se quædam emendasse, et quædam *omisisse* inquit, de eis quæ antea de Cuthberto narraverat,(3) inter quæ ea quæ parentelam ejus respiciunt recensenda videntur; nam in aliis Sanctorum vitis quorum gesta descripsit, et genus et Patriam imprimis enarrata conspicimus; et Bedam de

(1) Bed. ib. l. 3, c. 26, p. 135. Errat Dugdaleus in Monastico Angl. dicens *Eatam* fuisse Abbatem tantum, sed non Episcopum Lindisfarniæ, t. 1, p. 39. Beda enim expressis verbis inquit, "Ipse "est *Eata* qui non multo post eidem Ecclesiæ Lindisfarnensi Episcopus factus est." ib.

(2) Bed. l. 3, c. 26, Confer Annal. Bened. t. 1, p. 478.—" Oswius Rex a Scottis eruditus ac baptizatus, illorum maxime doctrinam probabat, et servum Dei *Ceaddam* accersivit *ex Hibernia*."

(3) "At, digesto opusculo, sed *adhuc in Schedulis retento*, frequenter et Rev. Patri *Herefrido* "Presbytero huc adventanti, et *aliis* quæ scripsi legenda, atque ex tempore præstiti *retractanda*, "ac nonnulla ad arbitrium, prout videbantur, sedulo *emendavi*." Bed. Præf. ad Vitam Cuthberti.

Cuthberti parentela et patria scripsisse, non obscure indicat auctor prædictus apud Capgravium, qui se omnia quæ de Cuthberto narrat, usque ad caput 49 ex Bedæ Scriptis hausisse declarat.(1) Atqui auctor iste narrat, filium fuisse Reguli Hibernensis, ex *Sabha* uxore Murcertachi filii Ercæ Regis Hiberniæ, et nomen ejus fuisse lingua Patria *Nulluh-oc*, antequam *Cuthbertus* diceretur.

Narrationem hanc confirmat vox ipsa *Cuthbertus*, quæ non nomen proprium est, sed cognomen Saxonicum, quod *Deo dignum* significat, ut recte notavit Butlerus.(2)—Errant itaque qui in Orientali recentioris Scotiæ regione Cuthbertum natum fuisse asserunt; idque, ut aiunt, ex Beda, qui tamen et genus, et Patriam ejus, penitus et consulto omittit.—Omnes quidem Angli, qui ad nostram usque ætatem, de S. Cuthberti patria mentionem fecerunt, unanimi consensu, et sine controversia, *Hibernensem* fuisse contestantur; uti *Godwinus* de Præsul. Anglicanis, in Catalogo Episcoporum Lindisfarnensium, *Martyrologium Anglicanum*, *Johannes Major* in Hist. Scotor. l. 2, c. 12, *Gesnerus* in Bibliotheca, *Waræus* in libro de scriptoribus Hiberniæ l. 1, c. 3, et *Usserus* in Primordiis, p. 945.

Puer, Mailrosense S. Aidani Monasterium petiit annum circiter 651,(3) ubi sub *Eata* Abbate, Hibernorum ritu degente, *Boisilo* Præceptore educatus est. Eo in Monasterio usus est Evangelii S. Johannis Codice, qui *septem quaternionibus* constabat;(4) quod ideo notandum puto, quia usque hodie circumfertur Codex, qui idem esse dicitur a Beda memoratus, et in S.

(1) Auctor hic Dunelmensis Vitæ Cuthberti apud Capgravium, c. 52, inquit " *usque hunc locum* " *scripsit Beda venerabilis Vitam S. Cuthberti.*"—Attamen in editis Bedæ editionibus, nihil habetur ex eis, quæ Auctor hic vetus narrat octo prioribus capitibus, vel c. 24, 25, 35, 36, et 37.

(2) Butler's Lives, March 20, p. 223. Dublin 1779. Consentit Beda—" Ab ineunte adolescentia " Monachicum et *nomen* assumpsit et habitum." Bed. l. 4, c. 27.

(3) Eodem nempe anno quo Aidanus obiit. Bed. Hist. l. 3, c. 26, l. 4, c. 27, et V. Cuthb. c. 4.

(4) Bed. in V. Cuthb. c. 8.

Cuthberti tumulo inventus.(1) Sed si pluribus constat quam septem quaternionibus, is esse nequit cujus meminit Beda.(2)

Post annos 13 quam in Mailrosensi Hibernorum Monasterio vitam Monasticam professus erat, ab Abbate suo *Eata* in Monasterium Lindisfarnense, quod idem Abbas regebat, translatus est anno 664, ibique exactis *annis* 12, in Farnem Insulam contiguam, Anachoreticam vitam Hibernorum more ducturus, secessit anno 676. Anno deinde *nono*, C. 685, ad Episcopatum Hagulstadensem pro Trumbherto exauctorato electus est; sed quoniam Lindisfarnensi in qua

---

(1) " A copy of S. John's Gospel, which, after the example of his master S. Boisil, he often read, was put into his coffin when he was buried, and found in his tomb. It is now in the possession of Mr. Thomas Philips, Canon of the Church of Tongres, on whom the present Earl of Litchfield bestowed it. This copy is judged undoubtedly genuine by our ablest Protestant antiquaries, who carefully examined it." Butler's Lives, March 20, p. 228.—Id tamen in dubium revocare me cogunt, quod piaculo esset, nisi persecutione urgente, sacrosancta Evangelia sepelire;—2do quod corpus S. Cuthberti e tumulo suo Lindisfarnensi elevatum fuerit, anno undecimo post obitum ejus, anno nempe 697, et quod Auctores qui ejus elevationem memorant silent de Codice. Bed. Hist. l. 4, c. 30.—3tio quod idem Corpus postea in alia theca lapidea repositum fuerit, in eadem S. Petri Ecclesia Lindisfarnensi, et quod de eo sileant deinde Historici omnes usque ad Gulielmum Malmesb. qui, *nulla facta de Codice mentione*, inventum fuisse inquit, *cum vestibus omnibus, et Calice*, in Dunelmensi, anno abinde 415. Pontif. Angl. l. 4,—5to. quod Danis grassantibus translatum fuerit e Lindisfarnia ad varia loca ignota, et demum ad quemdem collem a flumine Were pene circumseptum, ubi Aldhunus Lindisfarnensis Episcopus Ecclesiam condidit, et sedem Episcopalem transtulit anno 995, —6to. quod Scrinium S. Cuthberti ibi repositum, regnante Henrico VIII destructum fuit.

(2) Auctor Vitæ Cuthberti editæ a Capgravio inquit c. 55, Corpus Cuthberti regnante Alfredo, et Danis grassantibus, in *Hiberniam* translatum fuisse anno 875, " et dum navis in latere verteretur, cadens ex ea *textus Evangeliorum*, in maris ferebatur profundum. Sed revelante S. Cuthberto postmodum inveniunt." Hujus autem miraculi fidem penes Auctorem relinquo. Beda in Martyrologio, *nulla facta de Codice mentione*, inquit—" S. Cuthberti Corpus, anno *undecimo* post obitum, incorruptum, *simul cum veste* qua tegebatur, est inventum." Silent pariter de *Codice* Ado, Usuardus, Rhabanus, et Martyrologia vetera Hibernica. Imo et Martyrologium Anglicanum ad diem xx Martii. Periere ni fallor Vitæ Cuthberti Hibernicæ, Auctoribus *Eoganio* Ardmorense Episcopo circa ann. 1100, et Mathæo Hæneo Casselense circa ann. 1200, de quibus Waræus in Script. Hibern. l. 1, c. 8, et 9. Anonymus Anglus qui, circa ann. 1160, Vitam Cuthberti scripsit *ex Hystoriis Hibernensium*, Usser. Primord. p. 945, is est cujus verba adduxi.

conversatus fuerat Ecclesiæ præfici maluit, placuit ut ejus regimen susciperet loco Eatæ Episcopi, Abbatis quondam sui, qui ad sedem Hagulstadensem eodem anno reversus est.

Hæc evenere postquam *Abbanus,* Monachus Hibernus, *Abbandunense* Monasterium ad Tamesium fluvium condidisset, notantibus Mabillonio,(1) et tribus vetustis Codicibus Hibernicis apud Colganum, in quibus Auctor qui ante nongintos annos floruit id asserit;(2) et postquam *Maildulfus,* similiter Hibernus, Monasterium Malmesburiense instituisset, ubi Scholares Anglo-saxonicos *turmatim* confluentes erudivit,(3) inter quos Aldhelmus *primis literarum* et *Religionis* Christi rudimentis ab eodem Magistro informatus est;(4) et postquam tota fere Scotia hodierna Monachis Hibernensibus, ibi fidem prædicantibus, in Religionis Christianæ ritibus subjecit.(5)

Quid ergo mirum si Codex *Ceaddæ* characteribus Hibernicis scriptus fuerit, sive a *Gilda* fuerit scriptus, sive a *Ceadda,* sive a *Cuthberto,* sive a quovis alio Monacho Hibernense aut Nordanhymbro Sæculi septimi, qui non aliis characteribus scripsisse putandi sunt, quam iis quos ex Magistrorum Hibernensium Scholis receperunt?

---

(1) Annal. Bened. t. 1, p. 536, Monast. in Angl. t. 1, p. 97.

(2) Acta p. 621. Confer Hist. Ecclesiæ Abbendonensis MS. Saxon. Cotton. c. 9.

(3) Bed. Hist. l. 5, c. 19, Annal. Bened. ib. p. 524. Monast. Angl. t. 1.

(4) Aldhelmi Epist. ad *Cellanum* Monachum Hibernensem, qui in Perronensi S. Fursæi Monasterio degebat. Annal. Bened. ib. p. 524, et apud Wilelm. Malmesb. de gestis Aldhelmi, ubi et aliam Epistolam Cellani ad Aldhelmum memorat, his verbis "*Aldhelmo Archemandritæ Saxonum, Cellanus in Hibernensi Insula natus, in extremo Francorum latens angulo exsul,* (Perronæ) *ad locum ubi S. Furseus in sancto et integro pausat corpore.*—*Cellanus* in hac Epistola ab Aldhelmo postulat quosdem ejus sermones, cui respondet Aldhelmus mirari se, quod se tantillum homunculum de famoso et florigero Francorum rure interpellet.

(5) "The Culdees were, from Columba's time to the eleventh Century, the only Monks and "Clergy in Scotland, and *all Irish,* as formerly shewn." Pinkerton Scotl. Lond. 1789, vol. 2, p. 273.

Cuthberto defuncto anno 687, successit anno uno *Wilfridus* Eborasencis, donec eligeretur qui pro eo Antistes ordinari deberet. Ordinatus est autem post hæc *Eadberct* anno 688, in Hibernorum Schola Lindisfarnense pariter educatus; eique successit *Eadfridus* ille, cui Beda Vitam Cuthberti dedicavit. Rexit is Ecclesiam Lindisfarnensem ab anno 698 ad annum usque 720,(1) et is est qui Evangeliorum Codicem, Textum *S. Cuthberti* appellatum, in Biblioth. Cotton. Nero D. IV, descripsisse dicitur ante ann. 721.(2)

Iam vero mirandum esset, si ii qui *nihil melius autumabant* quam quod inter primos eorum Magistros Hibernos viderant esse in usu, qui etiam *linguam Hibernicam ediscere*,(3) et Codices non Saxonicos sed *Hibernicos* legere,(4) et Codices Hibernicos ex Hibernia in Britanniam transferre solebant,(5) characteres alios sibi eligerent, quam quos inter Hibernos

(1) Bed. Hist. l. 4, c. 29, 30, et in Vita Prosaica Cuthberti c. 40 et 43, et Malmesb. de Pontific. Lindisf. Item Wigorn. et Wheloc. in Catalogo Episcopor. Lindisfarn. ad calcem Bedæ p. 569.

(2) Primus qui hunc Codicem ab *Eadfrido* scriptum fuisse tradit, est *Alfredus* Episcopus Dunelmensis ab anno 946 ad ann. 968, qui in nota Saxonice scripta, ad Calcem Evangelii S. Johannis id asserit, et præterea subjungit, literas Initiales, et 4 Evangelistarum figuras, quæ in hoc Codice conspiciuntur, aliaque ornamenta, miniatis coloribus depicta fuisse per *S. Ethewaldum*, qui *Eadfrido* successit ab anno 721 usque ad ann. 737, ut in Codice ipso, et in Wanlæi Catalog. p. 252.

(3) " Misit Oswaldus ad Majores natu Scotorum, inter quos exulans ipse baptismatis Sacramenta, " cum his qui secum erant militibus, consecutus erat, petens ut sibi mitteretur Antistes, cujus doc- " trina ac ministerio, gens quam regebat Anglorum, Dominicæ fidei et dona disceret, et susciperet " Sacramenta.... Veniente igitur ad se Episcopo Aidano, pulcherrimo *sæpe* spectaculo contigit, ut " evangelizante Antistite, qui *Anglorum linguam* perfecte non noverat, ipse Rex suis Ducibus ac " Ministris *Interpres* verbi existeret Cœlestis, quia nimirum, tam longo exilii sui tempore, *linguam* " *Scotorum jam plene* didicerat. Exinde cæpere plures per dies de Scottorum regione venire " Britanniam. Imbuebantur parvuli, &c." l. 3, c. 3. Vide plura supra p. v, xxviii, cxxxi, cxxxvi, cxlvii, clv, clvi, et seq. item clxxv et seq. Confer Annal. Ult. ad ann. 666, IV Mag. Annal. ann. 667 et 674, et Usser. Primord. p. 964, cum Bed. l. 3, c. 5, et 26.

(4) Vide supra p. v, et Rapin. Hist. fol. Lond. 1732, p. 80, et loca jam memorata not. 4.

(5) Bed. l. 1, c. 1.

didicerunt, qui Codices *gratis* inter eos distribuere, et *magisterium gratuitum* conferre, studio nunquam nimium laudando gloriabantur; præsertim cum nullos antea characteres habuerint Bernicii, nec *ullum fidei Christianæ signum*, priusquam *Aidanus* et Monachi Hiberni, ab *Oswaldo* ad fidem prædicandam invitati, pervenirent.(1)

Adamnanus Legatus ab Hiberniæ Rege ad Aldfridum missus anno 686, nullum ei donum, Regio ejus animo magis gratum, aut Hibernorum in Aldfridum benevolentia dignius offerendum putavit, quam Opus suum *de Locis Sanctis*, Hibernicis certe characteribus exaratum, quod Beda postea compendiose in Ecclesiasticæ suæ Historiæ Appendice vulgavit,(2) quodque Aldfridus, cum esset et ipse inter Hibernos, *diuturna* in Hibernia conversatione educatus, gratulanter accipiens, Adamnanum, donis plurimis cumulatum, in

---

(1) " Usque ad *Oswaldi* Regis tempora, tota illa Saxonia Gentilitatis et ignorantiæ tenebris obs- " curata erat, *excepto ipso Rege Oswaldo, cum duodecim viris,* qui cum eo, Scotos inter exulante, bap- " tizati sunt." Ita Adamnanus, qui ante Bedam scripsit, l. 1, c. 1. Eadem refert Beda, qui de Cruce ab Oswaldo erecto in Campo *Heofenfield* inquit. " *Nullum*, ut comperimus, *fidei Christianæ* " *signum*, nulla Ecclesia, nullum Altare, in tota Berniciorum gente erectum est, priusquam hoc S. " Crucis vexillum, novus militiæ ductor, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret." &c. l. 3, c. 2.—*Aebbe* Soror Oswii, a S. Aedano fide Christi imbuta, prima fuit Abbatissa *Coludensis*. Bed. l. 4, c. 19, p. 162, et in Vita Cuthberti c. 10, p. 237. Confer l. 3, c. 3, 5, et 26 cum Aebbæ Vita vetere apud Capgrave. *Aelfleda* ejusdem Regis filia, ab infantia in Monasterio Hibernorum Heruteuense, sub *Hilda* prima istius Monasterii Abbatissa, erudita est. Ib. l. 3, c. 24. " *Aedhilhun* magnæ indolis juvenis de nobilibus Anglorum, *Hiberniam* gratia legendi secesserat, et " *Aidiliuin* frater ejus, et ipse ævo sequente *Hiberniam* gratia legendi adiit, et bene instructus Pa- " triam rediit, atque Episcopus in Provincia *Lindissi* factus, multo Ecclesiam tempore nobilitavit. " Hi cum essent in Monasterio quod lingua Scotorum *Rathmelsigi* dicitur," &c. i. e. *Rath-mailsidhe* in Hibernia, Ib. l. 3, c. 27, p. 136. Confer Vetera Martyrologia in Actis SS. p. 793.

(2) Bed. l. 5, c. 16. Antiquus hujus Operis Codex extitit in Cottoniano *Tiberius D. v.* ut in Catalogo Smithiano. Alium valde antiquum edidit Mabillonius in Actis Bened. sæc. 3, part 2, p. 502. Tertius extat in Bibliotheca S. Germani a Pratis. *Nouv. Traite de Diplom.* t. 3, p. 65.

Aldfridus hic Oswii Nothus, is est qui " Peadæ Mediterraneorum Regi persuasit, ut a *Finano* " Episcopo, cum omnibus qui secum venerant comitibus ac militibus, eorumque famulis universis

Patriam remisit, ut in Prolegomenis, et in Annotationibus ad Annales Ultonienses, satis superque indicavi.(1)

Animadvertit quidem Hickesius, in Codice Litchfieldense inveniri literam IH, i.e. *M*, quam *Runicam* appellat.(2) Litera autem ista non alia est quam Uncialis quadrata, cujus specimina plura extant in Codice Hibernico S. Kiliani, et in Codice Hibernico Rushworthiano, scripto ab Abbate Birrense *Mac Regol,* qui obiit anno D. 820. Neque extat aliquid Runice in Codicibus scriptum ante Sæculum IX, neque quæ in saxis vel lignis incisæ erant ante ævum istum Runæ, quæque Magicis incantationibus inserviebant, ullatenus pro literarum elementis accipiendæ sunt.(3)

Non sunt itaque *Runicæ,* literæ istæ quadratæ, nec *Germanicæ,* aut *Franco-Theotiscæ,* quæ in Codice *Ceaddæ* leguntur, sed Hibernicæ, quarum specimina, ex *Kiliani* Codice Hibernico deprompta, edidere Benedictini *Nouveau Traite de Diplom.* t. 3, p. 117, ut ex ipsa literarum collatione patebit; neque aliis usi sunt characteribus Francones Christiani effecti, cum Germanice

---

" baptizaretur; unde Peada, acceptis a *Finano* quatuor Presbyteris, qui ad docendum baptizandum-" que gentem illius, et eruditione et vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Erant " autem Presbyteri *Cedd,* et *Adda,* et *Betti,* et *Diuma.*" Bed. l. 3, c. 21.—Idem Aldfridus *Inrhyphum* Hibernensibus Monachis ad Monasterium condendum donavit, ib. l. 5, c. 19.

(1) Vide Annal. Ult. ad ann. 702, et Annot. ad Sæculum VIII, ib. p. 120. Item Bed. in Vita prosaica Cuthberti c. 24, p. 248, et in ejusdem Vita Metrica c. 21, p. 280, et Adamnanum ipsum in Vita Columbæ, l. 1, c. 1.——Extat *Aldfrido* adscriptum *Carmen Hibernicum,* in Codice Stowense No. xvi, fol. 120, de quo vide Annal. Ult. p. 150.—" Aldfridus quia Nothus, ut dixi, fac-" tione Optimatum, quamvis senior, Regno indignus æstimatus, in *Hiberniam,* seu vi, seu indignatione " secesserat. Ibi ab odio Germani *Ecgbercti* tutus, et magno otio *literis imbutus,* omni Philoso-" phia composuerat animum. *Quocirca* Imperii habenis habiliorem æstimantes, qui quondam ex-" pulerant, ultro expetierunt." Malmesb. de Gest. Reg. l. 1, ed. Francof. 1701, in Scriptorib. post Bedam, p. 21. Eadem habet Smith in nota 8, p. 206 ad Bedam.

(2) Thesaur. Gram. Franco-Theot. p. 2.

(3) Antiquissimus qui extat Runice scriptus Codex is est ab Hickesio editus in Thesauro, cujus antiquitatem non ultra Sæculum XI procedere, ipse jure merito fatetur.

scriberent, quam cum Latine, ut specimina a Mabillonio edita indicant; Hibernicis nempe et Romanis, quos a Monachis Hibernensibus et Romanis Sæculo VII et VIII recepere.(1)

Carolus quidem Magnus S. Scripturas in Patrium sermonem verti jussit. Opus autem illud nemo exegit, ut patet ex Otfrido, qui usque ad sua tempora, linguam Theotiscam *barbaram, agrestem, indisciplinatam* vocat, *scriptuque difficilem,* et *insuetam* capi regulari fræno Grammaticæ artis,(2) et Codex antiquissimus Theotisce scriptus qui extat, is esse videtur Cottonianus, Caligula A 7, Evangeliorum nempe Harmonicus, Poeticus, et Paraphrasticus, cujus meminit Hickesius in Grammatica Franco Theotisca p. 6; nisi forte antiquior sit Codex Vindebonensis, ex quo Fragmentum aliud Poetico Paraphrasticum edidit Lambecius.(3)

Literis quadratis nihil antiquius in tota Calligraphiæ tam Græcæ quam Romanæ Historia invenitur.(4) Mabillonius Codicem invenit in Monasterio S. Salvatoris Bononiæ annorum 1200, scriptum literis quadratis;(5) neque in ullo specimine Runicarum hactenus edito, invenitur litera ista quad-

---

(1) Vide supra, p. xxi, et quæ de *Kiliani* Codice dicta sunt p. cxlvii.

(2) Otfridi Epist. ad Luitbertum Moguntiacensem Archiepiscopum, quam Rhythmicæ translationi Evangelior. præmisit, annum circiter 876, a Flacco Illyrico edita Basileæ 1571.

(3) Lambec. in Biblioth. Cæs. Vindeb. l. 2, c. 5, p. 383, ubi Codicem hunc circa Caroli Magni tempora vel paulo postea scriptum putat. Confer Hrabani Mauri Glossas Latino-Theoticas in Goldasti Rer. Aleman. t. 2, et inter Hrabani Opera, Coloniæ Agrippinæ 1627.

(4) "Viris doctis et illustribus hermas quadratas erigebant, addito Epigrammate *litera quadrata.* "Hinc Atticum illud τετραγωνος ανηρ vir quadratus, i. e. rectus, et ejusmodi hermis abundabat Athe-"narum civitas." Trotzius de prima scribendi Orig. p. 573.

(5) Iter. Ital. part. 1, p. 196. Item *Acta Apost.* annor 1200, Romæ ib. p. 67.

"Un des livres de S. Boniface, conserve' dans l' Abbaie de Fulde, fut ecrit en lettres carees, et "acheve l' an 547 par Victor Eveque de Capoue. Un MS. de Wirtzburg n est qu' en partie "ecrit en lettres carees. On en a forme un Alphabet deja publie par divers Auteurs." Schannat. Vindem. litter. p. 228. Nouveau Traite de Diplom. t. 2, p. 503.

rata HI, quæ in Codicibus prædictis Hibernicis et Hibernico-Nordanhymbricis sæpe recurrit; neque extant in iis Codicibus literæ Saxonicæ *lineis transversis* designatæ, quæ in Cantiorum, reliquorumque Australium Saxonum Chartis et Codicibus, atque etiam in sæquioris ævi Nordanhymbricis, post penitus expulsos e Nordanhymbria Monachos Hibernos, i. e. ab octavo Sæculo ineunte invaluere.(1)

Scripturæ Anglo-Saxonicæ, quæ ante Ælfredi Magni temporà in usu erat in Anglia, Specimina exhibet Hickesius ex diversis Codicibus, e quorum antiquioribus indicat Bibliothecæ Bodleianæ Codicem NE, D 19, folio 20 a, ubi brevis Historia, in miniatis hujus manus literis, de Alphabeto a quodam *Nemnino* Britanno invento, Latine scripta narratur; item fol. 22, a, et 23, a, et 24, ubi Excerpta ex Prophetarum libris *Græce*, literis Græcis Uncialibus, et *Latine*, in eadem antiqua manu Saxonica prædicta, duabus columnis parallelis exarata incipiunt.

Ejusdem Codicis meminit Wanleus, in Catalogo Londini 1703, p. 63, ubi se nescire inquit, utrum Alphabetum Nemnini sit *Britannicum* vel *Runicum*, et utrum plurima verba quæ in eodem Codice leguntur, sint Britannica *aut Hibernica!* et ea quæ Græce scripta sunt, non Græcis literis, sed *Latino-Græcis* exarata esse declarat.

Characteres *Græco-Latini*, vel *Latino-Græci*, de quibus agit hic Wanlæus, plane conveniunt cum characteribus Latino-Græcis a *Sedulio* Hibernico exaratis Sæculo nono, quorum meminere Benedictini in Opere *Nouveau Traite de Diplom.* t. 9, p. 463,(2) et quamvis plura in hoc Codice, et fere omnia,

(1) Has literas *Saxonis proprias* exhibent Spelmannus Concilior. t. 1, et Hickesiùs in Gram. Anglo-Saxon. p. 3, et 78, in Thesauro Oxon. 1705.

(2) " L' usage de distinguer les mots par des points, perseveroit encore au IX siecle chez les Grecs, " comme le preuve le *Pseautier* ecrit de la main de *Sedulius* Scottus, Palæopraph. Græca p. 237."—

Saxonicis characteribus scripta sint, non tamen inde sequitur, quædam folia quæ in eo extant, diversis characteribus exarata, non esse Hibernica. Continet enim Opuscula varia, diversis characteribus et diversis temporibus scripta, quorum antiquissima sunt illa memorata fol. 21, 22, 23, 24, et 37.

Iam vero in istis desunt litteræ Saxonis *propriæ*, quas supra memoravi; extant autem in cæteris, æque ac in Codice Evangeliorum Saxonice ante Conquestum scripto, N E. F. 3, 15, ad cujus Versionem instituta fuit prima editio Evangeliorum *Anglo-Sax.* cum Versione Anglica, Londini per Johannem Fox, sub auspiciis Rev. Viri D. Math. Parkeri Archiep. Cantuariensis anno 1571; cujus editionem nitidiorem postea emiserunt F. Junius, et T. Mareschallus, Dordrechti anno 1665; ubi plura de interlineari Saxonica Versione Codicis *Rushworthiani*, notatu digna observantur.

Extant porro literæ supra memoratæ, Anglo-Saxonis *propriæ*, in Charta genuina Ecclesiæ Cantuariensis venerandæ antiquitatis, *anni nempe 693*, quæ in Bibliotheca Stowense, cura nunquam nimium laudanda servatur;(1) itemque in Versione interlineari Saxonica Codicis eximii Stowensis, olim Peculii clarissimi Spelmanni, cui titulus *Psalterium Latino Saxonicum*, quod Ælfredi Magni Codex dicitur, de quo agit Vir doctus *Thomas Astle*, in Opere de *Origine Scribendi*, Lond. fol. 1803, p. 85, et Lond. 4to. 1784, p. 85.

Wanleus Codicem describit Bodleianum Hatton 88, in quarto fere quadrato scriptum, in quo continetur Liber Gregorii Papæ de Cura Pastorali, paraphrastice in linguam Saxonicam versus ab Ælfredo Magno, cujus scripturam id genus esse inquit, quæ in usu erat apud Anglo-saxones *temporibus*

De Sedulio hoc Hibernense vide Harris's Ware Dublin 1745, Irish writers p. 47, Binii Concil. t. 5, Usser. Primord. p. 780, ex Monacho San Gallense Hepidano, in Chron. ad ann. 818.

(1) Chartæ hujus meminit *Astle* de Orig. Scrib. Lond. 8vo. 1784, pag. 111, et Lond. fol. 1803, p. 111.—Omittit autem literam *Anglo-Saxonis* propriam, quæ potestatem habet literæ W, quæque in hac Charta, sed in nullo Codice Hibernico, scripta notatur.

priscis, antequam, regnante ipso Ælfredo, vetus scribendi ratio in novam mutari cæpit. Vetus autem illa hujusce Codicis scriptura duplex est; altera qua scriptæ sunt Præfationes Ælfredi Regis, quæ proxime accedunt ad manum vetustissimi Codicis Cottoniani, qui peculium Flegmundi fuisse dicitur; altera antiquitatis laude videtur certare cum Annalibus Anglo-Saxonicis Ecclesiæ C. Cantabrigiæ, quorum potissima pars scripta fuisse dicitur anno 891.(1)—Eadem antiqua manu scriptum est Psalterium Saxonicum, *Vossianum* dictum, in Bodleiano servatum. *Junius* 27, in quo extat Calendarium vetus, ubi notatur dies obitus Gildæ Sapientis, &c.

Atqui in his omnibus vetustissimis Codicibus, et Chartis Saxonicis, extant literæ istæ *transversis lineis* descriptæ, Anglo-saxonis *propriæ*, quæ in nullo Codice Hibernico inveniuntur, ut supra notavi.

Interiisse existimavi Opus *Chalcidii* MS. characteribus Hibernicis *pervetustis* exaratum, quod suo tempore in Bibliotheca Bodleiana extitisse testatur Waseus,(2) quodque iisdem characteribus scriptum fuisse suspicatus sum, quibus Codex *Ceaddæ*. Si enim ante Danorum in Hiberniam adventum scriptus fuisset Codex iste, nullus dubito, quin iisdem characteribus scriptus

(1) Wanlei Catal. p. 71.—Vide quæ de Chron. Saxon. dicta sunt supra p. cciii, not. 1.—Wanleus ipse fatetur, omnia in Codice a Gibsono edito, a Christo nato ad ann. 1144, eadem manu scripta esse, usque ad finem anni 1131; inde ad ann. 1143, ubi desinit, manu aliena. Catal. p, 64 et 81.

De alio autem Codice C. C. C. C, de quo plura habet Wheloc ad Calcem Bedæ, idem Wanleus inquit, *primam partem* scriptam fuisse *circa ann.* 891, "quia omnia, usque ad annum istum, "*una manu*, Ælfredi Regis temporibus convenienti, scripta sunt; 2*dam* ab anno isto 891 ad ann. "924, diversis manibus, sed *æque antiquis;* inde usque ad ann. 1075, diversis manibus; quod "ostendit hunc Codicem esse *Autographum*, nequaquam ad aliorum Codicum fidem descriptum." Ib. p. 130.—Hæc porro si vera sunt, ipsum Autographum non ante Sæculi X medium exaratum fuisse ostendunt, ut pluries indicavi.

(2) Hujus Codicis meminit Waseus in Exercitat. 3 Animadversionum Nonian. his verbis—"In "Archivis Bibliothecæ Bodleianæ extat Chalcidii MS. exemplar *pervetus*, characteribus *Hibernicis* "descriptum."—Ejusdem meminit Fassonius, De veritate atque Divinitate Historiæ Magorum, &c. Romæ 1759, pag. 25.

fuisset, quibus Codex Rushworthianus, in quo iidem Majusculi *quadrati* extant, qui in Codice dicto S. *Ceaddæ*, et in Codice *S. Kiliani.*—Characterum autem Codicis Chalcidii istius, nuper a seipso reperti, specimen ad me transmisit Vir Cl. Rev. Dns A. H. Matthews, qui Bibliothecarii vices, summa cum humanitatis et scientiæ laude gerit; unde patere existimo, non ante Sæculum X exaratum fuisse, ut posthac suo loco indicabo.

Idem forte dicendum est de Codice Cantabrigiense, a Wanleo memorato pag. 115, quem *vetustioribus litteris Saxonicis, Sæculo, ut videtur, octavo,* exaratum esse inquit, in quo extare fatetur fragmentum, *litteris Hibernicis* Latine scriptum, de re Grammatica, cujus specimen utpote ineditum hactenus videre non licuit.

Chartas ab Anglo-Saxonis non ante *Sæculum VII* factas fuisse fatetur Hickesius, et recte; cum prædia, privilegia, et libertates, antea, sine scriptis, *baculo, hasta, cornu, sagitta, cespite,* et id genus donationum symbolis dari solerent. Postea vero quam ad fidem conversi essent, Æthelbertus I, Cantuariorum Rex, Chartam omnium Anglo-Saxonicarum vetustissimam, in Concilio habito a Laurentio Episcopo confecit, *Mense Aprilio, die IV Kal. Maii, Indictione VII,* i. e. anno quo Laurentius obiit, Christi 619; cujus Apographum extat in textus Roffensis folio 191.

Ille-itaque Regum Anglorum *primus,* donationem terrarum *scriptis* tradidit, qui primus, *leges scriptas* Anglo-Saxonicæ genti promulgavit. Atqui hæc, et alia a Saxonis Cantuariensibus scripta, juxta *Romanorum* mores facta fuisse, ipse Beda testatur;(1) quod et de aliis Chartis, exeunte Sæculo VII ab iisdem confectis, dicendum esse, Spelmannus, Hickesius, et alii jure merito concedunt.

---

(1) " Æthelbertus inter cætera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illa " judiciorum, *juxta exempla Romanorum,* cum consilio Sapientum constituit, quæ conscripta " Anglorum sermone hactenus habentur, et observantur." Bed. Hist. l. 2, c. 5, et l. 2, c. 9. Ab his legibus incipit Codex *Textus Roffensis* dictus.

Leges Saxonicæ a Gulielmo Lambardo primum editæ, denuo prodiere, curante *Wheloco*, Cantabrigiæ 1644; *Ethelberti* et *Lotharii* Leges ex Textu Roffensi edidere partim *Spelmannus*, t. 1, Concil. p. 127, partim *Johannes de Laet* Antwerpiensis, et integre *Hickesius*, in Dissert. Epistolari, Oxon. 1703, p. 89. *Withredi* Leges ex eodem Textu Roffensi edidit Spelmannus, Concil. t. 1, p. 194.

Iam vero, in omnibus his Cantuariorum et Australium Saxonum Chartis, et Legibus, extant literæ prædictæ, Saxonis propriæ, quæ nusquam in Codicibus Hibernicis vel Hibernico-Nordanhymbris inveniuntur; illæ nempe literæ *transversis lineis* scriptæ, quas Anglo-Saxonis peculiares fuisse, scribunt Spelmannus et Hickesius,(1) quasque ære incisas exhibere, operæ pretium existimavi.

In Codicibus Hibernicis et Hibernico-Nordanhymbris Sæculi VIII, Literæ sunt Majusculæ, rotundæ, vel quadratæ; ut in Codice mutilo Concilii Chal-

---

(1) Chartam *Withredi* Cantior. Regis, in Concilio Beacanceldensi confectam anno 684, omnium Chartarum quæ in Anglia confectæ sunt, antiquissimam esse, scribunt Spelmannus, Concil. vol. 1, p. 125, eumque secutus Stillingfletus, Orig. Brit. p. 18 et 22.—Errant autem, cum antiquiores sint Charta Æthelberti I prædicta, servata in Textu Roffensi, cujus tamen non extat autographum, et Charta *Lotharii* Regis Cant. *anni* 679, Hist. Anglic. X Script. Col. 2207, cujus notæ Chronicæ sunt *Mense Maio, Indictione VII*, ut in Codice Cotton. *Augustus* 2, pag. 1, literis Majusculis Latine; ubi et alia legitur *Æthelbaldi* Australium Saxonum Regis, quæ exscissa fuit ex Psalterio Latino Majusculis scripto, Bibl. Cotton. Vespasian A 1, notante Smith in Catalogo.—Antiquior est etiam Charta *Sebbi* Regis Orientalium Anglorum, qui floruit anno 680, in Bibl. Cotton. Augustus 2, grandioribus literis.

Genuina est etiam Charta *Withredi* Cantior. Regis anni 695, Spelman. Concil. p. 192, et ejusdem tertia anni 700, ib. p. 198.—Taceo de iis in quibus Æra Christi ante Sæculum VIII signata legitur, ut in *Osheri* Reguli Huicciorum Charta, anni ut fertur 692, MS. Cotton. Tiberius A 13, fol. 20, b, et in Charta 1 et 2 Codicis MS. Aulæ S. Trinitatis Cantabr. quæ *Æthelberti* I Regis nomine confictæ esse dicuntur *Anno C.* 605, Monast. Angl. p. 23, Angl. Hist. Script. x, col. 1761, Spelman Concil. p. 118, 119, 120, 125. Eas enim omnes supposititias esse pro certo habeo; neque adhuc inventa est vel una genuina, quæ Æræ Incarnationis nota insignitur, ante Chartam Regis Æthelbaldi, in MS. Cotton. Augustus 2, quæ scripta esse notatur *anno ab Incarnatione Dni nri Ihu Xpi septincentissimo tricessimo sexto.*—Huic proxima videtur Charta *Alduulfi* Epi, in Textus Roffenses folio 120 b. *Mense Aprili, Indictione VI, anno ab Incarnatione* 738.

cedonensis, ab annis plusquam mille in Monasterio Hibernico *Bobiense* exarato, cujus meminit Mabillonius in Itinere Ital. t. 1, p. 13; neque in eis invenitur utplurimum distinctio verborum, aut interpunctionum, in iis locis, ubi sensum sive suspensum sive completum verba ipsa demonstrant; ut de *Kiliani* Codice notat Chronic. Godwic. p. 34, n. 1, et de *S. Salabergæ* Codice notant Benedictini,(1) et Mabillonius de Re Diplom. tab. viii, p. 358, ubi inquit *Psalterium* istud venerandum adhuc in Ecclesiæ *Landunensis* Sacrario servari, *S. Salabergæ* semper creditum, quæ fuit *S. Columbani* Discipula, obiitque A. D. 655.

Cum his omnibus conveniunt etiam characteres Codicis alterius *Luxoviensis,* S. Augustini in Epistolam Johannis, cujus specimen ex Biliotheca Bellovacensi transmissum edidit Mabillonius ibidem. Tempus et locus exarati Codicis in fine ejus his verbis exprimitur, "*apud Cœnubium Lusovium, anno duodecimo Regis Chlothocharii, Indictione tercia decima, anno xlmo Patris nostri feliciter peracto.*"—Hæc de *S. Columbano,* et de *Chlothario* IIdo interpretanda esse, indicant Chlotharii istius annus in Burgundia *duodecimus,* cum anno Christi 625, *Indictione xiii* prædito, concurrens, idemque annus 625, a Luxoviensibus S. Columbani Monachis Hibernis, computatus *quadragesimus* ab adventu ejus in Burgundiam, ut supra notavi pag. clxi. Quod si quis hæc ad Chlotharii tertii regnum, et ad Waldeberti Abbatis 3tii Luxoviensis regimen revocanda contenderet, Waldeberti diem extremum, non ad annum quo obiit 665, sed ad annum 670 referendum esse, errore manifesto asserere cogeretur.


---

(1) "Nous conoissons de tres anciens MSS. ou l' on n' apercoit ni points, ni separations de "mots, pas meme aux endroits qui ofrent un sens naturellement suspendu. Tel est le MS. dont "nous avons decouvert un fragment sous l' ecriture Merovingienne (MS. de S. Germain des Pres "1278) des *Hommes illustres* de S. Jerome, continue' par Gennade. Tels sont les MSS. des Evan-"giles de *S. Eusebe de Vercelli,* et de *S. Kilien.* Tel est encore le *Pseautier de S. Salaberge* "ecrit au VII siecle." Nouv. Traite t. 3, p. 464.

Tab. 4. page CCXIX.


Ex Psalterio Salabergæ Discipulæ S. Columbani

№ 1.



Specimina literarum quæ in Mac Regoli Codice Rushworthiano leguntur vide Ep. p. CCXI.

№ 2.



CODEX X.

Sive S. Salabergæ Psalterium Laudunense, scriptum Sæculo VII.

Scriptor coævus Vitæ S. Salabergæ, editæ ab H. Valesio in Rerum Francicarum l. 24, inquit *Eustasium*, S. Columbani Discipulum, a Columbano jussum, gentes Austriæ et Burgundiæ, Luxoviensi Monasterio contiguas, Christi fide imbuere suscepisse; et cum Warascos et Bojoarios ad fidem convertisset, Luxovium reversurum, in domum cujusdam Gundoini divertisse, illustri Francorum genere progeniti, in vico Mosa, a fonte fluvii cognominis sic dicto, qui a Luxoviensi Monasterio aberat millibus passuum fere 40. Ibi gratissime exceptus, liberos Gundoini, *Leudiuinum*, postea Tullensem Episcopum, et *Fulculfum*, postea pariter Episcopum, et filiam *Salabergam* in fide erudivit.

Hæc est *Salaberga* illa, Jonæ *Adalberga*, quæ postea Waldeberti Luxoviensis Abbatis consilio, Monastica veste induta, cœnobium virginum condidit *Laudunense*, obiitque anno 655. Librum de gestis ejus scripsit Auctor gravis et fere æqualis, quem Omotario Papæ, i. e. Episcopo Laudunensi nuncupavit, ut apud Mabillonium in Annal. t. 1, p. 440, et in Kalendario vetere SS. quod ex Psalterio Hemmæ Francorum Reginæ adducit.

Eustasius e domo Gundoini Luxovium progressus, *Agilum* Monachum Luxoviensem, posteaque Abbatem primum Resbacensem, Columbani Discipulum, nobilissimis parentibus ex primis Palatii Burgundici Optimatibus genitum, tum febre correptum, pristinæ sospitati restituit. Hunc *Columbanus* Eustasio erudiendum commisit, cum aliis nobilium Francorum filiis, in primis Chagnoaldo, Ragnachario, Achario, Audomaro, qui omnes Episcopi insignes e Columbani Schola prodiere, ut patet ex S. Agili Vita a Scriptore coævo apud Mabillonium.—Agilus hospitalitatis maxime amans, *multos*

ex Hibernia Resbacum, SS. Columbani et Audoeni amore adventantes, excipere solebat, Annal. Benedict. t. 1, p. 412, idque ante annum 650 quo obiit, quoque ei successit *Filibertus*, qui *omnia Columbani Monasteria* lustravit; ut in *Audoeni* Opere coævo de Vita Eligii, et in *Jonæ* Opere coævo de Vita Eustasii, atque in Annalibus prædictis p. 213 et 412.(1)

Horum porro tempore scriptum fuit Psalterium *Salabergæ*, cujus characteres eosdem esse ac *Bobiensis* Codicis supra memorati, ipsa specimina indicabunt; ita ut non longe a vero aberraverit clarissimus Wanleus, qui in Catalogo inquit, *Salabergæ* Codicis characteres convenire cum characteribus Codicis *Rushworthiani*, scripti a *Mac Regol* Abbate *Birrensi* in Hibernia, ac proinde non a quovis Gallo scriptum esse *recte* asserit a quodam Anglo-Saxone, etsi id factum *erronee* suspicatur,(2) quia Scripturam Anglo-Saxonicam non semper ab Hibernica distinguere potuit, ut patet ex dictis supra pag. cxiii, et ex sequentibus ultra patebit.

Hæc evenere postquam *Furseus*, Monachus Hibernensis, cum *Ultano* et *Foilano* fratribus suis, in Angliam ex Connacia veniens, *Sigbercto* Orientalium Anglorum Regi persuasit, ut *Cnobbersburgense* Monasterium institueret, multosque Anglos ad Christianam Religionem adduxit, annum circiter 639.(3) Transivit enim *Furseus* in Galliam ante obitum Chlodovei I, annum circiter 644, obiitque antequam Sancta Gertrudes *Fossense* Monasterium in gratiam fratrum ejus condiderit anno 652, ut patet ex Scriptore coævo in Annalibus Benedictinorum t. 1, p. 420.

Evenere etiam postquam *S. Rodingus*, pariter Hibernensis, Gallice *S. Rouin*, cum *Chrodillino* fratris filio, in Galliam veniens, Monasterium *Bellilocense*, septem fere leucis ab urbe Verduno situm, condidit, annum circiter

(1) Jonas in Vita Eustasii edita a Surio t. 2.

(2) Wanlei Catalog. p. 81.

(3) Bed. l. 3, c. 18, 19.

annum circiter 642, ut supra p. clxxvi, et postquam plurima Hibernorum examina in Galliam æque ac in Angliam, *Columbani, Aidani, Livini,* ac *Fridolini* exempla sequentes pervenere; ut Canonica decreta ad eorum ordinationes Sacras cohibendas, a diversis Angliæ et Galliæ Conciliis lata, declarant.(1)

Quid itaque mirum si Codices, de quibus hactenus egimus, literis Hibernicis scripti, in Angliæ Galliæque Monasteriis servati inveniantur? præsertim cum inter extera Hibernorum Monasteria frequens necessitudo olim et fraterna charitas interesset, et maxima Hibernorum multitudo ad veterum Patrum Hibernorum Sepulchra conveniret. Notkerus San-Gallensis Monachos Hibernos, ad sua usque tempora, S. Galli Monasterium in Helvetia frequenter adventasse declarat; idque confirmant Walafridus et Hepidanus.

Narrat præterea Notkerus, Grimoaldo Abbate, *Marcum* Episcopum Hibernensem, Roma redeuntem, ad S. Gallum tamquam *Compatriotam* suum divertisse visitandum, cum fratris vel sororis suæ filio, *Moen-Gallo* Hibernice dicto, quod Latine significat Juvene Gallo, vel Parvo Gallo, "qui cum esset "eruditissimus, remansit cum paucis suæ linguæ apparitoribus, et *Scholas* "*Claustri,* paulo ante Notkeri tempora, gubernare suscepit." Et quidem Scholam instituit Gallus exteriorem pro Sæcularibus, interiorem, seu *Claustralem,* pro Monachis, in quibus studia floruisse patet, ex dictis supra de celeberrima Bibliotheca S. Gallense, in qua tot pretiosissimi Codices inventi sunt: quod et arguere liceret, vel ex ipso S. Galli Sermone edito a Canisio, Basnagio, Mabillonio, et aliis, in quo eloquentia viget, et Latinitas purior quam ferruginosa illa tempora ferebant.

Post receptam nempe in Germania Religionem Christi, prædicantibus Hibernis, ut antea diximus, proximum erat ut Scholæ instituerentur, in qui-

---

(1) Vide supra pag. cxvii, cxxxi, et clv. Item Acta Synodi Vermeriensis habitæ anno 753, c. 14, de Episcopis Vagantibus, et Synodi Vernensis anni 757, c. 13.

bus Gens effera et inculta duros mores paulatim deponeret, et Sanctioribus Disciplinis informaretur. In istis Scholis docebantur *Artes Septem*, quæ in Hibernorum Scholis antiquissimis, *Benchorense*, *Cloonardense*, *Derrense*, et *Ardmachana* vigebant, ut in Annotationibus ad Annalium Ultoniensium Sæculum VIII pluribus indicavi p. 168, et supra p. cc, not. 1.(1)

Jam vero, quid mirum si in Scholis istis exteris veterum Patrum Hibernorum monumenta supersint?—Auctor fere æqualis Vitæ S. Salabergæ, quæ extat in fine Operum Guiberti de Novigento, sive *de Nugent*, c. 4, Regulæ Benedictinæ originem et progressum in Gallia a S. Columbani et Schola deducit, ad ann. 654.(2)—" In B. *Eustasii* locum, inquit is, B. *Walbertus* in " regimine fratrum Luxoviensium subvectus est. Vir omnium fama lau- " dabilis. Hujus tempore per Galliarum Provincias agmina Monachorum, " et Sacrarum puellarum examina, non solum per agros, villas, vicosque, at- " que Castella, verum etiam per Eremi vastitatem, ex Regula dumtaxat B B. " P P. Benedicti et Columbani pullulabant, cum ante illud tempus, Monasteria vix pauca illis reperirentur in locis." (3)

Ex hoc loco manifestum est, notante Mabillonio, S. Columbani Regulam in Benedictinam ab ipso coaluisse principio; cum primi B. Columbani Discipuli utramque simul propagaverint, et permulta Monasteria, ut *Besvense* Diæcesis Lingonensis, *Resbacense* Meldensis, *Altivillarense* Remensis, *Solem-*

---

(1) Confer Goldasti Rer. Aleman. t. 1, p. 354. " Quia vero in Monasterio S. Galli *Septem Artium Liberalium* studium florere audierat," &c. Eadem repetit pag. 360, c. 9.

(2) Luxoviensis Monasterii initia refert Mabillonius ad ann. 590. Acta Benedictinor. t. 2, p. 318, not. a. In Codice S. Germanense Vitæ Columbani per Jonam, legitur ex Hibernia cum 12 Sociis exiisse *anno ætatis* xxx, quamvis in editis legatur *vigesimo*. Legitur etiam anno ætatis xxx, in Epitome Anonymo Vitæ ejus, apud Ughellum in Italia Sacra t. 4; idque majis verosimile ex ipsa Jonæ narratione apparet. Anonymus prædictus, et qui *S. Salabergæ* Vitam scripsit, gravis et fere coævus, in Galliam advenisse inquiunt, Childeberto Austrasiis et Burgundionibus Imperante. Sed rectius Ordericus Vitalis l. 8,—regnante Childeberto *Sigiberti filio*, i. e. paulo ante ann. 590.

(3) Accedit Auctoritas Auctoris coævi Vitæ S. Præjecti ad ann. 674.

niacense Lemovacencis, quorum *primi institutores ex Luxoviense* Asceterio educti sunt, sub SS. Benedicti et Columbani Regula, condita et erecta legantur. "*Omnia fere Monasteria* Sæculo VIII. ædificata, inquit Mabillonious, " qualia sunt *Corbeiense*, *Floriacense*, *Gemcticense*, *Fontanellense*, et *Puellare* B. " Mariæ apud Suessionas, ad SS. Benedicti et Columbani Regulam ordinati " sunt, ut ex primariis eorum Instrumentis manifestum est."(1)—*S. Donatus* Hibernus, ex Monacho Luxoviensi ac S. Columbani Discipulo Episcopus Vesontionensis, Regulam S. Cæsarii Arelatensis, una cum SS. Benedicti et Columbani Regulis, pro *Jussani* Monasterii Virginibus, prope Luxovium consistentibus, in unam conflavit.(2)

Ex hac duarum Regularum unione factum est, ut plura tribuerentur S. Benedicto et Discipulis ejus, quæ tamen tribuenda erant Columbano et suis; (3) ac plures esse Codices qui exteris tribuuntur, qui, si diligenter inspiciantur, Columbani Discipulis, et Scribis Hibernensibus tribuendi sunt.

In Vita S. Salabergæ sæpius laudata, *Eustasius* fratrum Luxoviensium

(1) Mabillon in Actis Benedictinor. t. 1. Præf. p. xxxi.

(2) Ib. t. 2. Præf. pag. vi, et in Vita *Agili* Resbacensis ab Auctore coævo ib. p. 315.

(3) Negaverunt Benedictini quidam, iique doctissimi, aliam fuisse Columbani Regulam a Benedictina. Diversas tamen ab initio fuisse patet ex Bedæ Historia, ubi agit de contestatione inter Wilfridum et Hibernos, et ex Æddii coævi de Vita Wilfridi, edita Oxonii a Gale, item ex eo quod Columbanus cum Sociis in Galliam venerit, antequam S. Benedicti Regula in Angliam vel Hiberniam penetrasset. Extat denique in Codice vetustissimo Regularum Occidentalium, *Columbani* Regula, una cum ipsius Pænitentiali, edita a Flemingo, in qua nullum Benedictinæ vestigium apparet. Jonas etiam ejus Discipulus, qui Vitam ejus scripsit, S. Benedicti Regulam nullibi memorat, et Ritus a Benedictinis diversos Discipuli ejus coluere, ut patet ex Columbani ipsius Epistola ad Gallos, ex Synodo Matisconense anni 624, et ex Jonæ prædicti opere de Vita Eustasii.—De tonsura Hibernorum plura habemus in Synodo prædicta prolata, contra Hibernorum Ritus, itemque in Epistola Ceolfridi ad Naitanum Pictorum Regem, apud Bedam l. 5, c. 22, unde patet Hibernis in more fuisse tonderi ab aure ad aurem, per frontem in Coronam, per occipitium vero ab aure ad aurem capillus intonsus dependebat. Errant itaque Waræus et Usserius, qui Coronæ Hibernicæ formam perperam exhibent, prior in Antiquit. Hib. Londini 8vo. 1654, p. 93, posterior vero in Primordiis.

curam, *tribus* non parum minus *lustris* egisse dicitur post Columbanum, qui anno 610 Luxovio pulsus est. Obiit itaque Eustasius *S. Salabergæ* Magister anno 625, ut supra pag. clxi, et ccxviii, eique successit Waldebertus, cujus gesta exhibet ex vetustis Codicibus Mabillonius. Obiit porro Waldebertus *IV. Kal. Maii*, eodem die quo Eustasius, sed anno 665. (1)

Hæc autem omnia cum *Salabergæ* annis ita ad unguem conveniunt, et cum Actis ejus in vetere Vita edita apud Mabillonum, Sæc. 2, pag. 422, itemque cum *Columbani*, et *Eustasii*, et *Bertulfi*, 3tii Abbatis Bobiensis, gestis scriptis a Jona,(2) et cum *Agili* Resbacensis Actis, ab Anonymo coævo pariter conscriptis,(3) ut non nisi voluntario errore veritatem tot adminiculis suffultam rejicere, aut in dubium revocare possimus.(4)—Atqui ex his sequitur

---

(1) Sic Antiqua Martyrologia Wandelberti et Adonis, in D'Acherii Spicilegio t. v, p. 305.

(2) Acta Benedictinor. Sæc 2. pag. 5, &c. 160, &c. et apud Ughellium in Italia Sacra t. 4. Columbani vitam edidit ex Surio Mabillonius, sed emendatiorem, cum Frodoardi Carmine inedito, et cum *libro de Columbani Miraculis*, scripto a Monacho Bobiensi Sæculi x, quem ex apographo S. Mariani Antisiodorensis descriptum, et ad exemplar Cistercianum collatum, emendavit doctissimus Launoius.

(3) Acta Benedictin. tom. 2. p. 315.

(4) Præter Columbani *Regulam* et *Pænitentiale*, extant Opuscula ejus edita a Goldasto, Insulæ anno 1604, et sæpe postea, ab Usserio et aliis. *Regulam*, qualis typis vulgata est, integram non esse constat, si Caput ex istius Regulæ cap. 33 citatum, in *Concordia Regularum* c. 74, § 10, ad Columbani Regulam vere pertinet.—Opus porro Columbani in Arianos, a Jona memoratum n. 59, non extat.—Scriptor Vitæ S. *Salabergæ* inquit suo ævo extitisse " Columbani Epistolam ad Grego- " rium M, *de pervigili Pastorum Cura*, et S. Gregorium ei *rescripsisse Epistolam mellifluam*." Nulla autem extat jam, quod sciam, sive Columbani ad Gregorium de pervigili Pastorum Cura, sive Gregorii ad ipsum Responsio, nisi forte sit Gregorii Liber de *Cura Pastorali*, de quo plura infra dicenda erunt—S. Galli Vitam, a Walafrido scriptam, edidere emendate Mabillonius Sæc. 2. p. 231, Goldast. Rer. Aleman. t. 1, Canisius, Basnagius.—Hujus Vitæ meminit Hepidanus ad ann. 849, ubi Walafridum *Veteris Anonymi Vestigia* secutum fuisse declarat; quod et ipse fatetur in Præfat. No. 1, ubi Galli Vitam Metricam se scripturum promittit; Id porro præstitisse patet ex Vetere Codice, in quo Vita ista nondum edita incipit. " *Promissi memor ecce mei Gosberte quod olim.*"— Gosbertus is Abbas S. Gallensis, Werdoni successit anno 816, ut in Radberto *De Casib.* S. Galli c. 6.—Obiit Walafridus grandævus anno 840. Vide Vossium de Script. Latin. et Ekkehard. in Vita Notkeri apud Goldast. t. 1. p. 354.

commercia fuisse non modica inter Monachos Hibernos et Gallos atque Germanos, ut notat *Radbertus* tam in Vita Notkeri c. 6, quam in libro *de Casibus S. Galli*, ubi narrat " Montem S. Victoris, S. Galli, Monasterio a Re-" ge Carolo traditum fuisse, petente *Eusebio* Hibernense, qui ibidem xxx annis, " spontanee clausus Domino serviebat, obiitque anno 884."

Porro quæ de Hibernorum cum Gallis et Germanis necessitudine dicta sunt, ea et de eorum cum Nordanhymbris commerciis dicenda esse patet ex dictis, et ex ritibus plane communibus, ut sæpe indicavi. Sic apud Presbyteros Hibernos nefas erat sine Chrismali procedere, notante Columbano ipso, qui mos et apud Nordanhymbros, ab Hibernis eruditos, inviguit. Beda enim in Pænitentiali c. 13 inquit. " Qui in plebem suum *Chrismal* perdiderit, " et non invenerit; quadraginta dies pæniteat." Longe ante Bedam Columbanus in suo Pænitentiali c. 6,—" Qui oblitus fuerit *Chrismal*, per-" gens procul ad opus aliquod, quinis quinquies percussionibus subjaceat."

Qui plura cupit, legat quæ hactenus in hac Epistola, tam de Scholis Hibernorum inter Anglos, quam de Nordanhymbrorum in Hibernia longinqua commoratione, in medium allata conspiciuntur.—Quid quondam Vosagus nisi horrenda solitudo, antequam Luxovium a Columbano conderetur? Quid Civitates *S. Galli* apud Helvetios, *Wirtzburgum* et *Bobium* apud Germanos et Italos? Quid *Malmesburiensis* apud Anglos, *Abbandunensis, Lindisfarnensis, Mailrosensis, Hiiensis*, et tot aliæ quas longum esset enumerare? Quid nisi latibula ferarum, quæ postea amæna erant humani consortii diversoria, postquam ea nostri, labore et industria excoluere! Quippe Hibernorum labor, et parsimonia, et pietas, hominum traxere frequentiam; Scholæ amorem auxerunt, Disciplina reverentiam; unde eis eorumque Discipulis commissi sunt agri excolendi, et Sylvæ excidendæ; extructæ sunt domus Monasteriis propinquæ; deinde villæ paulatim crevere; et demum immunitatibus Regiis opitulantibus, ad Civitatum jura et dignitates evectæ sunt.

Alto Hibernensis, qui medio Sæculo VIII Germaniam petiit, Monasterium ibi ædificavit, ex suo nomine *Altenmunster* dictum, in Diœcesi Frisingensi, inter Augustam Vindelicorum et Monachium; de quo Vetus Auctor Sæculi IX(1) inquit.—" Pippinus Caroli M. Genitor, magnam Silvæ illius " partem, in qua S. Alto habitavit, potestate habita, tradidit; certabantque " deinde fideles quilibet, de Alemanniæ et Bavariæ partibus, qualiter ipsum " visitarent, eique de facultatibus suis ministrarent. Hujusmodi beneficiis " undique suffultus, maximam Silvæ traditæ portionem extirpavit, et in " planitiem, *frugiferaque jugera coæquavit.* Deinde cum, post aliquot " annos, ex manuum suarum labore, aliorumque sibi subvenientium supple-" mento, terra exculta *messem copiosam edidisset,* pariterque ex oblatione " fidelium, ad eum quotidie confluentium, substantia rerum victualium " feliciter excrevisset, *construxit habitacula Servitio Divino apta,* nec non " Monasterium; quo constructo, S. Præsul Bonifacius eum consecravit. " Post obitum vero B. Altonis, præpotens quidam ex Allemannia, Parens " Comitis qui vulgo nomen quoddam est sortitus, quod Latine exprimitur " *Catulus,* Teutonice *Guelfo,* seu *Welfo,* (2) nescio qua lege vindicans sibi " ejus Monasterium, omnia quæ ad hoc pertinebant, pro jure hæreditario pos-

(1) Obiit S. Alto anno 770. Vitam veterem hanc edidit Mabillonius, Auctore Monacho *Alt Monasteriense* Sæculi ix, ex tomo 2do. Metropol. Saltzburg. et ex Februario Bollandiano, in Actis Benedictinor. Sæc. 3, parte 2, pag. 217. "Alto Scottus in *Hibernia* natus," &c.

(2) Hinc Origo *Guelforum,* ex Bajoariæ Ducibus petenda. *Welfus* Judithæ Augustæ, Ludovici Augusti uxoris, frater, Eticonem filium genuit, Etico *Henricum,* qui S. Altonis Monasterium Hibernensibus Monachis restituit. Henrico filii fuere *Conradus* Constantiensis Episcopus, *Etico* 2dus, et *Rodolfus,* ex quo natus est *Guelfo,* quem *Guelfonem primum* vocant Bajoarii, quique Auctor fuit instaurationis Monasterii *S. Altonis,* cujus meminit Auctor hic c. 9. apud Mabillon. ibid et not. a. p. 219.—Confer *Muratorii* Opus egregium Genealogicum de Domo Estense, cum *Gibboni* de eodem argumento reliquiis, inter Opera ejus Posthuma editis. *Bajoarii,* ad fidem Christi, prædicantibus *Columbani* nostri Discipulis, conversi, ex his veterum Hibernorum Monumentis, Serenissimi Regis nostri Georgii prosapiam deducere se posse, non immerito gloriantur.

"sidebat. Unde neglectum S. Altonis Monasterium per multa curricula "habebatur annorum, donec sub Comitis prædicti tempore, instauratum "est."

Jam vero, eodem ipso argumento, quo *Alten-Monasterienses* suæ Civitatis originem, Monachis Hibernensibus referendam esse scribunt, sic a pari *Wirtzburgenses S. Kiliani, Bobienses, Luxovienses, Anegratenses S. Columbani, Laudunenses S. Salabergæ, Saltzburgenses S. Virgilii,* (1) *S. Gallenses S. Galli, Lucenses S. Frigidiani, Seckengenses S. Fridolini,* (2) aliique plures in Gallia, et

(1) Virgilii nostri, defuncti anno 780, meminit *Arno* Saltzburgensis Eps. Caroli M. æqualis, in *Indiculo* suo, ubi, de Cella S. Maximiliani agens, eum *Monasterii S. Petri* Abbatem appellat. Ejusdem meminit coævus Papa Zacharias in Epist. 140, inter Bonifacianas, unde constat, *Otilone* Bajoariæ Duce adhuc superstite, *Johannem* Virgilii decessorem obiisse, nec sedisse *annis* 21, ut in Metropholi Saltzburgensi legitur, cum ipsius demortui sedem Virgilius, *Indictione prima* et *Zacharia Pontifice,* i. e. anno 748, ambiisse memoretur. De eodem intelligenda est alia Zachariæ Epistola ad Bonifacium, quæ in editis Bonifacianis est 143, etsi 144 esse deberet. In editis enim duæ diversæ sub uno numero 142 continentur.—Concilio *Dingolvigensi* subscripsit Virgilius tum Episcopus, anno 772. Alcuinus ejus sanctitatem prædicat his versibus, Epigrammate 231.

"Quæ cernis veniens O Lector inclyta tecta, (i. e. Ecclesiam S. Petri.)
"Virgilius fecit, Domini deductus amore.
"Protulit in lucem quem Mater Hibernia primum,
"Instituit, docuit, nutravit, amavit.
"Delicias mundi et Patriam contemsit amatam.
"Per mare, per terras, partes pervenit in istas,
"Multiplicare studens tota virtute talentum
"Doctrinæ populis, et Spargere semina vitæ.

Virgilii Vitam scripsit S. Eberhardi Saltzburgensis Episcopi Discipulus Anonymus mædio, Sæculo xii, edidit Mabilonius ex tomo 2 et 6 Antiq. Lect. Canisii.

(2) "Fridolinus Abbas Hibernensis, Pictavi in Gallia diu consedit, in Monasterio S. Hilarii, cujus "Corpus transtulit et Ecclesiam instauravit. Inde, post expletum aliquamdiu munus Abbatis, in "partes Alemanniæ secessit, variisque in locis Monasteria construxit, ac S. Hilario dedicavit; ex "quorum numero superest Cella S. Hilarii ad ripam Mosellæ, quod nunc S. Naboris appellatur. "Floruit sub *Chlodoveo* I, qui obiit A.D. 511. Quiescit in Monasterio *Seckengensi.*" Vitam ejus Veterem sed perbrevem edidit Goldast. Rer. Aleman. t. 1, p. 384. Aliam a Berthero *Seckengensi*

Germania, æque ac in Anglia, quorum Ecclesias, et Monasteria; et Civitates, et Oppida Monachi nostri condidere. Minime itaque mirandum est, Codices veteres, in his Monasteriis inveniri, qui Characteribus Hibernicis vetustissimis exarati sunt. Dixi *vetustissimis,* quia Characteres Hibernici a Sæculo X. scripti, quamvis elegantiores, quam qui a Sæculo XVto, et rotundiores, ut in Codice Evangeliorum Harleiano anni 1138, minime tamen cum grandioribus istis Sæculi VIII. conferendi sunt, qui in Codicibus *S. Salabergæ,* et *Rushworthiano,* aliisque antiquisimis, diligenter exaratis, conspiciuntur.

Inter Monasterii *Centulensis* Codices, Hariulfus sæculo XI memorat "*Col-*" "*lectarium Scoticum,*" quod iisdem characteribus scriptum fuisse opinor, ex iis quæ idem Hariulfus de *Caidoco et Fricorio* Monachis Hibernis enarrat,

---

Monacho Scriptam, edidere Colganus ad 6 Martii, et Mabillon. Acta Bened. t. 1, in Indice SS. prætermissorum.—Confer Martyrologium Gellonense, anno circitur 804 conscriptum, quod extat in fine libri Sacramentorum, ex Gelasiano et Gregoriano compositi ab *Alcuino,* uti refert Hariulfus in Chronico Centulense l. 3, in D'Acherii Spicilegio t. iv, p. 485. — Martyrologium hoc contulit D'Acherius cum Hieronymiano, et aliis Codicibus antiquissimis *S. Galli,* ediditque in Spicilegii t. xiii, Paris 1677, p. 388, ubi " Depositiones leguntur *S. Brigidæ, in Scotia* Kal. Feb. p. 393.— " *S. Patricii in Scotia* xvi Kal. April. p. 397.—*S. Columbâni in Bobio* p. 417.—*S. Galli,*" &c.

Martyrologii S. Hieronymi meminit Beda in Act. Apost. c. 1, et in c. 6 Evangelii Marci. et Walafridus Strabo de Reb. Eccl. c. 28.—Confer doctam Dissert. H. Valesii de Martyrologio Romano, quod edidit Rosweydus, cum Baronii Præf. ad Martyrol. Rom.—Extat in t. 4, Paris 1661, *Martyrolog. Vetustissimum S. Hieronymo attributum,* ex Codice Corbeiense sæculi x vel xi, at non integrum vel germanum.—Bedæ Martyrologium non extare sincerum, scribit Mabillonius in Actis BB. t. 1, Præf. p. xviii, Usuardi autem *integrum* extare declarat ibidem.—Martyrologii prosaice a se scripti meminit Beda in fine Epitomes, sed nullibi meminit *Metrici* editi a D'Acherio in t. x. Spicilegii, p. 126, Paris 1671. Metricum tamen exscripsit Mabillonius ex S. Remigii Remensis Apographo, manu Bertigarii Monachi exarato, Ebbone Archiepiscopo, quod Bedæ nomen præsefert ac titulum.—Incipit non ab viii Kal. Jan. sed ab ipsis Kalendis, et plures sanctos omittit, qui in Prosaico a Bollando restituto leguntur. Nullum Sanctum S. Wilfrido posteriorem memorat, qui obiit anno 732, uno anno postquam Beda Historiam absolvit. Unde non mirum si Metricum hoc Martyrologium in Epitome non recenseat. S. Patricii meminit ad 17 Martii his verbis p. 127—*Patricius Domini servus conscendit ad aulam.*—Vide plura in Prolegomenis p. xlviii, et quæ de Martyrologio Ængusiano, et Epternacense dicta sunt supra p. clxxxv, &c.

Tab. 5. page ccxxix

Ex Codice Rushworthiano, Scripto a Mac Regol

No. 1.

Egressus est rursus ad mare omnisque turba
veniebat ad eum et docebat eos, et cum praete-
riret vidit Levin Alphei sedentem ad telonium
et ait illi sequere me et surgens secutus est eum;
Et factum est cum accumberet in domo illius multi
publicani et peccatores simul discumbebant

Et ingressus intro sedebat cum minis-
tris ut videret finem eius rei

Ex Codice Canonum Hibernensium.

No. 2. page ccxxxv

GRATIAS
agimus Dō Patri
et Filio et Spū Sco
presbiteris et diaconib;
et omni clero Patricius
Auxilius Isserninus
episcopi salutem
Satius nobis neglegenter

qui Monasterium istud condiderunt. Vide Chronicon Centulense, sive S. Richarii, seu melius *Hariulfi*, Monachi S. Richarii Centulensis, apud D'Acherium in t. 4 Spicilegii, c. vi, p. 429,—"*De adventu et prædicatione Hibernorum.*"(1)

Codex XI*mus, Sive Rushworthianus.*

Ordo Chronologicus, æque ac ea quæ hactenus dicta sunt, exigere videtur, ut priusquam ultra progrediamur, Codicis *Rushworthiani*, cujus pluries mentionem feci, notitiam paulo diligentius expendamus.

Wanleus de hoc Codice inquit, in eo inveniri quatuor Evangelia; et Codicem esse Membraneum, cujus forma erat in quarto quadrato grandiori, priusquam oræ ejus a Bibliopego violatæ fuissent; D. Hieronymi Versionem complectere, literis *Saxonicis* Majoribus, nempe id genus Majusculorum, quibus exarantur Codices illi antiquiores Cottoniani, qui inscribuntur *Otho C.* 5, *et Nero D.* 4, sive Codex *Litchfeldensis* Ecclesiæ, qui dicitur *Textus S. Ceaddæ*, et *Psalterium* prædictum *S. Salabergæ.*—Codicem Rushworthianum his *paulo recentiorem* arbitratur; vetustiorem tamen esse putat Glossario illo Saxonico Bibliothecæ C. C. C. C. S. 3, illoque Codice Cottoniano *Otho A.* 1, qui scriptus fuisse videtur A. D. 749.

Desiderari subjungit folia quædam, quæ lacunam in Versione interlineari Dano-Saxonica efficiunt, nunquam nimium deflendam, quia Versio illa multum discrepat ab ea, qua illustratur Textus Latinus Codicis Cottoniani

(1) Confer Vitam Veterem S. Eligii, Auctore *Audoeno* S. Columbani discipulo, ubi de "fama "Monasterii Luxoviensis *per omnes Gallias*, quod erat, eo tempore, *cunctis eminentius*;" apud D'Acherium in Spicilegii t. v, l. 1, c. 21, p. 176; et quæ habet de "*S. Cellano*, seu *Chiliano* Monacho "Hibernense, nomine *Dulciolenus*, non longe ab Urbe Parisiaca commorante, quem B. Eligius fre- "quenter visitare consueverat." Ib. l. 2, c. 39, p. 272.

Nero D. 4; omniaque deese inquit, quæ in aliis Codicibus, de more, D. Matthæi Evangelio præmittuntur.—An Canones Eusebiani unquam in hoc Codice extiterint valde dubitat, quia numeri et notæ ad eos spectantes per totum Codicem desiderantur.

Codicis Scriptor memoriam sui propriis manibus posteris consecravit in pagina postrema, ubi, eadem manu qua Textus exaratus est, de se ipso scribit—" *Mac-Regol dipinxit hoc Evangelium. Quicumque legerit et intellegeret istam narrationem, orat pro Mac Reguil Scriptori.*"—Ex quibus intelligere est, inquit Wanleus, quod ille *Mac Regol,* Scriptor Librorum, Textum integrum Codicis scripserit, et deinde illum Imaginibus Evangelistarum, diversicoloribusque litteris Uncialibus decoratum, tantum non inluminaverit.

Versionem Dano-Saxonicam compilaverunt *Farmen* Presbyter et *Owenus,* qui vel exeunte Sæculo nono, aut incunte decimo floruerunt. *Farmen* totum S. Matthæi Evangelium illustravit, subjuncta hac ad calcem ejusdem adnotatione—" *Farmen Þbrthas boc thus gleosede. Dimittet ei Dns omnia peccata sua, si fieri potest apud Deum:*—Quinetiam ad illustrandum itidem Evangelium D. Marci se accingebat *Farmen,* sed in illo Opere non ultra Comma 15 Capitis 11 progressus, alius vir pius, nomine *Owenus,* Farmenni rogatu, ut videtur, reliqua omnia in vernaculum sermonem, sc. *Dano-Saxonicum,* reddere suscepit; et exemplo *Mac-Regoli* ac *Farmenni* permotus, memoriam sui posteris similiter reliquit.

Docti tradunt, hunc Codicem olim peculium fuisse Bedæ Venerabilis, qui diem supremum clausit A. D. 734; et Wanleus præterea inquit se non imperite id asserere posse, " *temporum enim quibus Beda floruit speciem præ-*
" *seferre,* quandoquidem vetustior videtur Codice Cottoniano, qui scriptus
" fuit circa annum 749; ut et Charta quadam Originali Cottoniana, litteris
" haud multum dissimilibus exarata, A. D. ni male memini 767."

Eadem ex Wanleo tradit vir doctus Thomas Astle, in Opere de Origine

Scribendi, Londini edito anno 1784, pag. 99.—Iam vero ex his omnibus hæc sequuntur—1. Scriptum esse Codicem *Rushworthianum* iisdem characteribus quibus Psalterium *Salabergæ*, de quo supra pag. ccviii;—2do. Scriptum esse iisdem characteribus quibus Codex dictus *Ceaddæ*, de quo supra p. cvii; 3tio Scriptum esse iisdem characteribus quibus Codex *Cuthberti*, de quo supra p. clxxix;—4to. Scriptum esse a Scriptore cui nomen *Mac-Regol.*

Atqui hæc omnia simul sumpta, plane evincunt Codicem hunc insignem esse Hibernicum; eosque valde errare qui Anglo-Saxonicum esse opinati sunt. "*Hos ego versiculos feci, tulit alter honorem!*"—Et quidem nullus unquam Anglo-Saxo dictus est *Mac-Regol.* Inter Hibernos autem plurimi sic nominati inveniuntur, quorum unum *Scribam*, i. e. Librorum Scriptorem, ac proinde hunc ipsum qui Codicem *Rushworthianum* descripsit, Annales Hibernici verbis infra notatis manifestssimo indicio demonstrant.(1)

Editio est Vulgata, nonnullis tamen variantibus a communi; ut "signantes lapidem *et discesserunt*," pro signantes lapidem cum custodibus, Mat. c. 27, v. 66. — Orthographia est Hibernico-Latina, ut *cotidie*, Mat. xxv. 55, *Moses* pro Moyses, *Centorio* pro Centurio, Mat. xxvii. 54, *luciscit* pro lucescit, ib. xxviii. 1, *velud* pro velut, ib. 4.—Abbreviatio Hibernica *h* pro vero extat in cap. ult. Matthæi v. 16.—Terminat autem eodem more Hiber-

---

(1) "*Mac Riagoil* nepos Magleni, *Scriba* et Episcopus Abbas Biror (hodie *Birr* in Comitatu "Regio in Hibernia) periit." Annal Ult. ann. 821, in nostra editione pag. 203.—Eadem habent Annal. IV Mag. ad ann. 820.—Vide quæ de Scribis Hibernensibus dicta sunt in Annal. Ult. p. 130 et seq. et passim in Annalibus Hibern. Plura de Codice Rushworthiano referuntur in Codice Harleiano 3449.—Nemo negare poterit, unius esse Gentis, sive *unius Scholæ*, Codices *S. Ceaddæ* in Ecclesiæ Litchfieldense, *S. Cuthberti* in Cottoniana Nero D. iv, *Rusworthianum* in Bodleiana D. 24, No. 3946, Fragmentum Johannis Ecclesiæ Dunelm. cujus Specimen exhibet Th. Astle, in *Ectypis* MS. in Biblioth. Stowense pag. 31, anni circiter 610, et Codicem *Martiani Capellæ* C.C.C.C. G. 2, apud Astle, ibid. p. 64. Si ergo vel unus istorum Codicum Hibernicus dici poterit, aut ex Hibernorum Scholis exiisse, id æque et de aliis dicendum erit. Atqui *Rushworthianus* est procul dubio Hibernicus, Ergo, &c.

nico quo Codex Hibernicus *Psalter na Rann*, fol. 40 b, col. 2, lin. 14, nempe "*Finit Amen. Finit Amen. finit.*"

Conveniunt prope characteres Codicum Hibernensium hactenus memoratorum, cum characteribus Codicis præstantissimi Bibliothecæ Bodleianæ, *Laud L*, 30, qui continet S. Augustini libros xv *De Trinitate*, literis Majoribus, *mille abhinc annis exaratis*, notante Wanleo, quique quondam peculium fuit Ecclesiæ *Hibernicæ S. Kiliani Wirtzburgensis*, et, cum multis aliis ejusdem Ecclesiæ Codicibus vetustioribus, redemptus fuit e manibus militum Gustavi Adolphi, a Rev. Archiepiscopo Gul. Laud, qui eum Bibliothecæ Bodleianæ donavit.(1)

Quod si objiciatur, Codicum istorum Hibernensium literas, convenire utplurimum cum Latinis Sæculi VIImi, neque posse Hibernicos dici potius quam Romanos; respondeo diversitatem esse manifestam, quæ diligenter inspicienti patebit. Habemus enim Codices procul dubio Latinos, ut Psalterium prædictum *Æelfridi Magni*, in Bibliotheca Stowense; et Codices a S. Augustino in Angliam invectos, quorum Catalogum veterem Membraneum, in Ecclesia Cantuariense servatum, edidere *Smithus* ad calcem Bedæ, et *Wanleus* ex Codice Cantabrigiense, in Catalogo p. 172, aliosque quorum specimina edidit vir cl. *Thomas Astle* in Opere de Origine scribendi c. 5.(2)

---

(1) Extat et aliud Exemplar S. Augustini de *Trinitate*, in C. C. C. C. No. 5, cujus specimen exhibet Astle, in *Ectypis* in Bibliotheca Stowense pag. 85, ubi inquit, scriptum esse characteribus *Saxonicis*, sed non *communiter sive frequenter usitatis* (in very singular Saxon Characters.)—At characteres isti sunt Wallici. Scriptus est enim Codex iste Sæculo xi, a *Johanne de gente Cæretica*, regnante Edwardo Confessore.

(2) Confer Catalog. Harleian. No. 1775, Johan. Diacon. in Vita Gregorii M. c. 37, Bedæ Hist. edit. Cantabrigiæ 1723, l. 1, c. 29, et Append. p. 690, et Nasmith Catal. Bibl. C. C. C. C. p. 320, item Psalterium Augustini in Biblioth. Cotton. Vespas. A. 1, et Textum Evangelior. S. Augustini in C.C.C.C. l. 15.

Inter Codices Romanos imprimis notanda est *Biblia Gregoriana*, duobus voluminibus, quæ *non ita pridem extitit*, docente *Petitione Apologetica* Catholicorum Angliæ Jacobo I, Mense Julio A. D.

Atqui in his omnibus admiramur literarum formas erectiores, ad perpendiculum magis accedentes, æqualiore invicem proportione scriptas et depictas, et æqualibus fere distantiis disjunctas, et diversitatem Membranæ, et ornamentorum exteri opificii, quæ omnia simul sumpta, neminem effugere poterunt, in his rebus paulo versatiorem; præsertim si eadem methodo collationem Codicum Hibernensium cum istis instituere curabit, qua Anglo-Saxonicos a Dano-Saxonicis et ab Anglo-Normannicis distinguendos esse fatemur.

Chartam *Eadgari* dictam, quæ data dicitur Glocestriæ A. D. 964 *Indictione VIII, Regni sui VI,* in Bibliotheca Harleiana servatam, ut genuinam producunt Waræus, Usserius, et alii, qui Chartæ istius auctoritate in errorem inducti, *Eadgarum maximam Hiberniæ partem subjugasse* contendunt,

---

1604, et DD. *Sutclifo* in Responsione ad eamdem Apologiam pag. 87.—" *The very original.*"—Sequitur *Psalterium* S. Augustini, deinde Textus Evangeliorum S. Augustini, quem cum alio ejusdem Textu, pariter mutilo, adhuc extare arbitratur Wanleus; prior in Bodleiano, posterior in Biblioth. C. C. C. C; uterque litteris Majoribus et *Rotundioribus* Romanis, quæ a litteris indigenis Anglo-Saxonicis multum discrepant. In utroque extabant x Canones Eusebiani, siquidem in margine passim inveniuntur notæ et numeri ad eos pertinentes.—In Angliam ante annos 800 invectos fuisse, ostendunt distinctiones et emendationes Codicis Bodleiani, manu vetusta Saxonica scriptæ, et Testamentum Ealhburgæ in Codice C. C. C. C, circa annum 850 exaratum.—Extitit etiam, regnante Henrico V, Psalterium aliud S. Augustini, incipiens " *Omnis Scriptura Divinitus inspirata,* &c. ut in prædicto Catalogo MS. Aulæ S. Trinitatis Cantabrigiæ. Hunc Codicem inter deperditos deputat Wanleus. Extat autem in Biblioth. Cotton *Vespas. A.* 1, Psalterium D. Hieronymi Romanum, in quo habentur, litteris itidem Majoribus, sed *peregrinis,* ea omnia, Psalmis eodem ordine præposita, quæ in hoc Codice Gregoriano scripta esse dicuntur; unde alterum alterius apographum esse videatur.—Extat et S. Gregorii Liber *de cura Pastorali,* cujus meminit Ælfredus M. in Præfatione Poetica Versioni suæ præmissa, que Præfatio videri poterit in Exemplaribus MSS. Cotton. Tiberius B. V, et Bodleiano Hatton 88, et apud Hickes p. 3, et 78 ibid.—Extat ejusdem libri de *Curà Pastorali* Apographum vetus, Sæculi X, in Bibliotheca Stowense.

Jam vero de prædicto Evangeliorum Textu, in Col. C. C. C. l. 15 servato, Wanleus inquit, litteris Romanis Majoribus et *Rotundioribus* esse exaratum, haud tamen absque majoris momenti Lectionibus; et ab aliis antiquissimis Codicibus, quos *in Anglia* scriptos esse constat, cum quoad Membranæ faciem, tum quoad atramenti colorem, tum denique quoad litterarum ductum, maxime differre declarat. p. 15.

et Insulas Oceani usque Norwegiam.(1) At supposititiam esse, et post Normannicam Gulielmi I. Victoriam confictam, indicat scriptura *Anglo-Normannica*, ususque literarum *vu* pro Saxonica ƿ, et signa crucis ritu Normannico; et vox *Norvegia*, et literarum apices bicornes, quæ manum produnt Normannicam, et phrases Normannicæ quæ non semel in charta ista recurrunt.—Iam vero Codices Hibernici eadem methodo secernuntur ab Anglo-Saxonicis et Romanis, in quibus scribendis, nemo unquam *Mac Regol* Scriba invenitur, in casu nominativo; multo minus *Mac Reguil* in genitivo, ut in Hibernicis. Neque in Anglo-Saxonicis inveniuntur verba Hibernica *in ipso textu*, eadem manu scripta qua totus Codex; ut *muintir Benchuir* in Antiphonario Benchorense. Neque inveniuntur in Codicibus Hibernicis literæ *transversis lineis* scriptæ, Anglo-Saxonis propriæ, quas supra memoravi; quæ omnia simul sumpta, cum ipsa Codicum Historia, quæ eos ad *Columbanum* referunt, vel *Kilianum*, vel *Aidanum*, eorumve Discipulos et Scholas, argumenta suppeditant tam *intrinseca*, quam *extrinseca*, quibus eorum origo tam manifeste comprobatur, ut neminem effugere possit, nisi forte eos, quibus fucum facere valent Chartæ supposititiæ, quas obtrudit Falsarius ille Monachus Petroburgensis, qui Chronicon Saxonicum a Gibsono editum compilavit, ad annos 656, 675, et 963.(2)

---

(1) Vide Waræi Antiq. Hib. Lond. 1654, p. 23. Usser. Sylloge p. 121, et 163, Selden Mare clausum c. 12, p. 178, Spelman Concil. vol. 1, p. 434, Dugdal. Monast. vol. 1, p. 140.

(2) Omnes Chartæ Anglo-Saxonicæ Sigillo munitæ posteriores sunt Sæculo X, notante Ingulpho, ac proinde falsario tribuenda est Charta dicta *Æthelstani*, quæ incipit " *anno ab Incarnatione* 670 quæque in Exoniensi Ecclesia servate. *Æthel stanus* in Regem electus est anno 925.

Ejusdem furfuris sunt quæ de sede Episcopali Exoniæ leguntur in MS. Bibl. Bodl. Med. 76, olim ejusdem Ecclesiæ Exon. apud Dugdal. Monast. t. 1. p. 229, Dugdalus Chartas a Dodsworthо congestas absque discrimine vel censura vulgavit. Omnes porro qui supersunt Codices Anglo-Saxonicos, nova *Ælfredi Magni* manu Gallico Romana scriptos esse fatetur Hickesius t. 1, p. 168.

Fictitiæ sunt Chartæ Æthelbaldi Regis Merciorum in Historiæ Croilandensis pag. 2, ed. Oxon. et Chartæ Wulferi Regis Merciorum in collectione Cotton. 4, et Ceadwaltæ Wilfrido, ib. 91, et

Perantiquæ manus Anglo-Saxonicæ, quæ ante Ælfredi M. tempora in usu erat, exemplaria extare putat Wanleus in Charta lacera *Æthelredi* anni 692, et in Charta *Osheri* Reguli Huuicciorum, circa eundem annum, in Charta *Uhtredi* pariter Huuicciorum Reguli, quæ in Ecclesia Cantuariensi servantur, itemque in Charta *Offæ* Regis Merciorum anni 775, in Charta *Ceonwulfi* Merciorum Regis anni 816, in Charta *Werfrithi* anni 892, et *Wilfrithi* anni 922, in libro Philippi Presbyteri in Bibliotheca Bodleiana NE E 7, 8, et in Codice Bodleiano de *Officio Missæ*, ut apud Hickes. p. 176.—Jam vero in his omnibus literæ extant, quæ nusquam in prædictis Codicibus Hibernicis, vel in ullo Codice Hibernico inveniuntur. Illæ nempe quas Anglo-Saxonis Cantuariensibus et Orientalibus proprias esse dixi, quarum formas edidere Spelmanus et Hickesius, ut alibi indicavi.

CODEX XII.

In Biblioth. Col. C.C.C. OXX.

Codex nempe Canonum Synodi Hibernensis *Patricii*, *Auxilii*, et *Iserninι*, annum circitur 450 habitæ, cujus ita meminit Cl. Vir Thomas Astle in Ectypis in Bibliotheca Stowense.—"The above curious specimen is taken "from a collection of Canons, made in a Synod of three Bishops, viz. Patric, "Auxilius, and Iserninus, about the year 450, for the use of the Irish. This "MS. seems to have been written after the holding of the Synod above "mentioned." Astle's Ectypa MS. p. 36. Exhibet porro characterum spe-

---

Offæ Regis Anglor. ib. 95, et Charta illa splendidissima Eadgari Regis in Ecclesi Westmon. Archivis, quæ incipit *Regnante Dno nro Ihu Xpo*, et Chartæ duæ Latinæ in initio Collectionis Cottonianæ *Augustus* 2, quarum una memoratur in Angl. Hist. Script. X, col. 2207 ubi facta esse dicitur anno 679. Hiberni tot Chartas aut Codices in medium afferre nequeunt quot Anglo-Saxones, sed neque *figmenta* afferunt!

cimen ibidem, et in folio sequente 37, ubi literas initiales, ornatas et depictas, et abbrevationes pariter notat; quas omnes Hibernicas esse, ex nostro specimine manifeste patebit.

Hujus Synodi Acta edidit ex eodem Codice Spelmannus, in prima editione Concilior. Londini 1639, pag. 51, ubi et alterius Synodi S. Patricii Acta pariter exhibet, ex Codice Andegavense, transcripta a Sirmondo, qui ea ad illustrissimum Usserium transmisit.

Eadem Acta edidit etiam in tomo I Conciliorum Magnæ Britanniæ Vir Cl. D. Wilkins, Londini 1737, pag. 2, et pluribus notis illustraverunt Salmasius, Walkerus, et Wareus.(1)—Codicem hunc nostrum *veterem* esse narrat Spelmannus, alimuque *vetustissimum* extare inquit in Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiæ, pluries autem malesanum, et in locis quibusdam Doctorum implorans sagacitatem.

In Benedictino Codice Cantabrigiense, post finem primæ Synodi, i. e. post Canonem 34, immediate sequitur liber integer Canonum, e sacra Scriptura, aliis Conciliis et SS. Patribus excerptorum; inter quos tres Canones, a prædicto editi, et a Wareo, S. Patricio pariter adscripti leguntur; et deinde mox alii duo Canones, quorum posterior in Codice Cottoniano tit. 66 diserte Synodo Hibernensi adscribitur.

Capitula nonnulla, sive fragmenta, ex antiqua Canonum collectione libris 65, in Hibernia ante Sæculum VIII facta, edidit Cl. D'Acherius in Spicilegii tomo IX, ex *duobus vetustissimis Codicibus, Corbeiensi uno, et Parisiensi S. Germani altero.* His porro Marteneus et Durandus aliqua addiderunt ex Codice Bibliothecæ Bigotianæ Rotomagi, in tomo IV Thesauri Anecdotorum pag. I, ubi Marteneus in Præfatione admonet, se inter Codices Bigotianos

(1) Opuscula S. Patricio adscripta, Londini 1656, p. 31 et seq. Hujus Exemplar penes me habeo, Warei ipsius manu interlineatum, in quo plura extant quam in editis.

Rotomagi extantes, unum invenisse *elegantem, ante annos septingentos exaratum,* prædictam Canonum Hibernensium collectionem continentem, qui Fiscamnensis olim Monasterii fuisse videbatur; factaque ipsius cum editis collatione, animadvertisse se plures nec contemnendos Canones comprehendere, qui vel Acherii fugerant oculos, vel, quod probabilius est, in ipsius Codicibus desiderabantur. Post præfatam Canonum collectionem, in eodem Codice extant, Fragmentum Synodi *Hibernensis,* Gildæ Præfatio de Pœnitentia, Synodus Aquilonalis Britanniæ, altera Synodus Luci Victoriæ, excerpta quædam ex libro Davidis, Synodus dicta *Sapientia,* (1) Excerpta de libris Romanorum et Francorum, Canones *Adomnani,* Canones Synodi *Hiberniæ,* cum brevi libello *De remediis peccatorum,* octo constante Capitulis, ex Scriptis Theodori, quæ necdum in lucem prodierunt; "quibus in omnibus, etsi subobscurum nonnihil reperias, quod Hibernensibus innatum fuisse videtur, ea tamen, inquiunt, ab eruditis viris minime spernenda speramus." (2)

Alia notanda de Codice Dubliniense de quo supra, p. clxxxii.

Quæ de Ceaddæ et Cuthberti Codicibus dicta sunt, ea, a fortiori, de Codice Evangeliorum Dubliniense dicenda sunt, quem *S. Columbæ* manuscriptum fuisse, antiqui scriptores, et doctissimus Usserius retulerunt. Quidquid enim de Amanuense censeatur, sive *Columba* fuerit, vel *Comgallus,*

(1) " Quænam fuerit Synodus ista; utcumque colligimus ex *Fragmento* Synodi Hibernensis, ubi percussorem Episcopi, *Sapientes crucifigi* judicant. Itaque Synodus *Sapientia* et *Hibernensis* unicam constituere videntur, celebratam tempore S. Patricii." Not. ib. p. 10.

(2) Thesaur. Anecdot. ib.—Fragmentum Synodi Hibernensis hæc habet de *Scribis,* ibidem, p. 6. " Sanguis Episcopi vel excelsi Principis, *vel Scribæ,* qui ad terram effunditur, si collirio indiguerit, eum qui effuderit Sapientes crucifigi judicant...... *Patricius* dicit—omnis qui ausus fuerit ea quæ sunt Regis, vel Episcopi aut Scribæ, furari, aut rapere, aut aliquid in eos committere, parvipendens despicere, vii. Ancillarum pretium reddat, aut vii. annis pæniteat, cum Episcopo vel Scriba."

aut aliquis e Discipulis eorum, at certe hoc plane constat, scriptum fuisse antequam Danorum incursiones vetera instituta turbaverint, et scribendi formam elegantiorem, quæ a Sæculo v. in Hibernia prævaluit, in magis cursivam et angularem mutaverunt.

Hunc mihi Codicem perhumaniter ostendit, dum Dublinii, mense Augusti elapso versarem, vir doctus T. Elrington, Collegii Dubliniensis Præpositus, quo favente hæc pauca colligere licuit, et Doctorum arbitrio atque humanitati exhibere.

Servatur in interiori Bibliotheca Codicum Manuscriptorum, Bible Class, Tabula iv, No. 5, ad dexteram ingredienti. Tria prima folia chartacea sunt et vacua, nisi quod in primo, manu Roderici Flahertei hæc scripta leguntur. " Inscriptio Hibernicis literis incisa *Cruci argenteæ*, (1) in operimento hujus libri, in transversa Crucis parte, nomen Artificis indicat, et in longitudine, tribus lineis a sinistra, et totidem dextera, ut sequitur—*Orait acus bendacht Choluimb-Chille do Fhland mac Maoilseachnaill, do Righ Erenn las, an dernadh an Cumdach.* Hoc, est, Latine—Oratio et benedictio *S. Columbæ-Cille* sit Flanno filio Malachiæ, Regi Hiberniæ, qui hanc operimenti structuram fieri fecit.—Flannus hic Rex Hiberniæ decessit viii. Kal. Maii, et die sabati, ut in MS. Codice Hibernico, quod *Chronicon Scotorum* dicitur, anno æræ Christianæ vulgaris 916. Hanc inscriptionem interpretatus est Rodericus O'Flaherty 19 Junii, 1677. Liber autem hic scriptus est manu *ipsius B. Columbæ*, per spatium xii. dierum, anno D. 500." (2)

Erravit quidem Flaherteus, asserens scriptum fuisse hunc Codicem manu S. Columbæ anno 500, alibi enim demonstravi S. Columbam obiisse anno

---

(1) Deest jam Crux ista, deest et operimentum vetus de quo agitur.

(2) Eadem fere de hoc Codice narrat in Vocabulario Hibernico *O'Brianus*, voce *Cumhdach*, ubi inquit se ista legisse, manu Flahertei scripta in *Codicis folio* 434, quod erroneum est, cum legantur in folio 1 Chartaceo.

596, ætatis suæ 77. (1)—At tamen ex S. Columbæ Schola Codicem hunc insignem prodiisse, plura indicant, ut diligenter inspicienti patebit.

Fol. 1. Membr. (2) Adhæret folium primum *Membranaceum* vetus folio 2do Chartaceo, exhibetque eamdem libros ornandi methodum, quam in vetustissimis Hibernicis, in *Rushworthiano* et *Kildarense*, in *Ceaddæ* et *Cuthberti* Codicibus, doctissimi Viri laudaverunt; variæ lineæ, variis coloribus invicem intertextæ, id ostendunt quod alibi luculenter demonstratum esse confido, in præcipuis Hibernorum Monasteriis, Monachum semper adfuisse, *Scribam* appellatum, et *Librorum Pictorem*, ut supra, pag. xi, xii, xix, xxviii, ccxxxvii, et in Annalibus Ultoniensibus, p. 139 et 168.

Fol. 2. Membr. Adhæret folium hoc 2dum tertio Chartaceo, in cujus prima pagina hæc manu Usserii scripta sunt—" *Liber S. et Individuæ Trinitatis Collegii juxta Dublin, ex dono Rev. in Xpo. Patris Episcopi Midensis.*" Ab altero latere, antiquo nempe Membranaceo, vetera sese offerunt ornamenta, lineis, ut supra, eleganter intertextis, rubris, flavis, purpureis, et violaceis coloribus depicta, quæ marginem exhibent quadrilaterum, in cujus areæ medio, Crux iisdem Coloribus et lineis pulchre delineata conspicitur, et in quatuor spatiis. quæ a Crucis crure et brachiis formam quadratam sibi vindicant, quatuor depictæ sunt figuræ, quæ quatuor Evangelistas repræsentant, idque stylo elegantiori quam in Codicibus Ceaddæ et Cuthberti.—Alia similiter depicta, miniatis coloribus, atque lineis in margine intertextis nitidissime ornata, conspiciuntur in folio quarto.

Fol. 5. Incipit in folio 5 Hieronymi Epistola " *Novum opus facere me cogis,*" *&c.* unde sequitur hanc esse Vulgatam Versionem S. Hieronymi, non vero veterem Italicam, quod ideo notandum duxi, quia Waræus, in notis ad S. Patricii *confessionem*, p. 94, istius *confessionis* antiquitatem demonstrare contendit, ex eo quod S. Scripturam citat e Versione lxx. Interpretum, non autem e *tum recenti* versione S. Hieronymi, quæ S. Patricii ævo non fuit communiter recepta. Et certe antiquam Italicam in usu fuisse in Hibernia usque ad annum 815, indicat Usserius, in Tractatu de Religione veterum Hibernorum. At S. Hieronymi versionem in Hibernia invaluisse sæculo sexto, patet ex operibus S. Columbani, atque ex Adamnani Opere de Vita Columbæ, ex Cumeani Epistola ad Segienum Hiiensem, et ex veneratione ipsa qua S. Columbanus et veteres Hiberni ubique de S. Hieronymo loquuntur.—S. Hieronymi Versionem ubique in Gallia, et Hispania, et Anglia, invaluisse Sæculo vii, satis superque demonstrant opera Bedæ et Isidori. (3)

Fol. 7. Continet interpretationes nominum Hebræorum.

---

(1) Prolegomena, p. cxxxix. (2) Tria prima folia Chartacea sunt, ut supra.

(3) S. Isidorus anno 630 inquit—" Hieronymi editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit, &c. l. 1, Offic. c. 12.

Fol. 8. Canones Eusebii, sequuntur, quibus Sectiones Hieronymianæ adhærent.

Fol. 11. Incipiunt *Breves Causæ* Evangelii secundum Matthæum, nempe argumenta divisionum istius Evangelii, quæ sunt numero 78, dum Marci divisiones seu sectiones sunt 35. Vetera exemplaria Græca divisa erant, juxta Suidam, in 68 Titulos, et 355 Capitula brevia, S. Marci in titulos 49, Capitula brevia 236. (1)

Fol. 15. b. *Brevibus Causis*, sic dispositis ad modum Indicis, sive *Elenchi contentorum*, hæc leguntur folio 15—" *Rogo beatitudinem tuam S. Praesbiter Patrici, ut quicumque hunc libellum manu tenuerit, meminerit Columbae Scriptoris, qui hoc scripsi mihimet Evangelium per* xii. *dierum spatium......Dni nri SS. h.*—Deinde, manu recentiore, sed tamen antiqua—" Ora pro me frater mi, Dus tecum sit."

Fol. 16. Folium hoc ornamenta exhibet similia prioribus, et in secunda ejusdem pagina quædam leguntur *lingua Hibernica*, a Rege Flanno ad libri conservationem ordinata, sed tabe ita corrupta, ut vix hinc inde legi possunt verba disjuncta, quæ sensum finitum nullibi efficiunt. Litera i nusquam in toto Codice vel puncto vel accentu notatur.

In Codicis Textu verba non raro ita scripta sunt, ut plura unum videantur, quod librum indicat scriptum ante Sæculum viii, ut et interpunctiones hæ ., quæ plenum sensum indicant, et . ., quæ pleniorem, et . . ., quæ absolutum et plenissimum denotant, satis clare demonstrare videntur.

Numerus Romanus u brachii dexteri prolongatione, sic ų, indicat vi, et ita plerumque, imo ubique, scribitur ad exprimendos numeros *septem*, *octo*, *novem* ut ųi, ųii, ųiii, item 17, 18, 19, ut xųi, xųii, xųiii, item 27, 28, 29, ut xxųi, xxųii, xxųiii, et sic de cæteris—Jam vero ex Waltheri Lexico Diplomatico, Tabula 225, numeri Romani ita scripti invaluere inter Latinos, Sæculo 4to et 5to, atque in Hiberniam iis temporibus a Cælestio Pelagiano, et postea a S. Patricio, istam numerorum formam invectam fuisse, minime dubitandum puto, cum a Sæculo ųii desierint ita scripti, neque in Codicibus a Sæculo viii exaratis inveniantur.

Punctum simplex . aliquando occurrit, sed raro, idque potius pro suspenso quam pro finito sensu. Præterea litera A sic scripta  Sæculum vii

(1) Simon Critical Hist. of the Text of the New Test. Lond. 1689, part ii, p. 181.

redolet potius quam viii, ut in Dictionario Diplomatico Benedictino Dom de Vaines, Paris. 1774, t. 1, Pl. 1, Capital des Manuscrits, fig. 1.

In hoc Codice præterea numeri Romani iv. nunquam sic scripti leguntur, sed sic iiii, nec novem sic ix, sed ꝗiii. neque numerus x, ad istam formam, angularem sed eleganter forma rotundiore.

Ad calcem Evangelii S. Lucæ hæc leguntur—" Miserere Dne Naemani filii Nech—Naemanus O'Donnel floruit anno 1480-1490."

Hæc indicant familiam *O'Donnell* hujus Codicis olim conservatricem, atque e Columbæ schola prodiisse. O'Donnelli enim, e Conalli Gulbanii stirpe, oriundi, a quo O'Donnellorum Regio *Tir-Conal* dicta est, S. Columbam ab eodem Conallo genus traxisse jure merito gloriabantur, (1) eumque omni ævo ut *Patronum* coluerunt, uti patet ex Vita Columbæ scripta per Magnum O'Donnell anno 1520.

Hæc sunt quæ de Hibernorum Codicibus, ante Danorum adventum exaratis, dicenda proposui.—Liceat, jam pauca de eorum *Scholis* in Anglia subjungere, ut tota hæc Epistola, quam nimium in longum produxi, ad optatum finem perducatur.

De Scholis Hibernorum in Anglia.

Sepositis jam prædictorum Codicum characteribus, ornamentis, Abbreviationibus, orthographia Hibernica, cæterisque adminiculis, quibus Hibernicos esse contendo, eæ quidem leges Historicæ, quibus aliarum rerum origines declarantur, plane prohibent, quominus aliam quam Hibernensem originem istis

---

(1) Id expressis verbis asserit Adamnanus qui ante Bedam floruit, in Vita Col. l. 1, c. 1.

characteribus tribuamus. Anglosaxonum enim literas ex Hibernorum Scholis prodiisse, non modo Camdenus, ex literarum forma, sed et *Beda*, et *Aldhelmus*, et *Alcuinus*, Ecclesiæ Anglosaxonicæ illustrissimi Patres, grato animo fatentur. (1) Neque id de solis Nordanhymbris, ab Humbro ad fines Pictorum, et de Pictis inde ad Insulam *Hiiensem*, testatur Beda, (2) sed etiam de *Mediterraneis*, et *Occiduis*, et *Orientalibus*, et *Merciis*, qui, cum Nordanhymbris, totam Angliam hodiernam tenebant, iis regionibus exceptis, quæ a Tamesi tendunt ad mare, usque ad *Vectam* Insulam, ex una parte, atque inde Abingdoniam versus ex altera. Occidui enim regiones tendebant a Sabrino usque Cornúbiam, in quibus plurimæ Ecclesiæ nomina vetera Hibernica retinent usque in hodiernum diem, ut *Maildulfi* Urbs, hodie *Malmesbury*, condita a Maildulfo Hibernense, cujus Discipulus *Danihel*, primus fuit Occidentalium Saxonum Episcopus, primus qui potestatem Episcopalem habuit in Insula Vecta, (3) quique Bedæ auxilio fuit in condenda

(1) Vide vocem *Anglosaxones* in Indice. Astle de Orig. Scrib. fol. p. 119.

(2) Bed. Hist. l. 3, c. 4, Adamnan de Vita Columbæ passim. "To a late period, the only common Clergy in Scotland were Irish, as is clear from there being no Pickish (lege *Pictish)* Saints or Churchmen to be found in history or Sanctology, from Hyona being the Seminary of the Pikish Church, and from such fragments of our history as remain, which bear Irish epithets, names, &c. and which were certainly written by the Clergy, the only literati of the time. The offices of the Church were performed in Latin, nay, the Homilies preached in that language, as appears from those of Beda and others, and as all conversant in Ecclesiastical History know. Even in England, as appears from Beda, most of the Clergy were Irish, and came from Ireland and Hyona to English Sees at once." Pinkerton's Enquiry, Lond. 1789, t. 2, p. 278,

Hæc certe confirmantur a Beda, l. 3, c. 21, ubi de Provincia *Mediterraneorum*, sub Rege Peada, Christiana facta, prædicantibus Discipulis *Aidani*, et *Finani*,—item, l. 3, c. 21, et 24, de *Merciorum* natione ad fidem per eosdem conversa,—item, l. 3, c. 18, 19, et 22, de *Orientalibus* Anglis a *Fursei* et *Finani* Discipulis in fide eruditis,—et l, 5, c. 18, ubi *Occidentales* Saxones ex Schola *Maildulfi* disciplinas suas hausisse declarat, *Danihele* ejus ~~discipulo~~, ~~*primo* eorum~~ Episcopo, et ~~deinde~~ *Aldhelmo*, quem *Maildulfi* Discipulum fuisse omnes docti fatentur.

(3) Bed. l. iv, c. 16. Malmesb. Reg. Angl. l, 2. Monasticon Angl. I. 50, Leland Collect. iii, 158.

Historia sua, ut ipse in Præfatione testatur. Maildulfi discipulum fuisse *Aldhelmum,* qui primus Anglosaxonum Carmina Latine composuit, alibi indicavi. (1)

Ut *Maildulfi* urbs, et Schola, originem habuere Hibernensem, ita etiam Ecclesia *S. Ciarani,* hodie *S. Piran in the sands,* in Cornubia, (2) *Mauditi Castrum,* hodie *S. Mawes,* ubi etiam fons Sacer S. Mauditi, (3) *S. Budoci* Hibernensis Ecclesia, *S. Jae* Insula et Ecclesia de *Pendinas,* (4) *S. Moguini* Ecclesia de *Mogun-Creek,* (5) *S. Germoci* Ecclesia, sepulchrum, et fons Sacer, tribus miliaribus a Monte S. Michaelis, (6) *S. Burianæ* Ecclesia, (7) *S. Erthi* Ecclesia Parochailis, *S. Cuæ* Ecclesia Parochailis, *S. Thadæi* Ecclesia Parochalis, *S. Lidæ* Insula et Ecclesia, *S. Breacæ* diversæ Ecclesiæ in Cornubia, memoratæ a Lelando, *S. Senani* oppidum, S. Mawnouni Ecclesia, et pluræ aliæ, quas longum esset enumerare. (8)

Nullum, denique, *fidei Christianæ signum,* in tota Berniciorum gente erectum fuisse, narrat Beda, priusquam Oswaldus, ab Hibernensibus eruditus, S. Crucis vexillum in Campo *Hefenfelth* erexit anno 635. (9)

Initia habuit ab *Aedano* nostro non solum prima Nordanhymbrorum

---

(1) Prolegom. p. clxxxii. Whartoni Anglia Sacra, t. ii,—x Scriptores, p. 758,—Scriptores xv, p. 309.—Danihelis Epistolæ extant in Bibliotheca Patrum, t. xiii.

(2) Distat milaribus 15 a Padstow. Lelandi Collectanea ed. Hearne, t. 3, p. 10, et 174. Tinmuthensis et Henschenius ad 5 Martii.

(3) Lelandi Itiner. t. ix, p. 79, t. iii, fol. 13, alias 19, et fol. 35, alias 49.

(4) Distat miliaribus 18 a S. Piran. Confer Vitam *Jae,* Leland Coll. t. 3, p. 11. *S. Carantoci* Hiberni Ecclesia a S. Pirano distat mil. 2.

(5) Leland Coll. t. 3, p. 10, et 174.

(6) Leland Itin. Hearne, p, 5, 6.

(7) Huic Ecclesiæ Athelstanus Sanctuarii Privilegia concessit, anno 936. Leland Collect. t. 3, p. 7, 8.

(8) De his consulendus Lelandus in Itinerario.

(9) Bed. l. 3, c. 2 et 3. Vide Vocem *Anglosaxones* in Indice.

schola *Lindisfarnensis*, verum et secunda *Mailrosensis*, in qua *Cuthbertus*, pariter noster, literis, sub *Eata* et *Boisilo*, Aidani Discipulis, imbutus est. (1)

" Ex Aedani schola, inquit doctissimus *Smith*, illustri prodiere Viri, et *eruditionis fama*, et *celebritate nominis florentissimi*, quorum ex doctrina et industria, fructus cepit uberrimos, tam Ecclesiastica quam Literaria Respublica; nec pejus de Ecclesia merita est Monasterialis schola *S. Hildæ*, Aedani Discipulæ, apud *Streneashalch*." (2)—Aedano et ejus Discipulis, *donabantur possessiones et territoria*, inquit Beda, ad instituenda Monasteria; *Præceptoribus Scottis Parvuli Anglorum, una cum Majoribus*, imbuebantur studiis." (3)

Hæc studia non tantum S. Scripturas respiciebant, sed, ut alibi indicavi,(4) *septem Artes liberales* complectebantur,—*Grammaticam* nempe, *Geometricam*, *Physicæ* Artis Machinas, *Arithmeticam*, *Musicam*, *Astronomiam*, et *Metricam*. (5)—Neque ab alio fonte Codices *Cuthberti*, aut *Ceaddæ* peti possunt,

---

(1) *Cuthbertum* Hibernensem appellat Turgottus vel Samuel Dunelmensis, qui ejus Vitam ex Dunelmensibus schedis edidit anno 1160, ut supra p. ccv-vi. Butlerus quidem *prope Mailros* natum asserit, verum id gratis, *tacente* Beda, imo vero erronee, *contradicente* Turgotto.—Hibernensem fuisse scribit Usserius, Primord. p. 945.—In Codice Cottoniano de Vita Cuthberti, natus dicitur prope *Cenanus*, hodie Kells, in Hibernia. Confer Colgani Acta, p. 659.

" Intravit *primo* Cuthbertus Monasterium *Mailros*, quod tunc Abbas *Eata* regebat." Bed. l. 4, c. 27, et in Vita Cuthb. c. vi. Intravit nempe *puer*, anno 651, quo Aidanus obiit. id. et Mabil. Annal. Bened. t. 1, p. 416. " Erat *Eata* unus *e duodecim Pueris Aidani*, quos, *primo Episcopatus sui tempore*, de natione Anglorum erudiendos in Christo suscepit." Bed. l. 3, c. 26.

(2) Appendix xv. ad Bed. ed. Cantabr. p. 725.

(3) Confer Annot. ad Annal. Ult. a p. 125 ad 134, cum Beda supra. p. v.

(4) Annot. ad Annal. Ult. p. 170, &c.

(5) Ars Metrica antiquissima erat inter Hibernos, ut patet ex iis, quæ de *Cronano* Poeta habet Adamnanus, et quæ de *Dubthaco* et *Fortcherno* alibi retuli.—Artem istam inter Celtas invaluisse patet ex Cæsare de Bello Gal. l. 6, et ex iis quæ de Turditanis refert Strabo, ut in Dissert. Prælim. ad Annales *IV Magistrorum*. A Celtis transiisse ad Latinos Artem Rhythmicam similiter desinentium, vel ex eo patet, quod omnium Latinorum antiquissimus, qui Carmina similiter desinentia

quam ab istis Hibernorum Scholis, ubi prima literarum rudimenta viri isti sanctissimi didicerunt; non enim alios ritus vel alia exempla sequti sunt, vel Rex *Oswiu*, qui, narrante Beda, "a Scottis edoctus et baptizatus, illorum *etiam lingua optime imbutus, nihil melius quam quod illi docuissent* autumabat, (1) vel *Cedda*, qui erat de Discipulis Aidani, *eisdemque actibus ac moribus*, juxta exemplum ejus, ac fratris sui *Ceddi*, suos instituere curavit auditores." (2)

Narrat quidem Beda Saxones Orientales Episcopum *primitus* recepisse a Cantiis, nomine *Felicem*, annum circiter 630, l. 3, c. 18. At paulo postea, ad annum 653, subjungit Gentem istam, fidem, quam non nisi summis labiis, predicante Felice, degustaverunt, *jamdudum abjecisse*, nec postea recepisse,

---

composuit, fuit Damasus, natione Hispanus, A. D. 350. Vide opera ejus optime edita a Merenda Romæ 1754. Confer Muratori Notas in Poemata Paulini, et Maitaire Corpus Poetar. p. 1579, ubi Damasi Carmen extat de Agatha Martyre.

Martyris ecce dies Agat*hæ*,
Virginis emicat exim*iæ*,
Christus eam sibi qua soci*at*,
Et diadema duplex decor*at*.
Stirpe decens, elegans speci*e*,
Sed magis Actibus atque fide.
Terrea prospera nil reput*ans*,
Jussa Dei sibi corde lig*ans*,
Fortior hæc trucibusque *viris*,
Exposuit sua membra *flagris*,
Pectore quam fuerit val*ido*,
Forta mamilla docet pat*ulo*.
Jam renidens quasi sponsa po*lo*,
Pro misero rogita Dama*so*,
Sic sua festa coli fac*iat*,
Se celebrantibus ut fav*eat*.

(1) Beda ib. et Annal. Ult. p. 127, &c. Prolegom. p. cxix, clxxxii, supra p. clxxv. Neque solum Hibernorum mores amplectabantur, sed Romanos respuebant; atque ideo *Cuthbertum* et *Eatam*, eorumque socios et Discipulos a Wilfrido postea e *Hrypensi* schola ejectos, Beda non semel declarat, l. 3, c. 25. et in Vita Cuthb. c. viii.—Erravit certe doctissimus Mabillonius, in notis ad Vitam Cuthberti, Act. Ben. Sæc. ii, p. 878, ubi Cuthbertum non Scotticos sed Romanos ritus accepisse asserit. Rectius Bollandini Textum Veteris Anonymi de Vita Cuthberti eo loco interpolatum notaverunt.

(2) Bed. l. 3, c. 23, et iterum c. 28. Cedda item ordinatus ab Hibernis, ab eorum parte stetit cum *Hilda* Abbatissa, quæ præfuit in Synodo de *Streanashalch*, ubi, cum utramque linguam, Hibernicam et Saxonicam, intelligeret, Interpretis officio fungebatur. Bed. l. 3, c. 25.

donec prædicantibus *Aidani* et *Finani* Discipulis, Rex eorum *Sigberctus* baptizatus est cum suis a *Finano*, a quo discipulos accepit qui prædicarent Genti suæ, " qui *cum omnia perambulantes, multam Domino Ecclesiam congregassent, Finanus fecit Ceddam Episcopum in Gentem Orientalium Saxonum,* cui successit frater ejus *Ceadda*, qui erat de Discipulis Aedani, *eisdemque actibus ac moribus*, &c. uti supra.

Contendit Vir doctus, J. Smith, in Appendice xiv. ad Bedam, Scholam a Sigbercto institutam, (Bed. 3, c. 18.) non aliam fuisse quam Cantabrigiensem! Quamvis autem id se *satis feliciter* ostendere glorietur, p. 739, paulo postea, penitus *incerta* esse inquit, omnia quæ de suis Originibus, tam a Cantabrigiensibus, quam ab Oxoniensibus, in medium afferuntur. (1)

Fatetur præterea eundem Sigberctum eum fuisse, " qui locum, *Cnobbersburg* dictum, *Furseo* Hibernensi ad monasterium condendum tradidit, quod *velocissime construxit*, ac Regularibus instituit Disciplinis, quodque Rex Provinciæ illius Anna, Sigbercti successor, ac nobiles quique augustioribus ædificiis ac donariis adornarunt,"(2) neque ullam aliam indicat Beda Sigbercti Scholam, vel ad alium locum, aut aliud tempus appellat, ut Smithus ipse fatetur. (3)

" At, inquit Smith, tempora non conveniunt. Sigbercti Schola, a Beda " memorata, Fursei adventum præcedit; et qui Sigbercti regnum ordiuntur

---

(1) Appendix xiv, p. 740. " Plane *falsa*, vel saltem *dubiæ incertæque fidei*."—Deinde, *Fursei* scholam penitus omittens, subjungit, " quod si Sigbercti schola non fuit *Grantæ* instituta, versimillimum est eam positam fuisse vel in Civitate *Domnoc*, in qua Felix sedem Episcopatus acceperat, vel apud *Seham*."

(2) Bed. l. 3, c. 19.

(3) Plures quidem ad hunc locum assignant Sigbercti Scholas Historici recentiores, Malmesburiensis, Florentius, Huntingdonus, &c. At, Smithus ipse recte ait—" Beda *de una tantum loquitur*, in qua cæpta fuit scholarum institutio, et in qua eminentior apparuit." Nota 23 ad Bed. l. 3, c. 18, p. 121.

"anno 636, Fursei introitum in Angliam ponunt anno 637, quod *citius* "*est quam par.*" (1)—Cur quæso citius?—nempe ut gloriam Furseo debitam tribuat Cantuarensibus!—Nullam omnino, nec unam, in medium affert, hujus tam præcipitis judicii ratiunculam! imo vero Textui Bedæ aperte contradicit, eique propriam de Schola Cantabrigiense opinionem, chronologia repugnante, opponit! Sigbercti enim regnum Beda in Textu auspicatur ab anno 631, (2) et ipse Smith in nota ad locum istum, Florentii, Mathei, et Chronici Saxonici calculos egregie refellit, qui, repugnante Beda, Sigbercti initia referunt ad ann. 636. (3)—Atqui Beda Cnobbersburgense Monasterium a Furseo conditum refert ad ann. 633. l. 3, c. 19.

At—" Furseus non advenit in ipso regni Sigberctini *initio*, sed tantum *dum regni infulas teneret*, nec deposuit Rex infulas nuperrime acceptas, sed *ad ultimum* tantum, relictis Regni negotiis." (4)

Miror sane! Scribit vir doctus, ac si nesciret quæ ipse paulo antea demontravit, Beda declarante, Sigbercti regnum non plures perdurasse quam *quatuor* annos ab anno 631.

Bedæ narratio plane hæc est, Sigberctum, ad regnum evectum anno 631, paulo postea scholam instituisse, juxta morem quem, in Gallia exulans, didicit, et *ad ultimum*, relictis regni negotiis, Monasticam vitam amplexum esse anno 634. Hæc habet Beda l. 3, c. 18, et deinde, in proximo Capite 19, inquit Furseum ex Hibernia in regnum Sigbercti advenisse, et Monasterium Cnobbersburg condidisse anno 633, adhuc *infulas retinente Sigbercto*, qui anno 635 a Peada, Rege Ethnico Merciorum, occisus est. (5)

In his immorari non est animus,—sed cum viri alioquin doctissimi Codicum Hibernorum, et Scholarum Hibernensium in Anglia antiquitatem celare

---

(1) Smith nota 7, ad Bed. l. 3, c. 19, p. 122. (2) Hist. l. 2, c. 15, lin. 16, p. 96.
(3) Ibid. not. 10. (4) Nota ad Bed. l. 3, c. 18, p. 121. (5) L. 3, c. 18.

potius studeant, quam ea qua decet humanitate extollere, liceat hæc veritati consulentibus breviter indicasse.—Annales Ultonienses, quos Solis et Lunæ Eclipses exactissimos esse demonstrant, *Furseum* in Hibernia celebritate florentem referunt, antequam Angliam adventasset, anno 627, "postquam *integro decennio,* ut in vetere ejus Vita legimus, (1) Verbum Dei, per universam Hiberniam omnibus populis Scotorum annunciasset." Hæc plane indicant Fursei tempora antiquiora esse, quam Smitho videbantur.

Et quidem, ex Eclipsi Solis anni 650, obiisse patet annum circiter 648; (2) quamvis Sigbertus ejus obitum referat ad ann. 687; certissime enim constat e vita migrasse ante obitum *S. Agili* Resbacensis, Discipuli S. Columbani, (3) qui obiit iii Kal. Sept. anno 650, eo ipso anno quo Sigebertus, Rex Austriæ, regnum istud reliquit filio Dagoberto, qui per Grimoaldum, in Hiberniam eodem anno relegatus est, nec restitutus usque ad annum 675. (4)

Fursei discessum ex Anglia refert ipse Beda ad annum 634, quoin Galliam veniens, "a Rege *Hloduio,* vel Patricio *Erconwaldo,* honorifice susceptus, *Latiniacum* condidit," l. 3, c. 19.—Obiit deinde anno 648, et sepultus est in Monasterio a fratre suo Ultano paulo postea condito *Perronæ,* ubi Monachi Hibernenses perstitere usque ad annum 981. (5)

---

(1) Vetustissima Vita Fursæi a Beda memoratur, l. 3, c. 19. Adde alias in Annal. Ult. p. 185, et *Dicuilli* opus, editum in t. 1, Histor. Francor *Andreæ Du Chesne,* Paris, fol. 1636, p. 657. De Dicuillo Fursæi Discipulo vide Annal. Ult. ib. De alio Dicuillo Hibernense scriptore Sæc. ix. ibid. p. 186. Tertium *Dicuilum,* sive Deicolam, S. Columbani Socium memorant, Antiqui Hagiographi.

De Furseo agunt Annales Metenses Sæc. ix. in Maurina editione—"Recueil des Historiens des Gaules, t. 2, Paris, fol. 1739, p. 680. Extat Vitæ a Beda memoratæ fragmentum, ib. t. 3, p. 539, et in Aimonio Floriac. de Gestis Francor, ib. p. 40, c. 18, et in Chronico S, Dionysii, ib. p. 172, et 304,—item Mabillon Acta, Sæc. ii, p. 310. Vitam a Chesnio editam vetustissimam appellat Valesius, Notitia Galliar. p. 290, et 442.

(2) Supra, p. xcii, cxx.

(3) Auctor æqualis vitæ S. Agili inquit—"Hospitalitatis amator, cum *multos* ex Hibernia Resbacum, *S. S. Columbani* et *Audoeni* amore, adventantes excepisset, modico, quod in usum Sacrificii supererat, vino, totam multitudinem abunde refecit." Apud Mabil. Annal. Bened. t. 1, p. 412.

(4) Annal. Ult. p. 188.

(5) Mabillon Annal. t. 1, p. 411.

Columbanus ex Hibernia, *cum duodecim sociis*, in Galliam perrexit anno ætatis xxx, et " conditis Monasteriis *Anagratense, Luxoviense*, et *Fontanense*, Francorum animos, Smitho ipso fatente, ad ingenuarum doctrinarum scientiam adeo accendit, ut brevi, Schola ejus Luxovii, *ingenti Discipulorum frequentia* et copia augeretur." (1)—Natus ante ann. 520, ut in notis ad Annales Ulton. p. 180, ex Hibernia exiit, cum *Sociis duodecim*, annum circiter 550, non modo juxta computum e Lectionario Luxoviense deductum, sed juxta computum etiam *Jonæ*, Discipuli ejus, collatum cum Epistola ipsius Columbani ad *Fridolium*, scripta ante annum 612.

---

(1) Smith Appendix XIV ad Bed. Annal. Ult. p. 180.—Notanda sunt quæ de Hibernorum Scholis in Gallia declarat doctissimus Valesius, in Notitia Galliar. Paris. fol. 1675, p. 442. "Quod autem supra dixi, *Perronam Scotorum Monasterium, et Perronam Scotorum* olim nuncupatam esse, nemo mirari debet, nam multa in Gallia a Scotis Hibernis Monasteria olim exstructa sunt; in primis *Latiniacense* a *Furseo*, a fratre ejus *Foillano* Fossense, ab *Ultano* amborum Germano Perronense, S. Fursei tumulo inclytum, a *Sidonio* Fursei Populari, et, ut putant, propinquo, in Caletis Monasterium S. Sidonii, hodie *S. Saens*, *Luxoviense* a Columbano, a Gallo ejus Populari ac Discipulo Monasterium *S. Galli*. Monasteria *S. Martini*, et *S. Pantaleonis* in Urbe Colonia Scoti quoque rexere; omitto *Bobium* in Italia, et Cœnobium *S. Petri* in urbe Toringiæ Erfesfordia, quod Monasterium Scotorum Lambertus Schafnaburgensis vocat."—His adde Scholas *Kiliani* Wirtziburgensis, *Faronis* de Meaux, *Fridolini* Seckingensis, de qua Molanus in additamentis ad Usuardum, Bollandiani ad VI Martii, Maurini in t. 3. Rer. Gallicar. Paris, 1741, p. 388, Le Coint ann. 509, et Schola *S. Livini* in Brabantia.—Livinum in Schola Cantuariense educatum asserit, ex Bonifacio, Smith ad Bedam, p. 725. Errorem autem Bonifacii recte notavit Mabillonius Annal. t. 1, p. 413.

Usserius Columbani in Galliam adventum, et Luxoviense monasterium ab eo conditum, refert ad annum 589, in Indice Chronolog. p. 148, ex *Mariani Chronico*, Basileæ 1559, itemque in Primord. p. 735. At Columbanus per Britanniam transivit, ibique antea commoratus est, ab anno 550.

In solo *Fontanense* 60 fratres fuere, testante Jona, ac Fontanensi simul et Anagratensi Præpositi constituti, qui regerent sub *Columbano*, et sub Principe Monasterio *Luxovii*, aliorum Capite. *Hinc*, inquit Mabillonius, *origo Prioratuum*, annum circiter 591.

EPISTOLÆ HUJUS EPILOGUS.

Dum hæc scriberem, et tam *Mariani* Scoti Codicem Cottonianum *Nero C. V*, quam *Chalcidii* Opus Bodleianum, Characteribus Hibernicis scriptum, et Codicem *Laud F.* 95, cui titulus *Psaltar na rann*, describere pararem, pervenit,—proh dolor! de obitu Summi Viri, cui hæc studiorum meorum inscribenda erant monumenta, mæstus rumor, lugubris, et tristissimus Nuncius!

Obruimur omnes rei magnitudine! Desideratissimæ conjugis recenti et acerbo funeri superadditur funus! nempe quia inclitæ Mulieri, tot titulis amabili, non nisi paucis mensibus superesse poterat, qui eam tanto animi affectu desideravit!—Silet jam, per has spatiosissimas Ædes, hospitum consueta hilaritas! mœnia alta, meatus, atque ambitus, paucis abhinc mensibus fæstivitate et lætitia domestica resonantes, nunc tristes, et taciturni, et ipsi lugere videntur!—Vastum ubique silentium!—Ingens Domesticorum luctus!—Propinquis quippe et alienis juxta venerábiles, dum summam fortunæ retinerent, invidiam tamen et arrogantiam ita effugerant, ut nec invidos nec inimicos haberent præter ignotos!

Heu! cui jam meum sudabit qualecumque ingenium! cui labores placere gestient?—Stupet animus?—deficiunt vires! et quotiescumque scribere aggredior, toties, renovato dolore, implentur oculi!—Patroni! Amici! eheu! Umbræ nunquam non deflendæ Valete—

Semper honos, nomenque vestrum, laudesque manebunt.

Quas quantasque vobis gratias debeam intelligo, perspicio, libero et grato animo agnosco, verba autem quibus digne illas persolvam ubinam potero

reperire. Ardet animus! flagrat voluntas! et certe si quid studio, si quid ingenio, si facultate dicendi valerem, magna apud Posteros testimonia relinquerem, quæ vestram in Hibernicam Gentem benevolentiam, et liberalitatem in me ideo propensam, abunde demonstrarent! facerem ut me memorem et gratum erga Vos, non modo præsens ætas, sed futura etiam Sæcula, intelligerent; luculentam Scriptoribus materiam ministrarem, qua res gestas, auro cedroque dignas, describere possent, ea facundia, eo splendore, ea dignitate, et Majestate, qua tot tantaque negotia, et Curæ ingentes, commemorari deberent.

Haud opus esset in Majorum laudibus immorari, vel plura in medium afferre de antiquissimæ stirpis origine, de Senatoribus facundiæ celebritate conspicuis, et in Reipublicæ juribus tuendis indefessis, aut de invictis Ducibus, rerum bellicarum gloria claris. Quorsum hæc?—Cum tales Patronos considero, immensum se quoddam offert, quod paucis complecti, et angustis Literariæ Nuncupationis limitibus circumscribere, velle, temeritatis esset. Si enim dignitatem et celsitudinem specto, rerum gerendarum experientiam, idque diversis tempestatibus, periculis, et angustiis, si pietatem in Deum, benignitatem in Subditos considero, miserationem in pauperes, Vos quidem agnosco Avitæ gloriæ amplificatores potius quam Æmulatores, ideoque a laudibus abstinendum puto, quibus memoriam potius offuscarem quam extollerem!

Liceat tamen—*Teque*, tanti Parentis Successorem eximium, condolens rogo, ut hæc, *forte ultima,* Avito favore suscipias—Sine ut hos spargam flores! Sine ut Defunctorum Sepulchra his saltem accumulem donis! et fungar mani munere!—Hoc enim qualecumque obsequii Monumentum, mœrens offero, ut ubicumque pervenire contingat volumen istud, grati animi memoria perennis servetur!

Neque tamen præcipuum amicorum munus existimo, defunctos ignavo luctu prosequi, sed quæ viventes voluerint meminisse, quæ mandaverint adimplere.—Cætera tacenda puto. Quibus enim verbis possem Nobilissimi Viri in Deum reverentiam, in Patriam non labefactandam constantiam, erga Regem fidem, in propinquos amorem, in amicos observantiam collaudare? Grandes materias ingenia parva non sustinent; neque facile invenies qui, inter æstuantes Imperii fluctus, sæculo difficilimo, tot et tanta negotia, quæ is consilio sustinuit, dum in Hibernia Regias Vices bis adimpleret, a partium studiis ac recentibus odiis alienus exponere, multo minus ea qua merentur dignitate illustrare valebit.

Vitio quidem ei verterunt invidi, quod non pauperum cædibus, ut solet, Agricolarum expulsionibus, villarum incendiis, imbellium sanguine, Regia jura in Hibernia tueretur!—Seipsos interim prodidere qui talia exprobrabant. Factione enim exorta Potentum, et conjuratione sub ementito libertatum Hibernicarum nomine inita, ingentes insidias constantia, calumnias atroces animi magnitudine superavit. Sequitur quidem virtutes invidia, et feriunt summos fulmina montes.—Eventus, inquiunt Invidi, non fuere semper æquales, non pari passu, nec pari exitu processere.—Esto, at—

"Careat successibus opto—quisquis ab eventu facta notanda putat."

Qui æquo animo mores hominum, et temporum, ac circumstantiarum rationes perpendunt, non causæ alicujus sanctitatem ab eventu, sive prospero sive adverso, deducunt, sed eventum ab æquitate æstimandum arbitrantur, neque laudant aut vituperant sine delectu, sine discrimine, doctos juxta atque indoctos, nec probos et improbos perinde habent, Principes Viros et Plebeios.

Prolixius sim, si, singula percurrens, enumerarem, quæ Viri integerrimi in Gallos e Patria pulsos singularis humanitas, in egenos munificentia, in

domesticos suavitas, in amicos, eos præsertim qui immerito vexabantur, aut premebantur angustiis, liberalitas quasi innata, quæ modum sibi imponere nesciebat.—-Plura quæ tristem mihi et aliis tanti Viri memoriam, et luctuosum desiderium relinquunt, reticenda potius in præsentiarum sentio, quam promiscue et intempestive enarranda. At, quæ mecum familiari colloquio habuit de meipso et de meis Operibus verba ultima, nunquam a memoria delenda, nulla ratio suadet, ut conticescam.

Hortatus est itaque, paucis ante obitum diebus, ut inimicorum insidias non pavescerem; calumnias spernerem non timerem; nihil enim Viro Christiano timendum præter vitia; non me privatas gerere simultates, sed Avitas Leges tueri, easque justissimas, contra eos qui, Religionem simulantes, concordiam domesticam *calumniis*, Religionem ipsam atque pietatem, occulta dominandi cupiditate, turbare studebant, et, cum argumentis minus valerent, ad spectra obscura, ficta hæresum monstra, aliasque malas artes recurrere non erubescerent. Non illis curæ esse justissimas Ecclesiæ propriæ Leges servare intactas, sed Potestatis Plenitudine quadam prætensa, qua Leges omnes nugatorias et inutiles redderent, id eis præcipue curæ esse, ut seipsos supra leges extollerent, et Imperium sibi Despoticum in justissimo Imperio Civili Britannico stabilirent. Inauditum esse aliquem de fide vel moribus postulari et damnari, qui se paratum ostendit, veritati morem gerere, et si quid peccaverit, dummodo non vanis clamoribus, sed bona fide, id, citra calumniam, demonstretur, libenti et lœto animo revocare.—Hoc quidem valde iniquum esse. Sed longe iniquius, si causam gravissimam ad quam opprimendam hæc iniquitas patrata est, perpendamus. Quid homine honesto, ne dicam Christiano, tam indignum, quam animam, ad Vitam Immortalem conditam et redemptam, iis privare beneficiis, quæ ipse *ad salutem obtinendam necessaria* proclamat, priusquam de delicto ejus, juxta juris Regulas, plane,

aperte, et inconcusse statuatur?—Quod si in Rebus Civilibus Leges Angliæ id exigunt, quanto magis in rebus ad æternitatem spectantibus id exigit Judex quem nemo fallere poterit, justissimus Deus?

Hæc cum vultu illo gravi dixisset, quo Res maximas tractare solebat, manu me arripiens, amice, inquit, Confide in Deo—Non Te solum, sed alios, eosque probos et Sanctos, *Leonensem* Episcopum, Gallicanos Pastores, et innumeros præsertim Hibernos, Aulici isti calumniis opprimere ausi sunt, et absque crimine deponere et damnare.

Jamque, si quid tibi solaminis afferre potest amicitia, si quid fides et observantia mea, si quid virtus ipsa tua, et in rebus arduis invicta constantia, non te pigeat Censurarum, quæ coram Deo non modo nullius momenti sunt, sed peccata sunt, quibus justissimæ Leges indigna servitute opprimuntur.

Nemo est qui Historiam vel summis labiis attigerit, qui non perspicit, hæc eadem fuisse arma quibus Potestas, ut dicitur *Spiritualis,* se Temporalem reddidit. Istiusmodi Censurarum larvis subegit Siciliam, Italiam, Angliam, Hiberniam, et, humilitatem atque Religionem simulans, effecit quod nec invictissimi Duces, nec potentissimi Reges, armis, classibus, ærariis, et militibus, efficere potuerunt.

Hæc cum paulo gravius urgeret, et adhuc crederet me plusquam decebat inimicorum calumniis commoveri, Sacrosancta Evangelia prope posita tangens, En, inquit, pro veritate patientibus solamen, En unicam mihi spem Immortalem, ex quo perdidi quam longe charissimam habui Conjugem Mariam.—His dictis obmutuit. Cumque internos animi affectus tumultuantes, et totum hominem commotum, et vocem faucibus hærentem perspicerem, neque ferre possem, quin acerbos animi mei motus ipse patefacerem, surrexi turbatus, et mærens mæstusque discessi.

Laudavit me quod Causam omnium nobilissimam tuendam suscepissem,

quæ non unum duntaxat populum Hibernicum respicit, sed totum Orbem. Si enim alicui tribuamus ut *quidquid libeat jus sit*, Leges humano arbitrio subjectas, et indignissimam statuimus pro Religione servitutem. Id Vir Summús, nunquam nimium deflendus, non semel de Gallicanis Episcopis, e suis sedibus iniquissime pulsis, et de me, licet humilissimo, declarare non dubitavit.

Legum Angliæ Sanctitatem impense coluit, et Posteris illibatam, et perpetuam precabatur, quoties autem Imperii casus vel prosperi vel adversi id exigerent, ipsa Legum Sanctitate modificandas. Non enim Illi persuasum erat in Legibus humanis omnia esse immutabiliter excogitata, nec perferendas esse aliorum in rebus ad cultum Divinum spectantibus opiniones, licet a suis alienas, si modo ad populum bonis moribus informandum accommodatæ invenirentur; idque aiebat etiam Anglicanæ libertati profuturum, a bonis enim moribus veram oriri libertatem, et nihil ad Rempublicam diutissime conservandam magis conferre, quam si, Religione ipsa suadente, dominandi libido ex una parte, et ex altera effrœnata licentia eliminaretur; non iis autem patrocinandum, qui Imperium in Imperio erigere cupientes, typographiam ipsam indignissima servitute opprimerent, et veri ac falsi arbitrium penes paucos, eosque indoctos aut vulgares homunculos, specie Religionis statuere non dubitarent. Omnibus suam esse fidem permittendam, eum autem esse Legum indolem, ut plenaria sit in improbos animadvertendi libertas, idque publice, dummodo cum moderamine fiat, et legum veneranda Majestas minime lædatur.

Jamque Clementissimo Deo gratias reddo, quod talem tantumque Virum familiari colloquio tot annis frui contigerit et contemplari.—Erat statura procerus, incessu gravis, vultu venustus, totius corporis cultu excelsus et nobilis. Vox ei erat suavis et sonora, eloquium facile, etsi aliquando in literis nonnullis exprimendis balbutiret. Memoriam, præsertim in Rebus

Historicis Anglicanis, plane invidendam, mirati sunt omnes, pauci admodum assecuti sunt. Norunt amici et familiares quanta illi fuerit in loquendo gravitas, ab omni turpitudine abhorrens, quanta dignitas, et splendor, atque copiosa facundia, quæ ex tenacissimæ memoriæ abundantia oriebatur. Hæc pauca in gratiam amicorum dixisse sufficiat. Cætera nobilissimi Viri qui ei a secretis erant, et eloquentia plurimum pollent, resque in Senatu gestas, earumque initia, et fines, et consilia intelligunt, Seris nepotibus imitanda conservabunt.—Obiit ætatis anno 59, die XI Febr. A. D. 1813.

Dabam ex Bibliotheca Stowense,
XV *Kal. Martii,* A.D. M.DCCC.XIII.

INDEX LOCUPLETISSIMUS,

CUM ILLUSTRATIONIBUS,

ORDINE ALPHABETICO. (1)

(1) Cifræ Arabicæ quibus literæ *Ep* præfiguntur, hujus Epistolæ paginas indicant. Cæteræ, Operum paginas indicant quæ in *Illustrationibus* huic Indici adjunctis memorantur.

(2) Duo exemplaria edidit Wilkins, Unum ex Chronico Saxon. p. 48, alterum ex MS. Cantuar. Concil. t. 1, p. 56, 57, utrumque mutilatum, quod eo magis reprehendendum, quia integrum ex quinque exemplaribus edidit Spelman, Concil. t. 1, p. 189. De eadem Charta vide *Nouveau Traitè* de Diplom. t. 5, p. 402. In hac Charta No. 2, et in præcedente No. 1, describenda, erravit qui Indicem Chartulario Stowensi apposuit.

* 2 L

nomina adscripta, anno ab incarnatione Dn̄i Dcc.xvi. Indict. xiii. anno primo regni Regis Æthelbaldi Merciorum. Si quis aute tyrannica potestate inflatus ex habitu Secularium seu Ecclesiasticarū infringere minuere tēptaverit auctoritatem Archiepi̅ et epi eccle̅, vel libertatem Coenabiarum . carebit l&itia & communione n̄rorum omnium vivens et moriens . non solum ipse sed & qui ei viventi vel morienti conjungitur . nisi digna satisfactione correxerit judicio Episcoporum :—

† Ego Berhtwaldus grā dī Archieps̄ hoc privilegium in Synodo constitutum subscripsi."

Sequuntur deinde subscriptiones Episcoporum 14, Presbyterorum 10, Diaconi unius, Abbatis unius, Magnatum 22.

Aliud Privilegium ad tenorem præcedentis concessit *Withredus* idem " die sexto Aprilis anno regni nostri octavo, Indictione xii. (i. e. anno Incarn. 700) in loco qui appellatur *Cilling*," cui subscripserunt " Brythualdus Archieps̄ . Semundus Eps . Venerabiles Presbyteri . et Religiosi Abbates . *præsentibus* etiam Clarissimis Abbatissis." Spelman. ib. p. 198.

Primum prædictorum privilegiorum confirmavit Æthelbaldus Rex Merciorum in *Concilio altero Cloveshoviæ* anno 742, in quo Autographum ipsum Withredi in medium productum fuisse patet. Ib. p. 231. Utrumque edidit Spelman, non ex antiquissima Charta Stowense, sed ex depravato *Textu Roffense*, ab Ernulfo Roffense Episcopo conscripto, annum circiter 1116.

(1) " Incipiebant annum ab viii. Kal. Januar. die, ubi nunc natalem Domini celebramus, et ipsam noctem " nobis Sacrosanctam, tunc Gentili vocabulo, *Modranec,* id est Matrum noctem appellabant, ob causam ut suspi- " camur, ceremoniarum, quas in ea privigiles agebant." Bed. De Temp. n. 15.

(1) *Indictionem* xiii erronee notavit qui Chartularii hujus eximii Indicem oscitanter contexuit. Extat ejusdem Chartæ Apographum antiquum in Cottoniano, August. ii, 83. Memoratur in Monast. Angl. v. 1, fol. 19, et in Hickesii Thesauro, v. 2, p. 265. Notanda est in ea liter r scripta n, *R* et p, item Vox *Archiepiscopus*.

D

(1) "In Indiculis, quæ suis in Cæreis annuatim scribere solet Romana Ecclesia, tempus Dominicæ passionis in memoriam populis revocans, numerum *annorum* 30, semper et *tribus annis*, minorem quam ab ejus *Incarnatione* Dionysius ponat, adnotat. Denique anno ab ejus Incarnatione juxta Dionysium 701, Indictione 14, fratres nostri qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in Cæreis S. Mariæ scriptum vidisse, et inde descripsisse referebant. A passione D. N. J. C. anni sunt DC LXVIII." Bed. De Rat. Temp. Cap. 45.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	Lege.
vii.	1	—moliti.
xiii.	15	—Sæculo ix.
xv.	3	—res gestas.
xx.	28	—alios
xxiv.	5	—membraneos.
	7	—progredi.
xxxv.	16	—Herodoti.
	29	—toutes
xxxvii.	8	—1246.
xlvii.	5	—annis lxxviii.
lx.	3	—Hanc Inscriptionem Oghamiam accuratius edidi et explicare conatus sum in Dissertatione Prælim Annalibus IV Magistror. p. xxv.
lxvii.	13	—Dele *ju*.
c.	11	—Cubhalli filium.
cxl.	20	—probare aggreditur.
clxii.	21	—Alfrede le Grande.
clxxiv.	13	—derivavere.
cciii.	7	—pag. 136, 202.
ccxvii.		—Corrige notam, ubi assero nullam extare Chartam Incarnationis æra designatam ante ann. 736. Errorem hunc emendavi ex Charta Stowense anni 716. Vide Indicem Voce *Incarnationis*.
ccxxxiv.	not. 2	—servatur—Ceadwallæ.
cclvii.		—Voce *Ballimotensis*, lege Vaccarum 143, et pro Sæculo xiv lege xvi.

Excudebat J. Seeley, Buckingham.

PROLEGOMENA,

PARS I.

IN QUA

GRÆCORUM ET ROMANORUM VETUSTISSIMA TESTIMONIA

EXPENDUNTUR,

ITEMQUE

S. PATRICII EPISTOLÆ, FIECI HYMNUS,

ET

GILDÆ MODUDII

CARMEN HIBERNICUM, HACTENUS INEDITUM, DE REGIBUS HIBERNIÆ.

"Apud Romanos, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Scævolam Pont. Max. Historia nihil aliud erat "nisi Annalium confectio. Post Scævolam Historia scribi cœpta est a M. Catone, a Fabio Pictore, ab Antistio "Pisone; sed hi veterem similitudinem scribendi secuti, sine ullis ornamentis, monumenta solum temporum, hominum, "locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Primus qui ornate Historiam scriberet, Cœlius Antipater extitit, qui "fuit familiaris L. Crassi Oratoris." Cicero de Orat. l. 2, c. 12.

PROLEGOMENA,

PARS I.

CONTINENS

QUÆ DE HIBERNIA EXTANT ANTIQUISSIMA.

Herodotus.

HIBERNIAM Græcis, anno ante C. 576, haud ignotam fuisse, Orpheo, ut aiunt, facem præbente, Doctissimi Hibernorum gloriantur. (1) E contra vero Herodotus Insulas *Cassiteridas*, extra Herculis Columnas ad Europæ Vesperam positas, Græcis suo ævo ignotas fuisse his verbis ingenue fatetur, anno ante C. 444.

Περι δε των εν τη Ευρωπη των προς εσπερην εσχατεων εγω μεν ȣκ ατρεκεως λεγειν ...... ȣτε νησȣς οιδα κασσιτεριδας εȣσας, εκ των ο κασσιτερος ημιν φοιτα. τȣτο δε ȣδενος αυτοπτεω γενομενȣ συ δυναμαι ακȣσαι τȣτο μελετων οπως θαλασσα εςι τα επεκεινα της Ευρωπης.

" De extremitatibus Europæ, ad Vesperam, quod pro comperto referam, non habeo......Ne Cassiteridas quidem novi Insulas, unde ad nos venit *Cassiteros.* (Stannum.) Sed etsi hoc studiose quæsivi, a nemine qui ipse viderit, accipere possum, quomodo se habeat mare ad illam Europæ partem." (2)

Insulas quas Herodotus Cassiteridas appellat, Britannicas esse, patet ex collatione cum Mela, Plinio, Aristotele, Plutarcho et Strabone. (3) Itaque Herodoti ævo nec nomina Insularum Britannicarum Græcis nota fuisse constat, quamvis de earum situ, quædam obscura, a stanni Mercatoribus Phœniciis, didicisse eos, Herodoti verba manifeste declarant. Orphei proinde Argonautica ad tempora posteriora rejicio, vel eo ipso quod *Insulam Jernam* memorant. Præ-

(1) " Qui Iernam nostram Alexandri Magni temporibus ignotam fuisse autumant, illud Orphei in Argonauticis non videntur consideravisse,—*Παρ δ' αρα νησον αμειϐεν Ιερνιδα.*

Argonauticarum enim scriptorem *Orpheum*, non Thracium illum quidem, licet in toto opere personam ejus Poeta induat, sed *Crotoniatam*, Piristrato Tyranno familiarem extitisse, eaque ratione Cyri, et laxatæ sub eo Judaicæ Captivitatis, tempore claruisse, ex *Asclepiada* Suidas nos docuit. Cujusmodi antiquitatis ne ipse quidem Populus Romanus, nominis sui testem, proferre poterit auctorem." Usser. Primord. Dublinii 1639, p. 724.

(2) Wesselingii Herodot. l. 3, c. 115, p. 254.

(3) Mela, l. 2, c. 6, Plin. l. 3.

terea primus Argonautica ista memorat *Tatianus*, Syro-Græcus, qui Sæculo 2do floruit, et plura ingenii sui monumenta reliquit, quæ antiquissimis scriptoribus adscripsit, quæque eum ipsum Argonauticarum scriptorem fuisse indicare videntur; Orpheum Poetam nunquam extitisse opinatur Cicero, qui in ista sententia tuenda Aristotelis auctoritati adhæret, in libro de Nat. Deor. 1, c. 38. Asclepiades porro eodem Sæculo floruit quo Tatianus.

Pytheas.

Græcorum primus Pytheas, Phœnicum fama permotus, extra columnas navigans, ad Insulas Britannicas e Massilia pervenit, earumque nomina retulit, et situm ac magnitudinem descripsit. Ante Aristotelem floruisse, vel inde patet, quod altitudinem Stellæ primariæ magnitudinis in Corona Ariadnæ, Aristoteles ex Pytheæ observationibus statuit, qui a Polybio et Dicæarcho laudatur; Eratosthenes Bibliothecarius Alexandrinus, regnante Ptolomeo 2do, tanti Pytheam fecit, ut singulas ejus sententias singula oracula existimasse videatur. (1) Pytheæ quæ extant servata a Polybio, Strabone, et Plinio, satis demonstrant, eum, non solum ad Britannicas navigasse Insulas, verum etiam ad *Thulen* sive Islandiam, quam Britannicarum Septentrionalissimam appellat, sex dierum navigatione a Britannia distantem, ubi Tropicus Æstivus Arctici Circuli vicem ei gessisse declarat. (2) Pervenit nempe ubi Arcticus ei erat ad Meridiem, ut Trophicus Æstivus est ad Meridiem Europæ. Britanniæ longitudinem et latitudinam in suo Itinere designavit, et circumferentiam statuit Milliarium circiter 3800, quod prope veritatem attingit.

Viri hujus insignis auctoritatem pluribus confirmant doctissimi viri *D'Anville*, *Gesnerus*, *Murray*, et *Casaubonus* in notis ad Strabonem.

Hinc Britannicas Insulas, Græcorum scriptis celebratas, numero binas, et magnitudine reliquis omnibus, orbis tum cogniti, Insulis præferendas, scripsere Polybius, (3) Plinius, (4) et Dionysius. (5) Imo vero Polybius plura de istis Insulis, quæ Græcis non nisi obscura erant, explicare proposuit, quod et Opere ad id destinato, binis libris a Strabone memoratis, sed jam deflendis, perfecit. (6)

Tres Geographos Polybio vetustiores de Britannia scripsisse constat, quorum *Eratosthenem*, *ultimum* appellat Strabo, quamvis ex Suida pateat natum sub Ptolomeo Philadelpho, Olympiade 126. Eratosthenem præcessit *Dicæarchus*, qui, testante Athenæo, l. 2, Aristotelem præceptorem

(1) De Pytheæ antiquitate vide Baleum contra Vossium De Histor. Græc. l. 4, c. 11, et contra Gassendum de Proport. Gnomonis ad Solstic. Umbr. Inst. Astron. p. 232. Item Casaubon in notis ad Strabon. Bougainville Memoirs de l'Acad. t. 7, part ii, p. 470, t. 8, p. 11, t. 19, p. 163, t. 26, p. 10, Keralio Memoir ib. t. 45, Paris, 1723, p. 29. Pytheæ γης Περιοδον extitit Sæculo vi inter *Ethnica* Stephani Bizantini, ut in Hermolai Epitome. Aldina, Venetiis 1521, Parisiis 1715, titulo "*Stephanus de Urbibus.*" Vide Gunteri *Fragmenta Eratosthenis*--Gottingæ, 8vo. 1789.

(2) Pytheas apud Strabon ed. Oxon. 1807, t. 1, p. 153, et apud Plinium, l. 11, ed. Harduin, c. 75, et l. iv, c. 16.

(3) Polyb. Hist. l. 3, p. 209, ed. Casaub. Paris, 1609,

(4) Plin. Harduin, Paris, 1723, l. 4, c. 16, et 30, t. 1, p. 222.

(5) Dionys. Perieg. Oxon. 1710, v. 565, p. 107.

(6) Id nempe se effecturum promisit Polybius, l. 4, c. 16, promissis stetisse inquit Strabo, l. 2, c. 104, ed. Casaub. Amstelod. 1707, p. 163, et l. 4, p. 190.

habuit, et utrumque præcessisse oportet Pytheam, qui ab utroque laudatur. (1) Conferenda est de hac re Chronoloïga Georgii Syncelli, qui floruit A. D. 784, cum Nicephori Chronologia edita a Goario, (2) et cum Eratosthenis fragmentis editis a Guntero.

Aristoteles.

Me ignorare fateor cur Liber *De Mundo*, Alexandro Magno dicatus, non sit Aristoteli tribuendus, cum ejus nomen præ se ferat in vetustis Codicibus, quorum meminit Kappius, in editione optima Altenburgi 1791. Opus illud Aristoteli adscribit Vir doctus Fr. Patricius, in Peripateticorum, t. 1, l. 6, et Usserius in Primordiis, p. 723. Cuidam alteri quidem, sed illorum temporum æquali, id adscribit Muretus, Variarum Lectionum, l. 2, c. 8. Auctorem antiquum esse, et Aristoteli æqualem conveniunt omnes. Atqui nomina *Albion* et *Ierne*, quæ Herodoto ignota erant, is suo ævo Græcis nota declarat, ut in editione Lugdunensi folio 1560, t. 1, pag. 371.

Εν τȣτω γε μεν νησοι μεγιςαι τε τυγχανȣσιν, ουσαι δυο, Βρετανικαι λεγομεναι, Αλϐιον και Ιερνη, των Προιςορημενων μειξȣς μπερ τȣς Κελτȣς κειμεναι, ȣκ ολιγαι δε μικραι περι τας Βρετανικας και την Ιϐηριον. "Quo ipso in mari duæ Insulæ sitæ sunt quam maximæ, quas Britannicas appellant, Albion et Ierne, iis etiam majores quas commemoravimus, supra Celtas jacentes; sunt etiam non paucæ, sed exiguæ, circa Britannicas et Iberiam."(3) In intervallo itaque quo floruit Pytheas, inter Herodotum et Aristotelem, Insulas Britannicas Græcis *primum* notas fuisse, hæc verba demonstrant.

Phœnicii in Insulis Britannicis.—Melicarthus et Himilco.

Jamque alia oritur quæstio, undenam Herodotus ea pauca didicerit, obscura quidem, sed certa et indubitata, quæ de stanni Insulis, ad Europæ Vesperam in externo mari positis, narrat, unde stannum in Græciam transferri solere testatur?

Hanc quæstionem satis clare resolvunt Polybius, Strabo, et Plinius. Strabo inquit "Insularum Britannicarum navigationem *primo* cognitam fuisse *solis Phœnicibus*, qui eo negotiatum mittebant e Gadibus, *celantes alios istam navigationem;* cumque Romani quendam Navis Magistrum sequerentur, ut et ipsi Emporia ista addiscerent, is, invidia ductus, dedita opera, Navem suam in vadum compulit, in eandemque perniciem iis qui insequebantur conjectis, ipse e naufragio servatus, ex ærario publico prætium amissarum mercium recepit. Tamen Romani, re sæpius tentata, navigationem addidicerunt." (4) Eadem fere de Phœnicum astutia in Insulis Britannicis celandis, nar-

---

(1) Scripserat Pytheas γης Περιοδον, ut ex Apollonii Scholiaste constat, Auctor antiquus, qui Dicæarchum ac Polybium præcesserit. Meminere Pytheæ præter Polybium et Strabonem, Plinius, Athenæus, Cleomenes, &c. Casaub. in Strabon. l. 1, c. 63, p. 109.

(2) Hist. Byzant, t. 2, fol. Paris, 1652.

Chronici Veteris fragmenta Collegit Georgius iste, itemque *Manethonis* et *Eratosthenis*, eaque edidit prout invenit servata a J. Africano et Eusebio, quorum Chronica genuina periere. Vide *Apologie d'Heredot*, suivie d' un Examen d' un MS. antique de Sincellus, par l' Abbè Richer. Biblioth. Raisonnee, t. 47, part ii, p. 282.

(3) Hæc Apuleius in suum De Mundo librum, ex Aristotele et Theophrasto, ut ille profitetur, desumptum, ita transtulit. "In altera parte Orbis, jacent Insularum aggeres maximarum, Britanniæ duæ, *Albion et Ierne.*"

(4) Strabo, ib. p. 240.

rant Polybius et Plinius, idque constaret ex supra memoratis Herodoti verbis, etiam si isti desiderarentur.

Polybius inquit Græcos, eadem astutia et avaritia ductos, id celasse Romanis, quod Phœnicii utrisque. (1) Quid porro "*primis* Phœniciis e Gadibus ad Cassiteridas advectis" intellexerit Strabo, indicat Aristoteles in libro *De Mirabilibus*, ubi inquit—" τȣς πρωτȣς των φοινικων επι ταρτεσσον πλȣσαντας—*Primos* Phœnices cum Tartessum navigassent, tantam argenti vim, oleo, aliisque nauticis sordibus permutasse, ut nec capere naves possent, nec ferre argentum, et anchoras ex argento fabricasse." Nota *primos*, inquit Bochartus, ut Tartessum extitisse scias, quo tempore *primi* Phœnices eo se contulerunt. Illam nempe condiderat statim a dispersione Gentium *Tharsis* filius Javan, Genesis x, 4. Eadem fere refert ex Possidonio Diodorus, c. 216, editionis Wesselingii. Meminit præterea Sidonis Jacobi Prophetia, Moyse antiquior, Genesis x, 15, et potentes fuisse Reges Sidonios ante Moysem, indicant sacræ literæ et Homerus. (2)

Plumbum ex Cassiteride Insula *primum* apportasse Midacritum, narrat ex veterum Annalibus Plinius. Atqui plumbum memorat Homerus in Iliade, ω. v. 30, Medacritus itaque Homerum præcessisse videtur.—Præterea, pro Midacrito *Melicarthum* legendum esse, i. e, Phœnicium Herculem, ad quem Occiduas Navigationes Phœnicii referebant, conveniunt docti ex Sanchoniathone et Philone Byblio apud Eusebium, Nam Midacritus Græcum nomen est. Græcis porro de Cassiteridum Insulis nihsl compertum, ut patet ex Herodoto. (3)

Ab hoc Hercule Tyrio, quem Hiberni veteres *Fenium-Fear Saoidh*, i. e. Fenium Virum sapientem, et *Ogmam* appellabant, (4) respexit Avienus, ubi de Phœnicum navigationibus in Insulam, quam *Irenen*, *Sacram dixere Prisci*, ea adducit ex *imis Phœnicum Annalibus*, et ex *Himilconis Periplo*, quæ in Epistola Nuncupatoria produximus, p. xxx.

Itinera vetera tam Himilconis quam Hannonis bis memorantur a Plinio, qui Græcorum atque Romanorum navigationes extra Columnas utrumque præcessisse declarat.—" Fuere, inquit, et *Hannonis* Carthageniensium Ducis Commentarii, Punicis rebus florentissimis exploratum ambitum Africæ missi, *quem secuti plerique e Græcis, nostrisque*, et alia quædam fabulosa, et urbes multas ab eo conditas ibi prodidere, quarum nec memoria ulla, nec vestigium exstat."—Hæc habet, l. 5,—libro autem 2 inquit Himiliconem eodem tempore floruisse quo Hanno. " Hanno, Carthaginis potentia florente, circumvectus a Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidit scripto, sicut

(1) Polyb apud Strab. ib. p. 263. Antonius Diogenes, qui των υπερ θȣλην απιςων λογȣς κδ, i.e. Incredibilium de Thule Insula libros 24, paulo post Alexandri tempora scripsit, ut in Photii Bibliotheca ,Cod. clxvi, se ista descripsisse inquit ex Cyparissinis Tabulis, Tyri effossis, cum capta esset ab Alexandro.

(2) Judic. xviii, 7, Reg. 1, c. v, 6, et c. x, 22, Homer. Il. xxiii, v. 743, vi, 289, Odyss. xv, 114; iv, 54. Sidonios appellat ναυςικλυτοι, navibus inclitos, et Sidonem πολυκαλκος Σιδων Metallis abundantem. Ornamenta pleraque aurea vel argentea, dona Deorum ab eo memorata, a Sidoniis fabricata inquit, pulcherrimam vestem a Sidoniis emptam describit Iliade, l. vi, et argenteum proculum a Rege Sidonio Menalao dono datum, Odyss. iv. Item Homer apud Strabon. *l.* 16, ib. t. 2, p. 1076.

(3) Melicarthum interpretatur Bochartus, e lingua Punica, *Meli Carthac* Rex urbis—Solinus ex eadem lingua nomen *Carthago* interpretatur, " *Carthadam* dixit quod, Phœnicum ore, exprimit civitatem novam." Consentiunt Stephanus et Eustathius καινη πολις. Jam vero Hibernica vox *Cathair* Civitas, sive Arx, in plurali *Cathraich*, Britannice *Kaer*—convenit cum Phœnicio *Gadir*, " *Gaddir* est *oppidum* Punice, Punicorum lingua conseptum locum *Gaddir* vocabant." Conveniunt Solinus, Isidorus, et Hesychius, apud Bochartum, p. 671, 758, 783.

(4) Vide Epistolam præcedentem Nuncupatoriam, *Indice*, Voce *Ogham*.

ad extera Europæ noscenda missus *eodem tempore* Himilco."(1) Hanno Tyrum memorat florentem sub Rege proprio, quo tempore scripsit, et in Insula maris sitam, quam postea Via strata in mari cum Continente jungebat. Hæc autem ad istius operis antiquitatem firmandam sufficiunt; consentiuntque Dodwellus, Bale, Bougainville, et Montesquieu. (2) Atqui Himilconis verba, ex *imis Punicum Annalibus* ab Avieno prolata, satis superque Hiberniam Insulam indicant, a *Priscis* Phœnicibus *Sacram* appellatam, itemque a navigatoribus Punicis e Gadibus frequentatam demonstrant, quod unicum probandum suscepi.

Utrum ea quæ Aristoteles de iisdem navigationibus extra Columnas habet, sint de Insulis Britannicis intelligenda, Lectori studioso definiendum relinquo.

Λεγουσι τȣς φοινικας τȣς κατοικουντας τα Γαδειρα καλȣμμενα, εξω πλεοντας Ηρακλειων ςηλων απηλιωτη ανεμω ημερας τετ]αρας, παραγινεσθαι εις τινας τοπȣς ερημους, θρυου και φυκους πληρεις ους, οταν μεν αμπωτις η, [μη] Βαπτιζεσθαι οταν δε πλημμυρα, κατακλυζεσθαι, εφ ων ευρισκεσθαι υπερβαλλον θυννων πληθος, και τοις μεγεθεσι και τοισ παχεσιν απιςον, οταν εποκειλωσιν οις ταριχευοντες και συντιθεντες εις αγγεια, διακομιζουσιν εις Καρχηδονα, ων Καρχηδονιοι μονον ου ποιουνται την εξαγωγην, αλλα δια την αρετην ην εχουσι κατα την Βρωσιν, αυτοι καταναλισκουσιν.

Phœnices aiunt, qui Gadeiram inhabitant, dum ultra columnas Herculis navigarent, vento subsolano impulsos, ad regiones quasdam applicuisse, ulva, algaque plenas, quæ æstibus maris rigantur. (Eadem *de Hibernia* habet Festus, Hæc inter undas multam cespitem jacet,) exundationibus vero prorsus obruuntur aquis. Thunnorum copiam isthic innumerabilem inveniri tradunt, magnitudine, densitateque incredibili, quos salsos, vasis impositos, Carthaginem deportant, unde solum non evehuntur, sed ob singularem bonitatem plane obsumuntur." Casaubon. Aristot. Lugd. 1590, libro de mirabil, t. 1, p. 711.

Melicertæ, sive Herculis Tyrii, seu Ogmii, *Ætas.*

De Melicerta hæc habet Eusebius—" DCLX. Ea quæ de Melicerta dicuntur, *sub* quo " celebrata sunt Isthmia, eodem tempore habita sunt, quo Argivorum xiii Proetus regnavit." (3) At Scaliger recte in hunc locum animadvertit, pro *εφ 'ȣ*, *sub quo*, legendum *εφ ω*, *propter quem.* Explodat enim, inquit, si dicam *sub* Melicarta Ludos Isthmia celebratos, qui, *eo mortuo*, propter eum instituti fuere a Glauco. *Γλαυκος επι Μελικερτη Ισθμια εθηκεν*, Glaucus propter Melicertam Isthmia instituit, inquit Clemens Alexandrinus, Stromat. l. 1.——Isthmia instituta, et Persei ad extrema Occidentis expeditionem, refert doctissimus Petavius ad annum ante C. 1361. (4)

Certo certius est auctorem unde hausit Eusebius, *εφ' ω* scripsisse, non *εφ' ȣ*. Atqui vera Epocha priorum Isthmiorum Glauci, convenit numero Eusebii DCLVII, anno *primo* Proeti Regis Argivorum, ut extat in optimo Chronico, quod in calcem Canonum Isagogicorum rejecit Scaligerus.

---

(1) Plin. Harduin, l. 2, c. 67, t. 2, p 107. Confer Memoires de l'Acad. Paris, vol. 16, et Mela, l. 3, c. 10.

(2) Memoires de l'Acad. vol. 26, Montesq. Esprit des Loix, l. 21, c. 8, 9, 10, 11. Bougainvilleus Iter Hannonis refert ad ann. ante C. 570, Gosselinus ad ann. 1000. Confer Campomanes Antiquidad Marit. de Cartago con el Periplo, &c. de Hannon, Madrid 1756, et Græce ac Germanice Brunsuici 1764.

(3) Eusebii Chron. cum animadversionibus Josephi Scaligeri, editio optima, Amstelodami 1658, Suprema Cura Auctoris, p. 84. Confer *Massieu*, sur les Jeux Isthm. Acad. des Inscr. t. 5, p. 44.

(4) Petav. Doctr. Temp. editio optima, Antwerpiæ 1723, t. 2, p. 290. De ludis Isthmiis vide Potteri Antiq. t. 1, c. 25.

Obiit ergo *Melicerta* ante *prima* Isthmia. Eum porro non alium fuisse, quam Herculem Tyrium, patet ex Philone Byblio, apud Eusebium, in Præparatione Evangelica, l. 1. "Ex hoc *Melicartho* Phœnicio, inquit Huetius, nomen habuit Græcorum *Melicarta*, qui et Palæmon, quem et Herculem esse testatur Hesychius. Phænix idem Hercules, Desanaus, sive Diodas dictus est, quem Mosis ætati æqualem faciunt rationes Eusebianæ." (1)--Demaroontis Regis Phœniciæ filium fuisse, et Cadmi Phœnicis nepotem, scribit Sanconiathon. *Acad. des Inscr.* t. 16, p. 50.

Is itaque idem est Hercules, nempe Tyrius, qui juxta eosdem, et Plinium, et Plutarchum in Sertorio, Antæum vicit apud Tingim prope Columnas in Africa, et cum classe et exercitu Phœnico ad *ultima Occidentis*, ante Homeri tempora, pervenit. "Etenim, inquit Strabo, et Herculis et "Phœnicum expeditio, ad Columnas progressa, significavit Homero opes et socordiam hominum, "ita enim in potestatem Phœnicum venerunt, ut pleræque Turditaniæ (i.e. Bœticæ et Lusitaniæ) "urbes, et viciniæ, ab iis nunc habitentur." (2)

Non ignoro plures fuisse Hercules, et gesta omnium a Græcis fuisse in unum Thebanum collata, imo vero fortibus quibusque viris Herculis nomen fuisse impositum. Agitur autem de illo Hercule, de quo Herodotus inquit "se Tyri accepisse, *Herculis Templum quod illic extat, simul* "*cum ipsa urbe fuisse conditum.*" (3) Magnificum enim illud Gaditanum Templum, tot muneribus a navigantibus ditatum, Herculi Tyrio Phœnices condidisse, et res ipsa clamat, et narrant Appianus in Ibericis, et Arrianus in expeditione Alexandri, l. 2. Aristoteles præterea, in libro *De Mirabilibus* inquit—"Uticam in Africa conditam a Phœniciis, anno ante conditam Carthaginem "287, *ut in Phœniciis Historiis scriptum habetur.*" "Ante Romam annis 348." Plin. l. 16.

Atqui Carthago ante Trojam captam condita est annis 50 teste Appiano. Virgilius quidem Carthaginem a Didone conditam fingit, paulo post bellum Trojanum, eam tamen annis minimum 300 fuisse juniorem docent *Phœnicum Annales* apud Josephum, in libro 1 contra Appionem, et Æneam 340 annis ante Romæ ædificationem in Italiam venisse constat. Conveniunt enim Petavius et Servius, cum Philisto apud Eusebium, No. DCCCV, Carthaginem non a Didone sed a Zoro et Carchedone conditam fuisse, anno quo mortuus est Gedeon, ante C. 1214. (4) Cum ergo

(1) "Hercules cognomento *Desanaus* in Phœnice clarus habetur, tempore quo Apollinis Delii Templum ab "Ericthone filio Cecropis fabricatum est. Unde ad nostram usque memoriam a Cappadocibus et Eliensibus "*Desanaus* adhuc dicitur." Euseb. Ib. p. 14, Eadem habet sub num. ccccxcviii, p. 76; itemque Hieronymus in Chronico ad eundem annum, nisi quod pro *Desanao Diodam* habeat, et pro Eliensibus Græci Codices habent Ιλιεων, quæ procul dubio lectio est genuina. Scaliger ad Euseb. ib. p. 31.

(2) Strabo Oxon. 1807, t. 1, p. 200. De Tyri antiquitate vide Joshue xix, 29. Isai xxiii, Zachar. ix, Ezechiel xxvii, xxviii. "Hercules bellum Hispaniæ intulit, divitiis invitatus." Arist. Mirabil. t. 1, p. 707,

(3) Herodot. l. 2, c. 44. Pausanias item in Bœot. et in Eliac. 1, ubi inquit Thasios Herculem eundem coluisse ac Tyrios.—Herodoti verba notanda sunt—"Quinetiam in Thasum profectus sum, ubi inveni Templum Herculis, a Phœnicibus conditum, qui *ad investigandam Europam navigantes,* Thasum condiderunt, quod vel quinque virorum ætatibus prius fuit, quam Hercules Amphitryonis in Græcia existeret. Hæc quidem igitur investigata plane declarant Herculem vetustum Deum esse." Herodot. Wesseling. l. 2, c. 44, t. 1, p. 125.

(4) "Dcccv. Philistus scribit a *Zoro* et *Carchedone* hoc tempore Carthaginem conditam, eosdem autem fuisse Tyrios." Euseb. ib. Ex Porcii Catonis exactissimis Calculis, apud Dion. Halic. Roma a Troja capta distat *annis* 432. Atqui ex gravissimo testimonio Josephi, qui Tyriorum Regum seriem, ex Menandro Ephesino, et ex *Tyriorum Annalibus*, texuit, Dido in Libyam excessit e Phœnicia, anno Pygmalionis vii, qui cadit in annum a capta Troja 276, et Carthaginem conditam *perfecit*, anno Pygmalionis 27, a Troja capta 296, ac proinde a condita Carthagine 346.—A probatissimis et antiquissimis discedere non licet. Ergo Carthago a Didone perfecta est anno ante Romam conditam 136. Confer Newton Chronol. Horsley a p. 62 ad 88.

Utica condita fuerit ante Carthaginem annis 287, et Carthago ante Trojam captam annis 50, (1) sequitur Uticam a Phœniciis conditam fuisse ante Trojam captam annis 337, eo ipso tempore quo *Melicerta*, sive Phœnicius Hercules floruit in Phœnicia. Narrat enim ex Phœnicum Historiis Eusebius, numero ccccxcviii, conveniente cum Moysis anno circiter 74, Herculem eo tempore in Phœnicia floruisse, quod unum demonstrandum suscepi.

Adde quod Herculem Ægyptium, Patria lingua *Chona* dictum, venisse in Italiam, et nomen *Chonibus* dedisse legitur apud Phavorinum in Lexico. Is autem, inquit Huetius, fuit Tyrius Hercules, sive *Chananæus*, nam Stephanus Phœnicem perhibet appellatam fuisse χνα, et Phœnices χνας, et Sanchoniathonis Interpres Philo Byblius, Phœnicem *Chna* primum cognominatam fuisse scribit. *Chna* autem manifesto est Chanaan. Itaque Herculem *Chona*, qui et Ægyptius dicitur, liquet eumdem esse ac Herculem *Chnaum* sive Chananæum, quem Scriptores veteres Hibernici *Fenium-Fear-Saoidh*, et Galli *Ogma*, appellabant, ut antea notavi.

Qui mortales initio Africam habuerint, inquit Sallustius, quique postea accesserint, ex *Libris Punicis, qui Regis Hiempsalis dicebantur*, quam paucissumis dicam—Africam initio habuere Gætuli et Libyes. Sed postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus ejus, compositus ex gentibus variis, amisso Duce, ac passim multis sibi quisque Imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero *Medi*, *Persæ*, *Armenii*, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere........Nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua *Mauros* pro Medis appellantes. Postea Phœnices. (2)

Jam vero *Armeni* isti non alii fuere quam *Amorrhei*, *Mauri* et *Mori* postea appellati, neque alii fuere Medi isti et Persæ quam Madianitæ et Pheresæi, qui, a Joshua expulsi, in Africam fugientes navibus Sidoniis, ad ultima Atlanticæ ora sese postea dilataverunt. (3)

Itaque primi Herculis, sive *Melicertæ*, in Oceanum expeditiones, ad tempora Ante-Homerica referendæ sunt.—Hinc recte notat Servius, in I. Georg. v. 436, *Melicertam*, Inus filium, maris Numinibus additum.—Hinc Hercules, Atlantici explorator, a Poetis dicitur *ab Atlante Cælum sustinuisse susceptum, propter Cæli scientiam traditam.*—Hinc Vossius Herculem refert ad primos qui Mathematicam et Astronomiam invenerunt. Hinc Diodorus inquit Herculem primum in Græciam intulisse Sphæram Cælestem inventam ab Atlante, eique traditam, quia Atlantis filias liberavit. (4) Hinc ad Herculis ævum referendæ sunt Constellationum in Globis Cælestibus figuræ

---

(1) Trojam captam refert Petavius ad ann. ante C. 1184. Scylax Herodoto vetustior, inquit "Phœnices universam oram Africæ incoluisse a Philenorum aris, ubi fines Cyrenaicæ, ad Hesperides usque et Herculis Columnas." Geogr. Min. Oxon. 1698, t. 1. Scylacis Περιπλȣ meminit Aristoteles, Politicor. l. 7, c. 14. Herodotus in Melpomene, et Strabo, l. 13 c. 14. Dodwelus noster inquit "nihil eum hausisse ex Hannone, etiam eorum quæ habet cum Hannone Communia, sed *ex antiquioribus*" Geogr. Min. ib p. 35.

(2) Sallust. Bel. Jugurth. Varior. Amsteled. 1689, p. 209. Addit "Tartessum Hispaniæ Civitatem, quam nunc Tyrii, mutato nomine, *Gadir* habent." l 2.

(3) Calmet. Dissert sur l' Ecriture S Paris 1720, t. 2, p. 134. Hornius De Orig. Gent. Americ. l. 2, c. 3, p. 75-133.

(4) Diodor. l. 4, c. 163, ed. Wesseling. t. 1. p. 273. "Singularem vir ille Astrologorum disciplinæ curam et operam "impenderat, et quia Sphæram siderum artificiose elaboratam habebat, totum humeris suis mundum gestare putabatur. "Eodem modo *Hercules*, cum doctrinam Sphæricam ad Græcos transtulisset, præclaram obtinuit existimationem ut "qui mundi onus ab Atlante excepisset." Ib. Pindarus Olymp. Od. 3, inquit Herculem Hyperboreos vicisse, *non vi*, sed literis—ȣ βια αλλα πει ων λογω, inquit Scholiastes vetus. Acad. des. Inscr. p. 59.—Eadem de *Ogmio* Hercule referebant Celtæ. Lucian Varior. t. 2, Amstelod. 1687, p. 366.

depictæ, cum ab ævo isto nemo Heroum, nec unus quidem, Hercule recentior, quorum tamen plurimi extitere in Græcia, locum in Asterismis habere inveniatur, Socii autem ejus insigniores in Sphæra memorantur, uti et ipse genuflexus, Cœlum et sidera sustinens, prout etiam in celebri Globo Farnesiano, Ptolomæi Alexandrini tempore sculpto, designatur. (1)

Denique ex Annalibus Phœniciis, in linguam Græcam a Menandro Ephesio translatis, Josephus in l. 1, contra Appionem, et Antiq. l. 8, c. 2, et Doctissimus noster Usserius in Annalibus, p. 18, Tyrum a Sidoniis conditam demonstrant annis 451 ante conditum Templum a Salomone, quod, juxta Usserium, Æram Christi præcedit, annis 1455.---Nonnus in libro 4 inquit Herculem in Tyri Templo celebratum, cognominatum fuisse Αςροχιτων, a Pallio Astris ornato, quo induebatur, quia Astronomicam in Græciam intulit, regnante in Creta Minoe, uti refert Suidas—Ανεφανε δε πει Μινωος Ηρακλης Τυριος.

Hinc Templum ad Isthmium conditum, ubi Isthmia habebantur in honorem Melicertæ, *Neptuno* dicatum erat. Hinc fragmenta vetera ab Hygino servata referebant.---" Ino Cadmi et Hermionæ filia cum *Melicerte* filio suo, *in mare se* præcipitavit. *Melicertem* autem Deum Palæmonem, nos *Portunum* dicimus. Huic quinto quoque anno Ludi Gymnici fiunt, qui appellantur *Isthmia*." fab. 11. Hinc denique Palæmonem Maro inter *Nautica* recensens numina, *Melicertam* vocat Inoum, I. Georg. et Græci Melicertam Cælo destinarunt, ut apud Eustathium in Odyss. E. p. 1543.

Sallustii Herculem Libyum non alium fuisse quam Tyrium, qui classe ad *Occidentis ultima* pervenit, demonstrant notæ Variorum, illum nempe qui in Templo Gaditano colebatur *Phœnicio ritu*, testante Appiano in Ibericis—" Herculis Fanum quod est ad Columnas, Phœnices mihi videntur " extruxisse, Colitur enim hodieque *Phœnicio ritu*, (2) et Deus ipse Thebanus non est sed " Phœnicius." Eadem habent Diodorus, Arrianus, et Philostratus, (3) itemque Mela, qui et ipse Gaditanus, (4) inquit—" Templum Gaditanum Ægyptii Herculis *conditoribus*, *Religione*, " vetustate, opibus illustre, Tyrii condidere. Cur sanctum sit, ossa ejus ibi sita efficiunt; " annorum quis manet numerus, ab *Iliaca tempestate principia sunt*."(5) Subjungunt Melæ editores Magnam olim Phœnicum vim, sub Joshuæ tempora, bello Sacro profligatam, maritima Africæ occupasse, antequam Dialectus primigenia degenerasset. Testes sunt Columnæ, olim in Tingitana visendæ, et Phœnicio ejusdem Sæculi sermone inscriptæ—" *Nos sumus fugientes a* "*facie Joshuæ, Prædonis, filii Nave*, quod idem est, ac si dixissent, nos Cananæi seu Phœnices

(1) Cassinius primam Arietis Stellam in Signi istius Gradu 10 positam notavit cum Bianchinio anno 1695, et Tauri Oculum gradibus 40 distantem ab initio Cancri, prope locum a Ptolomeo Alexandrino in suis observationibus assignatum. Ex quibus sequitur, juxta Newtonum in Chronologia, et Cassinium, Sphæram istam insculptam fuisse florente Ptolomæo Alexandrino. Newton Chronol. a p. 63 ad 88. Bianchini Istoria, p. 369.

(2) Nempe absque Simulachris. Josephus Antiq. l. 8, c. 2, ex Menandro Ephesio, Phœnicum Annalium Græco Interprete, de Hiromo Tyriorum Rege inquit—" Demolitus antiqua Templa, Herculi et Astartæ nova instauravit. *primusque Herculi statuam erexit.* mense Peritio." Is porro Salomoni coævus fuit, Reg. c. 5.

(3) Philostrat. de Vita Apollonii, l. 2, c, 14. Lucian de Syria Dea, Varior. p. 657.

(4) " Carteia, aliquando Tartessos, et quam transvecti ex Africa Phœnices habitant, atqne *unde nos sumus*." Mela Varior. Lugd. Bat. 1748, t. 1, p. 213, l. 2, c. vi. Vide et Ger. J. Vosii de Historicis Latinis, l. 1. Gadeiram Civitatem totius orbis, post Romam, maximam, Strabo non dubitat appellare, et Herculi Sacram." l. 3, Oxon. 1807, p. 232.

Addit Hornius Herculem Tyrium lingua Punica *Mac-erin* dictum, et sic eum appellat Pausanias in Phocicis, et Calmetus nomen istud interpretatur *Virum exploratorem*, loco citato. Atqui Hibernice *Mac* est filius, et *Er-in* Occidentalis Insulæ, *Jarraim* explorare, et *Jar* Occidens. " Carteia a *Meli-certa* Carteia dicta."—Newton, ib.

(5) Mela ib. t. 1, p. 274. Confer Wesseling ad Iter Antonini notam, p. 408.

sumus.(1) Et quidem lingua a Phœnicibus translata, magnam Afrorum partem usam fuisse, scribunt doctissimi viri, utrique Afri, S. Augustinus, De Civitate Dei, l. 16, c. 6, et Arnobius Siccensis in Psalmum 104, et Bardi Hibernici, *Maelmurius*, et *Eochodius*, qui Sæculo nono floruerunt, Majores suos ideo *Gaethluig* dictos fuisse aiunt, quia e Gethulia orti, in Hispaniam primum atque inde in Hiberniam transierunt, conducentibus *Hebero* et *Heremone*, filiis cujusdam Militis cui nomen *Golam*, qui a *Fenio-Fear-Saoidh*, i. e. a Phœnice-viro-sapiente, genus suum traxisse dicebatur.

Linguæ Hibernicæ cum Phœnica affinitas.

Primam linguam *necessario* a Dei institutione petendam esse, conveniunt jam docti, cum nulla lingua sit homini naturalis, et primi Parentes, statim a Creatione, inter se, et cum Altissimo colloquuti memorantur. Linguam etiam unicam fuisse usque ad Diluvium, et inde ad Dispersionem Gentium.—In quot autem linguas tum divisa fuerit hominum loquela, aut quomodo divisa, silent Sacræ literæ, dissentiunt Patres. Id interim certum, satis fuisse ad Dei intentum, talem induxisse mutationem, non quæ novas crearet linguas, *radicitus* diversas, sed quæ homines, ad malum proclives, et conspirantes, impediret quo minus se mutuo intelligerent, et Chananæam et Hebraicam, Abrahami et Moysis ævo, unam fuisse, quam Hebræi, e Captivitate reversi, Chaldæorum loquela inquinaverunt, ita ut ex Chaldaicæ et Hebraicæ confusione, tertia prodierit *Syriaca*, qua postea, Græcorum idiomate intermixta, Christus et Apostoli usi sunt.

Et quidem linguas Cardinales pauciores esse quam vulgus existimat, demonstrant in Prolegomenis Waltonus, et Calmetus, atque ex Hebraica Celticam ortam probant Bochartus, Boxhornius et alii. Argumenta quibus eorum opinio nititur, plurimum roboris acquirunt a Religione Druidum Hiberniæ, a Deorum et Civitatum nominibus antiquis, quæ licet non absolute demonstrant linguam Hibernicam Phœnicam fuisse, Celtæ enim, Hannibalis ævo, cum Pœnis non agebant sine Interprete, ut patet ex Polybio, probant tamen aperte, sive per crebra commercia, vel, quod maxime probabile est, per Phœnicum Colonias, permulta vocabula Celtica, et nomina Deorum, *Baal*, et *Samin*, *Carne* et *Grian*, *Thot*, et *Crom*, eorumque ritus Sacros, et infanda Sacrificia eadem esse cum Phœniciis, ita ut recte notaverit Usserius in Primordiis c. 5, vocem *Caer*, quæ Wallice et Hibernice Civitatem denotat, eandem esse ac Hebraicam *Kir*, *Keriath*, unde *Carta*, *Cartago*, *Carteia*, et *Meli-Certa* Rex Urbis, et supra notavi.

Non is sum certe qui linguam Punicam et Celticam, sive Hibernicam, ita convenire existimem, ut Plauti Pennulum linguæ Hibernicæ ope exponi posse sentiam. Penes me autem habeo opus

---

(1) Sallust varior. ib. p. 215. " Phœnices a Joshua fugati, per universam Africam diffusi sunt. Ædificaverunt autem Castellum in Civitate Numidiæ, ubi nunc urbs *Tingis*. Ibi Columnæ duæ prope Magorum fontem, Phœnicios habentes Characteres insculptos, qui Phœnicum lingua sic sonant.—*Nos sumus qui fugerunt a facie Josuæ Prædonis filii Nave.*" Procop. Vandalica, l. 2. Calmetus de his inquit—" On ne peut nier que les Phœniciens, n aient formê une infinitè de Colonies, du tems de Josue, ou peu apres lui, et il faut avouer, que ce ne pouvoit etre que des peuples *Chananeens*, qui etant trop a l' etroit dans leurs pais, et maltraitez par les Hebreux, se jettoient dans les Vaisseaux des *Sidoniens*, et alloient defricher de nouvelles terres. La plupart de ces colonies ont precedê le siege de Troyes, puisque les Grecs trouverent de Pheniciens dans la plupart des endroits ou ils aborderent, devant et apres cette Guerre." Calmeti Dissert. sur l' Ecrit. S. Paris 1720, t. 2, p. 134.

MS. in quo omnia verba primæva, quæ in Genesi reperiuntur, linguæ Hibernicæ ope, tam aperte, sincere, et absque fuco explicantur, ut nequeam non admirari, post tot Sæcula tantam esse non dicam affinitatem, sed in multis indentitatem, ut postea, Deo juvante, patebit. (1)

Veterum Tyriorum Insula Atlantica.

Ne autem omittam quæ jucunda æque, ac utilia, ad *Himilconis* Iter illustrandum pertinent, iis quæ de Phœnicum in Hiberniam Navigationibus certissima sunt ex Himilcone et Avieno, ea adjungam ex Diodoro, quæ, licet obscura sint, satis tamen clare indicant, non modo Hiberniam Phœnicibus notam, verum et longinquiores Insulas, quarum famam, ex Phœnicum navigationibus, ad veteres pervenisse declarant. (2)

" Postquam Insulas cis columnas Herculis percurrimus, ulteriores etiam in Oceano exigemus. " Africam enim versus, permagna quædam Insula in vasto Oceani Pelago jacet, complurium " navigatione dierum a Libya, in Occasum declinans. Solum ibi frugiferum, cujus magna pars in " montes assurgit, nec exigua in campos sese expandit. Et hæc pars amænitate excellit. Amnes " enim per illam navigabiles decurrunt, a quibus humectatur. Frequentes ibi paradisi, variis " arboribus consiti, pomariaque innumera dulcibus aquis intersecta. Villæ etiam sumtuosis " ædificiis exornatæ, et tabernæ in hortis compotoriæ florido passim dispositu occursant. Hic, cum " terra ad voluptates et delicias commoda large subministret, æstivo tempore diversantur. Mon- " tana regio crebros et amplos habet saltus, variaque arborum fructuosarum genera. Convalles " etiam et fontes, ad montanas vitæ recreationes idoneas passim exhibet. Imo tota hæc insula " dulcis aquæ scaturiginibus irrigatur, &c.

" Venatio illic omnis generis ferarum suppetit, quarum in conviviis copia, nihil ad delicias et " sumtus reliquum facit. Adhæc piscibus abundat mare Insulam hanc alluens. Mitissima tandem " aeris illic temperies est, qui facit, ut majore anni parte, fructus arborum, et id genus alia venusta, " et jucunda proveniant, &c.

" Olim, propter remotiorem a reliquo terrarum orbe situm, incognita fuit, sed hac tandem " occasione reperta. Phœnices a vetustissimis inde temporibus, frequenter crebras, mercaturæ " gratia, navigationes instituerunt. (3) Quo factum ut multarum in Africa Coloniarum, nec " paucarum in his Europæ partibus, quæ *ad Occidentem vergunt*, auctores fierent. Cumque " incepta ex animi sententia cederent, magnis ditati opibus, extra quoque columnas Herculis, in " mare quod Oceani nomen habet excurrerunt. Ac primum, juxta ipsum ad Columnas fretum, in " Europæ peninsula urbem posuere, Gades nuncupatam, in qua cum alia loco isti congrua, tum " fanum Herculi sumtuosum, cum Sacris magnificis, *Phœnicum ritu* peragendis, instituerunt.

(1) Conferendus erit Bernardi Alderberti Cordubensis liber 11, c. 11, Voluminis cui titulus—" *Varias Antiguedadas de Espanna*, Africa, y otras Provincias," ubi Punica Veterum Scriptorum verba diligenter conquirit.

(2) Versio est Wesselingii, t. 1, p. 344. Ex hoc Diodori loco, et plurium aliorum, Americam Phœnicibus notam fuisse probare conatur Perizonius, in Aeliani iii. V. H. 18, itemque doctissimus Schmid in Dissert. de America, quam Pindaro suo adjunxit. Alii Hiberniam esse volunt Insulam hanc, vel Britanniam quam Romanis usque ad Julii Cæsaris expeditionem non nisi fama notam fuisse Diodorus ipse testatur.

(3) Eadem habet Strabo οι και τα εξω των Ηρακλειων ϛηλων επηλθον, και πολεις εκτισαν κακει, και περι τα μεσα της Διβυης παραλιας μικρον των Τρωικων υϛερον. l. 1, p. 70. Conveniunt Sacræ Litera, et Homerus.

"Templum hoc, *ut priscis*, ita recentioribus etiam Seculis, ad nostram usque ætatem in summa "veneratione habitum fuit, adeo ut multi etiam Romanorum, nobilitate ac magnitudine rerum "gestarum illustres Viri, Deo illi vota nuncuparent, negotiisque feliciter confectis exsolverint. Hac "igitur ratione Phœnices, investigata ultra Columnas ora, cum Africæ littora legerent, ventorum "procellis ad longinquos in Oceano tractus sunt abrepti. Per multos tandem dies, vi tempestatis ad "Insulam de qua jam dictum appulerunt, naturam que ejus et felicitatem, a se primitus cognitam, "in aliorum deinde notitiam perduxerunt. Ideo Tyrrheni quoque maris Imperium adepti, "Coloniam eo destinarunt. Sed Carthaginenses illis obstiterunt. Simul enim metuebant, ne "plurimi Civium suorum, bonitate Insulæ allecti, eo commigrarent. Simul etiam contra subitos "fortunæ casus, si exitiosum Respublica Carthaginiensium forte damnum acciperet, refugium sibi "paratum esse volebant. Nam se maris adhuc potentes, in Insulam victoribus ignotam, cum "universis familiis transmigrare posse confidebant."

In his aliquid veri esse cum falsis permixti, non est dubitandum. Eadem enim quoad substantiam narrant Aristoteles in libro de mirabilibus, tribus et amplius Sæculis ante Diodorum, (1) et ante Aristotelem, Plato, qui floruit anno ante C. 398. Is, ex *vetustis Scriptoribus*, qui Græcorum Origines tradidere, hæc habet—"Scripta illa, ex nostris *Originum libris* narrant, quantas vires vestra Civitas compescuerit eorum hominum, qui e mari Atlantico erumpentes, uno impetu vastitatem, in universam Europam et Asiam importabant. *Pervium tunc erat Atlanticum mare.* Insulam autem in ore maris, adituque ad eas angustias, quas vos *Herculis Columnas* vocatis, extitisse," &c. Et hæc quidem habet in *Timæo*, Oper. t. 3, ed. Henr. Stephani, p. 24, et eadem repetit in *Critia* fusius, p. 114, eaque non allegorice, sed plane *historice*, ut genuinus Sermonis Scopus, et Strabonis verba de eadem Insula, l. 3, itemque Plinii, l. 2. c. 32, satis clare ostendunt.

Itaque ineptæ sunt Interpretum in hunc locum allegoricæ explicationes, et tanto minus tolerabiles, quod et ipse Plato λογον non μυθον, sed omnino verum, se ex vetustissimis libris commemorare, diserte declarat, et Crantor, primus Platonis Interpres, hæc ιςορικως narrari affirmat. Timæum cum Chalcidii Interpretatione edidit e Codicibus vet. Fabricius, ad Calcem Operum Hippolyti, Hamburgi, fol. 1716. Sed nemo quod sciam Codicem recensuit Bodleianum, *Hibernicis literis* scriptum, de quo quædam notavi in Epistola Nuncupatoria, p. 215 et 248.

De Homero Strabo inquit----"*audivisse eum de Hispanica navigatione, quo et Hercules expeditionem fecit, et postea temporis Phœnices.* Ibi enim spirat Favonius, atque eo collocat Elysium, et *Fortunatæ Insulæ* ante Maurusiam sitæ sunt, qua ejus extrema *versus Occidentem* exstant, eodemque Hispaniæ etiam *Occidui fines* pertinent," l. 1, ed. Oxon. p. 3. Easdem Insulas respicit Horatius, Epod. xvi, 42, ubi *Divites Insulas* eas appellat; neque video cur hæ, obscuræ quidem, et incertæ, sed tamen Homericæ Traditiones, a Phœnicibus ortæ, non sint, Britannicis Insulis adscribendæ. (2)

Ignorantiam quidem stellarum septentrionalium prodit Homerus, ubi, nomine Ursæ et Plaustri,

---

(1) Id tantum discriminis est, "Carthaginienses pœna Capitis interdixisse in Insulam navigare, Incolasque ejus e medio sustulisse, ne quis Insulæ opes aliis notas faceret." Aristot. Mirabil. Casaub. Lugduni 1590, p. 706.

(2) "Homerus, cum sciret hujusmodi expeditiones *ultima Hispaniæ* attigisse, et eorum locorum opulentiam, *Phœnicibus indicantibus*, ibi *piorum sedes*, et Elysium finxit, cum sit Occidua illa terra, et tepida *ad fines terræ*, ubi et *Inferos* fingi diximus." Strabo. l. 3, p. 201. Hinc Hibernia Insula *Sacra* dicta est ab *Himilcone*, apud Festum, atque hinc forte *Purgatorium S. Patricii*, et Hibernia a Bardis *Inis-fail* dicta, i. e. Insula Fatidica.

Arcticum circulum notat, aitque solam Ursam nunquam occidere, et unicam nominans, minorem ignorat.(1) At oram Mundi Borealem Oceano lavari inquit, et Sidoniorum memorat navigationes, et longinquas in Oceano terras; quæ omnia, non aliunde quam a Phœniciis, inquit Strabo, ad ejus aures poterant pervenire.—Phœnicios e sinu Arabico provectos, circumnavigata Africa, anno tertio ad Ægyptum, per Columnas Herculis, et Mediterraneum rediisse, narrat, sed non credit, Herodotus. Rationes autem incredulitatis suæ quas affert, facti veritatem demonstrant. Scribit enim nautas incredibile quoddam dixisse, præcipue, ad dexteram habuisse Solem Meridianum, cum in extremis Libyæ, proras converterent ad Occidentem in reditu. Hoc autem Africam circumnavigantibus accidere necesse est, cum ultra Capricorni Tropicum progrediuntur.

Eratosthenes.

Is præesse cœpit Bibliothecæ Alexandrinæ anno 19 Ptolomæi Evergetis, ante C. 226. Fragmenta ejus Geographica servavit Strabo, in quibus patet scripsisse de Insulis Britannicis. Libros tres Geographicorum ejus laudat ut egregios Harles. Fragmenta diligenter collegit et notis illustravit cl. Gunther, in singulari Libello, Gottingæ, 1739, 8vo.

Eum reprehendit Strabo, l. 1, p. 93, quod, Pytheam secutus, quem mendacem appellat, a Borysthene ad Thulen intervallum esse voluerit Stadiorum 11500, et l. 3, p. 199, quod Sacrum Promontorium, hodie S. Vincentii Promontorium, distare inquit a Gadibus 5 dierum navigatione, et partes Hispaniæ boreales facilius cognosci, si quis ad Galliam, quam si quis Oceanum naviget, et quod regionem Calpæ adjacentem Tartessidem vocari mentitur.

Erravit quidem Eratosthenes in Sacri Promontorii situ. In reliquis autem Strabone est accuratior, qui Hiberniam inquit esse Britanniæ πρὸς Ἄρκτους, et a Massilia in mediam Britanniam non esse amplius *V millibus stadiis*, p. 95. Pytheam præterea increpat Strabo ut mendacem, qui Hiberniam et Uxisamam *(Usheant)* ad Occidentem ponit a Gallia, cum hæc omnia, ait, *ad Septentrionem vergant*, p. 96. Itaque Veteres Geographi, Hiberniæ situm definiunt melius quam Scriptores Sæculi Aurei Augusti, Himilco et Phœnices melius quam Græci vel Romani!

---

(1) Proclus in sphæra inquit Circulum Arcticum describi circa Polum, conversione puncti Sphæræ Cælestis, quod horizontem attingit, ubi eum Meridianus secat, et eundem Arcticum intellexit quem Homerus, respectu habito ad mediam fere Græciam, ubi latitudo, sive Poli elevatio, est graduum circiter 37½. Eum enim circulum describi ait a *pede priori Ursæ Majoris*, hodieque ad eum situm proxime accedit stella quæ est infra dextrum Genu Ursæ.

Notum est stellam quæ Arcticum talem describat, tantum abesse debere a Polo, quantum interest inter Polum et horizontem, i.e. quanta est loci latitudo, cujus Arcticus describitur, quo enim major latitudo, eo amplior Arcticus, in Sphæra autem recta nullus. Apud nos hic Arcticus, sive potius Circulus Occultationis, describitur a stella quæ in humero Bootis sinistro est, tertiæ magnitudinis. Caput Gorgonis leniter admodum excludit, et Hædos in Ericthonio sive Auriga, et hæc sidera sub horizonte, exiguo tantum tempore, sese occultant. Includit autem *Cynosuram*, et *Ursam* Majorem, *Draconem*, *Cepheum*, et *Cassiopæam*, quæ Homericus quoque Arcticus complectitur, demptis stellis minutis pedum Ursæ Majoris; atque hæc sunt sidera quæ Homero *Oceani lavacris abstinent*. Noster autem Arcticus continet præterea *Capram* primæ Magnitudinis, et dextrum quoque *Aurigæ* fulgentem humerum, lucidasque *Cygni*, et in dextero latere *Persei* micantem, quæ nunquam occidunt. Constat autem a *Thalete* Milesio primum *Cynosuræ* Sidus, quo in navigationibus utebantur Phœnices, Græcis revelatum, quod ex Callimacho demonstrat Laertius. Thales autem Astyagis Medorum et Tarquinii Prisci æqualis fuit.

Polybius, Ed. Casaubon, Paris 1609, *l.* 3, *p.* 209.

Scipionis Junioris amicus Polybius Africam cum eo contendit, atque Carthaginis eversioni interfuit. Anno ante natum Christum 144 vidit Corinthum a Mummio incensum. Galliam deinde et Hispaniam peragravit. Duos de Britannicis Insulis Libros scripsit, quorum meminit Strabo. Iis autem deperditis, haud alia ad rem nostram pertinentia ex ejus operibus in medium afferre possumus, præter ea quæ sequuntur.

Ισως γαρ δη τινες επιζητησουσι, πως πεποιημενοι τ πλειςον λογον υπερ των κατα Λιβυην και κατ' Ιβηριαν τοπων, ετε περι τε καθ' Ηρακλειες ςηλας ςοματος εδεν επιπλειον ειρηκαμεν, ουτε περι τ εξω θαλαττης, και των εν ταυτη συμβαινοντων ιδιωματων εδε μεν περι των Βρεττανικων νησων, και τ τε κασσιτερε κατασκευης, &c.

" Quærent enim fortasse nonnulli, quum de variis in Africa atque Hispania locis multum simus locuti, cur de freto ad Columnas Herculis, de externo mari ejusque natura, de *Britannicis Insulis*, et Stanni confectione, de auri argentique metallis in Hispania, de quibus multa eaque invicem pugnantia auctores prodidere, verbum nullum fecerimus. Nos vero hæc prætermissimus, non quia parum illa pertinere ad Historiam arbitraremur, sed 1°. ne interrumpere narrationem cogeremur, deinde quia constituimus seorsim, loco ac tempori ei tractationi destinato, veritatem rerum illarum pro virili explicare." Itaque Herodoti *Cassiterides* sunt *Britannicæ Insulæ* Polybii.

Artemidorus apud Strabonem, l. 4, *Oxon.* 1807, *t.* 1, *p.* 277.

Floruit Artemidorus Olympiade 169, ante C. 104. Terras descripsit libris 11, juxta Marcianum Heracleotam in Periplo. Operis istius librum octavum memorat Diodorus, l. 3, decimum Athenæus, undecimum Stephanus in *καλλιτης*, frequenter Strabo, Plinius Passim. Quæ de Britannicis habet hæc sunt—*Φησιν* (*Αρτεμιδορος*) *ειναι νησον προς τη Βρεττανικη, καθ' ην ομοια τοις εν Σαμοθρακη περι την Δημητραν και την Κορην ιεροποιειται.*—Perhibet Artemidorus Insulam esse Britanniæ propinquam, in qua Cereri et Proserpinæ sacrificatur, sicut in Samothrace.

De Samothracum cultu inter Celtas, vide quæ in Annalium Inisfalensium illustrationibus dicta sunt, p. 148, &c. et infra in *Diodoro.*—Religionem Celtarum describit Strabo, nil de Templis memorans, Montfaucon Supp. des Ant. t. 2, et Keysler Antiqu. Sept. et Celt. Sect. 1.

Ex J. Cæsare de Bello Gallico, l. 1, *c.* 1.

" Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt *Belgæ*, (in Annalibus Hibernicis " *Fir-Bolgi*) aliam *Aquitani*, tertiam qui ipsorum lingua *Celtæ*, nostra Galli appellantur. Hi " omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt."

Notanda in hunc locum de Hibernorum originibus.

Celtarum nomen vetustis Scriptoribus totam occidentalem Europæ plagam complectitur—Celtæ inquit Herodotus, sunt omnium in Europa, *ad Solis occasum extremi,* post Cynetas. (1) Ephorus, divisa in quatuor partes terra, ait eam quæ *apud occasum est,* a *Celtis* habitari, et Celticam ingenti facit magnitudine, ita ut pleraque Galliæ Hispaniæ et Britanniæ loca extra Columnas, Celtis tribuat. (2) Strabo ipse inquit. " Notæ versus Septentrionem gentes, uno prius nomine, vel Scythæ, vel Nomades appellabantur, ac postea cognitis regionibus Occiduis, *Celtæ, Iberi,* aut mixto nomine *Celtiberi,* ac *Celto-Scythæ* dici cæperunt."(3)

Pausanias inquit Gallos semper antiquitus, tum a seipsis, tum ab aliis *Celtas* vocatos, usumque non nisi sero obtinuisse, ut *Galli* sive *Gallatæ* nuncuparentur.(4) Promontorium quod hodie Finisterræ, olim *Celticum* dictum est, et *Scythicum,* (5) et lingua Gallica, sive Celtica, quæ ab Hibernis *Gaelic,* et *Gadhelic,* et *Gethluig* dicitur usque hodie, ad *Scythicam* originem recte refertur a Boxhornio.

Nemo est certe, quod sciam, qui *Scotos* ante Christi Natales memorarit, nisi forte ita intelligenda sint verba Herodoti—" omnibus Scythis nomen esse *Scolotis,* sed Scythas Græci appellavere,"(7) ubi pro *Scolotis,* Reiskius legit *Scotis,* et Senecæ et Flori de *Scoto-Brigantis,* in Hadriano, verba adducit.—At Æthicus, Sæculo ii, Scotos Hiberniam et Manniam habitare declarat, " Menavia Insula æque ac Hibernia, a *Scotorum gentibus* habitatur." Cosmogr. l. 1, c. 2. Paulo antea *dixerat*—" *Hibernia a Scotorum gentibus habitatur.*" Eadem habet Claudianus " Totam cum *Scotus* Iernen movit," et Beda Hiberniam *Propriam Scotorum Patriam* appellat, l. 1, c. 1.

Scythia vetustissima tam longe lateque patuit, inquit Cluverius, ut *Celto-Scythia,* Hispannos Gallos, Britannos, Teutones, et terras Septentrionales comprehenderet. In Scytharum originibus docendis rationes solidas urget Bochartus. Omnium Parens fuit unus ex Japheti filiis *Magog,* a quo etiam Magogæi dicti sunt, narrante Josepho, l. 1, c. 7, atque huic Abydenus, ex eoque Syncellus, tum *Scythicas* ab uno illo Magoge, tum quoque Gentes *Celticas* deduxerunt.

De Celtarum sive Gallorum fortitudine plura habent Polybius et Livius.—Victis ad Alliam Romanis, Romam præter Capitolium cæperunt, anno U. C. 364, ante C. 390; in Græciam postea irruentes, Duce Brenno, Thermopylas, eadem qua Persæ quondam parte, Græcis frustra prohibentibus, penetrarunt, et Phocidem ad Delphicum Templum spoliandum petierunt, anno ante

---

(1) Herodot. Wesseling. l. 4, c. 49, p. 303. (2) Ephorus apud Strabon. l. 1, ed. Oxon. 1807, p. 48.
(3) Strabo. ib. (4) Pausanias in Atticis, p. 462.
(5) Cluver Geogr. Lond. 1711, p. 58, Germania Antiq. l. 1, c. 2. Sil. Ital. 360, Horat, Od. iii, 4.
(7) Herodot. Wesseling. ib. c. 6, p. 282. Addit Scythas ita ab Herculis filio *Scytha* appellatos, c. 19, p. 285, quod non fugit cl. Viri de *Pauw* sollertiam. *Scuthas* autem a Græcis appellatos fuisse, a Sagittandi peritia, notant Wesselingius et Cluverius locis citatis, et certe durat adhuc vocabulum in Scythicæ origenis linguis, ut in Theophili Bayeri Dissert. de Orig. Scyth. t, 1. Comment. Acad. Petropol. p. 391, Bochart Phaleg, l. 3, c. 13, Vossius de Idolol. l. 3, c. 99. Vox Hibernica *Scioth* usque hodie Sagitam exprimit.

C. 278. S. Hieronymus inquit horum Gallorum Reliquias, *Galatas* postea appellatos, " excepto sermone, quo omnis Oriens loquitur, *propriam linguam*, eamdem pene habere quam Treviros."(1)

Celtarum linguam quod attinet, etsi Cæsar asserat Celtas a Belgis lingua, institutis, et legibus differre, id tamen lato sensu intelligendum esse, et una eademque Celtica lingua usos fuisse omnes Gallos, Dialecto tantum diversa, Cæsar ipse non semel declarat; eandemque fuisse linguam Britannicam et Hibernicam demonstrat Cluverius in libro 1 Germaniæ Antiquæ. Errat tamen vir doctus linguam Germanicam, quæ Teutonica est, cum Celtica confundens. Cæsar enim inquit ita diversas fuisse, ut non nisi longo usu Gallicam edisceret Ariovistus rex Germanorum, l. 1, c. 47, et structuram atque idiomata plane diversa, demonstrant Grammaticæ et Vocabularii, non ita autem lingua Hibernica, Britannica, et Gallica, quæ in pluribus conveniunt. Britannorum sermonem *haud multum a Gallico diversum*, narrat Tacitus in Agricola, c. 11, et Cæsar ait Gallos, qui Druidarum Disciplinam cognoscere vellent, ad eas ediscendas in Britanniam trajicere solitos. Britanni igitur in docendo eodem quo Galli sermone utebantur. Eadem porro fuit lingua *Celto-Scytharum*, sive *Scotorum* Hiberniæ, Dialecto tantum diversa, ut patet ex *Lhwydii* Archæologia.— *Isidorus* et *Orosius* cum *Beda* et *Adamnano* conveniunt, Hiberniam esse *propriam Patriam Scotorum*. " Scotia eadem et Hibernia, proxima Britanniæ Insula, Scotia dicta, quod a Scotorum Gentibus colitur." " It is certain that the Scots of the Roman authors are none other than the Irish." Prideaux Connect. Lond. 1718, p. 188.

De Bello Gallico, l. 3, c. 8.

" Venetorum Civitatis est longe amplissima auctoritas, omnis oræ maritimæ regionum earum; " quod et Naves habent Veneti plurimas, *quibus in Britanniam navigare consueverunt*, et Scientia " atque usu nauticarum rerum cæteros antecedunt, et in magno impetu Maris, atque aperto, paucis " portubus interjectis, quos tenent ipsi omnes fere qui eodem mari uti consueverunt, habent, " vectigales."

" Exigua parte Æstatis reliqua, Cæsar in Britanniam proficisci contendit, quod *omnibus fere* " *Gallicis Bellis, hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat*, et si tempus anni ad bellum " gerendum deficeret, tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modo Insulam adisset, genus " hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset, quæ *omnia fere Gallis erant incognita*." Ib. l. 4, c. 20.—" At Barbari, consilio Romanorum cognitio, præmisso Equitatu, et *Essedariis*, " quo plerumque genere in præliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus " egredi prohibebant." Ib. c. 24.—" Hominum est (in Britannia) infinita multitudo, creberri- " maque ædificia, fere Gallicis consimilia." Ib. l. 5, c. 12.

(1) Hieron. in Epist. ad Galatas, l. 2, c. 3. Benedictini in hunc locum notant—" Treviri erant *Belgæ*, Tectosages, qui Galatiam-constituere, certo erant *Celtæ*. Belgæ igitur et Celtæ eandem linguam habebant." Rer. Gal. t. 1, Paris, folio, 1738, Præf. p. xxxii.

Notanda in hæc loca de navigandi in Hiberniam origine.

Quæ hic de Britannia Gallis ignota dicuntur, haud constant cum antea dictis de Subsidiis *e Britannia* petitis a Gallis contra Romanos, neque cum iis quæ narrat de frequentibus Venetum navigationibus in Britanniam, et multo minus cum iis quæ de Druidibus narrat, quorum Disciplina in Britannia plenius quam in Gallia edocta, Gallorum plurimos in Britanniam transire, ibique plures annos ad Disciplinam istam ediscendam transigere ducebat.

Narrat Strabo Cæsaris cum Venetis bellum, non a Cæsare susceptum vel inceptum, sed ad *ipsis Venetis*, idque prohibendæ navigationis Britannicæ causa, quod Britannia ipsis pro emporio erat,(1) et Romanorum in Britanniam transeundi intentum, quod Cæsar ipse celare conatur, Suetonius his verbis propalat. " Britanniam spe Margaritarum petit, et Gemmas immenso pretio comparat " J. Cæsar." (2) Et hinc quidem omnium fere veterum expeditionum ad Insulas extra Columnas origo petenda est, ex obscura nempe traditione de Insulis Hesperidum, de Insulis Fortunatis, et de auri atque argenti fodinis, quæ, a Phœnicum navagationibus orta, non modo ad Cæsaris aures, pervenit, sed ad Arabum usque in Hispaniam irruptionem permansit. Romanorum avaritiam Cicero indicat, (3) castigant Tacitus et Juvenalis. " Ego facilius crediderim, inquit Tacitus, (Agricola c. 12) naturam Margaritis deesse, quam *nobis Avaritiam*."—Britanniam petiit J. Cæsar, inquit Suetonius, spe Margaritarum, quarum amplitudinem conferens, interdum *sua manu pondus exigeret*."—En ergo origo expeditionis Romanorum. Eadem Phœnicum.

" In Britannia parvas atque decolores Margaritas nasci, certum est, inquit Plinius, quoniam Divus Julius thoracem, quem Veneri Genitrici in Templo ejus dicavit ex *Britannicis Margaritis* factum voluerit intelligi." Plin. Harduin, t. 1, p. 523, l. 9, c. 35. Eadem habet Solinus, adjungens Cæsarem id voluisse intelligi, " *subjecta inscriptione*," quod ex vetere quodam descripsisse videtur. Eam enim Magnificentiam Cæsari in deliciis fuisse, patet ex Suetonio ibidem, ubi inquit. " Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparasse, servitia recentiora, politioraque, *immenso pretio*, et cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri." Plinius inquit " Cæsari Ajacem et Medeam, ab eo in Veneris Genetricis æde positas, 80 talentis venundatas, pinxit Timomachus Byzantius." Plin. Harduin, t. 1, p. 396, l. 7, c. 38, et t. 2, p. 705, l. 35, Antiphilus Byzant. in Anthol. l. 4, c. 9, et Auson. Epigr. 121.

---

(1) Strabo. l. 4, p. 271, Oxon. 1807. Venneti Celtæ erant, inquit Cluverius, quorum Oppidum Vindana, nunc *Vannes* Geogr. ib. p. 67, 68. Errat ergo *Pinkertonus*, falso aserens Venetos fuisse *Belgas*. Scotland, t. 1, p. 411. *The Veneti were Belgæ!* Et tamen eo ipso loco Strabonem citat, l. iv.

(2) Sueton Varior. Trajecti ad Rhenum 1690, p. 131, l. 9, c. 47, et Plinius Harduini, l. 9, c. 35.

(3) " Illud jam cognitum est, neque argenti scrupulum esse ullum in illa Insula, (Britannia) neque ullam *Spem prædæ* nisi ex Mancipiis." Ep. ad. Attic. l. 4, Ep. 15. Aliter autem Mela Imperante Claudio " flumina gemmas margaritasque generantia," l. 3, c. 6, Varior. t. 1, p. 277. De thorace e Britannicis Margaritis Veneri a Cæsare dicato Plin. et Solinus, c. 56, Tacitus in Agricola—" Fert Britannia aurum et argentum, et alia metalla."

Hinc itaque bellum *Venetorum*, qui *Celtica* Gens, et maritima erat, ut Cæsarem, a Britannica navigatione impedirent. Atque hinc, non modo Romanorum, quibus Insulæ Britannicæ fama tantum notæ tum erant, idque valde obscure, ut patet ex Mela, Diodoro, et Strabone, sed etiam *Phœnicum* in Insulas istas expeditiones, ut antea notavi.

" Fert Britannia, inquit Tacitus, aurum, et argentum, et alia metalla, *pretium victoriæ.* Gignit et Oceanus Margarita, sed subfusca ac liventia." Agric. c. 12. De his Margaritis scribit accuratissime Origenes in Mat. p. 210, 211. " Britannica, inquit, Margarita, colore quo ejus superficies imbuta est, auri speciem refert. Nebulosa, autem est, et Margaritis *Indicis* obtusior." De iisdem Beda, " capiuntur, inquit, in Britannia Conchylia, in quibus sunt et Musculæ, quibus inclusam sæpe Margaritam omnis quidem coloris, optimam inveniunt, id est, et rubicundi, et purpurei, et jacinti, et prasini, sed maxime candidi. Sunt et Cochleæ satis superque abundantes, *quibus tinctura Coccinei Coloris conficitur*, cujus rubor *pulcherrimus* (vulgo *tinctura Tyria)* nullo unquam Solis ardore, nulla valet pluviarum injuria pallescere. Sed quo vetustior eo solet esse venustior." l. 1, c. 1.

Eadem habet, sex ante Bedam Sæculis, Solinus in Polyhistor. cum Salmasii notis, Paris, 1629, c. 53, item Ælianus in Historia Animalium, Lond. 1744, c. 8, et Marbodæus de Lapid. pret. c. 61. *Gignit et insignes antiqua Britannia Baccas !*

At quorsum hæc ?—cum de Britannia tantum, non autem de *Hibernia* hæc prædicanda sint ? Imo vero de Hibernia etiam, ubi et auri et argenti fodinæ, etiam nostris temporibus inventæ sunt, et ubi plurima instrumenta Druidica aurea, aliaque quorum usus antiquissimus memoriam hominum excedit, alte subter terram condita, plurimis Sæculis latuerunt, ut in Gough's Camden. t. 3, ed. 1, p. 116, et Hamilton's Antrim, Letter 4.

Nennius præterea inquit—" esse in Momonia stagnum quod vocatur *Loch-Lene*, hodie *Killarney*, " quod quatuor circulis ambitur. Primo circulo *gronna Stanni ambitur*, secundo Circulo *gronna* "*ferri* ambitur, et in eo Stagno *Margaritæ multæ reperiuntur*, quas ponunt Reges in auribus " suis." (1) Atqui Ptolomæus Alexandrinus inquit, flumen quod ex eo Lacu fluit in Oceanum, ab antiquis *Iberum* dictum, quod Veterum, ad istas Hiberniæ regiones Commercia patuisse ostendit.

Inter Antiquos Hibernos Margaritas Hibernicas magno pretio habitas fuisse, indicat Epistola anni 1094, inter Usserianas, in quas Gillibertus Limericensis S. Anselmo qui eum Episcopum consecravit, inquit se ei in animi grati signum misisse—" Munusculum devotionis, Margaritarum xxv," in Sylloge Usserii, p. 88.

Qui plura cupit de Margaritis Hibernensibus adeat *The Philosophical Transactions*, No. 198, p. 629, 659, &c. *Smith's* Corke, Dubl. 1750, vol. ii, p. 264, *Smith's* Waterford, Dubl. 1774, p. 237, *Smith's* Kerry, p. 94, 97, 211, 125, 143, 404, 411, et Historiam Comitatus Dunensis nuncupatam Equiti Aurato *Hans Sloane*, p. 146, 149. " *The purple dye from the juice of the shell*

---

(1) MS. in Biblioth. Cotton Julius D. v. quem Wanleus omisit, et Smith erronee putavit esse opus *Gildæ*, Catalog. Cotton. ib. in errorem inductus a Rubrica contentorum. Contuli hunc Codicem cum altero sub Tiberio in eadem Bibliotheca, et cum tertio Vespasian, D. xxi. De quibus, et de Capitulo *De Mirabilibus*, vide Bibliothecam nostram *Hibernico-Cotton.* Julius, D. v.

fish was known by tradition in Ireland, down to 1688." Philos. Trans. No. 197, 198, vol. xvii. p. 645 et 659.

Hinc Hadrianus Junius inquit in Hibernia inveniri—*Stannique fodinas, et puri argenti venas.*" De ling. Lat. l. 4. Confer Sir Will. Petty's Will, Lond. 1670, cum Smith's Cork, vol. 2, Dubl. 1750, p. 264.—Aurea Monilia, et annulos aureos temporibus antiquissimis in Hibernia fabricatos, regante *Tigernmasio*, memorant Annales Hibernici, et Poetæ, quorum Carmina vetustissima Tigernachus adducit. Extat et vita vetus S. Brigidæ, scripta a Kiliano *Inisceltraense*, qui Sæculo vii floruit, in Codice antiquo MS. Montis Cassinensis Litera F. No. 232, signato pluteo 8, ad lævam, serie 2, ordine xv, ubi vetus is Scriptor de Hibernia inquit—" Insula Dives opum, *Gemmarum*, vestis, et *auri*." Cofer Acta SS. p. 582.

Annales præterea nostri Calices aureos, et ornamenta aurea sæpe memorant, et Artifices in operibus aureis et argenteis, ut ad annos........799, 800, 814,......Gough in Camdeno, t. 3, p. 476, Archæologia Londinensis, Lond. 1773, p. 38, et Booth Nat. Hist. of Irel. Dubl. 1720, p. 137.

Cormacus Casselensis Sæculo ix testamentum edidit, servatum in Vetere Psalterio Casselense, in quo plurima auri et argenti pondera variis Ecclesiis Legavit. Brianus Borumha uncias auri xx dedit Ecclesiæ Ardmachanæ, anno 1004, ut in Annal. Tigernachi et Ultoniæ.

Annales Ultoniæ, ad annum 1151, inquiunt Tirdelbachum O'Brian unicas auri puri 60, et Margaritas 60, dedisse Principibus Viris exercitus sui, et ad annum 1157, Murcertachum O'Lochlin, totius Hiberniæ Regem, auri unicas 60 dedisse Clero, et ejus exemplum secutum O'Carolum Principem de Uriel, itemque Dervorgillam filiam O'Melachlini Regis Midiæ.

Iidem Annales ad ann. 1161, narrant S. Columbæ successorem, dono accepisse ab Ossoria *uncias auri puri* 81;—ad annum 1156 Argentum memorant *signatum* apud Cluanmacnoise, a Rege Hiberniæ Tordelbacho O'Conor, et plurimam auri et argenti vim, a filio ejus *Roderico* postea dono datam Ecclesiis Hiberniæ, Annales iidem, et omnes Scriptores Hibernici, qui de his scribunt, cum J. Waræo confirmant—Atque hæc de Venetorum bello, de Margaritis et Metallis, et de veterum navigationibus in Hiberniam sufficiant, cum plura de his dicta sint in Annalibus Ultoniæ, a p. 138 ad 172.

De Veterum Hibernorum Essedis memoratis a Cæsare.

Minime mirandum est, si in Annalibus Hibernicis Curruum et Aurigarum mentio fiat ante Æram Christianam cum Britannis in usu fuisse pateat ante adventum Cæsaris, *Essedum* quidem vocem esse *Celticam*, notant veteres apud Vossium, in notis variorum, et, si Servio credimus, a Belgis inventa sunt *Esseda;* unde in Georgicis, l. 3.—" *Belgica vel molli melius feret Esseda collo.*" Jornandes etiam in Geticis, c. 11, inquit vocem esse Britannicam, " Bellum gerunt Britanni Bigis, curribusque falcatis, quos, *more vulgari, Esseda* vocant." Mela, Imperante Claudio, inquit, l. 3, c. 11.—" Dimicant Bigis et Curribus Gallice armati, *Covinos* vocant, quorum falcatis axibus utuntur." Eadem habent Frontinus, Stratagem, l. 2, c. 3, et Lucanus Pharsal. l. 3. inquit—" Et docilis rector nostrati Belga *Covini.*" Atqui voces istæ Hibernicæ sunt, et quæ a Cæsare hic narrantur conveniunt cum iis quæ de curribus Hibernorum dicta sunt in Annalibus Ulton. p. 148.

Ex Cæsare ibid. l. 5, c. 13.

"Insula natura triquetra cujus unum latus est contra Galliam. Hujus lateris alter angulus qui est ad Cantium, quo fere ex Gallia naves appelluntur ad Orientem solem inferior ad meridiem spectat. Hoc latus tenet millia passuum circiter D.—Alterum vergit ad Hispaniam atque Occidentem solem, qua ex parte *est Hibernia,* dimidio minor, ut existimatur, quam Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam. In hoc medio cursu est Insula quæ appellatur *Mona.*"

"Omnes se Britanni vitro inficiunt, quod Cæruleum efficit colorem, (1) atque hoc horribiliore sunt in pugnæ adspectu, Capilloque sunt promisso, atque omni parte Corporis rasa, *præter Caput, et labrum superius.*" (2) Ib. c. 14.

"Druides rebus Divinis intersunt, Sacrificia publica ac privata procurant, Religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus Disciplinæ causa concurrit, magnoque ii sunt apud eos in honore, nam fere de omnibus controversiis, publicis privatisque, constituunt; et si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt. Si quis, aut privatus, aut publicus, eorum Decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero Impiorum ac Sceleratorum habentur, iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus *præest unus,* qui summum inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit. At, si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur. Nonnunquam etiam de Principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore, in finibus *Carnutum,* quæ regio totius Galliæ media habetur, (3) considunt in loco consecrato. Hic omnes undique qui controversias habent conveniunt, eorumque judiciis Decretisque parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur." Ib. l. 6, c. 13.

---

(1) In nonnullis Codicibus—"*Glasto* se inficiunt," ut in notis Varior. Plinius, l. 22, c. 1, inquit—"Simile plantagini *glastum* in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges, nurusque, toto corpore oblitæ, quibusdam in Sacris et nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes." Vitrum Anglice est *Glass,* et Color Cærulcus Hibernice est *Glass.* Vossius ad Melam, l. 3, c. 6, ubi eadem refert de Britannis, inquit *Glastum* et *Vitrum* eandem esse herbam. "Britanni, inquit Iornandes, ferro corpus pingere solebant prius, ut Cicatrices imbiberent Colorem Cæruleum," item Herodian. l. 3. et Solinus. c. 25. Hæc *stigmata Britonum* appellat Isidorus, l. 19, c. 23. Claudianus—*ferro picta* genas, cujus vestigia verrit—*Cæruleus,* Oceanique æstum mentitur amictus." Extat Carmen Hibernicum Sæculi ix, in quo *Gathelus,* Hibernorum Heros, appellatur *Gaedhil Glas,* i. e. *Gathelus Cæruleus.*

(2) Mos erat etiam Hibernis, ut apud Spenserum, et in legibus editis contra Hibernorum barbas, dictas *Glibs,* ab Anglis.

(3) De Voce Hibernica *Carne,* et Dea *Carnea,* vide quæ dicta sunt in Tractatu nostro de Religione Ethnicorum Hiberniæ—"Delphi umbilicus Terræ ubi Oraculum Apollinis." Strabo Geogr. l. ix, et Pausanias, l. vii. *Carn-Usneach* erat Umbilicus Hiberniæ, ubi Druidæ Hiberni convenire Solebant. Girald.

Religio Druidica Hibernorum Phœnicia.

Quædam hic observanda occurrunt, quæ, quia hactenus de Phœnicum Coloniis dicta confirmant, ideo breviter recensenda sunt. Pro Cæsaris *loco* consecrato, nonnulli legunt *Luco.* Inania autem sunt hæc, et contra Codicum fidem. Loci consecrati tam in Gallia quam in Hibernia erant Colles, dicti Hibernice *Rath* et *Carne,* quæ voces sacræ sunt. *Carnutum* locus sacer erat in Gallia, *Carn-usneach* in Hibernia, ambo Colles in ipso umbilico Regionum in quibus Druidæ consedere solebant. Hinc in Codice Hymnorum Hibernico vetustissimo, cujus meminit Usserius in Ep. ad Vossium, Hymnus Hibernicus Sæculo vi scriptus, inquit S. Patricium, "*Pritcais fri De in Dindaib,*" prædicasse de Deo in Collibus. (1)

Hinc Baro de Finglas, regnante Henrico VIII, inquit—Leges quas Angli pro Hibernis ferunt, contemni a vetustis Hiberniæ Indigenis, eas autem Leges, quas ipsi in *suis Collibus* promulgant, ita esse Sacras, ut nec præmiis nec pœnis vel cogi vel induci possint, leges ita latas despicere, aut violare. "The English Laws are not observed eight days, whereas the Laws passed by the Irish *on their hills,* they keep firm and stable without breaking them for any fee or reward." Breviate of Ireland. Eadem habet Spenserus regnante Elizabetha et Jacobo I. Mos est, inquit, Hibernis, mortuo Regulo, convenire omnes ad locum, ubi eligant Successorem, quem stare faciunt supra Saxum *ad Collis Apicem,* ubi jurejurando se devincit mores Regni intactos servare, &c.

"It is a continued custom amongst the Irish, presently after the death of any of their Chiefs, to assemble at a place generally appointed and known, to choose another in his stead, where, for the most part, they do not elect the eldest son, but the next in blood, that is, the eldest and worthiest, and on that occasion they use to place him *on a stone,* placed *commonly upon a hill,* in some of which stones, I have seen formed and engraven a foot, which they say was the measure of their first Captain's foot, whereon he standing received an oath to preserve the customs of the country, and had a wand delivered to him by a proper officer, with which, in his hand, descending from the stone, he turned himself round thrice forward and thrice backward." (2)

Non ignoro Quercum Sacram fuisse Druidibus, et lucos Sacros, at Sacrificia fiebant in Collibus Sacris, uti notant Sacræ Scripturæ. Reg. iv, c. 16 et 20.

---

(1) Vide hymnum integrum infra in Sæculo vi. Strophe 4—De Colle *Carn-Usneach* plura habentur in Codice Stowense *Dinscanchus,* quæ locum fuisse Sacrum plane demonstrant. De eodem Giraldus inquit "Hibernia in quin-" que partes divisa, quarum Capita in lapide quodam conveniunt, apud *Medium,* juxta castrum de Killari, qui lapis et " Umbilicus Hiberniæ dicitur, quia in medio et meditullio terræ positus, unde et Media pars illa Hiberniæ vocatur, " quia in *medio* est Insulæ sita." Girald. Topogr. Hib. p. 736. Hunc Collem maledixit S. Patricius, uti narrat, ante Iocelinum, Evinus in Triade, p. 131.

(2) Idem mos invaluit inter Monticolas Hibernos Albaniæ, qui linguam *Erse,* i. e. *Irish,* seu Hibernicam loquuntur. Confer Martin's *Western Isles,* Lond. 1703, p. 241, cum Spenseri *View of Ireland,* Dubl. fol. 1633, (ed. princips) p. 5. Confer etiam *Knox's* Ceylon, p. 5, et *Renaudot's* Mahometan Travellers, p. 3, et not. p. 8, cum Bryant Mithol. Lond. 1776, p. 208, cum Annalibus Ulton. ann. 792, Townley's Tour in the Isle of Man, Whitehaven, 1791, p. 69, cum Diodoro ubi de Vestigiis Herculis in Petra quadam miraculose impressis, et cum vetustis Legendis de Vita S. Patricii, ubi Vestigia ejus in Petra impressa memorantur.

Quod de *Carnutorum* Colle Sacro Druidico habet Cæsar, id et de Hibernensium Colle Sacro *Carne Usneach* dicendum est. Erat nempe Umbilicus Hiberniæ, ubi quinque Provinciæ Hibernicæ se mutuo attingebant, apud Collem omnibus communem, ad cujus apicem lapis ingens stabat, quem alii minores circumstare videbantur, ut in Annalibus Ultoniæ ad ann. 1106, p. 370. (1)

Jusjurandum porro de quo agit Spenserus, antiquitus Druidicum fuisse, nempe non per simulacra Deorum, sed per *Solem*, *Ventum*, et *Elementa*, "*Grian, Gaoth, agus na Uile-duile,*" patet ex Annalibus nostris, ubi agunt de Inaugurationibus Regum *Hugonii Magni*, et *Tuathalii*, ante adventum S. Patricii, atque de obitu *Laogarii* Regis, A.D. 458 et 462.

Eusebius, ex Phœnicum Annalibus, narrat in Præp. Evang. l. 1, c. 10.—"Usoum Tyri Regem, duas erexisse Columnas, et consecrasse *Soli* et *Vento*, easque coluisse." Atqui Tigernachus, Annales Ultonienses, et IV Magistri ad annum 458, hæc narrant—"*Cath Atha Dara for Laoghaire* "*re Laighnibh* (Prælium Vadi Quercuum contra Laogarium gestum a Lageniensibus) *in quo* "*et ipse captus est. Sed tunc dimissus est, jurans per Solem et Ventum se boves eis dimissurum.*" Iidem Annales ad Annum 462 hæc habent—

"Mors Laegaire filii Neill, oc *Greallaig Griaifil, for taeb Caisse*, in Campo Lifi, *etir in da cnoc* "*·i· Eirin ocus Alba an anmana, o rata re Laighnibh gur inad Grian agus Gaet ros marb sad.*" i. e.—Mors (Regis) Laogarii filii Nialli (Magni) apud Greallach Griafuil, prope Casseam in Campo Lifi, inter duos colles, *Erin* et *Alba* (Occidens et Oriens) appellatos. Juxta narrationes Lageniensium, *Sol* et *Luna* occiderunt eum." Eadem habet vetus Codex Stowensis *Dinseanchus* dictus, a quingentis saltem annis exaratus, fol. 50, col. 2, linea 24.

Quatuor Magistrorum verba ad ann. 457. "*A naoi fichet do Laogaire mc Neill, Cath Atha* "*Dara ria Laighnibh for Laogaire mc Neill. Ro gabh. don Laogaire isin Cath hi sin, 7 do rad* "*Laoghaire Ratha Greine 7 Gaoithe 7 na n Dul do Laighnibh nach tiocf. foira tria bith in a legaidh* "*udha.*" A.D. 458. *Iar mbeith deich mbliadhna fichet hi Righe n Er do Laogaire mc Neill naoi Giall, atbath ittiobh Cassi edir Er 7 Albain, ·i· da cnoc iadsen, filet in uib Faolain, 7 Grian 7 Gaoth ros marb som, ar ro saraigh iad. Conidh do sin atbert an Fili.*

Atbath Laagaire mc Neill-for taob Caissi Glas an tir,
Duile De ad raegaidh raith-tuc sat dail mbais for san Righ.

Hæc porro sic ad literam interpretantur—

A. D. 457. Anno 29 regni Laogarii filii Nialli (Regis Hiberniæ) Prælium Vadi Quercuum, (vel Druidum,) gestum a Lageniensibus contra Laogarium filium Nialli. Captus est Laogarius in prælio isto, et juravit jusjurandum Solis, et Venti, et Elementorum, Lageniensibus, non venturum se contra eos, durante vita, ad intentum istum.

---

(1) Jocelinus "*Usneach* locum *famosissimum* appellat, cujus lapides S. Patricius maledixit," c. 100. De eodem. Colganus in Actis, p. 359, "*Usneach* mons olim *longe Celebris*, tum ob publicos conventus ibi sæpe habitos, tum quia in ejus cacumine terminabantur 4 Provinciarum Hiberniæ limites, ab quas ab eodem cacumine tanquam totius regni centro, quatuor publicæ viæ procedebant. Porro Hibernorum *Carne* erat Dea *Carnea* Phœnicum.

A. D. 458. " Postquam fuisset 30 annis in Regimine Hiberniæ Laogarius filius Nialli Noviobsidum, occisus est prope *Cassiam* inter *Erin* et *Albaniam*, i. e. duo Colles sunt isti, qui sunt in Regione Faolan, et *Sol* et *Ventus* occiderunt eum, quia temeravit eos. Propterea dixit Poeta vetus.

Cecidit Laogarius filius Nialli—prope Cassiam—virida regio.
Elementa Dei, quorum temeravit jusjurandum—Dederunt Vindictam Mortis Regi."

Notabit hic eruditus Lector vocem Hibernicam *Duile De*, Elementa Dei, esse procul dubio Chaldeorum *Uli*, quæ materiam primam elementorum indicat, uti refert Vossius in Maimonidem, de Fundam. Leg. p. 35, unde et Græcorum ὑλη. Eadem vox recurrit in regno Uganii Magni Regis Hiberniæ qui, juxta Tigernachum, et IV Magistros, " postquam regnasset annis XL de " Hibernia, et tota Occidentali Europa, usque ad mare Tyrrhenum, occisus est in Bregia, i. e. in " Midia. Is fuit qui obtinuit—*Ratha na n uile dul, aicsidhe agus nemh aicsidhe, for fiora Er* " *go coitceand, gan iom cosnamh im righe n Er fria a Cloinn go brath*," i. e. Jusjurandum *omnium Elementorum*, visibilium et invisibilium, a viris Hiberniæ generaliter, se non defecturos a defendendo in regimine Hiberniæ suos filios, in æternum." IV Mag. ad ann. Mundi 4606.

Atqui hanc fuisse religionem Druidum Phœniciæ, patet ex Reg. iv, c. 16 et 21, ubi peccatum Manassis describitur—" quod ædificavit Excelsa, quæ dissipaverat Ezechias Pater ejus, et erexit Aras Baal, et fecit lucos sicut fecerat Achab, et adoravit omnem *Militiam Cæli*, et extruxit Altaria *Universæ Militiæ Cæli*, et traduxit filium suum *per ignem*, et ariolatus est."

Hæc omnia melius explicata lego in Codice prædicto Stowense *Dinseanchus* folio 50, sequentibus verbis—" *Magh-Sleacht canus ronnim, ar is and ro bai Righ edhal Er.* ·i· *in Crom-Cruach, agus da Idhal deg do clochaibh uime, agus adhelbsain door, agus assc ba De do gach lucht ro gabh Eirinn go toracht Padric. Is do do idhbratis ced gen gacha sotha, agus primighgen gacha clainde. As cuige do riacht Tigernmus mc Foll. Ri Er dia Samna. co feraibh agus co mnaibh Eir maille fri Dia adhradh co ro sleacht sat uile idhu coro aemdhetar tuil an edan agus eth a sron, agus faircledha anglun corra anuillend, conebladar teor cethraimhe fher n Er ac na slechtaibh—unde Magh slecht dr.*" i. e. Campus stragis ita appellatur, quia ibi fuit præcipuum Idolorum Hiberniæ, nempe *Crom-Cruach*, et duodecim Idola Saxea circumstantia, et caput ejus ex auro, et hic Deus fuit omnium populorum quotquot possesserunt Hiberniam, usque ad adventum S. Patricii. Huic sacrificaverunt Primogenita cujusque Sobolis, et primogenita filiorum suorum. Hunc Tigernmasius, filius Foll: Rex Hiberniæ, precatus est die *Samnii*, cum Viris et mulieribus Hiberniæ, tali adoratione, ut ulnas suas rumperent, cadendo et adorando, donec vulneribus infligerent etiam frontes suas, contunderent nasus, et genua, usque ad sanguinem fundendum. Hinc itaque dicitur *Magh-Sleacht*. Campus stragis."

His narratis, Auctor hic vetus Carmen antiquissimum Hibernicum in medium affert, in quo eadem narratio metrice servatur, juxta morem Rhythmicum antiquum, lineis 21, quarum idioma pervetustum peritissimorum Hibernorum Scientiam effugit.

De Tigernmasii Regis Idololatria eadem habent quæ Codex Stowensis *Dinseanchus*, IV Magistror Annales, ad ann. Mundi 3656—*As le Tigernmas beos ro berbadh or ar tus in Eirinn, i foitrib airthir Liffe. Uchadan Cerd d feroibh Cualann ro dus berbh. As lais ro cumdaigit Cuirn agus bretnassa d*

or agus d argait inn Er ar tus. As lais tugad ruamnadh for edoigh corcair, gorm, agus uaine. As na reimius tobraachtadh teoran dub aibnedh Ereann, Fubhna, Torann, agus Callann an anmonna. Abfoircend na bliadhna so atbail siomh go teoraib cetramhnaibh fer n Er ime, imordail Maighe Slecht isin m Breifne ag adhradh do Crom Cruach. Airdiodal adharta Ereann eisidhe, oidche h Samhna do hionradh id sin. As dona slechtann do ronsat fir Eirionn im Tighernmas ro h ainimnigh an Magh.
"Anno Mundi 3656—Per Regem Tigernmasium, præterea, fabricatum est aurum primo in Hibernia, in Sylvis orientalium partium Liffii. Uchadanus Artifex de Viris Cualaniæ primus fabricavit. Per eum tecta sunt Cornua, et fibulæ, auro et argento, in Hibernia primo. Per eum instituta est Lex de Indumentis purpureis, cæruleis, et viridibus. Eo regnante erupere tria nigra flumina Hiberniæ,—Fubna, Toranna, et Callan eorum nomina. Exeunte anno hoc, occisus est cum tribus e quatuor portionibus populorum Hiberniæ secum, apud Conventionem Populi in Campo Excidii in Brefnia, dum adorarent *Crom-Cruach.* Præcipuum Idolum Adorationis Hibernorum erat id. *Nox Samnii* erat præcise ista, et propter excidium populorum Hiberniæ ibi cum Tigernmasio, appellatur Campus usque hodie Campus *Sleacht* i. e. Stragis."

Eadem narrantur a *Flanno Butense* qui obiit anno 1051, et ab *Eochodio* qui floruit circa ann. 850, et Flaherteus, cum auctore Cambrensis Eversi inquit—"Tigernmasius Rex Idolorum in Hibernia colendorum Auctor, centesimo post Milesiorum appulsum anno, in Adorationis Campo *Moysleucht* in Brefnia, in Comitatu Cavan, ad Connactiam tum spectante, cum ingenti populi multitudine periit, dum, hyemis initio, præcipuo Hiberniæ Idolo, *Cromcruach* dicto, immolarent." Ogyg. p. 196, &c.

Idolum quod hic *Crom-Cruach* dicitur, a IV Magistris ad ann. 1117 appellatur *Crom-dubh,* et Flaherteus ibid. inquit—"In hujus Idoli eversionis memoriam, arbitror Dominicam proximam ante Kalendas Augusti, solemni ritu per Hiberniam dedicatam, quam vulgo *Domhnach-Crom-duibh,* i. e. Dominicam *Crommi Nigri* nuncupant. Nigri, silicet, ob horrendam et deformem Visibilis Spectri speciem. Alii rectius in Victoris gratiam, Dominicam S. Patricii nominant."

Evinus, ante Jocelinum inquit—"S. Patricius se contulit ad regionem *Magh slecht,* i. e. Campum adorationis. In illo enim loco erat magnum Idolum, Idolorumque Universi regni princeps, *Crom-Cruach* appellatum, quod Rex et Regni Proceres magno prosequebantur honore, et summa stataque sacrorum rituum colebant veneratione. Idolum illud erat auro et argento celatum, habebatque hinc inde, ex ordine, juxta se disposita, alia duodecim minora Idola ex ære conflata." Jocelinus tamen eadem enarrans ex vetustioribus, c. 56, Idolum istud *Cean-Croithi* appellat.

Immane simulacrum in quo Druidæ humanam victimam mactandam includebant, describunt Plinius et alii. Tacitus de Druidibus Britannicis ait—"Luci eorum Sævis superstitionibus sacri, nam cruore captivo adolere Aras, et hominum fibris consulere Deos fas habebant." Annal xxiv, et Cæsar—"pro victimis homines immolant Galli, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum Immortalium Numen placari arbitrantur; sed quum ejus generis copia deficit, etiam ad *Innocentium supplicia* descendunt," l. 6, c. 16.

Vir doctus H: *Llhwydus,* Hiberniam peragrans anno 1689, ut ipse refert in Gestis Philosophicis, Codicem veterem Hibernicum emit, a quodam *O'Gniveo,* O'Niallorum Poeta et Genealogo, in quo

hæc legebantur—" *Dha teinne soinmech do gnitis na Draoithe con tincetlaib moraib foraib, agus do* " *berdis na Ceatra or teamandaib cecha bliadhna.*" i.e. Duos ignes splendentes faciebant Druidæ, cum *incantationibus* magnis supra eos, et ducebant greges, quos cogebant *transiere per eos ignes omni anno.*—Eadem habent Cormacus Casselensis, qui obiit anno 908, et ex eo O'Brianus, in Vocabulario Hibernico, voce *Baal-tinne.*

Dii Gallorum, inquit recte Bochartus, fuere *Taramis, Hesus, Teutates, Belenus,* qui et *Abellio, Ouvana,* et *Ogmius.* Hos Deos *Scythis,* forte Scotis, tribuit Lucanus, l, 1.

" Et Taramis *Scythicæ* non mitior ara Dianæ,
" Teutates, horrensque feris Altaribus Hesus."

Sanchoniathonem cum Tyri Sacerdote ac Rege *Hierombalo,* Gedeonis æquali, coævum fuisse, scribit Porphyrius apud Eusebium, Præp. Ev. l. 1, c. 10, et Trojanum bellum multis annis præcessisse, et ad Mosis ævum proxime accessisse, *constat ex certissimis Phœnicum Annalibus,* inquit Huetius in Demon. Ev. p. 337. Atqui Sanchoniathonis Græcus Interpres, Philo-Biblius, inquit Phœnicum Deum *Thautatem* fuisse Græcorum Mercurium, quem Cicero appellat *Theuth,* De nat Deor. iii, Livius præterea inquit Tumulum fuisse prope Carthaginem novam in Hispania quem *Mercurium Teutatem* appellant, l. 20, c. 44. Is itaque Gallorum Deus, qui a J. Cæsare *Mercurius* appellatur, erat, Gallorum sermone, *Teuth-ates,* de quo inquit. " Galli Deum Maxime Mercurium colunt, hunc *viarum atque itinerum Ducem* arbitrantur. Post hunc *Apollinem.*"

Jam *vero Theutates* Hibernice ad literam est *Deus Locorum,* et *Gaoth,* juxta veteres Hibernos, erat *Ventus,* omnium locorum Deus potens, cui et Rex Tyri *Usous* Columnam erexit, quam et adoravit---ut ex Sanchoniathone tradit Philo Biblius apud Euseb. Præp. l. 1, c. 10. " Usous duas Columnas Tyri *Igni, Ventoque* consecravit, et adoravit, ac ferarum sacrificiis coluit."

Idem Sanchoniatho inquit Deum Summum Phœnicum fuisse *Solem,* ab iis dictum *Baal-Samen.* (1) Atqui Hiberni eodem nomine Solem ut Summum colebant, et Festum *Samhin* memorant, non solum verba supra allata ex nostris Annalibus, sed et Codex *Dinsean-chus,* fol. 50, et *Eochodii* Carmen ibidem, et *Coemanus* in Carmine *Gaedhil-Glas,* et una e quatuor anni divisionibus vocatur *Samhin-Ratha* ad hodiernum diem, uti etiam in Annalibus Ultoniæ ad annos 858, 1129 et 1145, et Monasterium notant iidem Annales conditum in Campo *Samhin* anno 717.

Reges Hiberniæ, inquit Keatingus, exercitus suos in Hiberna mittebant ab " *Oidhche Samhin co Baal-tinne,* i. e. a nocte Dei Samhin, ad ignem Baalis, nempe ab initio Novembris ad initium Maii.

---

(1) Τον Ηλιον Βεελσαμην καλȣσιν, ο εςι παρα Φοινιξι Κυριος ȣρανȣ. Euseb. Præp. Evang. l. 1, c. 7. Servius etiam in Æneid 1. " Phœnices solem Belum vocabant; quandoque composito nomine vocabant *Beel-Samen,* i.e. Dominum Cœlorum. Capitolinus in Maximino inquit.—Deum *Belenum* per Aruspices respondisse Maximinum esse vincendum, unde Maximini Milites jactasse dicuntur, *Apollinem* contra se pugnasse." Baal itaque et Apollo, sive *Sol* unus et idem erat apud Celtas.

Hanc fuisse tam Phœnicum quam Hibernorum Religionem, patet ex Sacris Scripturis. Achaz filium suum consecravit, *transferens per ignem* secundum Idola Gentium Immolabat quoque Victimas *in excelsis et in Collibus.* Reg. iv. 16.

Damascius in Isidori Vita apud Photium, Cod. 242, inquit " Phœnices et Syri Saturnum vocant *El*, e *Bel*."---*El* autem esse Solem ostendit Servius in Æneid 1, et Sanchoniatho apud Euseb. Præp. l. 1, c. 7---" Sustulere Phœnices manus ad Solem. Hunc enim solum Deum existimabant, eum vocantes *Beel-Samen*, quod, Phœnicum lingua, Dominum Cæli notat." Quod autem Phœnicibus *Beel-samen*, inquit Vossius, id lingua Hebræa, a qua Dialecto solum Phœnicia distabat, *Baal-Schamaim*, i. e. Dominus Cæli." Vos. de Idol. l. 2, c. 4.

Porro ex eo quod Phœnicum Baal fuerit *Saturnus*, sive Sol, Prophyrium intelligimus dicentem " Phœnices Liberos suos immolasse *Saturno*." De abstin. Animal, l. 11—Eusebius in oratione in laudem Constantini inquit " Phœnices *Saturno* quotannis sacrificabant dilectissimos, et filios unicos," quod et de Hibernensibus et de Rege Hiberniæ Tigernmasio apud *Magh-Sleucht* supra retulimus.

Talis fuit Diabolica Religio *Insulæ Sacræ* Hiberniæ, quam ideo *Sacram Prisci* appellabant apud Avienum, quia præ omnibus aliis Druidarum ritibus dedita existimabatur, et *ultima* Occidentalis. Noctis *Samhin* meminerunt IV Magistri ad annos 777, 790, 794,—Ultonienses ad annos 780, 858, &c. O'Brianus in Vocabulario Hibernico, Voce *Samhin*, Annales Buelliani MS. in Cottoniano, Titus, A. xxv, fol. 32, col. 2, linea 6, Codex prædictus *Dinseanchus* in Bibliotheca Stowense, fol. 17, col. 1, linea 23, et Codex Stowensis, No. 1, fol. 13. p. 1, col. 2. IV Magistri solemnitatem Ignis Baalis memorant, p. 17, ad annum Mundi 3503, et census annuus quem Agricolæ Hiberni Dominis suis solvunt Mense Maio, usque hodie *Cios-na Baal-tinne* dicitur, i. e. Census Ignis Baal.

Pinkertonus tamen *Druidas* nunquam in Hibernia extitisse, nec nomen ipsum in lingua Hibernica notum asserit. (1) Vir nempe linguæ Hibernicæ penitus ignarus, nescivit vocem *Draoith* usque hodie pro Mago usurpari, ut in Versione Hibernica Evangelii S. Mathæi, c. 2, et in *Ficchi* Hymno Hibernico Sæculi vi, Strophe 4, et Usserium accurate notasse—" quæ de concertatione Patricii et Magorum, quos liber Hibernicus *Druidas* appellat, coram Rege Laogario Themoriæ peracta sunt, referri a Probo et Jocelino," (2) et Druidas Hibernos memorari ab omnibus fere scriptoribus antiquis qui de Vita S. Patricii scripsere ante Jocelinum, itemque in Cumeani libro de Mensura Pænitentiarum, c. 17, et in Annalibus Ultoniæ, ad annos 565 et 741, et in IV Magistror Annal. ad annos 703, 747.

Tigernachus ex vetustioribus, ad annum 265, inquit—" Cormacum Regem a *Malcone Druida*, præstigiis Druidicis suffocatum fuisse, quia *Druidicis* Ritibus fidem præstare recusavit.(3) Eadem de Cormaci obitu narrantur in Codice *Dinseanchus*, ex vetustiore Carmine Hibernico—" *Teamhair*

(1) Pinkert. Scotland, Lond. 8vo. 1789, t. 1, p. 17, et 405.

(2) Usser Primord. Dubl. 1639, p. 852. Hibernia Insula Sacra dicta est a *Priscis Phœnicibus*, referente Avieno, non alia de causa quam quod Druidicis Ritibus præ aliis dedita, et *Ultima* navigatio ad Occidentem.

(3) Tigernachi Codex Bodleianus Rawlinson 488, fol. 5, b. col. 1, lin. 35.

na Righ Rath Chormaic," cujus et aliud exemplar extat in O'Duvegani Codice Dubliniense scripto ante ann. 1317, fol. 175, ut in Flahertei Ogygia, p. 33. Inquit præterea Tigernachus prælium *Dubcomarense*, gestum in Hibernia anno 325, ita appellatum fuisse a *Dubcomaro*, Druida præcipuo Regis Hiberniæ *Fiachi-Rubris-Circulis-notati*, qui ibi occubuit.(1) Daderam Druidum Insulæ Quercuum in prælio Cinfebratense occisum memorant iidem Annales Tigernachi ad ann. C. 186, uti etiam Annales IV Magistror. p. 79.

Vox ipsa *Draoidh* Celtica est, et primæva, non Græca, ut putavit Plinius. Extat enim in Deuteronomio *Drus* Magus, ubi et eadem Religio, quæ apud Hibernos vigebat, dicitur extitisse tum in terra Chanaan—" Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, non discas facere juxta abominationes populorum illorum. Non inveniatur in te transferens filium suum aut filiam suam *per ignem*, &c. Deut. xviii, 10, Confer Reg. iv, 16 et 20. Vox Celtica *Dara* quercus, antiquior est voce Græca *Drus*. Persæ nomen *Darium*, quod Hibernis familiare erat, pro Mago et Sapiente usurpabant, Δαρειος απο Περσας ο φρονιμος, a voce Hebraica *Daras*, consulere, eodem ipso modo quo quercus a quero. A voce *Darus* consultere, Sacerdotum Genus apud Turcas *Derwis*, et nomine et re Druidas appellat Keyslerus, p. 152, et hinc forte Rabini narrant arborem Scientiæ boni et mali fuisse *He-Dar*, ut in Levitico xxiii, 40.

Certe plurima loca ubi primi Christiani Hiberniæ Ecclesias et Altaria condidere, Druidum Altaribus eversis *Dara* appellantur usque hodie. Sic Vetustissimi Scriptores de Vitæ S. Columbæ et de Vita S. Brigidæ Kildarensis, notant "*Kil-dariam* ita dictam a *Dara*, *Quercu* S. Brigidæ dicata, quæ *multa patrat miracula.*" Triade, p. 657. "*Kil-dura* ita dicitur, inquit Giraldus, Quercus enim altissima ibi erat, quam S. Brigida benedixit, cujus stipes adhuc manet, et nemo *ferro* abscindere audet."

Non autem a Brigida, vel a Christianis, arborum cultum in Hibernia derivari, sed a vetustissimis Druidum ritibus, indicant annales nostri. *Bile-Magh-a-dair*, i.e. Arbor sacer-campi-Quercus, sive adorationis, arbos erat in agro Clarense, ad collem Sacrum Dalcassiorum ubi Reges *O'Briani* inaugurari solebant, ut in Annalibus IV Mag. ad ann. 1012. Iidem Annales ad ann. 981, inquiunt—" *Dalccais d'orgain do Mdolsechl. 7 Bile Aonaigh Maighe h Adhair do thescoadh, iar na tochailt a talmuin con a fremaibh.*" i.e. Dalcassia vastata per Maelsechnallum filium Donaldi, et vetus Arbor Sacer loci. Nundinarum-Campi-Adorationis, ramis orbatus, postquam eradicatus fuisset e terra cum suis radicibus."(2) Eadem sæpe recurrunt ubi Reguli se mutuo aggrediuntur, neque omittandum vocem ipsam *Magh*, eodem sensu extare in Genesi xxiv, 19, 20, ubi *Magh-Phela*,

(1) Ibid, fol. 6, b. col. 3, lin. 10. De Conlao præterea, insigni Connaciæ Judice, Vetus Codex inquit—"*se do rigne an chombhliocht ris na Draoidhibh.*" Is fuit qui adversus Druidas Scriptis decertavit," ut apud Flahert. p. 217, 218.

(2) O'Brianus arborem hunc notat voce *Bile*—" Bile-Magh *Adhair*. A remarkable tree in the plain *Magh Adhair*, in the County of Clare, where the Dalcassian Princes were inaugurated,"—et voce *Magh-Adhair*—A plain of Adoration, where an open temple, consisting of a circle of tall, straight, stone pillars, with a very large flat stone, called *Crom-leac*, serving for an altar, constructed by the Druids, and similar to that in Exodus xxiv, 4, consisting of twelve pillars, and an altar." IV Magistri ad ann. 1111, hæc habent—*Sloicc. la h Ulltoibh co Tealaighocc co ro thescatt a Biledha.* Exercitus ductus ab Ultoniensibus usque Telaghog cedit ejus Arbores Sacros.

atque hinc, ut dixi, *Dear-Magh* Quercuum campus, hodie Durrow, in Hibernia, ubi Columba Monasterium condidit Sæculo vi, uti notant Adamnanus, et Beda. Eandem vocem Celticam Gallis familiarem fuisse indicant nomina locorum Rotho-*magum*, Novio-*magum*, Cæsaro-*magum* *Argento-magum*, *Drusomagum*. Hanc terminationem deducit *Duclos* a Voce Punica *Mahun* habitatio. Mem. de l' Acad. t. 15, p. 569. sed vox Hibernica *Magh* Campus radicem Celticam manifeste demonstrat, idque in pluribus nominibus Hibernicis, ut *Ardmagh* Altus sive nobilis Campus, *Dearmagh* Quercuum Campus. Bed. l. 3, c. 4, Adamnan, l. 3, c. 15.

Denique, quæ de Druidum diversis ordinibus habet Strabo, et de eorum aureis torquibus, (1) et quæ de doctrina transmigrationis Cæsar, ea omnia in Hibernia ita extitere, ut de Druidibus Hibernicis agere videantur. " Apud universos fere Gallos, inquit Strabo, tria sunt hominum genera, quæ in singulari habentur honore, Bardi, Vates, et Druidæ. Horum Bardi Hymnos canunt, Poetæque sunt, *Vates* sacrificant, et naturam rerum contemplantur, Druidæ præter hanc Philosophiam, etiam de moribus disputant. Gestant *aureos circum colla torques, et circa brachia,* ac manus cum brachio Commissuram, brachialia, et qui honores gerunt, ii *vestes tinctas*, atque auro variegatas usurpant." (2) Eadem habet *Diodorus* infra, p. xxxvi.

Non modo Druides, verum et Sacerdotissas Druidas extitisse in Hibernia, Tigernachi verba ad ann. C. circiter 230, fol. 6, col. 1, indicare videntur—" *Orgain na n Inghen isin Claenferta a* " *Teamraig la Dunlang mc n Aena Niaid Righ Laighen*, ·i· xxx *Righ Inghen 7 c. Inghen la gach* " *Inghen dibh*, xxx *ar ccc. uile sin. Da Righ dec do bith Cormac iarom do Laighnibh ar galaib aen* "*fir agus fo naid na boroma con a tormach.*" i.e. Strages filiarum (sive Virginum) in secessu mirabili, apud Temoriam, per Dunlangium filium Ænni Herois Regem Lageniæ, i.e. Triginta Regiæ filiæ, et centum filiæ quæ pertinebant cuique earum. Triginta supra ccc omnes istæ fuere. Duodecim Regulos occidit Cormacus postea e Lageniensibus præter obsides cujusvis eorum, simul

---

(1) Aurei torques inventi in Hibernia, et *Iodh Morain* appellati, non alii erant quam Lunulæ, quarum gestandarum morem, Gedeonis temporibus, usurpabant Reges Madianitæ, ut in libro Judic. c. 8, itemque Phœnices *Astartes* cultores, quæ Luna est.—Eodem uti ornamento consueverunt Arabes, Gens Lunæ cultui a vetustissimis temporibus dedita. Brachmanes quoque Esuvaræ caput Lunula insignire solent. Ornamenta Madianita *Lunulas* appellat tam textus Hebraicus quam lxx, qui vocem Hebraicam Græce reddunt μηνισκες.

(2) Strabo, l. 4, p. 276. Lucanus pariter et Ammianus Marcellinus tres ordines distinguunt. Cæsar omnes uno nomine *Druidas* appellat. Hibernici Annales tres distinguunt, *Baird* Poeta, *Faidh* Vates, *Draoidh* Magus. Transmigrationis doctrinam in Hibernia notat Giraldus, Dist. 3, c. 2, p. 756, ubi de *Ruano* quodam Historiographo Ethnico Hibernense, qui a Partholani ævo supervixisse ferebatur, usque ad tempora S. Patricii.

Eadem fere habet Codex vetus Hibernicus, apud Lhwydum in Archæologia, p. 436, ubi hæc verba ex folio Codicis 103 descripta leguntur " Ruan fuit in forma viri centum annis, *in heri iarstan* i. e. in Hibernia postea, fiche bl. i. e. 20 annis in forma Cervi, centum annis, in forma Aquilæ, sex annis, sub aquis, in forma piscis, iterum in forma hominis dum venerit ad tempus Finneni abnepotis Fiathachi."

Sic Lucanus— Vobis Auctoribus Umbræ.
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi,
Pallida regna petunt. Regi idem spiritus artus,
Orbe alio. Longæ, canitis si cognita, vitæ,
Mors media est.

cum irrogatione Mulctæ boariæ, cum ejusdem augmentatione." (1) Eadem habent IV Magistri ad annum 241.

Jam vero Collegium hoc Sacrarum Virginum non longe aberat a *Kil-dara*, ubi *Ignis Sacer* servabatur, testante Giraldo, usque ad Sæculum xii. "Apud Kildariam Lageniæ urbem, digna memo-" ratu sunt miracula multa, inter quæ primum occurrit *ignis Brigidæ*, quem *Inextinguibilem* dicunt, " non quod extingui non possit, sed quia tam sollicite Moniales et Sanctæ Mulieres ignem suppe-" tente materia fovent, et nutriunt, ut a tempore Virginis, per tot annorum curricula, semper " manserit inextinctus, et cum tanta lignorum strues tanto tempore sit hic consumpta, nunquam " tamen cinis excreverit." Topogr. Dist. 2, c. 24.—Adjungit piaculum fuisse ignem istum *oris flatu* excitare, sed *follibus tantum et ventilabris.*

De igne hoc Kildarense doctissimus Huetius inquit—" In Ædibus Minervæ apud Britannos, perpetui ignes alebantur. Transiit et ad Hibernos ignis cultus, apud quos Virgines Sacræ Kildarenses ignem a multis annis, vel potius Sæculis, servasse narrat Giraldus. Ignis Brigidæ vocabatur, quasi rei Auctor pia virgo fuisset. Cœnobium ipsum dicebatur *Domus Ignis*, ut in Giraldo Dist. 2, c. 24. Verum ab Ethnicis traductum fuisse institutum, indicat Henrici Archiepiscopi Dubliniensis factum, qui superstitionem hanc, ut Profanam, et Christiana pietate indignam, abolevit." (2) Hæc Huetius, et recte—Transivit enim ad Hibernos Cultus ignis cum Religione Druidica, eodem modo quo cultus fontium, ex Africa in Hispaniam, Galliam, et Britannicas Insulas, ut alibi indicavi. (3)—Sic Virgilius de Iarba apud Getulos inquit—

Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,
Excubias Divum æternas.

Sic etiam, ultra progrediens ab Oriente ad Occasum, idem cultus viguit in Templo Herculis Gaditano, ubi ignem arsisse perpetuum narrat Silius, l. 3, et sic forte servabatur sub Altari Druidico prodigiosæ magnitudinis, quod urbaniter mihi ostendit apud *Brennanstown*, septem millaribus a Dublinio distans, Vir in Græcis Latinisque Literis peritus Rev. Dns. Fox, qui et dimensiones quas æri incisas exhibeo subministravit.

Druidas ab Augusto et Tiberio legibus sublatos, narrant Suetonius et Plinius. At perdurasse in Hibernia usque ad Sæculum 12m indicant Annales nostri. (4) Tigernachus, oculatus testis, ad ann. 1067, inquit—" *Murch h. Cartai do badhadh. Primh Druith 7 Primh Ollamh Connacht.* i. e.

---

(1) Druidas Britannicas Dioclètiani obitum prædixisse, et Aurelianum *Druidas Gallicanas* consuluisse narrat, ex Auctoribus coævis, Vospicus in *Aureliano*, et Dioclesianum primam futuræ exaltationis spem a *Druidæ Gallicanæ* prædictione in animo fovisse, in Numeriano, declarat.

(2) Huet Demonstr. Evang. p. 159,

(3) Columbanus's Letters, No. iii. Ausonius de fonte Sacro in Patria sua Burdigala—" Salve Fons ignote ortu, *Sacer*, alme, perennis—Salve Urbis Genius, medico potabilis haustu—*Divona* Celtarum lingua, fons addite Divis."

(4) Vetus etiam Vita S. Molaggæ, in IV Magistror Annalibus, p. 221, not. narrat " Druides eo Sæculo (i. e. vii) magno in prætio habitos fuisse in Hibernia, cum Jaculatoribus, aliisque Gyrovagis.—Partes Guarii Connaciæ Regis tenebant, contra Regem Hiberniæ, tres Druidæ famosi, *Fiach*, *Erriach*, et *Eniach*." Ibid.

Murchadus O'Carty submersus est. Præcipuus Druida, et præcipuus Poeta Connaciæ erat is." (1) Ita etiam IV Magistri ad annum 1067, et postea, ad ann. 1166, inquiunt—" *An Dall Ua Conallta* ·i· Giolla Maire, *Righ D. th Er deg.*"—i. e. Cæcus O'Conallta Regius Druida Hiberniæ obiit. (2)

Neque solum in Hibernia, sed in Gallia etiam, cessante Idololatria, non protinus cessavit Druidarum ordo aut nomen. Ausonius enim, qui Consul fuit anno 379, *Pateræ* nobilitatem laudat, itemque *Delphidii*, et *Phœbidii*, utpote a Druidica origine—

" Tu Baiocassis, stirpe Druidarum satus,
" *Beleni* sacratum ducis e Templo genus.
" Et inde vobis nomina

" Tibi Pateræ: sic Ministros nuncupant
" Apollinaris Mystici,
" Fratri Patrique nomen a Phœbo datum,
" Natoque de Delphis tuo."

Pater nempe et Frater Pateræ, *Phœbicii* dicti fuere, a Phœbo Apolline, Filius vero *Delphidius*, ut in ejusdem Ausonii insequenti Carmine v, a Delphis, Civitate Apollini Delphico Sacra, uti notat Vinetus in Ausonium Varior. Amstelodami 1681, p. 155. Ipse S. Hieronymus *Algisiam* Matronam Gallicanam præ nobilitate, quia e Druidica gente orta, laudare non dedignatur.

De Druidarum Hibernensium Astronomia.

In Epistola Nuncupatoria, p......... diximus Ethnicos Hibernos annum habuisse Solarem, quem in quatuor *Rathas*, a quatuor Festis incipientibus, dividebant, ante adventum S. Patricii. Et quidem conveniunt omnes antiqui in narratione de adventu ejus in Hiberniam exeunte A. D. 432, et de Primo Paschate ibi ab eo celebrato, A. D. 433, et de Druidarum solemnitate eo anno concurrente cum Paschate S. Patricii. Atqui Pascha anni istius convenit cum Æquinoctio Vernali. Incidit enim Dies Paschalis anni 433 in diem 26 Martii.

Vetus Vita quæ 2da est ordine in Triade, et a quodam S. Patricii Discipulo Hibernico scripta, inquit " S. Patricium Primum Pascha celebrasse in Bregiensium Campo, ubi maxime Caput Idolola triæ præstiterat," et deinde subjungit. " *Is isin d aimsir sin d am do righnedh Fes Temradhi la Laogaire mc Neill, 7 la firu Eireann*—et in illo tempore habebantur Comitia Temorensia per Laogarium filium Nialli Regem et per viros Hiberniæ. Congregatis igitur Regibus et Ducibus ad illum *Laogaire* Regem, eadem nocte qua S. Patricius Pascha, illi festivitatem exercuerunt suam. Statutum autem apud eos erat ex edicto, ut quicunque in cunctis Regionibus, sive longe, sive juxta, illa nocte ignem prius accenderet, quam in Palatio Temoriæ succenderetur, morte damnaretur."

Eadem habent Sæculo viii Evinus, nono Probus, 12mo Jocelinus.—Habebant itaque Ethnici Hiberni Solemnitatem annuum, quæ cum Æquinoctio Vernali conveniebat anno 433. Jam vero qui

(1) Codex Rawlinson, 488, fol. 19, col. 3, lin. 37.

(2) " Originem Celticam vocis *Druid* Theod. Hasaeus singulari Dissertatione sollertissime patefecit," Wesseling ad Diodor. Sic. l. 5, t. 1, p. 354, not. 37. " Britannia *hodie* Druidarum artem attonite celebrat, *tantis cærimoniis*, ut dedisse Persis videri possit." Plin. l. 30, c. 1.

annuas Solemnitates observant ii *necessario* annum Solarem habere coguntur, ut uno eodemque die ad Solemnitatem istam celebrandam conveniant.

Eædem vitæ veteres plane indicant S. Patricium *eodem anno*, nonnullis mensibus interjectis, abiisse ex Provincia Lageniæ Connaciam, ibique evertisse Idolum, quod colebatur *Hyemis initio* apud *Magh-slecht*, ut supra indicavi, id etiam notante Flaherteo in Ogygia, p. 195 ad 197. Atqui impossibile erat has Solemnitates ad annuum diem redigere Lunationibus tantum. Duodecim enim Lunationes non efficiunt annum. Ad alias itaque Observationes necessario recurrendum est. Audiamus Cæsarem et alios qui post Cæsarem de Druidarum Disciplinis tractaverunt. " Druidæ, " inquit Cæsar, *annos vicenos* in Disciplina permanent, neque fas esse existimant ea literis " mandare, quum in reliquis fere rebus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis " instituisse videntur quod neque *in vulgus* Disciplinam efferri velint, (1) neque eos qui discunt " literis confisos, minus memoriæ studere. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, " sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem exctiari putant, metu " mortis neglecto. Multa præterea *de sideribus*, atque *eorum motu*, de Mundi ac terrarum magni-" tudine, de rerum natura, de Deorum Immortalium vi, ac potestate disputant, et juventuti " tradunt." Cæsar. l. vi, c. 14.

De Druidibus Gallis Mela inquit—" Terræ Mundique magnitudinem et formam, *motus Cœli ac Siderum*, ac quid Dii velint, scire profitentur. Docent multa nobilissimos Gentis, clam et diu, *vicenis annis* in specu, aut in abditis saltibus."

Eadem fere habent Cicero de Divinatione I, 40, et Plinius, l. 16, c. 44. " Nihil habent *Druides*, ita suos Magos (Galli) appellant, Visco, et arbore in qua gignatur, si modo sit Robur, sacratius.— Est autem rarum admodum inventu, et repertum magna religione petitur, et ante omnia, *Sexta Luna*, quæ principia *mensium*, *annorumque* his facit, et *Sæculi* post tricesimum annum."

Ex his omnibus, quinque notanda sunt, pro certis. 1. Druidarum annos fuisse *Lunares*.— 2. Annos istos non incepisse a *nova Luna*, ut Græcis, aut a *prima apparitione*, ut Judæis in usu erat, sed a prima quartana, *die sexta* exeunte, cum Disci dimidium a Sole illuminari videtur, Luna occidente hora circiter sexta post Solem. Hoc facile, absque ullo calculo, poterat observari, cum *Syzygia*, sive nova Luna, non aliter quam calculis dignoscatur—3tio. Cyclum Druidicum fuisse annorum *triginta*. 4to. Periodum sive cursum studiorum in *specu*, aut secessu, fuisse annorum viginti. 5to. Druidas Gallos a Druidibus Britannis Disciplinas suas ediscere assuetos fuisse.

Non plane constat utrum Druidarum Hibernensium anni fuerint simpliciter Lunares, aut intercalati ad complendum annum Solarem, ut apud Græcos, qui Ludos Olympicos ad Solis reditum accommodabant. At etsi expressis verbis non referant Scriptores annum Druidicum fuisse Solarem, id tamen cuique obvium fore puto, partim ex re ipsa, partim ex Solemnitatibus Hibernorum, ex *Rathis*, ex Solis cultu, et ex ipsa Anni appellatione *Bel-ain*.

Annum a *Sexta die Lunæ* incipientes, facillime poterant cujusvis Lunationis durationem definire

(1) Ergo literarum notitia et usus etiam *ad vulgus* Celtarum pervenerat ante adventum Cæsaris. Strabo diserte inquit—" Turditanos Iberiæ uti Grammatica, et antiquitatis monumenta habere conscripta, ac poemata, et *metris inclusas leges, a sex millibus*, ut aiunt, annorum, et *Iberorum esse doctissimos*," l. 2, ed. Oxon. t. 1, p. 182.

dierum circer 29½, uti et reliquæ gentes, quæ Lunationes suas repetitis observationibus definiere dierum 29 & 30. Jam vero duodecim Lunationes dies efficiunt non plures quam 354 vel 355, annus itaque simpliciter Lunaris brevior est anno Solari diebus circiter 10. Recurrentibus itaque tribus annis Lunaribus, anni isti retrocederent ab anno Solari *diebus* 30, et spatio annorum 30, quod Sæculum erat Druidicum, minores essent Solaribus numero *dierum* 326; et præterea non recurreret eo spatio Periodus, sive Sæculum ipsum Lunare, desiderarentur enim, post annos Lunares 30, dies 38, ut Phases Lunæ ad eosdem dies redirent, quibus Sæculo præcedente evenerunt. Anni itaque Druidarum Hibernensium non poterant esse simpliciter Lunares, sed ad Solis recedentis et revertentis motum, et majorem ac minorem altitudinem, accommodati erant. Et quidem Beda inquit, veteres Saxones menses habuisse intercalatos, ut Solarem annum complerent, additione mensis *Tri-lidi*, qui inserebatur post Lunam Solstitii Æstivi, ut sequens Solstitium Vernum ad mensem primi *Guili* revocarent. (1) Itaque Druides Hibernos, qui Literarum usum habebant, et quatuor anni *Rathas*, et Festos dies, et *Ludos Taltinios* quotannis celebratos, annum Intercalatum habuisse manifestum est. De Ludis *Taltiniis* vide Indicem ad Annales Hibernicos, voce *Taltin*.

" Inter antiquitatum Scriptores, Hecateus, et nonnulli alii tradunt, contra Galliam in Oceano Insulam esse non minorem Sicilia, Arctis subjectam, quam Hyperborei incolant, sic vocitati, quod Borea vento sint remotiores. Solum hic optimum esse ac fructuosum, optimeque temperatum, ac propterea bis in anno messem fieri.

" Latonam hic natam fabulantur. Ideoque *Apollini* (i. e. *Beleno*) præ Diis aliis cultum deferri, et quia Deum hunc quotidie perpetua laudum decantatione celebrent, et summis prosequantur honoribus, homines illos velut Sacerdotes Apollinis esse perhibent,—(En iterum *Insulam Sacram* Avieni)—cujus Lucus ibi magnificus, et Templum Insigne, rotunda forma, donariisque multis exornatum. Urbs quoque Deo huic Sacra. Civium plerique Citharistæ, qui Citharas in Fano pulsantes, Sacros Deo hymnos canant, quibus gesta ejus honorifice prædicentur. Lingua Hyperboreis propria. Et singulari Græcis benevolentia ex antiquis inde temporibus confirmata, addicti sunt. In primis Atheniensibus et Deliis. Quum Græcorum nonnullos ad Hyperboreos trajecisse et donaria reliquisse, Græcis literis inscripta, fabulantur. Sic et Abarin quondam in Græciam inde profectum, pristinæ cum Deliis amicitiæ et cognationis necessitudinem renovasse.

" Hoc insuper memorant, Lunam ex hac Insula ita conspici, ut parum a terra distet, et terrestres quosdam tumulos in facie repræsentet. *Deumque Apollinem undevigenis annis* semel Insulam adire, quo Spatio Astrorum in pristina loca revolutiones perficiantur." (2)

Quidquid de hac narratione censendum sit, quæ ex Phœnicum ad Cassiterides navigationibus, et fama inde secuta, orta videtur, potuerunt certe Druidæ Hiberni vel a Phœnicibus, vel ipsa natura suadente, et Solis cultu, Gnomonis usum didicisse, quo Solis Umbram deprehenderent, strato lapide pro plano ad Obelisci altitudinem, qui a Bruma ad Solstitium, et vicissim a Solsitio ad Brumam exhiberet augescentem aut diminuentem diem.

---

(1) Beda De temp. rat. c. 13. " Mens December, inquit, eodem quo Januarius nomine vocatur *Guili*. A conversione Solis in auctum diei nomen accepit." Ibid.

(2) Apud Diodor. l. 2, 91, t. 1, p. 158.

Quod si conjecturis indulgere liceret, antiquas Turres Hibernicas, quas nonnulli, anles fabulas sectantes, Anachoreticas appellarunt, ad umbram ita capiendam, et 4 Anni Hibernici *lathas* sic definiendas, et præterea ad Ignem Sacrum servandum, ædificatas fuisse existimarem. Earum antiquitatem Ethnicam indicat Giraldus Sæculo xii, ubi inquit extitisse eas antequam Lacus *Neach* erumperet in Ultonia. " Piscatores Turres istas, quæ more Patriæ, *arctæ sunt*, et altæ, *nec non et rotundæ, sub undis manifeste, sereno tempore, conspiciunt.*" (1) Poterant certe Turres istæ posterioribus Sæculis, ad Anachoreticum usum accommodari, ut in nota ad Annales IV Mag. ann. 898, et in Annalibus Inisfal. p. 148, itemque in Ultoniensibus ad annum 996.—At in istis Annalibus appellantur *Fiadh-Nemeadh*, i. e. Indicia *Cælestia.* Sic in Annalibus Ultoniensibus ad ann. 995—" *Tene diait do gabail Airdmacha conafarcaibh Dertach, na Damliacc, na h Erdam, na Fidhnemead ann cen loscadh.*"—i. e. Fulgur corripuit Ardmacham, ita ut non relinqueret Nosocomium, nec Ecclesiam Cathedralem, (sive Basilicam) nec Domum Nobilem, nec Indicem Cælestem, quod non combureret.—-Eadem habet Tigernachus ad eundem annum, itemque Quatuor Magistri; excepto quod pro *Erdam,* non autem pro *Fiadh-neamead,* habent *Cloicteacha,* Campanilia, his verbis—" Ann. 995. *Ardmacha do loscc do tene saighnein, ettir tighib,* 7 *Domhuliacc,* 7 *Cloicteacha,* 7 *a Fiadhneimhedh.*"

Ad hæc IV Magistrorum verba respexit Colganus in Actis, p. 297, his verbis—" Anno 995 Ardmacha cum *Basilicis, Turribus,* aliisque omnibus ædificiis, incendio ex fulmine generato, tota vastatur." Hæc autem versio non literalis est, neque voces explicat, neque conveniunt quæ in Annalibus nostris alibi de Campanilibus dicuntur, cum forma aut constructione Turrium antiquarum Hiberniæ. Sic, exempli causa, in Annalibus Ultoniensibus ad ann. 949, hæc leguntur—" *Cloicteach Slane do loscadh do Gall Athacliath. Bacall ind Erlamha,* 7 *cloc badec do cloccaibh, Caenechair Ferleghinn,* 7 *sochaidhe mor inbi do loscadh.*" i. e. Campanile Slanense combustum ab Alienigenis Dublinii, (a Danis) Lituus Pastoralis (sive Baculum Patroni) petris pretiosis ornatus, et Campana præcipua, et *Canecar* Prælector Scholæ, et *multi ibi* cum eo combusti."

Eadem referentes ad eundem annum IV Magistri aiunt—" *Cloicteach Slaine do loscadh can a lan do mhionnaibh* 7 *deghdhaoinibh, im Choinechair Fearleighinn Slaine, Bachall an Erlamha* 7 *clocc ba deach do chloccaibh.*" i. e. Campanile Slanense combustum, simul cum *pluribus rebus pretiosis, et Religiosis viris,* qui ibi erant, cum *Chonecharo* Prælectore Slanense, Baculo Patroni, (i. e. S. Erci, et Campana omnium quæ ibi erant optima.)

Jam vero hæc quæ de *Campanilibus* in Annalibus referuntur, minime conveniunt vel cum forma vel cum materia Turrium Hibernensium de quibus agitur. Itaque non pro Campanilibus ædificatas fuisse, sed eorum originem aliunde petendam esse manifestum est.---Non conveniunt cum forma, tam arctæ enim sunt, ut tot res pretiosas, et tot homines capere non possent, et quoad materiam, e Saxis ingentibus ædificatæ, nullibi e ligno, fulgure quidem *dejici,* sed non comburi potuerunt.

---

(1) Giraldi Topogr. Dist. 2, c. 9, p. 720. Eadam ferede *Guebrorum* Templis, ad Ignem inextinguibilem servandum ædificatis, habet Hanway—" There are yet four temples of the *Guebers,* or Fire-worshippers. They are made of the most durable materials, rotund, as of about 30 feet in diameter, and raised in height to a point near 120 feet."

Quidquid de his censeatur, certum est Solemnitatem annuam Ethnicorum Hiberniæ quæ *La Baal-tinne*, seu *Dies Ignis-Baalis*, etiamnum a Vulgo Hibernico appellatur, olim celebratam fuisse tempore Æquinoctii Vernalis, ut supra notavi de anno primi Paschatis S. Patricii, quo tempore incepit *Ratha*, i.e. Cursus Solis, qui dicebatur *Samhin-Ratha*, hodie corrupte *Samhrath.* Hodie quidem primus Maii dies a vulgo *La-Baal-tinne* dicitur. O'Brianus autem in Præfatione ad Vocabularium Hibernicum recte notat id fieri ex *consuetudine vulgari hodierno*, potius quam ex veritate rei. Cum enim Christiani Solemnitatem Æquinoctialem Druidicam omnino tollere nequirent, id saltem effecerunt, ut non nisi Paschali tempore elapso celebraretur.

Ratha Samnii olim desinebat a Solstitio Æstivo, quo tempore incipiebat 2da anni Ratha, dicta *Fogh-moir Ratha*, sive *Hilaritatis-magnæ-Cursus*, unde usque hodie Ignes Sacri Ethnici accenduntur in Vigilia S. Johannis, die nempe Julii 23, atque hinc *Fiechi* Scholiastes Vetus Hibernicus, Sæculo viii, vel nono, inquit Augustum esse *primum mensem Autumnalem* Hibernorum, quod et Colganus confirmat in Triade, p. 7. In antiquo Calendario Romano, S. Johannis dies vocatur *Solstitium Vulgi*, quod satis clare indicat Festum istud pro Ethnico Solstitiali substitutum fuisse, ut pietati cederet impietas, et superstitio Religioni. (1)

Et quidem vetustissimi Scriptores de Vita S. Patricii, aiunt eum, anno 433, a Solemnitate Æquinoctiali *Temorense* processisse, eodem anno, ad Solstitialem *Taltinensem*—" ad locum Agonis Regalis quæ vocatur *Tal-tin*," " ad Talteniam, ubi Regiæ Nundinæ, et publici regni Ludi et Certamina quotannis servari solebant." (2)—Hi Ludi celebrabantur antiquitus spatio dierum 15 ante, et spatio dierum 15 post Solstitium Æstivum, ut recte animadvertit vir doctus, qui S. Patricii Vitam ex vetustis Scriptoribus edidit Anglice, Dublinii anno 1747, p. 36, uti et auctor Cambrensis Eversi, p. 58 et 89.

A Taltiniis Ludis, ubi plurimos ad fidem convertit, S. Patricius, Hyemis initio, ivit ad Campum adorationis dictum *Magh-slecht*, ubi tertia anni *Ratha* incepit ab Æquinoctio Autumnali. Hæc dicebatur *Geimh-Ratha*, hodie corrupta *Geimhre*, i. e. ululationis Cursus, quia ea Solemnitas erat humanis Sacrificiis infanda, ut supra notavi. Quarta Ratha dicebatur *Iar-ratha*, hodie corrupte *Ear-rach*, i. e. Ultima Ratha anni. Narrant veteres S. Patricium eo tempore anni 433, transiisse ab infanda Solemnitate *Campi Sleacht*, per *Elfiniam*,(3) et *Cruachaniam* Connaciæ Regiam, usque ad *Cruachan-Aicle*, ubi, Quadragesima elapsa, celebravit 2dum Pascha anno D. 434. Iter ejus dilucide narratur ab Evino, et postea Sæculo 12mo a Jocelino, c. 171. " Peragratis diveris mediæ Connaciæ regionibus, præsertim ab Oriente ad Occidentem, sacri veniente capite Jejunii, conscendit

(1) Morisinius in Tract. de Deprav. Relig. inquit. " Et Vascones accensis ignibus vidi per medios saltare, ad Festum Johanni Sacrum in æstate," p. 61, et iterum 72.

(2) Sic Evinus qui Sæculo viii vel ix floruit, p. 129, et Cambr. Evers. p. 58. Vide et Indicem Generalem ad Annales Hibernicos Voce *Taltin* et Jocelinus, c. 53.

(3) " Ail-finn ideo dictus quia ibi est fons limpidus a S. Patricio de nocte e terra productus, et *Fionn* i. e. lucidus, et ad ejus marginem ingens lapis, nam *Ail* prisca lingua Hibernica Saxum denotat. Unde Ail-finn idem sonat quod Saxum lucidi fontis." Evinus in Triade, p. 134.

præcelsum Connaciæ montem, priscis *Cruach-an-Aichle* appellatum, ibique sabbatho ante Dominicam primam Quadragesimæ, ad imitationem Salvatoris, Dominicum cœperat jejunium, 40 dierum spatio, (1) quo ad exitum deducto, Dæmonia ex tota Hibernia in Oceanum Occidentalem, Mont vicinum, præcipitavit," p. 138. Eadem ex vetustioribus refert Jocelinus, qui Septingentis abhinc annis floruit, Sæculo xii, c. 172.

Annum appellabant Hiberni *Bel-ain*, Beli Circulum—Dimidium anni *Leth-Bel-ain*—Quartam anni partem *Ratha*—Collem Sacrum ubi Ignes annui accendebantur *Rath*—Jusjurandum *Ratha*, Solem *Baal* et *Grian*, unde Homeri Apollo *Grineus*—spatium dierum 15 *Caocc-aoidh-cheas*, i. e. quindecim-noctes, seu Dimidium mensis. (2) Mac Curtinus quidem, in Vocabulario Hibernico, Voce Anglica *Fortnight*, Vocem *Caocc-aoidhceas* significare inquit *quindecim dies*. At certe vox Hibernica *oidhche* non *diem* sed *noctem* denotat. Atqui Periodus ista quæ Lunationes bifariam dividebat, plane indicat Hibernorum Lunationes fuisse omnes *tricenarias*, et æquabiles, ac proinde annum Lunarem fuisse dierum 360. Non ita autem annum *Popularem*.

Homines, ut recte notat Cicero in Somnio Scipionis, annum populariter Solis reditu metiuntur, sicut enim Luna menses, sic annum Sol circuitu suo ostendit. Jam vero post Lunationes 12 dierum 30, restant adhuc ad Solarem annum complendum *dies quinque* cum quadrante diei. Hinc itaque Hiberni veteres Ludos *Taltinios* quotannis celebrabant sub Solstitio Æstivo, ut populo ex omnibus Provinciis ad Ignem Sacrum Æstivum, et ad Ludos istos concurrente, tempus quod supererat ad complendum annum Solarem adimpleretur. (3)

Non assero Druidibus Hibernis acurate notum fuisse annum Solarem Tropicum, sive naturalem dierum 365, hor. 5, min. 48, Sec. 48, qua periodo Sol 12 Signa percurrit. At quemadmodum in nostro Civili Computo, annus, universali consensu, constat diebus tantum 365, excepto quovis anno 4to, seu Bissextili dierum 366, sic etiam apud Druidas Hibernos invaluisse assero artem, qua Ludos Taltinios ad Solstitia, expletis Lunationibus 12, accommodabant, quinque dies cum quadrante addentes anno Lunari dierum 360, ut popularem annum adimplerent. (4)

---

(1) Alibi indicavi Quadragesimam non incepisse antiquitus in Hibernia a feria iv Cinerum ut nunc. Vide Ep. Nuncup. p. cxxxv, et cxl.

(2) Forte a *quindecima* die Lunæ, i. e. a Luna plena ad finem Lunationis, vel ab initio ad *Plenilunium*.

(3) Ludos Taltinios institutos referunt IV Magistrorum Annales ad annum Mundi 3370, et Codex *Dinseanchus*, fol. 16 ad 18. Confer Annal. IV Mag. ad annos C. 716, 732, 773, 784, 806, 825, 826, 830, 856, 887, 1110, 1120, 1151, 1168, 1169, &c.

(4) Evini verba, cum reliquis antiquissimis de Vita Patricii convenientia, imprimis notanda sunt—" S. Patricius cum Sociis profectus est ad locum qui *Ferta-Fearfeig* appellatur, ibique curat sua figi tentoria, et sub noctis initium Rogum Paschalem accendi, quæ accensio Regem (*Laogarium*) totamque ejus aulam turbavit. Contigit enim quod *eadem nocte* Solemnitas apud Idololatras istius gentis suprema, vulgo *Feis-Team-rath* i.e. Encænia Temorensia, venerit celebranda, ad quam *sancita lege*, non tantum totius Regni Principes, Proceres, et Circulorum Præfecti, sed et *Druidum Magistri*, ad sacrificia Idolis *immolanda*, aliasque observationes debebant convenire. Lege etiam severissime cavebatur, ut *omnes ignes* per universas regiones *ista* nocte extinguerentur, et nulli liceat ignem reaccendere, nisi prius *Temoriæ* a Magis Rogus sacrificiorum extrueretur." Eadem habet, post Evinum, Sæculo xii, Jocelinus, c. 40, uti et Sæculo ix, Probus, c. 35.

Diodori, Strabonis, et Melæ de Hibernia verba expenduntur.

Diodorus, qui Imperante Augusto floruit, inquit Hiberniæ incolas *Gallos* fuisse, i. e. Celtas, quod non inficior, si modo id lato sensu accipiatur, eodem modo quo de *Celt-Iberis*, *Gallæcis*, *Vasconibus*, cæterisque Celtis, qui Occidentalia Europæ incolebant. At præterea asserit—" Ferocissimos esse Gallorum, qui sub Septemtrionibus habitant. Dicunt ex iis nonnullos *Anthropophagos* esse, sicut Britannos qui *Irin* tenent," l. 5.

Huic narrationi fidem conciliavit alia S. Hieronymi, qui inquit se in Gallia audivisse *Attacottos*, quæ gens erat Hibernica, humanis carnibus vesci. His adjungendus Strabo, qui libro iv inquit, " Agrestissimi omnium Britannorum sunt Hiberni. Homines edunt, plurimum cibi vorant, pro honesto ducunt mortuorum parentum Corpora comedere, et palam concubitum inire cum matribus et sororibus."—Quod si recentia testimonia adducere velim, habemus etiam adhuc florentes, qui eadem convicia objicere non erubescunt. (1)

At, imprimis, Diodorum ipsum habemus fatentem Hiberniam terram incognitam fuisse Romanis, qui *fama tantum* vel Insulam fuisse arbitrabantur. " Insulæ Britannicæ, inquit, et loca Arctis subjecta, *omnium minime*, in communem hominum notitiam pervenere. (2)

Etiam Mela, qui post Diodorum scripsit, Imperante Claudio,—" Britannia, inquit, *qualis sit*, *qualesque progeneret*, mox *certiora*, et magis explorata dicentur. Quippe *tamdiu clausam* aperit ecce Principum Maximus, Claudius." Varior, l. 3, c. 6, p. 275.

Strabo autem maximam prodit, non modo de Hibernia, sed etiam de Britannia ignorantiam. " Extrema navigatio a Celtica *versus Septentrionem*, inquit, est in Hiberniam, quæ ultra Britanniam sita, *ægre ob frigus incolitur*, ita ut quæ ulterius sunt, habitari non posse existimentur. Hibernia non amplius *quinque millibus Stadiis* a Celtica abest." Hæc narrat, l. 2, in ed. Oxon. t. 1, p. 107. Dixerat antea, p. 95, Hiberniam Britanniæ esse προς Αρκτυς, et a Massilia in *mediam Britanniam* non esse amplius *quinque millibus Stadiis*, imo Pytheam atque Eratosthenem increpat quia Hiberniam ad Occidentem a Celtica ponunt, cum hæc omnia, ait, ad *Septemtrionem vergant*, p. 96.

Eosdem errores, pariter increpans, repetit, p. 109, 110, 153, 154, et deinde ignorantiam suam diserte fatetur sequentibus verbis.—" A Britannia ad Hiberniam quantum sit, *ignotum est*, itemque an ultra sint loca inhabitata," p. 154. Denique locus ipse, a Macphersono toties citatus ex Strabone, aliter se habet quam ab ipso redditur, prima enim Strabonis verba omittit, quæ posteriorem paragraphi partem nullius efficiunt auctoritatis.

Verba ex Wetsenii editione hæc sunt—" Circa Britanniam sunt cum aliæ parvæ Insulæ, tum

---

(1) Ita nempe ex Macphersoni Introductione, Dublin, 1783, ubi hæc Strabonis et Diodori testimonia ter repetita adducuntur, Pinkertonus inquit—" Irishmen, the Greeks and Romans pronounce you not only barbarous, but *utterly savage*. In the name of that degree of rationality which even beasts have, where are the slightest marks of ancient civilization amongst you. The old inhabitants of your country, the *wild Irish*, the true Milesian breed, *untainted* with Gothic blood, we know to be *utter savages* at this day." Pinkert. Scotl. Lond. 1786, t. 1, p. 81.

(2) Versio est optima *Wesselingii*, et editio optima *Wetstenii*, Amstelæd. 1746, t. 1, p. 204 sive l. 2, c. 120.

magna *Hibernia, versus Septentrionem,* juxta Britanniam porrecta, *latior quam longior.* De hac *nihil certi habeo quod dicam,* nisi quod incolæ ejus Britannis sunt magis agrestes, qui et humanis vescuntur carnibus, et plurimum cibi vorant, et pro honesto ducunt Parentum mortuorum Corpora comedere, ac palam concumbere non cum aliis modo mulieribus, sed etiam *cum matribus ac sororibus,* Quæ quidem ita referimus, ut *fide dignis* harum rerum testibus *destituti.*" (1)

Denique si quid certi ex Diodoro de Hibernia colligi potest, id omne ex ejus de Gallorum moribus narratione eruendum, cum et Hibernos Gallos (i. e. *Gaedhelos*) appellat, et veterum Hibernorum moribus ista ita conveniant, ut de una eademque gente scripta videantur.—" Armillas, " inquit, circa, manuum juncturus et brachia gestant, et crassos, ex puro putoque auro torques " circa collum, annulosque insignes, et aureos insuper thoraces, &c.

" Pythagoræ apud illos opinio invaluit quod animæ hominum Immortales in aliud ingressæ Corpus definitio tempore denuo vitam capessant. (2) Ideo in funeratione mortuorum Epistolas propinquis inscriptas in Rogum conjiciunt, quæ a Defunctis legantur, &c. (3)

" Vestitus illis mirificus. Tunicas enim *variis coloribus* imbutas, ac ceu floribus conspersas, caligasque, *Bracas* illis nominatas, gestant. (4) Saga etiam virgata, per hyemem densa, per æstatem tenuiora, crebrisque tessellis florum instar distincta, fibulis subnectunt. Arma illis sunt Scuta, ad staturam hominis porrecta, et insigni proprio variegata. (5) Quidam æneas bestiarum imagines, tam ad defensionem quam ornatum affabre factas præferunt. Æneis præterea Galeis cum magnis appendicibus, ad prolixam ostentationem factis, capita muniunt. Nam vel cornua affixa, vel avium, quadrupedumque facies, in illis expressas habent.

" Sunt etiam apud hos Carminum melicorum Poetæ, quos *Bardos* nominant. Hi ad Instrumenta, Lyris non dissimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes decantant. Philosophi apud eos sunt et Theologi, *Druidas* ipsi vocant, quos eximio honore dignantur. Sunt etiam *Vates* magnæ apud illos existimationis, qui ab auspiciis et Victimarum extis, de futuris divinant, eisque plebs universa morem gerit. In primis ubi de magni momenti rebus consultatio incidit mirandum et incredibilem quendam ritum observant; Hominem immolant, supra transversum pectoris septum, ense feriunt; quo cæso, prolapsoque tum a casu et convulsione membrorum, tum e cruoris fluxu, quid eventurum sit præsagiunt.

" His, ut et melicis Poetis, non in pacis solummodo negotiis, sed etiam bellis, tam hostes, quam amici auscultant. Hi inter adversas sæpe acies, dum strictis ensibus, et protentis hastis, inter se exercitus propinquant, in medium progressi, ac si bestias incantamentis cicurarent, prælia dirimunt.

Ferocitati excellunt ad Arctum remoti, et Scythiæ finitimi, ut homines etiam vorare dicantur; quomodo etiam Britanni, a quibus Iris habitatur—*ωσπερ και των Βρετλανων τȣς κατοικȣντας τ ενομαζο μενην Ιριν.*"

---

(1) In Causauboni editione Amstelædami, 1707, t, 1, p. 307, 308, l. 4, p. 201.

(2) Vide supra, p. xxvii. (3) Ergo usum literarum habebant, ut supra, p. xix et xxx, et in Epist. Nuncup. p. 28, &c.

(4) Hinc ornamenta varia, diversis coloribus picta, quæ in Codicibus Hibernicis a Sæculo vi exaratis conspiciuntur, ut in *Epistola nostra Nuncupatoria,* p. 12, 38, 118, 177, &c.

(5) Vide quæ de veterum Hibernorum Insigniis militaribus dicta sunt in Dissertatione Præliminari ad Annales IV Magistror, p. xxxi.

Dionysius Periegetes.

Floruit Dionysius post annum a nato Christo 3, gente Charazenus, in oppido quod prius Alexandria, deinde *Spasinu-Charax* dicebatur, in tractibus Susianis, ad sinum Arabicum, natus, uti notat Valesius ad Ammian Marcellin, l. 23, c. 6, p. 287, Gronov.—“ Hoc in loco, inquit Plinius, genitum esse *Dionysium*, terrarum Orbis situs recentissimum Auctorem constat, quem ad commentanda omnia in orientem præmisit D. Augustus.” Plin. l. 6, c. 27, p. 335. Confer Dodwelli Dissert. de ætate Dionysii, in Geogr. Minor. vol. iv, cum Fabricii Biblioth. Græc. t. 4, l. 4.

Ejus de Britannicis Insulis verba sunt.—Vers. 568—

Δισσαι νησοι εασι Βρετανιδες αντια Ρηνȣ,
Ταων τοι μεγεθος περιωσιον, ȣδε τις αλλη
Νησοις εν πασησι Βρετανισιν ισοφαριζει.

Duæ Insulæ sunt Britannicæ contra Rhenum.
Harum sane magnitudo immensa, neqne ulla alia,
Insulas inter omnes, *Britannicis* æqualis est.

P. Mela de Hibernia, l. 3, c. vi.

“ Super Britanniam *Iverna* est, pene par spatio, sed utrinque æquali tractu litorum oblonga, Cæli ad maturanda semina iniqui, verum adeo luxuriosa herbis, non lætis modo sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Cultores ejus inconditi sunt, et omnium virtutum ignari, pietatis admodum expertes.”(1)

Ex Plinii libro iv, c. 16, ed. Harduin.

“ Ex adverso hujus situs (i. e. Rheni) Britannia Insula, clara Græcis,(2) nostrisque monumentis,(3) inter Septentrionem et Occidentem jacit. Germaniæ (4) Galliæ, Hispaniæ, multo maximis Europæ partibus, magno intervallo adversa. *Albion* ipsi nomen fuit, cum *Britanniæ* vocarentur

(1) Mela Varior. l. 3, c. 6. Lugd. Bat. t. 1, p. 279. Sed vide quæ de ejus ignorantia, non modo de *Hibernia*, sed etiam de *Britannia* habentur supra, idque anno post Cæsaris expeditionem 94!

(2) Vide Dionys. Perieg. p. 568, supra, et quæ de Phœnicum navigationibus dicta sunt ex Himilcone, Pythea, Aristotele et aliis. Hinc *clara Græcis*, teste etiam Herodoto.

(3) Fatetur tamen non ultra annos 30 Britanniæ ipsius notitiam ad Romanos pervenisse, idque non ultra vicinitatem Silvæ Caledoniæ, et recte, ut infra ex Taciti *nave prima*, in Agricola.

(4) Verius Strabo, l. iv, *Soli Galliæ* prætendi dixit. Plinio tamen hic erranti Tacitus subscribit in Vita Agricolæ infra.

omnes. Hæc abest a Gessoriaco Morinorum Gentis litore proximo tajectu L. M. (1) Circuitu vero patere tricies octies centena viginti quinque M. Pytheas et Isidorus tradunt (2) Triginta prope jam annis notitiam ejus, Romanis armis non ultra vicinitatem Silvæ Caledoniæ propagantibus. Agrippa (3) longitudinem DCCC M, pass. esse, latitudinem CCC M. credit. Eamdem *Hiberniæ* latitudinem, sed longitudinem CC mill. passuum minorem." (4)

Taciti de Hibernia verba ex Vita Agricolæ, c. 24. Ed. Brotier, Paris, 4to. 1771.

" Quarto expeditionum anno (i. e. Anno C. 82) *nave prima* transgressus, ignotas ad id tempus gentes, crebris simul ac prosperis præliis domuit: eamque partem Britanniæ quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem. Siquidem Hibernia, *medio inter Britanniam* et *Hispaniam* sita, et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam Imperii partem, magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniæ comparetur, angustius, nostri maris Insulas superat. Solum Cælumque, et ingenia cultusque hominum, haud multum a Britannia differunt. Melius aditus portusque per Commercia et negociatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex Regulis Gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audivi, Legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur."

Notanda de Scriptoribus Sæculi primi.

Diodorus Operi suo finem imposuit, ut ipse testatur, Olympiade clxxx, tempore expeditionis J. Cæsaris in Galliam, anno ante Christum 59. Floruit quidem sub Cæsare et Augusto, et adhuc in vivis erat anno ante Christum 6. At grandævum tum fuisse oportet. Triginta enim annos in Opere componendo insumsisse se, ipse in Proœmio profitetur. Cum itaque Opus istud Romanorum

---

(1) Cluverius, Sanson, et P. Le Quien confundunt Portum *Itium* Cæsaris cum *Gesoriaco Navali*, hodie *Boulogne*. Cæsar inquit ex Portu *Itio* commodissimum in Britanniam trajectum, *circiter millium passuum* xxx. Errat etiam Plinius in distantia a Gesoriaco. Vide " *Memoire sur le Portus Itius*, per M. *D'Anville*." Acad. des Inscr. t. xxviii, p. 397.

(2) Sic quoque Martianus a Plinio mutuatus, l. 6, cap. *Alia dimensio Europæ*, p. 215.

(3) Sic etiam Martianus ibid. et Solinus, c. 22, p. 41, 42. Agrippa eodem fere tempore quo Dionysius Periegetes, Augusto Imperante orbem describere suscepit. " Agrippam quidem in tanta Viri diligentia, cum orbem terrarum orbi spectandum propositurus esset, erasse quis credat, et cum eo Divum Augustum?" Plin. l. 3, c. 2, ed Hardin. t, 1, p. 140,

(4) Geographi Romani errant in Insulis Britannicis describendis plusquam vetustiores Græci quia Græci vetustioribus Phœniciis et Phocæensibus adhæserunt, referente Plinio, l. 5, c. 1.

in Britannia Colonias præcedat, minime mirum si magnam de Britannia ipsa ignorantiam, et multo majorem de Hibernia, prodat, quæ Romanis *terra incognita* fuit usque ad tempora Agricolæ.

Strabo Librum suum IV scripsit, annum circiter *septimum* Tiberii, Christi 20, inquit enim se eo libro scribente, annum agere *trigesimum*, a quo *Carmani* et *Taurisci* a Tiberio et Druso subacti fuere, quod, ex Dione, l. 55, evenit anno Christi 15. Atqui quæ de Britannicis Insulis habet Strabo, eo in libro præcipue continentur. Itaque quæ de Diodori ignorantia diximus, ea et de Strabone pariter prædicanda sunt. Saniora sunt longe quæ a Pythea et Eratosthene et vetusturibus Græcis de Insulis Britannicis dicta sunt, quam quæ a Strabone et Diodoro. Hic uno loco Silurum Insulas confundit cum Cornubia, et alibi cum Insula Vecta.(1) Ille Britanniam triangularem describens, unumquodque trianguli latus longitudine 4300 stadia, seu milliaria 537 efficere declarat, etsi *Pytheas*, qui tribus antea Sæculis floruit, longe accuratior, Albionis circumferentiam milliaria 3825 efficere testatur, apud Plinium, supra, l. 4, c. 16. Pytheam præterea damnat ut mendacem, quia Hiberniam ait sitam esse ad *Occidentem* Britanniæ, " qui enim, inquit, hodie terras perlustrant, ultra Hiberniam nihil possunt referre, quæ non longe *versus Septentrionem* ante Britanniam jacet. Ibi ergo (in Hibernia) finem terræ Septentrionalis constituendem puto," l. 2, c. 114, ed. Oxon. t. 1, p. 175, et iterum l. 4, c. 201, iterumque t. 1, p. 93, et l. 1, c. 63, p. 109, 111.!

Inquit præterea, l. 2. " *Hiberniam a Gallia distare* v *mill. Stadiis*."—Conveniunt docti, octo Stadia unum milliare efficere, ergo ex Strabone Hibernia a Gallia distat milliaribus 625! Et tamen idem Strabo " a Massilia in *mediam Britanniam* non amplius inquit esse v *millibus Stadiorum*, et Hiberniam *a media Britannia* non amplius distare IV millibus Stadiorum," l. 1, c. 63, p. 109, 111.!

Mela Opus suum exegit anno Claudii quinto, Christi 44. Inquit enim, l. 3, c. 6, Claudii in Britanniam expeditionem, brevi postea triumpho celebrandam, declaraturam quæ gentes Britannia *hactenus clausa* teneret. Atqui Claudius de Britannia triumphavit anno Christi 44, juxta Dionem, l. 60, p. 680. Eadem itaque quæ de Strabone et Diodoro dicimus, de Mela pariter dicenda sunt, *Britanniam* nempe ipsam non nisi *fama* ei cognitam, idque obscure et incerte, ac a fortiori Hiberniam, unde quæ de Hibernia habent ii omnes, etiam si ab intrinseco falsa, aut secum pugnantia non appareant, tamen non nisi admodum caute, atque ut incertæ fidei accipienda esse.

Plinius Veronensis Naturalem Historiam scripsit, annum circiter Christi 77, Imperantibus Vespasiano et Tito, post Claudii triumphum annis circiter 30, quo intervallo pauca de Britannia didicit, quæ præcedentibus ignota erant, ea nempe quæ de Druidum Superstitionibus narrat, quæque a Suetonio Paulino hausisse videtur.(2) Perpauca autem sunt hæc, et solam Britanniam respiciunt non autem Hiberniam.

Tacitus, anno Christi 57 natus, Agricolæ uxorem duxit, Imperante Vespasiano, adfuitque Sæcularibus Ludis anno 87. Vitam Soceri sui scripsit post annum 92 quo Agricola obiit, Domitiani veneno interceptus, ut in Vita Agricolæ, c. 43, nempe cum exsultantis Urbis propter Trajani adoptionem gaudia ferverent, uti recte notat Broterius, quanquam Trajano Imperante Vitam istam scriptam

(1) Diodor. l. 4, t. 1, p. 301. Confer *Borlase's Scillies*, Oxon. 1756, p. 66.
(2) De eo Plin. l. 5, c. 1.

fuisse, haud absurde Vossius. (1) Lipsius quidem, aliiqui multi existimavere Tacitum fuisse Belgicæ Galliæ Procuratorem, a Plinio memoratum, l. 7, c. 16, repugnat autem temporum ratio, quæ locum istum ad Cornelium Tacitum, Scriptoris Cornelii Patrem, referendum esse demonstrat.

Longe itaque plura de Britannicis Insulis audire, et legere poterat Tacitus, quam qui eum præcessere, atque hinc ni fallor, de Hibernia inquit—" *Melius aditus, Portusque, per Commercia et* " *Negociatores cogniti, quam Britannia.*" Britannorum enim cum *Venetis* (2) cæterisque Gallis, atque Iberis commercia, a Romanis interclusa, eo tempore defecere. Libertas autem Hibernensibus intacta permansit, unde Tacitus Socerum laudat quod eam libertatem e Britonum conspectu tollere studeret; neque aliter possunt Taciti verba interpretari, quam quod Veteres, spirante Austro, recto itinere, per Cantabricum Oceanum, a Promontorio *Celtico* in *Gallæcia*, ad Promontorium *Sacrum* Hiberniæ navigare assueti erant, ubi *Luceni, Concani, Brigantes, Illiberi, Corco-Vasconii, Iverni*, aliæque Hispanicæ Coloniæ, testantibus Ptolomæo et Richardo, sedes sibi ab antiquissimis temporibus posuere.

Et quidem Scylax diserte ait, easdem esse distantias *trium* navigationum, a Carthagine ad Columnas, ab *Ostia* Tiberina ad Columnas, et a Columnis per mare externum ad Pyræneos, circumnavigando litora Iberiæ. Navigatio itaque ab Ostia ad Columnas recto itinere per altum mare fiebat, et distantia circumnavigantibus Iberiam, *ante Scylacis ætatem*, repetitis experimentis comperta, breviorem ex Galæcia in Hiberniam, eodem modo perfici potuisse demonstrat.

Tacitus quidem inquit se *audivisse* Hiberniam una Legione potuisse debellari. At Vitam Soceri scripsit magis *in honorem Soceri*, quam ex comperta in omnibus veritate, (4) et Agricolæ expeditio contra Caledonios plane indicat, non alio exitu, nec feliciori eventu, expeditionem in Hiberniam longe difficiliorem potuisse vel suscipi, vel compleri.

---

(1) Taciti ipsius verba id indicare videntur in c. 3.—" Quanquam, primo statim beatissimi Sæculi ortu, Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, *Principatum ac libertatem*, augeatque quotidie *facilitatem* (lege felicitatem) Imperii Nerva Trajanus."—Omnia conciliantur si dicamus Agricolæ Vitam scriptam fuisse intervallo inter Adoptionem Trajani et Nervæ obitum. Imperavit Nerva ab anno, C. 96, anno uno, mensibus 4, diebus 11.

(2) Vide supra, p. xv et xvii.

(3) " A Carthagine usque ad Columnas Herculeas, *quam prosperrime* prætervehuntur, *diebus septem, noctibus septem.*" Geogr. Min. t. 1, p. 50. Circumnavigationem Iberiæ in *externo mari*, a Columnis ad Pyræneos, eodem temporis intervallo fieri testatur, atque inde distantiam fere eandem statuit, " *Præternavigatio Iberiæ est* vii *dierum et* vii *noctium.*" Ib. p. 30. De Scylacis ætate, ante C. 506, vide Herodot. iv, 44, Fabricium de Scriptoribus Græcis, S. Croix Examen des Historiens d' Alexandre.

(4) " Hic interim liber, *honori Agricolæ* Soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut *excusatus.*" Tacit ib.

EX POTOLOMEO ALEXANDRINO

In Bertii Theat. Geog. Vet. Lugduni Batav. Elzevir, 1618. (1)

Græca ad Codices Palatinos collata, aucta, et emendata sunt. Latina infinitis locis correcta.

Geographiæ Claudii Ptolomæi, liber 2, p. 33, c. 1 et 2.

ΕΚΘΕΣΙΣ τȣ' δυσμικωτέρȣ της Ευ'ρώ'πης, κατὰ τας ὑποκειμέ'νας Ε'παρχί'ας, ἢ Σατραπί'ας—

Ιȣ'ερνί'α νῆσος Βρεταννική .... ι α—ν ε .. ζ'
Α'λȣί'ων νῆσος Βρεταννική .... κ —ν δ

ΙΟΥΕΡΝΙΑΣ [Pal. ιȣ'ουερνί'ας] ΝΗΣΟΥ Βρεταννικῆς θεσις.

Ευ'ρώ'πης πί'ναξ α

ΑΡΚΤΙΚΗΣ πλευρᾶς περιγραφὴ, ἧς υπερκειται Ω'κεανὸς υπερβορει⊛
[Palat. addit. ὁ αυ'τυς καλεῖται πεπηγὼς Ω'κεανος, και Κρονιος, ἢ νεκρό'ς]
Βό'ρειον 'ακρον μοί'ρας. .... ι α .. ξ α

VERSIO LATINA.

EXPOSITIO Occiduæ Europæ partis, juxta subjectas Provincias, vel Satrapias.

Ivernia Insula Britannica .... xi 0 .... 58 ½
Albion Insula Britannica .... xx 0 .... 54 0

IOVERNIÆ [Palat. Iououerniæ] Insulæ Britannicæ situs (2)

Europæ Tabula prima

Septentrionalis lateris descriptio, quod ab Hyperboreo Oceano alluitur.—
Palatinus Codex addit. "Idem vocatur congelatus Oceanus, et Saturnius, et mortuus."
Boreum Promontorium (3) .... 11 .... 61 0

(1) Editio est optima, *integra, cara, et rara.* Harles Introd. Altenburgi, editio altera, emendatior et auctior, 1785, t. 2, p. 151.

(2) Melæ et Solino *Juverna,* Straboni Ιερνα. Cæsari *Hibernia.* (3) *Telling-head.*

Ου'εννικνιον α'κρον	ι β	.. ξ α—γ
Ου'ιδȣα ποτ. 'εκβολαί	ι γ	.. ξ α
Α'ργιτα ποτ. εκβολαι	ι δ—∠'	.. ξ α—∠'
Ρο'βο'γδιον α'κρον	ι ϛ—γ	.. ξ α—∠'

Παροικουσι δε' την πλευρα'ν, α'πο μεν' δυσμω̃ν ΟΥΕΝΝΕΚΝΙΟΙ.

Ει'τα ε'φηξη̃ς και' προς α'νατολας' ΡΟΒΟΓΔΙΟΙ.

Δυτικη̃ς πλευρρα̃ς περιγραφη', η̃ παρα'κειται δυτικο'ς Ω'κεανο'ς.

Μετα' το βο'ρειον α'κρον ο'εστιν	ι α	.. ξ α
Ρ'αȣιȣ ποτ. ε'κβολαι	ι α—γ	.. ξ γ—ο
Να'γνατα πολις επισημ⊙	ι α—δ	.. ξ δ
Λιβοιου ποτ. ε'κβολαί [Pal. unus Λιβνί'ου; alter Λιμνιου]	ι —∠'	.. ξ
Αυσοβα ποτ. ε'κβολαί	ι —∠'	.. ν θ—∠'
Σηνου ποτ. ε'κβολαί	θ —∠'	.. ν θ—∠'
Δουρ ποτ. ε'κβολαί	θ —γ	..ο ν η—∠'
Ιε'ρνȣ ποτ. ε'κβολαί	η —ν η	
Νο'τιον Ακρον	ζ —γ ο..	ν ζ—∠'

Venicinium Prom. (1)	12	50	61	20
Viduæ flu. ostia (2)	13		61	
Argitæ fl. ostia (3)	14	30	61	30
Rhobogdium Prom. (4)	16	20	61	30

Occidentale latus incolunt Venicinii. (5)

Deinde reliquum et Orientale Rhobogdii. (6)·

Descriptio lateris Occidentalis, cui adjacet Occidentalis Oceanus.

Post Boreum Prom. quod est	11		61	
Rhavii fl. ostia (7)	11	20	61	20
Nagnata urbs insignis (8)	11	15	60	15
Liboii fl. ostia [Pal. Libnii et Limnii] (9)	10	30	60	
Ausobæ fl. ostia (10)	10	30	59	30
Seni fl. ostia (11)	9	30	9	30
Duri fl. ostia	9	40	58	40
Ierni fl. ostia	8		58	
Notium Prom. (12)	7	40	57	45

(1) *Ram's-head.* (2) *Crodagh.* (3) *Swilly* Camdeno.
(4) *Foreland,* (5) *Tirconel.* (6) *Rabog,* usque hodie Raphoe.
(7) *Bann.* Mercator. sed lege *Erne.* (8) *Limeric.* Mercator. sed lege *Sligo.* (9) *Bay of Sligo.*
(10) *Bay of Galway.* (11) *Shanon* Orosio. (12) *Bear head,* antiquis Austrinum Prom.

Παροικουσι δε την πλευρὰν μετα τȣς Οὐεννικνίους.
ΕΡΔΙΝΟΙ [Palatin. addit. οἱ και Ερπεδιτανοι.]
Ὑφ' οὓς, ΝΑΓΝΑΤΑΙ.
Εἶτα, ΑΥΤΕΡΟΙ
Εἶτα, ΓΑΓΓΑΝΟΙ
Ὑφ' οὓς, ΟΥΕΛΙΒΟΡΟΙ[Pal. addit. οἱ ϗ Ελλεβροι]
Τῆς ἐφεξῆς μεσημβρινῆς πλευρᾶς περιγραφη, ᾗ παρακειται Ὠκεανὸς
Οὐεργίνιος [Palationo Οὐεργιȣιος]

Μετὰ τὸ νότιον ἄκρον ὅ ἐστιν	ζ	—γ ο	..	ν	ζ—ι'	δ
Δαβρῶνα ποτ. ἐκβολαι	ι	α—δ	..	ν	ζ	
Βίργȣ ποτ. ἐκβολαί [Pal. Βαργȣ]	ι	β—ι'	..	ν	ζ—ι'	
Ιἐρον ἄκρον	ι	δ	..	ν	ζ—ι'	

Παροικȣ͂σι ϗ τ πλευρὰν μετα τȣς ΟΥΕΛΛΑΒΟΡΟΥΣ. [Pal. Ουελλαβροσιȣς]
ΟΥΤΕΡΝΟΙ [Pal. Ιȣ'ερνιοι]
Ὑπερ οὓς ΟΥΟΔΙΑΙ.
Καὶ ἀνατολικώτεροι, ΒΡΙΓΑΝΤΕΣ.

Post Venicinios idem habitant latus *Erdini* [Pal. addit. qui et Erpeditani]
Sub quibus Nagnatæ.
Deinde Auteri.
Post quos Gangani
Sub quibus Velibori [Pal. qui et Ellebri] (1)
Meridonalis reliqui lateris sequitur descriptio, cui Verginius adjacet Oceanus [Pal. Vergionius] (2)

Post australe Promontorium quod est	7	40	....	27	45
Dabronæ fl. ostia (3)	11	15	....	57	0
Birgi fl· ostia [Pal. Bargi] (4)	12	30	....	57	30
Hieron vel Sacrum Prom. (5)	14		....	57	30

Habitant idem latus post Vellaboros [Pal. Vellabrosios] Uterni [Pal. Juerni]
Supra quos Vodiæ [in MS. Udiæ]
Et qui orientalissimi sunt Brigantes.

(1) *Velabri* Ethico.
(2) *Verginius, Deucaledonius,* et *Hibernicus,* unum et idem mare.
(3) *Dabrona,* et *Saverenus.* (Bertius ibid.)
(4) *Birgi* hodie Barrow.
(5) Hodie Hibernice *Carne-Soir.*

Ανατολικῆς πλευρᾶς περιγραφη, ἡ παράκειται Ὠκεανος καλουμενος Ιουερνιος.

Μετά τὸ ἱερὸν ἄκρον ὅ ἐστι	ι δ	ν ζ—∠ʹ
Μοδόνου ποταμοῦ ἐκβολαί	ι γ—γ ο	ν η—γ ο
Μαναπια πολις	ι γ—∠ʹ	ν η—γ ο
Ὀβόκα ποτ. ἐκβολαί	ι γ—ς	ν θ
Ἔβλανα πόλις	ι δ	ν θ—∠ʹ
Βουβινδα ποτ. ἐκβολαί	ι δ—γ δ	ν θ—γ δ
Ισάμνιον ἄκρον	ι ε	ξ
Οὐινδέριος ποτ. ἐκβολαι	ι ε	ξ —δ
Λογία ποτ. ἐκβολαί	ι ε—γ	ξ —γ δ

Μεθ' ἅς το Ῥοβόγδιον ἄκρον.

Παροικουσι δ' την πλευραν ταυτην μετα τους Ροβογδιους ΔΑΡΝΙΟΙ [Pal. Δαρίνοι]

Ὑφ' ους, ΟΥΟΛΟΥΝΤΙΟΙ.

Εἶτα ΒΛΑΝΙΟΙ [Pal. Ἐβλανοι]

Εἶτα ΚΑΥΚΟΙ.

Orientalis lateris descriptio, cui adjacet Oceanus qui vocatur Hibernicus.

Post Sacrum Prom. quod est	14		57	30
Modoni fl. ostia (1)	13	40	58	40
Manapia urbs (2)	13	30	58	40
Obocæ fl. ostia (3)	13	12	59	
Eblana Civitas (4)	14		59	30
Bubindæ fl. ostia (5)	14	49	59	40
Isamnium Prom. (6)	15		60	
Vinderii fl. ostia (7)	15		60	15
Logiæ fl. ostia (8)	15	20	60	40

Post hæc Rhobogdium est Promontorium.

Idem accolunt latus post Rhobogdios Darnii [Pal. Darini.]

Sub quibus Voluntii.

Deinde Blanii [Pal. Eblani.]

Post Cauci.

---

(1) *Modoni* fl. ostia, the *Liffey* Mercator, sed lege the *Slane*. (2) *Wexford*. (3) Prope Arcklow *Oboca*. (4) *Dublin*. (5) *Boin*. (6) Camdenus inquit Isamnium esse S. *John's-foreland*. (7) Vinderii fl. ost. *Carrickfergus Bay*. (8) Logiæ fl. ost. *Lough Foyle*.

Ὑφ' οὓς, ΜΑΝΑΠΙΟΙ.

Εἶτα ΚΟΡΙΟΝΔΟΙ, ὑπὲρ τοὺς Βρίγαντας. Πόλεις δὲ εἰσι μεσόγειοι.

Ῥίγια [Palat. Ῥήγια]	ι γ	.. ξ —γ
Ῥαίβα	ι β	.. ν θ—ʆ δ
Λάβηρος	ι γ	.. ν θ—δ
Μακόλικον	ι α—ʆ	.. ν ε—γ—ο
Ἑτέρα Ῥίγια [Pal. Ῥηγία]	ι α	.. ν θ—ʆ
Δουνον	ι β—ʆ	.. ν η—ʆ
Ἰουρνίς [Pal. Ιερνίς]	ι α	.. ν η—ς

Ὑπέρκεινται δὲ νῆσοι τῆς Ἰουερνίας, αἱ τοῦ καλούμεναι ΕΒΟΥΔΑΙ, ε τὸν ἀριθμὸν, ὧν ἡ μὲν δυτικωτέρα καλεῖται.

Ἔβουδα	ι ε	.. ξ β

Ἡ δὲ ἑξῆς αὐτῶν πρὸς ἀνατολὰς ὁμοίως.

Εβουδα	ι ε	.. ξ β
Εἶτα Ῥίκινα	ι ζ	.. ξ β
Εἶτα Μαλεός	ι ζ—ʆ	.. ξ β

Sub quibus Manapii.

Post Coriondi, supra Brigantes.—Civitates Mediterraneæ hæ sunt.

Rhegia	13		60	20
Rhæba	12		56	54
Laberus (1)	13		59	51
Macolicum (2)	11	30	58	40
Rhegia altera	11		59	30
Dunum (3)	12	20	58	45
Juernis (4)	11		58	10

Hiberniæ superjacent quinque Insulæ Ebudæ nomine, quarum occidentalior vocatur—

Ebuda (5)	15	40	62	0

Deinde quæ ad Ortum etiam extenditur similiter—

Ebuda (6)	15	40	62	0
Postea Rhicina (7)	17		62	
Post Maleos (8)	17	30	62	10

---

(1) Laberus *Kaillair.* (2) Macolicum *Mallow.* (3) Dunum *Down.* (4) Juernis *Dunckeren.* (5) Ebuda *Eust,* Mercator. (6) Ebuda *Lewis.* (7) Rhicina *Racline.* (8) Maleos *Mull.*

Ειτα Ε'πί'διον	ι η—ι'	ξ β
Και α'πὸ α'νατολῶν τῆς Ιο'υερνί'ας εί'σὶν αί'δε νῆσοι—		
Μονα'οιδα MS. Μοναρινα	ι ζ—γ	ξ α—ι'
Μο'να νῆσος	ι ε	ν ξ—γ--ο
Εδορυ, ερημος [Pal. ο"δρου]	ι ε	ν θ—ι'
Λιμνου, ερημος [Pal. Λί'νου]	ι ε	ν θ

Post Epidium (1)	18	30	62	0
Juxta orientalem plagam Hiberniæ, insulæ hæ sunt—				
Monaœeda (2)	17	40	61	30
Mona Insula (3)	15		57	40
Edri, quæ deserta est	15		57	30
Limni, quæ deserta est (4)	15		59	

Incipiunt Chartæ in Bertii editione a folio 254, *hoc titulo præmisso*—

"Tabularum Ptolemaicarum Delineatio, Ex Claudii Ptolemæi Geographicis libris octo. Orbem totum habitabilem *Agathodæmon*, Alexandrinus mechanicus, delineavit. Has vero tabulas descripsit Gerardus Mercator Rupelmundanus.—Recensuit varie, correxit, auxitque *Petrus Bertius*, Beverus, Christianissimi Galliarum Regis Ludovici xiii. Cosmographus."

Notum est Ptolemæi Geographiam gravissimis scatere erroribus, præsertim respectu Britanniæ Septentrionalis, quam in Orientem tendere ait, dum revera tendit ad Septentrionem. *Novantum* Chersonesum, (hodie *the Mull of Galloway*) quod Occidentale est, describit Boreale, et *Orcas* Promontorium, quod Boreale est, Orientale constituit.

In Hibernia autem describenda, non mòdo Oras accurate describit, sed ut plurimum etiam Insulæ interiora, et flumina, et Lacus, et Civitates, et populos, eorum nomina, regiones, et terminos, ac totius Insulæ figuram oblongam, a Meridie tendentem in Septentrionem, itemque Promontoria, quorum unum *Hieron*, sive Sacrum, appellat, quod nomen usque hodie Hibernice retinet; nomen enim Hibernicum *Carne-soir*, nihil aliud significat quam Agger-sacer Orientale, unde linea ducta in Occidentem, Insulam totam quasi bifariam divideret, et ad montem Sacrum Occidentalem, *Cruach-an-Ailce*, cujus supra mentionem fecimus, perveniret.

Jam vero Romanis Scriptoribus, ævo præcedente, Hibernia ignota erat, ut diximus, et, ipsis fatentibus, terra incognita, saltem quoad interiora; et quamvis, Tacito testante, maritima Hiberniæ,

(1) Epidium *Yla*. (2) Monaœda *Menau*. (3) Mona *Man*. (4) Limni *Lymen*.

negotiatoribus notiora essent, quam Britanniæ, id certe, non de negotiatoribus Romanis, quorum nulla erant cum Hibernis Commercia, sed de alienis dictum esse, ipsa Taciti de Hibernia ignorantia demonstrat. Hiberniam enim *medio* inter Britanniam et Hispaniam statuit, quod et Geographus Romanus, Sæculi iv, vel v, cujus Chartam edidit Richardus Corinensis, pari errore, et rerum Hibernicarum ignorantia, Tacito Duce, declarat.

Itaque non a Romanis sed a vetustioribus Græcis atque Phœniciis, suam de Hibernia notitiam hausit Ptolemæus, idque eo magis vel hinc manifestum est, quod Insigniores Hiberniæ Civitates memorat, in quibus Observationes Cælestes ab antiquioribus factæ memorantur, his verbis—

" Insignes civitates, in quibus factæ sunt observationes cælestes, prout explicatur libro viii sunt hæ"—

	Maxima diei hora—	Distantia horaria a Meridiano Alexandriæ.
Thule Insula	20	2 in occasum
Juernis	18	$3\frac{1}{4}$ in occasum
Rheba	$18\frac{1}{3}$	$3\frac{1}{3}$ in occasum
	Albionis.	
Londinium	17	$2\frac{2}{3}$ in occasum
Eboracum	$17\frac{12}{23}$	$2\frac{2}{3}$ in occasum
Caturactonium	18	$2\frac{2}{3}$ in occasum
Alata Castra	$18\frac{1}{2}$	$2\frac{2}{6}$ in occasum
Dumna Insula	$12\frac{1}{6}$	2 in occasum
Vectis Insula	$16\frac{2}{3}$	$2\frac{2}{3}$ fere in occasum

Observanda de Ptolemæi Hibernicis.

Nomina Urbium et Locorum Hiberniæ, quæ servavit Ptolemæus, non Romana sunt, nec recentia, sed *Iberica* et *antiqua;* ea autem quæ habet Britannica, in pluribus Latina sunt, ut *Castra Alata*, *Victoria*, aliaque id genus, quæ plane indicant eum Romana Itinera vidisse, quæ delineata fuere postquam *Vespasiana* Britannica Romano Imperio adjecta est a Lollio-Urbico, annum circiter 144. (1) Verba etiam Hibernica, quæ Avi mei manu scripta leguntur in Exemplari Stowense Waræi, de Antiq. Hib. Londini 1654, p. 44, recte notant, Ptolemæum scripsisse antequam Hibernia inter *Connum* Centum Præliorum, Regem Hiberniæ, et *Eoganum* Momoniæ Regem, bifariam divisa esset, Annum D. circiter 180.

(1) " Antoninus Pius Britannos per *Lollium-Urbicum* Legatum vicit, alio muro Cespititio, submotis Barbaris, ducto." Capitolin. in Vita Antonini, ad ann. 144. Alium nempe murum ab eo quem Adrianus duxerat anno 117, et alio in loco positum. Adrianus enim suum inter *Tinæ* et *Escæ* ostia posuit. Antoninus inter Æstuaria *Glotæ et Bodotriæ*, eodem angusto spatio quod Agricola prius, non muro, sed *præsidiis firmavit.* Tacitus.

Quæ itaque de Britannia Insula scripsit Ptolemæus, ad annum Christi circiter 150 referenda sunt, quo tempore Hibernia, extra Romani Imperii limites posita, fama tantum, et quasi per nebulam cognita, a Romanis, *medio inter Britanniam et Hispaniam sita*, credebatur. (1)

Quæ autem de Hibernia habet, non a Romanis, sed a vetustioribus Græcis et Phœnicibus hausit, a quibus *Festus Avienus*, Sæculo sequente, se suâ deprompsisse testatur, eodem modo quo quidam *Diogenes*, qui Librum de Thule Insula, paulo post Alexandri tempora scripsit, ea quæ narrat, hausisse se inquit ex *Annalibus Tyriis*, Tyri inventis postquam Urbs ista ab Alexandro Capta fuit, ut in Photii Bibliotheca Codice CLXVI, atque hic idem esse videtur *Diogenes Geographus*, cujus meminit Ptolemæus, l. 1, c. 9, in Bertii editione, p. 11.

Neque prætereundum puto Ptolemæum ipsum expressis verbis *Philæmonem* memorare, qui postquam ad Insulam *Hiberniam* negotiandi causa navigasset, *Marino Tyrio*, celeberrimo Geographo, retulit, longitudinem istius Insulæ ab Ortu Occasum usque, viginti dierum esse, quam narrationem, ut falsam, et veterum narrationibus repugnantem, *Marinus* ipse recte rejiciendam putavit. (2)

Vetustissimis adhæsisse, et præcipue Hipparchum κατα ποδας insecutum fuisse Ptolemæum, scribunt doctissimi viri Stephanus Ward, Præf. ad Astron. et Scaliger, l. 1, Ep. 3. Neque aliter intelligere queo quomodo Civitatum Hiberniæ Latitudines ab Æquatore, et a Meridiano Alexandrino Longitudines, tam accurate potuerit designare, nisi ea quæ narrat ab iis didicisset, qui earum Civitatum distantias a se invicem, et a Meridiano isto statuere, et quodammodo definire potuerunt. Ipsum Ptolemæum de his scribentem audiamus—

---

(1) Vide quæ supra dicta sunt ex Mela, Diodoro, Strabone et Tacito. Beda quidem inquit—Claudium "*Orcadas Insulas, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano adjecisse Imperio,*" l. 1, c. 3. At is, æque ac *Orosius*, hæc ex *Eutropio* Hyperbolice scribente desumpsit, Tacitus enim, Imperante Domitiano, inquit—tum demum Romanam Classem *incognitas ad id tempus Insulas Orcadas invenisse domuisseque*, in Vita Agricolæ, quod et Juvenalis confirmat—

Arma quidem ultra
Litora *Juvernæ* promovimus, et *modo* captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos.

Hæc porro ad annum C. 84, (non 81, ut habet Usserius, Primord. p. 1073) referenda sunt, et Hiberniam minime respiciunt, quæ, ipso Tacito referente, *medio inter Britanniam et Hispaniam*, in Cantabrico Oceano, sita credebatur. Agricola Romam revocato, anno C. 85, Britannia statim *omissa est*, referente eodem Tacito, usque ad expeditionem Hadriani, Anno D. 117, quo Britanniam petens, "*multa correxit*, murumque per 80 *millia passuum primus duxit*, qui barbaros Romanosque divideret." Spartian—Atqui ea distantia spatium indicat inter *Tinam* et *Escam*, ut supra, diversum a spatio inter *Glotam* et *Bodotriam*, quod Antoninus Pius vallavit anno C. 144, quo tempore *Appianus Alexandrinus*, quem post Adriani excessum scripsisse constat, ex l. 1, de Bellis Civilibus, Britanniæ partem *plusquam dimidiam* a Romanis occupatam fuisse declarat.

(2) "Atqui et ipse *Marinus Tyrius*, mercatorum relationibus nequaquam fidem adhibere videtur. Itaque *Philæmonis* sermoni, longitudinem Insulæ Hiberniæ ab ortu occasum usque XX dierum esse tradenti, haudquaquam adstipulatur, dicens hoc eos a *Mercatoribus* percepisse, hos enim ait veritatis indagationem haud curare, intentos Mercimoniis." Ptol. Geogr. l. 2, c. xi, ex versione Bertii, p. 14, ibid.

Τῆς ϡ" ΙΟΥΕΡΝΙΑΣ νήσȣ αἱ ἐπίσημοι πολεις. Ἡ μὲν ομωνυμος τῆ νήσω, πόλις Ιȣερνις, την μεγιςην ἡμεραν εχ"ει ὡρῶν ισημερινω'ν ι η, δε διέςηκεν Α'λεξανδρεί'ας προ`ς δυσμα`ς, ὥραις τρισὶ δε τετα'ρτω. Ἡ ϛ" Ῥαίϐα τ" μεγα'λην ἡμέραν ε"χει ὡρῶν ι η ζ' ι ϐ. και διεςηκεν Α'λεξανδρεί'ας προ`ς δύσεις, ὥραις τρισι δε πέμπτω.

" Prima Europæ Tabula, inquit—Britannicas continet Insulas, cum adjacentibus eis Insulis, " Parallelus vero ejus medius rationem habet ad Meridem, quam xi fere ad xx. Circumscribitur " vero Tabula undique Oceano, ab ortu Germanico, a meridie Britannico, et eo qui appellatur " Virginius, ab occasu Occidentali, ab Septentrionibus vero Hyperboreo, et qui vocatur Deucale- " donius. *Thule* igitur Insula maximam diem habet horarum Æquinoctialium xx, distatque ab " Alexandria, occasum versus, horis Æquinoctialibus duobus, habetque gradus xi—lviii. *Hiber-* " *niæ* vero Insulæ *Civitates insignes—αι επισημοι πολεις*—ejusdem nominis, cujus et Insula, *Civitas* " *Hybernis*, maximam diem habet horarum 18, distatque ab Alexandria, Occasum versus, hor 3, " et $\frac{1}{4}$. *Rhæba* vero maximam diem habet horar $18\frac{1}{2}$, et distat ab Alexandria versus Occasum " horis 3, quinta una."

Hæc ita leguntur in optima Bertii editione, ex Codicibus Palatinis, Gallicis, et Germanicis, p. 223, ubi ad intelligentiam numerorum Græcorum, notandum est, ex eodem, prima classe et tertia, significari solidos gradus, illa quidem longitudinis, hac vero latitudinis, secunda et quarta significari scrupulos, vel segmenta unius Gradus, respondentia partibus Assis. Sic, exempli gratia, in Hiberniæ descriptione—

Αργιτα ποτ. εκϐολαι....ι δ—ζ' .... ξ α—ζ'

Latine interpretatur.

Argitæ fluvii Ostia Longit. gr. 14, cum $\frac{1}{2}$ Latid. gr. 61, cum $\frac{1}{2}$

In secundo igitur et quarto ordine, longe alia est ratio Characterum Græcorum quam in primo et tertio. Hic enim numeri vulgato more capiendi sunt, *α* 1, *β* 2, *γ* 3, *δ* 4, *ε* 5, &c, usque ad *θ* 9, deinde *ι* 10, *κ* 20, *λ* 30, *μ* 40, usque ad *ρ* 100, *σ* 200, et sic deinceps. Illic vero ad designanda graduum segmenta, adhibentur litteræ, quæ significant partes assis, quæ sunt duodecim, quas Græci sic exprimunt.

ι β	—*Uncia*—i. e. pars assis 12ma—Scrupulorum	5
ς	—*Sextans*—pars assis 6ta—Scrupulorum	10
δ	—*quadrans*—pars Assis 4ta—Scrupul.	15
γ	—*triens*—pars Assis 3tia—Scrupul.	20
γ ι β	—*quincunx*—pars Assis 3tia cum uncia—Scrupulor.	25
ζ'	—*Semissis*—pars Assis media—habens Scrupulos	30
ζ' ι β	—*Septunx*—i. e. Semissis cum uncia, habens Scrup.	35
γ ο	—*bes*—i. e. Semissis cum sextante—Scrup.	40
ζ' δ	—*dodrans*—i. e. Semissis cum quadrante—Scrup.	45
ζ' γ	—*dextans*—i. e. Semissis cum triente—Scrup.	50
ζ' γ ι β	—*deunx*—i. e. Sermissis cum triente et Uncia—Scrup.	55
α	—As integrum—vel Scrupuli	60

Græci igitur, Scrupulos, sive minutias graduum, significaturi, partes assis notant, quinariis semper a se invicem distantes, quorum ope loci a Ptolemæo memorati facile inveniuntur. Sic *Argitæ* fluminis Ostia, longit. 14½ lat. 61½ ab Alexandriæ Meridiano posita, prope convenire invenio cum Ostio fluminis *Foyle*, in Ultonia.

Ptolemæi nomina antiqua explicantur.

Albion et *Ierne* nomina sunt Phœnicia, quæ indicant *Alb-In* Orientalem Insulam—*Iar-In* Occidentalem Insulam. Nihil absurdius quam Gibboni interpretatio, quam tamen, in errorem a Macphersono inductus, maxima cum fiducia proponit. (1) Quis enim credere poterit Aristotelis *Iernen*, nihil aliud significare quam viridem Insulam, ex eo quod Vox *Anglica Green*, viridis, similis sit voci *Erin*, quæ neque est Viridis neque Anglica? Vox enim Hibernica quæ viridem colorem exprimit, non est vel *green*, vel *Erin*, sed *glas*, vel *uaithne*, vel *tais*.

Neque videtur Aristoteles primus fuisse, qui nomina usurpavit Albion et *Ierne*. Vetustissimi Scriptores inquiunt Herculem ultra Columnas in Galliam profectum, Gigantes vicisse *Albion* et *Bergion*, inter Celtas, (2) conveniuntque cum Plinio nomina Insularum *Britannicarum* antiquissima esse *Albion* et *Ierne*. (3)

Et quidem omnes Insulæ nostri maris vocabantur antiquitus uno nomine *Breta-In*, Metallorum Insulæ, duæ autem grandiores *Alba-In* et *Iar-In*, i. e. Orientalis Insula et Occidentalis.—*Ilibbin-or* Phœnice significat Albescere lucem matutinam, unde, sermone vernaculo, *Albain* vocant lucem matutinam, inquit Bochartus, p. 655, ex Nehem. c. 8, v. 3.—Hinc *Iberi* a *situ* in extremo mari dicti, inquit idem Bochartus, quia Syris *Ebrin* vel *Ibrin* fines sonant, ut in Psalterio Syro, Ps. 2, 8, et 22, 28, et 59, 14, ib. p. 693.

In lingua Hibernica *Iar* triplicem sensum habet, nempe *Occidens*, *ultimus*, et *retro*, retro quia orantes, faciem ad orientem Solem, Occidentem a parte posteriori habebant. Voces itaque *Iar-In* et *Eir-In*, Hibernice ad literam, Insulam denotant Occidentalem et Ultimam. *Iar-Mumhan* est Occidentalis Momonia, *Iar-Connacht* Occidentalis Connacia, *Iarthar-Eirionn* Occidentalis pars Hiberniæ.—Eadem præterea est interpretatio *Albaniæ* et *Iberiæ* Asiaticæ. *Albania* enim *Asiatica*, nunc Georgiæ pars *Orientalis*, inter *Iberiam* et mare Caspium sita est, et *Iberia* nunc pars Georgiæ *Occidentalis*, inter Albaniam et Colchidem sita, Gentis Iberorum clarissimum Solum est.—" Albania, inquit Cluverius, Geogr. Lond. 4to. 1711, p. 348, terminatur ab *Occasu* Iberia, ab *Ortu* Albania."

Iberos veteres in Hispaniam pervenisse, scribit Varro apud Plin. l. 3, c. 3. Consentiunt Diod.

---

(1) "The Picts were styled *Cruitneach* by the carnivorous Highlanders, in contempt or envy of them as *Wheat-eaters*.—Ireland, from its luxuriant vegetation, obtained the epithet of *Green*, and has preserved, with a slight alteration, the name *Erin*.—Albion owes its name to the white cliffs of Dover." Decl. and Fall, Lond. 4to, 1781, vol. 2, p. 527. Ignoravit Vir doctus Vocem Hibernicam *Cruth* colorem significare, et *Cruitneach* Coloratam Gentem, Latinis *Picti*. Vide O'Briani Vocab. Hib. voce Cruth, et Llhwyd Archæol. Tit. 1, p. 23, Col. 3.

(2) Herodot. (3) Vide supra, p. xxxvii. (4) Vide infra, voce *Britanniæ*.

l. 5, c. 215 ad 219, Appianus in Ibericis, p. 226, et Richardus, ex vetere Geographo Romano, inquit." *Iberos* in Hibernia sedes occupasse, veteres fidem faciunt." De situ Brit. c. 3. Veteres itaque Historici cum nostra Vocum interpretatione conveniunt, et Bocharti interpretatio vocis *Hiberniæ*, haud multum a nostra dissentit, l. 1, c. 39, Geogr. Sacr. " Nomen, inquit, Phœnicium *Ibernae* ultima habitatio, quia ultra Hiberniam versus occasum, veteres nihil noverant præter vastum mare." p. 726, confer p. 693.

Ausona fl. alias Ausoba convenit cum Galviæ flumine, cujus meminerunt Annales Roscommanenses ad ann. 1177, et 1190, apud Waræum De Hib. Antiq. Lond 1654, p. 45.

Auteri, quos in Connacia Australi ponit Ptolemæus, videntur esse *Autrigones*, Cantabriæ populi apud Melam. (1)

Boreum Promontorium, juxta Waræum *Tellinghead*, in Comitatu Dungallense. At Waræi Charta Ptolemaica non convenit cum genuina apud Bertium. Waræus enim *Venicinios et Robogdios* ponit inter Promontoria *Boreum* et *Venicinium* in agro Dungallense, ad *Occidentem* fluminis *Viduæ*, cum Ptolemæus Robogdios ponat inter fluminis istius ripam *Orientalem* et Promontorium Robogdium, quod extremum est totius Hiberniæ ad Septentrionem. Erravit itaque Waræus. Erravit etiam Ptolemæus, quod enim ei Boreum est Promontorium, non est revera Boreum, sed Cape *Telling*, haud longe a *Killybegs*.

Brigantes—Hibernice *Sliocht Breoghan*, habitabant regiones Orientales, quæ nunc Catherlaghensis, Midensis, et Waterford us appellantur, et ab iisdem pars Midiæ usque hodie in Annalibus Hibernicis, et in vetustissimis de S. Patricio scriptis, appellatur *Magh Breg*, Campus Brigantum.

Brigas, *Brigus* flumen, Hibernice flumen *Berbha*, Anglice *Barrow*. Coemanus in Carmine " *Canam bunadhus na n Gaodhil*." Cano originem Gadeliorum—ait Breoganum filium Brathi, linea recta a *Fenio-viro-Sapiente* genitum, (2) Brigantiam in Hispania condidisse, atque Posteros ejus inde in Hiberniam navigasse, ducibus *Hebero* et *Heremone*. Eadem habent Sæculo sequente Giraldus Topogr. Dist. 3, c. 7, et Sæculo ix Nennius. Portus Hispanicus hodie *Corunna*, olim *Flavia Brigantum*, non distat recto Cursu ab Hibernia, spirante Austro, plusquam duarum dierum et noctium itinere. Atqui de eo Portu Æthicus ait—" Secundus angulus intendit, ubi *Brigantia* Civitas sita est Galliciæ, et altissimum Pharum, et inter pauca memorandi Operis, ad *speculam Britanniæ*." (3) Orosius etiam Pharum illud memorat *ab Hercule conditum*, (4) et Diodorus inquit " Herculem (i. e. Tyrium) antequam Alpes transiret, Iberiam, et quæcumque sunt ad occasum Solis subegisse," l. 4. Extat et *Portus*, et *Promontorium Herculis* in Cornubia. Ptol.

---

(1) " Cantabrorum aliquot populi amnesque sunt, sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant. Per eosdem et Salenos, Saunium, per *Autrigones*, et Origenomescos, *Nanasa* descendit." Mela, l. 3, c. 1. Ptolemæus quoque inter *Autrigones* et *Origuviolcam* oppidum in Cantabria, flumen *Nesuam* delabi ait. *Autrigonas* et Plinius memorat, l. 3, " *Autrigonum novem civitates*."

(2) Confer Breogani Genealogiam Annal. IV Mag. p. 16, 17.

(3) Æthicus apud Casaubon. in Straboneri, Amstelod. 1707, t. 1, p. 206, not. 9. " Ab hoc Pharo nomen Portus Hispanici *Faro*." Cluver Geogr. Lond. 1711, p. 59.

(4) Orosius adv. Gent. l. 1, c. 17, alias l. 1, 2, p. 26.

Jam vero Codex Hibernicus Stowensis *Leabhar Gabhaltas*, Pharum istud *Tor-Breogan* Turrim Breogani appellat, itemque Eochodius Sæculo ix, in Carmine Hibernico " *Toisigh na Loing sin tar leir*," et *Brigantia* Hibernica, hodie Waterford, sita erat e regione Brigantiæ Ibericæ, et non modo flumen Brigas, hodie the Barrow, verum etiam Baronia de *Bargie* in Hibernia Australi, Brigantum vestigia conservare videtur.

Keatingus, ex Psalterio Cormaci Casselensis Sæculi ix, refert Pharum istud a Breogano filio Brathi conditum, qui inde Hiberniam, mediante quadam Specula, primus exploravit, et deinde Brigantes, qui in Annalibus nostris *Sliocht Breogan*, i. e. Stirps Breogani dicuntur, in Hiberniam, ducibus *Hebero* et *Heremone*, Coloniam duxisse, quarta ætate mundi. Hujus *Speculæ* originem indicat his verbis Strabo.—" Hisce in locis Oraculum Menesthei est, et Capionis Turris Saxo imposita, quod mari cingitur, *Opus mirabile*, Phari instar, quibus *infractos radios visus*, veluti in fistulas quasdam, diffundi, et *majorem vera quantitatem* fingere, quemadmodum cum Solem, Lunamve, orientem aut occidentem, per aridam tenuemque nubem intuemur, rubere putamus." (1)

Hæc loca Strabonis et Melæ, nemo quod sciam hactenus explicavit. Camdenus quid sibi velint se nescire ingenue fatetur. Certe Artes plurimæ veterum periere, neque licet ex nostra deperditarum ignorantia, earum existentiam aut præstantiam denegare. Antiquitus e Continente in Britanniam quatuor erant trajectus, testante Strabone iv, 199, quorum duo, e *Ligeri* nempe et e *Garumna*, longiores erant quam e Brigantia Hiberniam.

Britanniæ i. e. *Breat-tann*, Metallorum regiones. Quatuor Magistri ad ann. Mundi 3656, de *Tigernmasio* Rege Hiberniæ inquiunt " *As lais do cumdaighedh Cuirn 7 Breat-Nasa.* Per eum fabricata sunt Cornua et Metalli ornamenta"—Omnium Insularum nostri Maris nomen genericum fuisse *Britanniæ*, testatur Mela. " In Celticis aliquot sunt Insulæ, quas, quia plumbo abundant, uno omnes nomine Cassiteridas appellant," l. 3, c. 6, et Plinius, supra p. xxxvii.—Hinc itaque nomen *Britanniæ*, quod e lingua Celtica verterunt Græci in *Cassiteridas*.

Bubinda flumen, Hibernice *Boinn*, a Nechamo dicitur Boand. Adamnanus de hoc flumine inquit " flumen quod Scotice *Boend* vocatur." Vita Columbæ, l. 2, c. 8.

Cauci. Hos in Hispania non invenio, sed inter Amesiæ Albisque Ostia, utramque incolentes ripam Visurgis, (the Weser) *Bremam* usque opidum, deinde usque *Mindam*, qua Chattis jungebantur, qui apud Tacitum *Fosi*, reliquis auctoribus *Saxones* sunt.—Horum tota fuit Holsatia, inquit Cluverius, ad Cimbricam usque Peninsulam. Postea omnem oram maritimam occuparunt ab *Albi* ad *Rheni* ostia, unde cum *Anglis* in Britanniam abierunt.—De Caucis Tacitus scribit—" *immensum terrarum spatium non tantum tenent, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri.*"—Divisi fuere, Plinio et

(1) Strabo ed. Casaubon, l. 3, t. 1, p. 206. Menesthei Portum memorat ibidem, uti et Ptolemæus. Menestheus autem is Atheniensium Dux fuit belli Trojani tempore, de quo legimus in Græcorum Commentariis, Athenas ex Ilio reversum, inde a Thesidis pulsum, in Hispaniam venisse." Casaub. ib.

Ptolemæo testibus, in *Majores* et *Minores*. Ad Occidentem terminus eorum fuit oceani pars, a septentrione terminabantur flumine *Albi*, ad Meridiem a Frisiis inceperunt, et desierunt in Cattis.

Concani, alias Gangani, in Annalibus nostris Siol *Gain* agus *Gangain*, evidenter a *Concanis* Hispanicis, ut notat Camdenus. In Gallæcia antiqua siti, prope Promontorium Celticum, quod et *Scythicum* dictum, in Hibernia totam regionem ad Occidentem Senani fluminis occupabant, *Luceni* vero, et *Velabori* i.e. Illiberi, ad orientem.—*Iberni*, quorum præcipua Civitas *Ivernis*, vel *Hibernis*, ad Ierni fluminis ripam, incolebant Desmoniam Australem.---Veliberis *Lucenos* vicinos facit Orosius, et hi fuere Lucensii Gallæciæ, memorati ab eodem. Vide *Gangani*.

Darnii—Hibernice *Clanna-Dairinne*, hodiernam *London-Derry* icolebant, ubi nominis reliquiæ supersunt in oppido præcipuo *Derry*, quod Hibernice *Daire* appellatur, in Annalibus Hibernicis, et in Adamnano *Daire-Calgaich*. IV Mag. ann. 535, Adamnan, l. 3, c. 20.

Daurona flumen, hodie *Aven-more*, i.e. fluvius Magnus, Oceanum ingrediens prope Yoghallam, Brigantes disterminabat ad Occidentem, ab *Illiberis*, *Uberniis*, et *Coriondibus*, sicut *Birgus* eos dividebat ad orientem a *Menapiis*. Nomen petiisse videtur a *Durio* Cantabrico, quod Isidorus ait nomen suum petiisse a Doriensibus qui ea litora coluere.

Et quidem Timagenes Syrus apud Ammianum inquit "*Dorienses, antiquum secutos Herculem, Oceani locos habitasse confines.*" (1) Dorienses, non Græci, sed ex urbe maritima *Dora* intelligendi sunt, quæ Phœnicia fuit, inter Ptolemaidam et Cæsaream sita. "Δωϱος πολις φοινικης, ως και Ιωσηπος και αλλοι. Παυσανιας δε Δοϱιδες αυτȣς φησιν. Dorus Urbs Phœnices, ut Josephus et alii. Pausanias autem Dorienses eos appellat." Stephanus de Urbibus.

Ex libris Joshuæ et Judicum constat Doram vel Dorum Regiam fuisse Urbem, unam e Phœniciæ vetustissimis, munitissimam etiam, ut quam Israelitæ non potuerint occupare, cum in sortem Manassis cecidisset; eandem frustra obsedit Antiochus Sidetes, exercitu peditum cxx M. equitum xiii M. Amplam itaque Civitatem Doram fuisse necesse est, quæ civium examen, Duce Hercule, ad Oceani litora Occidentalia facile emittere poterat, ad metalla effodienda, qui postea numero multiplicati, in Siculo bello, in primo et 2do Punico, sub Pænis stipendia meruere, et auxiliarii Galli appellabantur, uti scribunt Polybius, Livius, et Ammianus. De Phœniciorum Urbibus Moyses inquit " Maxima multitudo est, et nobis statura procerior, *Urbes Magnæ*, et ad Cœlum usque munitæ." Deuteron. I. 28.---Tyri ambitus, juxta Strabonem, l. 16, et Plinium, l. 5, c. 19, erat " xix M. passuum, Murus altus pedum cl, e Saxis ingentibus inter se gypso commissis."---Carthaginis ambitus idem fuit qui Babylonis. Murorum altitudinem xl cubitis, latitudinem xxii definit Diodorus, l. 32, nec multo aliter Eutropius, l. 4. Suidas ait—" *maximam* fuisse *totius orbis terrarum*, et potentissimam urbem." Initio belli Punici civium habuit 700 millia, et in Africa 300 urbes sub sua ditione, ut in Strabone et Appiano. Arcis Byrsæ

(1) Apud Ammianum, l. 15, c. 9. in Valesii ed. Paris 1681. pag. 96.

Timagenem Syrum appellat etiam Plutarchus, et de rebus Gallicis post Callisthenem scripsisse testatur—" ut refert Callisthenes Sybarites, Gallicarum rerum libro 13, ex quo argumentum sumpsit Timagenes Syrus." Plut. de fluminibus in Arari.

in medio urbis ambitus fuit, juxta Servium, Stadiorum xxii, vel juxta Eutropium, *paulo amplius quam duo millia passuum.* Eam cingebat murus triplex, altus xxx cubitos, multis turribus intersintctus, quatuor contignationum, in quarum infima Elephanti 300, in 2da quatuor equorum millia stabulabantur, in supremis militum Præsidiariorum xxv millia habitabant. In Arcis vertice Templum Æsculapii, tantæ fuit capacitatis, ut capta Byrsa a Scipione, in eo delituerint per septem dies, hominum 50,000. Ita Appianus in Libycis, et Strabo, l. 17, p. 832.

Plinius Civitates in Bœtica numerat 175, vel conditas vel habitatas a Pœnis, et "oram eam universam, inquit, originis Pœnorum existimavit M. Agrippa." Antiquissimus etiam Scylax inquit—"ultra Herculis Columnas, quæ sunt in Europa, *multa sunt* Carthaginiensium Emporia." Strabo urbes 200 in Bœtica memorat, et "Turditanos inquit Phœnicibus ita subjectos fuisse, ut pleræque Turditaniæ et vicinorum locorum urbes ab iis nunc habitentur."

Dunum. Waræus putat, ex situ a Ptolemæo indicato, convenire cum hodierno *Dunamase* in Comitatu Reginæ. Camdenus Dunum in Ultonia esse ait. Ego potius cum Waræo consentio, quia inter *urbes mediterraneas* memoratur a Ptolemæo. Marchiæ Comites ibi, ante aliquot Sæcula, Castrum habuere firmissimum, cujus rudera adhuc extant.

Dur fl. hodie *Dingliæ* sinus, seu *Mangi* fluminis ostium, in agro Kerriensi, uti notat Waræus, non vero fluviolus qui Traleiam præterfluit, ut male sentit Camdenus. Vox *Dur* Britannice et Hibernice aquam denotat. At nullius fluminis nomen proprium dici potest *Aqua.* Senanus fluvius Hibernice *Sen-amhin,* non amnis tantum, sed *vetus amnis.* Itaque flumen *Dur,* uti et *Dabhrona,* in Australi Hibernia, ab *Iberis* et *Illiberis* nomina imposita censenda sunt, sicut *Durus* fluvius in Hispania, uti supra, a *Doriensibus.*

Eblana. Hodie *Dublinium,* Hibernice *Dubh-lin* Niger amnis. Jocellinus de Dublinio inquit—"Patricius cum devenisset trans flumen, *Finglas* nomine, ad quendam collem, qui a pago *Athcliath,* qui *modo dicitur Dublinia,* uno ferme milliari distat, (i. e. *Caisioll Cnuic,* hodie *Castlenock*) fertur prophetando dixisse—Pagus iste *nunc exiguus* eximius erit, nec crescere cessabit, donec in regni solium sublimetur......Ibi fontem produxit, qui usque in præsens *S. Patricii Fons* recte vocatur." c. 69, 70.---Prophetia autem hæc, nullibi ab aliis antiquioribus memorata, ab ipso Jocelino ficta videtur, qui quamvis Dublinium ibi *exiguum* pagum S. Patricii ævo appellat, in Capite tamen sequente 71, ait eo ipso tempore "Urbem fuisse *nobilem,* cujus *Regem* Alphinium, filium Eochoidh, et Cives, Patricius ad fidem Christi convertit, quo tempore ingens in ea *urbe* tumultus; et statuerunt redditum S. Patricio suo Patrono, videlicet de singulis navibus Mercimonialibus *Cappam,* competentem Ardmachano Primati, aut *Cadum mellis,* seu *vini,* aut *ferri falcem,* seu mensuram *salis,* de singulis vero tabernis, *Medonis,* seu *Cervisiæ,* metretas singulas, de omnibus etiam officinis et Virgultis excenia, donumque conveniens in *Sotularibus, Chorothecis, cutellis, pectinibus,* et aliis hujusmodi rebus. Et illa quidem die Rex, et alii Proceres singula talenta *obrisi auri* singuli obtulerunt."

Itaque non Pagus exiguus eo tempore fuit, sed a Ptolemæi ævo, et longe antea, πολις·επισημος. Usserius Jocelini textum vitiatum esse inquit, in editionibus impressis, quod ex Codice suo MS. sic restituit "Adveniens Patricius in Urbem nobilem populo, situ amænissimam, concurrentibus mari et flumine piscibus opulentam, Commerciis famosam, &c. quæ postea dicta fuit Dublinia."

Et certe non a Danis ædificatam Sæculo nono, ut nonnulli somniarunt, sed longe antea conditam indicant Annales nostri, qui *S. Sedulium Abbatem Dubliniensem* memorant ad annum 785. Auctor Vitæ *S. Coemgini*, qui ante annos mille floruit—" Civitas, inquit, *Ath-cliath* est in " Aquilonali Lageniensium plaga, super fretum maris posita, et Scotice dicitur *Dubhlina*, quod " sonat Latine *Nigra-therma*, (potius niger alveus) et ipsa Civitas potens et belligera est, in qua " semper habitant viri asperrimi in prœliis, et peritissimi in classibus." Referunt præterea Annales nostri Dublinium commerciis floruisse tempore *Conni Centum prœliorum*, Regis Hiberniæ, qui regnare cœpit anno Christi 123. Præcipua enim causa belli inter eum et Regem Momoniæ *Eoganum* fuit, quod pars Aquilonaris sinus Dubliniensis, ad *Connum* spectans, navibus et commerciis magis florere videbatur quam Australis, quæ ad *Eoganium* spectabat. Extat etiam in Codice MS. qui Liber *Ballimotensis* dicitur, Carmen vetus Hibernicum, quod *S. Benigno* tribuitur, S. Patricii Discipulo, quod a Joccelino etiam citatum notat Usserius, Primord. p. 862, ubi hæc verba de Dubliniensium conversione leguntur—" Athcliathæ Rex Alpinus, filius Eoli, " de stirpe *Donaldi Dubh-dainaigh*, et Dublinienses cum Rege suo, Christi fidem suscepere, et " præter præsens oblatum munus, tres auri Uncias Patricio, et illius in sede Ardmachana " successoribus, singulis annis persolvendas, se et posteros obligavere." Vereor autem ne hæc supposititia sint, et post Danorum adventum conficta, quo tempore controversia de Metropolitano, inter Danos Dublinii, et *Gildam* atque *Celsum* Ardmachanos Primates exorta est, Sæculo xi.

Ebudas duas Exemplaria Ptolemæi ponunt in Latitudine 62. Bertius et Mercator existimant in 63 aut 62½ reponendas esse, sunt enim *Uist* et *Lewis*, quæ *Malco* sunt septentrionaliores.

Edri, Insula deserta in mare prope Dublinium. Promontorium Dubliniense quod Anglice *Hoath* dicitur, Hibernice appellatur *Ben-Edar*, i. e. Promontorium volucrum. Camdenus Insulam istam existimat esse eam quam hodie *Berd-sey*, vel *Enhly* appellamus, in ora maritima Comitatus Caernarvon, et *Ader* ait Britannice denotare volucrem, unde eodem sensu dicitur Anglice Berd-sey, i. e. Volucrum Insula. At hæc conveniunt melius cum Promontorio *Hoath*, et cum situ indicato a Ptolemæo, et cum nomine Hibernico *Ben-Edar*.

Erdini, Hibernice *Ernaigh*, habitabant regiones prope lacum et flumen, quod usque hodie ab ipsis dicitur *Erne*, nusquam memorantur in Britannia.

Gangani—fuere veteris Iberiæ *Concani*, Hibernice *Siol-Gangain*, quorum meminit in Cantabria Orosius, uti notat Camdenus, qui eos Scythas, sive Scotos fuisse declarat. Promontorium Cancanorum in Britannia Occidentali, haud longe ab Hibernia, in hodierno *Caernarvonshire*, ponit Ptolemæus, at nullibi Cancanos, vel *Concanos, vel Ganganos*, in Britannia. In Hispania extitisse negant Pinkertonus, Enquiry into the Hist. of Scotl. v. 2, p. 53, et 242, itemque *Whitaker*, Hist. of the Britons, Dubl. 1773, p. 142. Eos autem in Hispania memorat *Mela*, et ipse Hispanus, De situ Orbis, l. 2, c. 6, et *Mariana* pariter Hispanus, l. 1. c. 15.* Silius itidem Hispanus, etsi Italicus dictus, ait Concanos Contabriæ fuisse Massagetas, i. e. *Scythas*, a quibus Promontorium *Scythicum* nomen habuisse censendum est. l. 3.—

Hieron. i. e. Sacrum Promontorium---juxta Waræum, *Grenore* point, non longe a portu Wexfordiense, juxta Harrisium, *Carnesore* point, ubi Altare Druidicum, et locus sive Agger

Sacer, quod et vox ipsa *Carne* satis clare indicat, nam *Carne-Soir* Hibernice nihil aliud denotat quam Agger Sacer Orientale.

Quod si cum Waræo supponamus, Sacrum Promontorium fuisse illud quod nunc *Gren-ore* dicitur, haud longe ab illo dicto *Carne-Soir*, ad alterum nempe cornu Sinus Wexfordiensis, etiam nomen *Gren-ore* Sacrum esse, omnes qui Hibernicam linguam intelligunt, fateantur necesse est. *Gren-or* Solis ignem exprimit, a *Grian* Sol, in genitivo *Grein*, et *or* vel *ur* ignis.---

Verba expendamus—*Grian* Sol, *Grian-cloch* horologium Solare.---Hinc Inscriptio Apollini *Granno* sive *Grinæo*, quæ inventa est in agro Lothiano. (1) Apollinem *Grynæum* memorat Virgilius Æneid iv. 245, Eclog. vi. 73.---Apud *Grynæum*, quidem, Micenorum opidum, Templum erat Apollinis Grynæi, et locus vaticinandi *pervetustus*, ut in Cluverii Geographia, Lond. 1711, p. 272, et Strabo ait Oraculum Apollinis apud Grynæum in Æolia *vetustissimum*. (2) At nomen Celticum *Grian* Sol, totius Europæ vetustissimum, non ab opido *Grynæo*, sed opidi nomen a Solis appellatione *Grian* desumptum, res ipsa satis ex sese demonstrat. Apollo dicebatur *Karneios* a Doriensibus, *Grynæus* a Phrygiis. Facciolatus recte notat, voce *Carne*, Deam *Carneam* antiquissime appellatam *Grane*---" *Granen* dixere priores," inquiunt Ovidius, et Macrobius. (3) Ejusdem itaque Originis Celticæ sunt *Grian* et *Carne*.

Mons qui Romano more *Grampius* est Tacito, Hibernice est *Grian-ben* Solis Mons, ubi extant vestigia Altaris Druidici, et locus ab incolis Anglice dictus *Garnie-hill*, (4) unde Cluverius inquit " Grampius mons in Scotia, Scotorum lingua *Grans-bain*." (5) Hinc nomina Hibernica, *Gran-ard* Solis Collis, ubi S. Patricius, Altari Druidico subverso, Ecclesiam condidit, *Grian-Ara* in Momonia ubi aliam similiter erexit, (6) *Grange* Agger Sacer prope Pontanam, arte factus ad Coni formam, altitudinis pedum 70, latitudinis 320, circumferentiæ ad apicem pedum 300. Totam aream ad imum circumstabant Columnæ ingentes, et una ad Apicem cæteris excelsior eminebat, quarum aliquæ integræ erant anno 1699, et decem extabant anno 1770. (7)

Vocem *ur* quod attinet, eam Lector deligens inveniet in Vocabulariis Hibernicis.—Hinc πυρ ignis Græce, *uro* Latine. Seldenus ait " quod Solem vertimus, id in Hebræo est *ur*," et ignem etiam et Solem denotat" (8) Hinc Templum Deo *Urios* dicatum apud Promontorium *Japigium*. Ab ignis cultu, inquit Vossius, credibile est *ur* Chaldæorum vocatam, sane et regio tota ab eadem causa Ορχον dicta Ptolemæo, et puto etiam inde *ur* nomen Castello esse Persico, nam Persis maxima in veneratione ignis fuit, ut mox ostendam. (9) Uti *or* lux, lumne, Sol,

(1) Horsley Britan. Rom. Lond. 1732, p. 206. Gough's Camden, vol. 3. p. 304, et 310.
(2) Edit. Casaubon Amstelod. 1707, t. 2, l. 13. c. 618, et iterum 622, pag. 923.
(3) Ovid Fasti, l. 6, Macrob. c. 12.
(4) Gough Camden, vol. 3, p. 409.
(5) Cluver Introd. ad Geog. Lond. 1704, p. 109.
(6) Jorclinus e vetustioribus Evino, Probo, et aliis in Triadc.
(7) Lhwyd's Letter, Philos. Trans. for 1712, vol. 27, p. 503.
(8) De Diis Syriis Prolegom. c. 3.
(9) Vossius de Idol. t. 2. p. 649.

unde Ægyptiorum *Oros*, et *aurion* cras, nempe ubi Sol iterum illuxerit, sic et *aurora*, item *ur* flamma, ignis, focus.—Hinc S. Hieronymus in quæstionibus in Genesim inquit---" Pro eo quod legimus in *regione* Chaldæorum εν τη χωρα των Χαλδαιων, in Hebræo habetur *ur Chasdim*, id est in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi hanc fabulam, quod Abraham in ignem missus sit quia ignem adorare noluit."—Habemus fabulam hanc in Medras Haggada, Salomone Jarchi, et in Mose Gerundense.

Jernus flumen, hodie Kenmare River in agro Kerriensi, ubi Portus est nobilis. Alii Codices habent *Ibernus*, quæ vera lectio esse videtur, in ea enim Regione *Iberi* et *Illiberi* siti erant, quorum flumen *Ebro* in Hispania huic flumini nomen suum communicasse videtur. Ierni nusquam inveniuntur vel in Gallia, vel in Britannia, vel alibi quam in Hispania et Hibernia. Idem dicendum de *Illiberis*, *Autrigonis*, *Gallæciis*, *Lucensibus*, *Vasconibus*, et *Concanis*. " *Iberi* et *Celtiberi* inquit Cellarius, nobilissimus populus Hispaniæ." Not. Orb. Antiq. l. 2. c. 1.

Prima nempe terrarum erat Hispania. Martiarum semper Gentium Regio altrix, omni materia affluens, quæcumque aut pretio ambitiosa est, aut usu necessaria. Olim metallis adeo dives, ut Phœnices ex argento quod, navibus onustis, supererat, anchoras conflarent, referentibus Aristotele et Diodoro.---Quid proprie sit Origo *Hispanorum primogenitorum*, docet *Ludovicus Molina*, libro singulari, Lugduni 1634.---Hinc porro origo *Iberorum* Hiberniæ, qui antiquissimum Scytharum sive *Scotorum* nomen retinuerunt, a quibus Promontorium Hispanicum, quod hodie *Finisterræ* dicitur, olim *Scythicum* et *Celticum* appellabatur. Hos populos in Hiberniam ex Hispania migrasse scribit Orosius, editus ab Havercamp, l. i. c. 2. Confer Gough's Camden, vol. 1, p. xciv---v, Dionem ubi de *Herminis* a Cæsare ex Lusitania expulsis, l. 37. p. 5, ed. Stephan. et Tigernachum qui *Finnum*, vulgo *Fingal-dictum*, *Corco-Vasconium*, fuisse declarat.

Isamnium Promontorium, hodie S. John's Foreland, in agro Dunensi. Mercator rationem reddens delineationum suarum, quas ad Ptolemæi mentem perfecit, " Isamnium, ait, in longitudine $15\frac{1}{6}$ posui, etsi Romanum exemplar in 16, reliqui in 15 constituant. Sic enim melius Promontorii speciem exhibet, et magis, sine deformatione hodiernæ littorum figuræ, respondet, et fieri potest ut Romanum exemplar ex $15\frac{1}{6}$ confecerit 16, fractionem cum integro numero contrahendo, qualem errorem tum in hoc loco, tum in aliis, non raro est deprehendere."--- Eadem notat Bertius in Præfatione, quæ Mercator in Annotationibus. (1)

Juernis, hodie *Dun-keran* ad flumen *Jernum* juxta Camdenum. Hæc loca et nomina Hispanicum originem tam plane produnt, ut non nisi libentem effugere possint.

Laberus, civitas mediterranea Ptolemæo---Camdeno & aliis est *Kil-lair* in Media occidentali. Nec nego nec assero, vix enim licet conjecturas cum Historicis miscere.

---

(1) Ex Græcorum Codicum inter se et Latinorum cum Græcis collatione, deprehendi Exemplaria Ptolemaica admodum inter se dissentire, tantumque sibi vel Scribarum licentiam, vel aliorum audaciam sumpsisse, ut et loca et numeros et orationem immutarint. Est ubi Latinus Codex plura habet quam Græcus. Est ubi Græcus plura quam Latinus. Est ubi inter se ita dissident, at quid sequaris vix scias. Nos lacunas Græci Codicis non uno loco, ope Palatinorum supplevimus." Bert. Præf.

Libinus, alias Livoeus, hodie Hibernice *Sligech*, Anglice Sligo. Camdenus male eundem vult eum Liffeo amne Dubliniense, quod Ptolemæi textui plane repugnat.

Limni Insula, hodie *Lambay* prope Dublinium.

Logia flumen, hodie *Bannus*, ex Lacu *Neagh* in Oceanum Boreale se effundit. Camdeno perperam Logh Foyle.

Macolicum—Mercator et Camdenus locum hunc *Malc* appellant. Wareus *Mellick* in agro Galviense. At Ptolemæus urbem hanc maritimam declarat, quod utrique conjecturæ repugnat.

Menapia hodie Anglice Wexford, Civitas præcipua Menapiorum, et, juxta quosdam, Patria Carausii, quem *Menapiæ Civem* appellat Sextus Aurelius Victor. Menapiam Civitatem nullibi prætërquam in Hibernia extare declarat Camdenus, unde Carausium Hibernensem fuisse argumentatur, uti et Usserius, Primordia, p. 585. Brabantiam veterem incolebant Menapii, unde in Britanniam et in Hiberniam Orientalem migrarunt.

Modonus flum. nunc *Slanus* in agro Wexfordense, ut Situs a Ptolemæo adscriptus innuit.

Mona Insula, juxta Bertium, in omnibus exemplaribus Ptolemæi est in 15—57⅔ quum ordo Insularum et verus ejus situs postulent 17—59⅔.---Post hanc enim *Edri* et *Limni* Insulæ designantur,—hodie *Mann*. Eam Hiberniæ adscribunt Æthicus. Orosius, et lingua ipsa Mannensis, quæ Hibernica est, æque ac Ptolemæus.

Nagnata al. Magnata—Situs a Ptolemæo adscriptus haud longe a Sligoa. Hibernice *Magio*, vel *Magh n Ai* dicitur. hodie Maio.

Notium—Sive Australe Promontorium, hodie *Missen-head* in agro Corcagiense.

Ovoca vel *Oboca*, Hibernice Aven-more et *Owen-more*, i. e. fluvius magnus qui Arkloam præterfluit.

Ravius fl. hodie *Ernus*, ex Erno lacu emissus in agro Dun-gallense, a Camdeno, Spencero, et Mercatore, male dictus *Drowis*.

Rheba ad Baroum fl. in agro sita videtur Kildarense.

Ricina Insula, Hibernice *Recran*, vulgo *Rachlin*, Plinio *Ricnea*.

Rigia—alias Regia—Mercatori *Limericum*, Camdeno locus non procul a lacu *Righ*, in quem Senanus se refundit. Hinc certe nomen Lacus *Righ*.

Rigia altera, Camdeno *Reglis* in Insula lacus Derg, ubi S. Patricii Purgatorium. At situs a Ptolemæo notatus, et Insulæ istius exiguitas, refragantur. Waræus *Athen-riam* putat in agro Galviensi. Ego nihil definiendum puto. In exemplaribus omnibus habet latitudinem 59½, sed quia post *Rhebam*, *Laberum*, et *Macolicum* recensetur, ordinis ratione latitudinem minorem requirere videtur. Constituit eam proinde Mercator in 58½—" cui et Situs veritas respondit, " *Macolicum* enim, haud dubie est, quod *Malck* in neotericis scribitur tabulis, ad quod " Limerick urbs, quæ Regia altera omnino esse videtur, hunc situm et distantiam retinet."

In his tamen nihil certi invenio. Ipsa civitatum rudera periere, ita ut de iis dicenda sint, quæ de Veientibus Lucanus.—Gentes Mars iste futuras obruet et *Fabula nomen erit*.

Rhobogdium Prom. Ita extremum totius Hiberniæ, quod Oceano Deucalledonio incumbit,

in Peninsula de *Inis-owen*, appellat Ptolemæus, Camdenus putat esse Fair Foreland, quod Situi a Ptolemæo adscripto non convenit. Septentrionalem enim Hiberniæ laterem describens Ptolemæus, incipit a Boreo Promontorio, deinde pergit ad Venicinium, deinde ad Viduæ fluminis ostia, postea ad *Argitæ* ostia, et inde ad *Robogdium*. His positis sequitur Occidentale latus a Boreo Promontorio ad Notium. Hæc satis indicant Boreum Ptolemæi esse *Tellinghead.*

Senus fl.—Orosio *Scena,* Hibernice *Shionainn,* alias *Sean Amhuin,* i.e. vetus amnis, fluvius totius Hiberniæ maximus, e radicibus Montis *Sliabh-n-Iran,* ita dicti a ferri venis quibus abundat, profluens usque ad Mare Australe. Interiora itaque Hiberniæ haud ignota fuere Ptolemæo.

Udiæ, vel *Vodii*: Hos nullibi invenio præterquam in Ptolemæi Hibernia Australi, ubi nomina vetera nonnunquam corrupta et immutata leguntur. Unde *Vodii* ignoro—Conjecturis indulgere non vacat.

Velabri, in aliis Codicibus *Velibori*—Hibernice *Siol-Ebir*, manifeste *Illiberi* Iberiæ, Comitatum Kerriæ habitabant. His vicinos *Lucenos* facit Orosius—" *ad Scenæ fluminis ostium.*"

Vennicinii non alibi apparent quam in Ptolemæi Hibernia Septentrionali, prope Promontorium *Vennicinium*, hodie *Rams-head*, in agro Dun-gallensi. Unde originem habuerint, aliorum esto, neque enim in Baxteri Etymologicis immorandum est.

Viduæ fl. ostia—Hodie Lacus *Swilly*, ut in Waræo ibidem.

Vinderii fl. ostia, hodie *Lagan* fl. prope Rupem Fergusii.

Voluntii alias *Uluntii*, Hibernice *Ullaigh*, habitabant regionem Ullagh, sive Ulidiam.

Uterni, in aliis Codicibus *Iberni*, *Iberi*, et *Juerni*, Desmoniam Australem incolebant. Hi originem suam vel ipso nomine demonstrant. Et quidem si singula nomina Hibernica a Ptolemæo servata, cum Britannicis ab eodem servatis conferamus, et postea cum Hispanicis, longe plura Hispanica esse fateamur necesse est, atque ad tempora antiquissima referenda, ideoque cum iis convenire, quæ de vetustissimis Phœnicum in *Insulam Sacram* expeditionibus superius relata sunt. Haud absurde itaque de Homero Strabo inquit—" Homerus cum sciret hujusmodi " expeditiones ultima Hispaniæ attigisse, et eorum locorum opulentiam, atque alia bona, " Phœnicibus indicantibus, cognovisset, ibi *Piorum Sedes* et Campum Elisium finxit........ " Phœnices harum ego rerum fuisse indices dico, qui, *ante Homæri ætatem,* optima Africæ " et Hispaniæ loca tenuerunt." Strabo l. 3, ed. Oxon. t. 1, p. 201.

Notavi supra ad Ptolemæum, Vocibus *Albain*, *Erin*, et *Jernus*, vocem *Hiberniam*, *Occidentalem* Insulam significare, et *Ultimam.* Bochartus Orphei, seu Onomacriti, seu potius, ut mihi videtur, Tatiani de Hibernia verba referens---*παρ δ αρα νησον αμειϐεν* Ιερνιδα---" nempe, inquit, *eductus* a Phœnicibus. Græcis enim tum temporis hæc loca erant incognita." Geogr. 1, 1. c. 39.

Antea dixerat *Iberos* a *Situ* dictos, quia Syris, et Phœnicibus, *Ebrin*, vel *Ibrin* fines sonant. Nec est quod quis *Iberos* extremos dici putet, eorum respectu qui ad Oceanum degunt. Quamvis enim hi sunt magis extremi, veteres tamen certum est omnes in genere Hispanos pro *extremis* habuisse. Unde Solem occumbentem non in Oceano solum, sed et in *Ibero*

flumine mergi Poetæ volunt, ac si ibi sit terræ terminus. Sic Ovidius Metam. l. 4---" *Ter juga Phœbus, equis in Ibero flumine mersis---Dempserat*"---In Avieno Iberi prope Oceanum degunt, ad *alterius Iberi Occasum*, qui Bœticæ fluviolus est, medius inter Bœtim et Anam, hodie *Rio Tinto*, vel de *Azeche*, de quo Avienus---

Hiberus inde manat amnis, et locos
Fecundat Unda. Plurimi ex ipso ferunt
Dictos Hiberos, non ab illo flumine.
Quod inquietos Vascones perlabitur.
Nam quicquid amni gentis hujus adjacet,
Occiduum ad Axem Hiberiam cognominant,

Itaque Festi *Iberi*, vere *Iberi*, i. e. *extremi* sunt, etiam reliquæ Hispaniæ respectu, uti notat Bochartus ididem, p. 683.

Ex his omnibus, et ex dictis supra, Voce *Albain*, Hibernici *Iernæ* origo desumenda videtur nominis. Populi nempe Origo Iberica est, Celtica, et Phœnicia.

Marciani Heracleotæ quæ extant de Hibernia.

Floruit Marcianus Sæculo 3tio, at opus ejus nihil aliud erat, ipso teste, quam compendium librorum xi Artemidori Ephesini, quem χατα πωδας secutus est. Floruit autem Artemidorus Olympiade clxix, ante C, 104. Artemidori quidem errores emendasse se ait Marcianus, id autem se effecisse profitetur, " non ex recentioribus geographis Romanis, sed ex *antiquis, parisque cum eo* (Artemidoro) fidei Auctoribus." Geogr. Min. p. 145.—De Hibernia porro hæc habet, pag. 58.


" Juvernia, Insula Britannica, ad Boream quidem terminatur Oceano *Hyperboreo* appellato. " Ab Oriente vero Oceano qui vocatur *Hibernicus*, a Meridie vero Oceano Virgioio. Sexdecem " habet Gentes, Undecim *Civitates insignes*, fluvios insignes quindecim, quinque Promontoria " insignia, et Insulas insignes Sex."

Hæc non a Romanis sed a vetustioribus geographis se hausisse ait iterum pag. 145, ubi Protagoram citat De dimensione Stadiorum, iterumque pag. 1, et 2—" Nos aliorum, *ex veteribus complurium*, " Periplos perscribentes, duobus in libris hæc complexi sumus."

Romani certe ante hæc tempora plurimum in Studiis geographicis profecere, ut ex iis patet quæ de *Dionysio Periegete*, et *M. Agrippa*, ab Augusto missis ad describendum orbem, supra retulimus. Augustus ipse volumen composuit, quod cum Testamento Vestalibus servandum tradidit. Suet. in Octavio c. 101, et Dio l. 56, p. 591. Polybius antea circumvectus est Africam, classea Scipione Æmiliano ad id intentum accepto. Varro Italiam memorat in pariete pictam, De re Rust. l. 1, c. 2, et Propertius inquit---" *Cogor et e tabula pictos ediscere mundos.*"

Attamen Cicero de seipso ait in Epistola ad Atticum---" Geographica quæ constitueram magnum opus est. Hercules!---Sunt res difficiles ad explicandum!"---Eodem tempore Agrippa prædictus Britanniæ longitudinem non aliunde quam ex Pythea didicit, ut apud Plinium."---

Cl. Ptolemæi Geographia Hibernia.



" Britanniam circuitu patere *tricies octies centena xxv* M. Pytheas et Isidorus tradunt. xxx prope jam annis notitiam ejus, Romanis armis non ultra vicinitatem Silvæ Caledoniæ propagantibus. Agrippa longitudinem 800 M. pas. latitudinem 300 M. *credit,* Eamden Hiberniæ latitudinem, sed longitudinem 200 mill. pass. minorem." Plin. l. 4, c. 16.

Imperante Domitiano Metius Pomposianus orbem terræ depictum in Membranis secum circumgestasse dicitur a Suetonio in Domitiano, c. 10, ideoque jugulatum, quia a Tyranno Imperium adfectasse credebatur.—Trajano Imperante, Florus *Pinaco-graphiæ* artem eo tempore Romæ usitatatam narrat, in Præf. l, 1, " Faciam, inquit, quod solent qui *terrarum situs pingunt.* In brevi quasi tabella totam Historiæ imaginem amplectar."—Dio inquit Hadrianum totum orbem Romanum, cum suis Civitatibus, Portubus, Oris, Arcibus, &c. &c. descripsisse, l. 69, p. 792. Antoninus Imperator, paulo post Hadrianum, totius Imperii Itinera descripsit. (1)—Eumenius, qui Sæculo iv floruit, Præsidem Galliarum alloquens, ait—" Vidit præterea in illis Porticibus juventus, et quotidie spectat *omnes terras et cuncta maria,* et quidquid invictissimi Principes urbium, gentium, nationum, aut virtute devincunt, aut terrore. Illic omnium, cum nominibus suis, locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt." Julianus Parabotes istiusmodi Tabularum meminit Imperante Juliano, in Epistola ad Alypium, et sub Valentino Vegetius de Re Militari.

Cosmographorum notitiam Monachis suis commendat Sæculo v. Cassiodorus, Divin. Lect. l. 2. c. 25, præsertim *Julii Oratoris, Dionysii Periegetis, Marcellini,* et *Ptolemæi.* Britanniam Taciti ævo chartis depictam fuisse suspicor ex Vita Agricolæ, c. 10, ubi ait " Formam totius Britanniæ " Livius veterum, Fabius Rusicus recentium, eloquentissimi Auctores *oblongæ Scutulæ,* vel " *Bipenni* assimilavere." Hæc quidem accuratior est quam Cæsaris, qui Britanniam *triquetram* describit. Sed ista Orbem Romanum respiciunt, non vero Hiberniam, de qua nihil referunt Antonini Itinera, vel Terrestre vel Maritimum, vel Tabula *Peutingeriana,* vel *Notitia Imperii.*—At quamvis Hibernia Romanis pœne ignota fuerit, iis tamen ex Scriptoribus Græcis et Phœniciis aliquatenus notam, indicat Cæsar de Bello Gallico l. 6, c. 13, ubi ait—" Hiberniam dimidio minorem esse Britannia, ut *existimatur,* et medio cursu inter utramque esse *Monam*; Insulam complures " prætere, a minores objectæ Insulæ existimantur, de quibus Insulis *nonnulli scripserunt,* dies " continuos xxx sub bruma esse noctem." Ad eosdem veteres respexit Artemidorus, uti supra p. 13, Agathemerus Geogr. l. 1, c. 5, et Diogenes de quo supra p. 4.

Marcianum itaque ea quæ de Hibernia habet, non a Romanis, sed a vetustioribus Græcis hausisse manifestum est. (2) Verba ejus fideliter retuli ex editione Hudsoniana, a qua discedendum non esse, conveniunt Docti. Waræus a vera Lectione recessit, *quindecim* civitates insignes scribens pro *undecim.* Antiq. cx. p. 53. Populorum quidem in Hibernia multitudinem

(1) Extat editum a Gale, et a Bertio, sed non genuinum, cum in eo *Constantinopolis* ter nominetur.

(2) Haud juniorem fuisse Sæculo 3to Marcianum, demonstrant Dodwellus in Geogr. Min. Oxon. 1698, t. i. p. 157, et Fabricius B. Gr. l. 4, c. 2. Opus περιεγησις quod ei tribuunt nonnulli, *Scymno Chio* tribuendum contendit Holstenius in notis ad Apollonium Rhodium, l. 4, v. 284, et Theodor. Rickius Præf. ad Holstenii Dissert. de Stephani, Byzantini libro de Urbibus.

ingentem fuisse Sæculo 3tio, indicant satis Claudianus de Laudibus Stilichonis, et Gildas de Vastationibus Britanniæ a Scotis. Immensam fuisse hominum in Britannia multitudinem testatur Cæsar, et Boadiceæ exercitum fuisse hominum 230,000, scribunt Xiphilinus et Dio in Nerone.

Porphyrius Philosophus.

Eodem sæculo quo Marcianus floruit Porphyrius, natus A. D. 233, denatus A. D. 305. Se *Tyrium* appellat in Vita Plotini. Adolescens Origene usus est Præceptore, postea Longino, deinde Plotino. Plura de ejus Scriptis habent Lardner, (1) et Holstenius in Dissertatione de Scriptis Porphyrii.

Is novitatem Christianæ Religionis pro argumento erroris assumens, primus *Scotos* nomine tenus memorasse videtur. "Neque enim Britannia, inquit, fertilis Provincia Tyrannorum, et *Scoticæ* "*Gentes*, omnesque usque ad Oceanum per circuitum Barbaræ nationes, Moysen Prophetasque cognoverant." (2)

Ex his patet errare Pinkertonum, qui *Scotos* primum ab Ammiano nominatos asserit anno 360. Nomen autem hoc, hactenus Romanis ignotum, a Christianis tum in Hibernia fidem prædicantibus, Romam usque perductum fuisse, ex hoc Porphyrii loco conjicio, Tertullianus enim in Apologia scripta anno 201---" Britannorum ait *inaccessa* Romanis loca Christo subdita," (3) et Eusebius in Præp. Ev. l. 3, Religionem Christi ab ipsis Apostolis in Insulas Britannicas invectam fuisse declarat.(4) Hinc cum Hibernia Romæ magis nota esset, qui antea *Hiberni*, tum *Scoticæ* Gentes appellati fuere, quod nomen abinde, usque ad sæculum XI, ita *exclusive* retinuerunt, ut *neminem* qui toto antecedentium annorum spacio scripserit, produci posse arbitratur Usserius, qui *Scotiæ* nomine hodiernam Scotiam, sive Albaniam, unquam designaverit, usque ad tempus quo Angli sua lingua Hibernos *Irish*, Latina *Iros*, (5) et *Irenses* (6) et Hiberniam Ireland nominaverunt, vocabulo ad ipsos Arabas eo sæculo propagato. (7)

---

(1) Lardner Ancient Jewish and Heathen testimonies, vol. iii. c. 37.

(2) In S. Hieronymi Epist. ad Ctesiphontem contra Pelag.

(3) Britanniæ Magnæ nulla pars erat eo tempore Romanis *inaccessa*. Severus ad *extremam usque Insulæ partem penetravit*—Herodian. Dio in Severo—Solinus, c. 22.

(4) *υπερ τον Ωκεανον παρελθειν επι τας καλουμενας Βρεττανικας νησους.* Eadem habet Nicephorus "Ægyptum et Libyam sortitus est alius Apostolorum, extremas vero Oceani regiones, et *Insulas Britannicas* alius obtinuit." Eadem repetit, l. 2, c, 40.

(5) Ut in Ælnothi Vita Canuti Cantuariensis, c. 10.

(6) Ut in Orderici Vitalis Hist. Eccl. l. 10. ad ann. 1098.

(7) Nubiensis Geographus anni 1150 part. ii. Climatis, 7 Hiberniam *Ireland*, Albaniam Scotiam appellat.

Vide plura de nomine Scotorum in Flemingi notis ad Columbanum. Collectanea Sacra, p. 155, 272, 284 in Usserii Primordiis, pag. 728—ad 740 ed. Dublin, 1639, et in Cambrense Everso a p. 220, ad 224.

Ex Avieni Oris Martimis. (1)

Ed *Maittaire*—Corpus Poetarum veterum Lond. fol. 1713, t. 2, p. 1334.

Sub hujus autem Prominentis vertice,
Sinus dehiscit incolis Oestrymnicis,
In quo Insulæ sese exerunt Oestrymnides,
Laxe jacentes, et metallo divites,
Stanni atque plumbi.' Multa vis hic gentis est.
Superbus animus, efficax solertia.
Negociandi cura jugis omnibus.
Notusque cumbis turbidum late fretum,
Et belluosi gurgitem Oceani secant.
Non hi Carinas quippe pinu texere
Facere morem non abiete, ut usus est
Curvant fasello: sed rei ad miraculum
Navigia junctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sæpe percurrunt salum. (2)
Ast hinc duobus in *Sacram*,—sic Insulam
Dixere Prisci—Solibus cursus rati est.
Hæc inter undas multum cespitem jacit,
Eamque late *gens Hibernorum* colit,
Propinqua rursus Insula *Albionum* patet.
Tartesiisque in terminos Oestrumnidum
Negotiandi mos erat, Carthaginis
Etiam Colonis (lege *Clooni*) et vulgus inter Herculis

---

(1) *Rufus Festus Avienus*, Hispanus, Dionysii Punici de situ orbis versus ex Græcis Latinos fecit. Item Aratæa Phœnomena, quod utrumque Opus extat Carmine Hexametro expressum. Præterea *De Oris* librum edidit, Carmine trimetro Jambico, ad Probum, Virum Consularem, ad quem etiam Cl. Claudianus scripsit, quo argumento nonnulli Avienum Claudiani, hoc est Theodosii Imp. et filiorum, temporibus, floruisse existimarunt.

Et quidem S. Hieronymus, quodam Epistolarum suorum loco, *nuper* illum scripsisse dicit,—Alii tamen Diocletiani ævo eum floruisse putant. Certe Servius Grammaticus, qui Imperante Constantino Commentaria in Virgilium scripsit, a Macrobio citatus, Saturnalia l. 1, et 6, *Avienum* ait Virgilianas fabulas, et Livium, Jambicis versibus descripsisse. Ego itaque inter utramque opinionem mediam amplector, et Avienum inter Domitianum statuo ac Theodosium Sæculo 3tio, et 4to, eodem tempore quo Eumenius.

(2) Usque hodie in usu sunt, et Hibernice *Nimhog* et *Corrocha* vocantur. Cambr. Evers. p. 116.—Hinc recte Gildas—" Tetri *Scotorum Pictorumque* greges emergunt certatim de *Carrucis*, quibus trans *Scythicam vallem* evecti." &c.

Agitans Columnas, hæc adibant æquora,
Quæ Himilco Pœnus mensibus vix quatuor
Ut ipse semet rem probasse retulit,
49 Enavigantem posse transmitti asserit."

Himilco itaque, a Senatu Carthaginiense missus ut Occidua Europæ litora exploraret, hoc officio functus, Iter suum in Commentaria retulit, quæ Avieni tempore extabant, quæque, in Occidui descriptione, se his verbis sequi profitetur.

" Hæc olim *Himilco Pœnus*, Oceano super,
" Spectasse semet, et probasse retulit,
" Hæc nos, ab *imis Punicorum Annalibus*,
" Prolata longo tempore, edidimus tibi.

Totam ergo navigationem ab Himilcone descriptam, se legisse Festus declarat, et nos hodieque legeremus, nisi hæc antiquitatis Monumenta tempus edax rerum invidisset; neque aliter quam ex ista vel simili navigatione scire poterat Festus, ea quæ de Veterum Hibernorum naviculis habet, et de Hiberniæ distantia a Carthagine ut in Annalibus Ultoniensibus indicavi, p. 140, ex vetere Vita S. Brendani servata in Cottoniano, et apud Usserium Primord. p. 813, et in Bocharti Geographia p. 726. Neque Phœnices latere potuit Britannia vel Hibernia, Insulis Oestrymnicis semel cognitis, neque aliter Hiberniam *a priscis* Sacram dictam fuisse, quam ex Phœnicum Annalibus scire potuit Avienus. Conferat æquus Lector quæ ex Artemidoro supra produxi, pag. 13, ubi " Insulam esse prope Britanniam, inquit, in qua Cereri et Proserpinæ sacra fiunt, *eodem ritu quo in Samothrace*." Artemidorus sub Ptolemæo Lathyro floruit, quo tempore neminem Græcorum in Britanniam navigasse, docti sat sciunt, inquit Bochart. pag. 722.—Itaque superest ut iidem Phœnices, a quibus Cabirorum cultum Samothraces didicerant, etiam hos instituerent in eadem Disciplina.

Ex J. Solini Polyhistore, Venetiis, 8vo, 1485, *et Trajecti ad Rhenum, fol.* 1689. (1)

" Hibernia ei (Britanniæ) proximat magnitudine, inhumana est, ritu incolarum aspero, alias ita pabulosa, ut pecuaria ib nisi interdum æstate pastibus arceantur, in periculum agat Sacietas. Illic nullus Anguis, Avis rara, Gens inhospita et bellicosa, sanguinem interemtorum hausto prius, Victores vultus suos obliniunt. Fas atque nefas eodem animo ducunt. Puerpera si quando Marem edidit, primos cibos gladio imponit Mariti, inque os parvuli summo mucrone auspicium alimentorum leviter infert, et gentilibus votis optat non aliter quam in bello, et inter arma mortem oppetat. Qui student cultui, dentibus marinarum Belluarum insigniunt ensium Capulos, candicant

(1) Solinum memorant Servius, Macrobius, Priscianus, S.S. Hieronymus, Ambrosius, et Augustinus. Vide Salmasium in Exercitationibus Plinianis ad Solinum, Paris 1629.

enim ad eburneam claritatem; nam præcipua viris gloria est in tœlis.—Apis nusquam advecta. Inde pulverem, seu lapillos, si quis sparserit inter Alvearia, examina favos deserunt. (1) Mare quod inter hanc et Britanniam interluit, undosum inquietumque toto in anno, non nisi æstivis pauculis diebus est navigabile. Navigant autem Vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergorum Bubulorum. Quantocumque tempore cursus tenebit, navigantes escis abstinent. Fieri Latitudinem incertum, viginti millia passuum diffundi, qui fidem ad verum rationati sunt æstimarunt." (2)

Ex Æthico.

Sive ex Cosmographia ei tributa, edita Lugduni Bat. 1685.

Orbem Romanum metiri jussit J. Cæsar, et ejus Descriptionem *Cosmographicam* in literis referri, notante Æthico in Præfatione. Id autem aliquatenus perfecere Augustus, Hadrianus, et Antoninus, unde colligunt cum Fabricio docti, hoc ipsum esse Opus, quod a variis auctum, editum est sub nomine *Æthici Istri,* in nonnullis Codicibus sub nomine *Antonii Augusti,* et in aliis sub nomine *Julii Oratoris,* de quo supra, pag. 59.

Prodiit cum Antonii Augusti Itinerario, et Simleri scholiis, Itinerarii Antonini Fragmento, Claudii Rutilii Numantiani Itinerario, Vibio Sequestre de fluminibus, et Libello Provinciarum Galliæ, et Civitatum Metropolitanarum, Basileæ 1575—12°. ex Bibliotheca Pithœana. (3) Sæculi 3tii Auctorem et Christianum, indicat mentio Martiris S. Felicis, passi sub Diocletiano.

De Hibernia hæc tantum occurrunt, quæ *Scotorum* nomen eo ævo Romæ plene cognitum demonstrant.—"*Hibernia a Scotorum Gentibus colitur.—Menavia Insula æque ac Hibernia, a Scotorum gentibus habitatur.*"

Eadem iisdem verbis, ex Æthico, ni fallor, descripta, habet Sæculo v Orosius, et Claudianus de Stilichonis laudibus inquit—" Maduerunt *Saxone* fuso

Orcades—incaluit *Pictorum* Sanguine *Thule,*
Scotorum cumulos flevit glacialis *Ierne.*"

(1) Experientiæ, æque ac veritati Historicæ, ista de Apibus plane repugnant. Giraldus ipse, Duce Beda, inquit Hiberniam *melle divitem.*—Conveniunt Regulæ Monasticæ Sæculi VII, imo sexti; in Albæi enim Regula, in Actis Colgani p. 323, hæc leguntur—" Cum sedent ad mensam (Monachi) adferantur *herbæ,* sive radices, aqua lotæ, in mundis Scutellis, item *poma, cervisia, ex Alveario mellis,* ad latitudinem unius pollicis, id est, *aliquot favi.*"

(2) Hæc Hiberniam Romanis Sæculo ipso tertio exeunte, fere imperviam fuisse demonstrant.

(3) Melam edidit Gronovius Lugd. 8° 1685, additis Excerptis ex *Libello Cosmographico Julii Oratoris,* petitis ex MS. Codice Bibliothecæ Thuaneæ, et *Cosmographia* Æthico antehac temere adscripta.—Idem in editione anni 1703, præter Æthicum, et Julii Oratoris Excerpta, edidit etiam *Libros quinque* de Geographia, quos Sæculo VII Scripsit Anonymus Ravennâs, forte *Jornandes,* cujus meminit etiam Vossius ad Melam Lond. 4to, 1686, p. 29, et 117. Hos *quinque libros* primus edidit Placidus Porcheron ex MS Regio Paris 8° 1688. Dionysii Alexandrini et Melæ Geographica Æthici Cosmographiam, et Solini Polyhistor. edidit in folio minori Henr. Stephanus 1577. Vetera Romanorum Itineraria cum Itin. Hierosolymitano, edidit Wesseling Amstel. 1735 in 4to majori.

Beda itidem Hiberniam *propriam Scotorum Patriam* appellat.—" Procedente autem tempore (ait) Britannia post Britones et Pictos, tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit, Qui, *Duce Reuda*, de Hibernia egressi, vel amicitia vel ferro, sibimet inter eos, sedes quas hactenus habent vindicarunt, a quo videlicet Duce, usque hodie Dalreudini vocantur, nam lingua eorum *Dal* partem significat." (1) Hibernia autem et latitudine sui status, et Salubritate ac serenitate aerum, multum Britanniæ præstat, ita ut raro ibi nix plusquam triduana remaneat. Dives lactis ac mellis Insula, nec vinearum expers, piscium, volucrumque, sed et Cervorum venatu insignis— *Hæc autem proprie* Patria Scotorum est. Ab hac egressi, ut diximus, tertiam in Britannia Britonibus et Pictis gentem addiderunt. Est autem sinus maris permaximus, qui *antiquitus* gentem Britonum a Pictis secernebat, qui ab Occidente in terras longo spatio erumpit, ubi est Civitas Britonum munitissima usque hodie, quæ vocatur *Al-cluith*, ad cujus videlicet sinus partem septentrionalem *Scoti*, quos diximus, advenientes, sibi locum Patriæ fecerunt."

Eadem habet, in Versione Saxonica Bedæ, Regius Interpres Aelfredus, qui, in Indice Capitulorum, ad Caput primum inquit." *Begesetnysse Breotenc oththe Hibernia Scotta ealandes on heora tham aerran bigengum* i. e. De Situ Britanniæ, vel Hiberniæ, *Scotorum Insulæ*, et ipsarum primis Incolis."

Æthici locum de Mannia ab Hibernensibus occupata quod attinet, eadem ut dixi habent Ptolemæus, qui Monam Hiberniæ adjudicat, *Orosius, Camdenus, Seldenus, Humphredus Llhuydus*, et Hibernici Annales.—Camdenus in Epistola de Mona Insula, ad Defensionis Britannicæ calcem, ait—" Sub Honorio et Arcadio Augustis, a *Scotorum gentibus*, ut est apud Orosium, æque ac Hibernia ipsa, Mannia culta fuit.—Manniæ incolæ, et lingua et moribus, ad Hibernos proxime accedunt."

Seldeni verba æque notanda sunt " Non Hibernia solum, sed etiam Mannia, inclinante Romanorum Imperio, Insulæque Occidui maris cæteræ, et Britanniæ Magnæ pars Septentrionalis, a Scotis tenebatur." Humphredus Llhuydus—" Manniam Insulam, inquit, aliqui *Euboniam* Latine " vocant. Hinc videtur originem traxisse, quod *ab eadem natione, nempe Juernica, a qua et* " *Euboniæ, quas Hebrides aliqui dicunt, incoletur*." Addit—Manniæ incolas *lingua Scotica, sive Juernica, quæ eadem est*, uti.—Jam vero qui linguæ societate conjuncti sunt, inquit Camdenus, originis etiam communione fuisse conjunctos, nemo inficiabitur.—Quod si omnes omnium historiæ intercidissent, et nemo litteris prodidisset nos Anglos a Germanis, *Genuinos Scotos ab Hibernis*, Britones Armoricanos a nostris Britannis prognatos esse, ipsarum linguarum communitas hoc facile evinceret, *imo facilius quam vel gravissimorum authoritas.*

Annales Hibernici, in regno *Cormaci*, filii *Conni-centum Præliorum*, inquiunt Rebelles Ultoniæ ab eo Rege in Manniam expulsos fuisse, Sæculo tertio, et primum Manniæ Episcopum fuisse *Maguillum*, Hibernensem S. Patricii Discipulum, ut in Vita tertia in Triade, pag. 27, c. 73, in

---

(1) Hæc Bedæ diligentiam demonstrant, qui solos Hiberniæ incolas *Scotos* appellat, nulla adjecta distinctione, et cum de Scotis Hiberniam non incolentibus agit, discrimen illico caute apponit. Sic, l. 1, c. 1.—Coloniam Scotorum in Aquilonarem Britanniam deductam. *Dalreudinos* vocat, et Cap, ult " *Scotos qui Britanniam inhabitant*," et l. 4, c. 25. " *Scotos qui erant in Britannia*," *&c. &c.*

Elerano Sapiente ib. c. 81, in *Probo*, l. 2, c. 9. in *Joccelino*, c. 151, 152, et in *Evini* opere Tripartito parte 3, c. 6.

Beda quidem inquit *Mevanias Insulas*, Sæculo VII ditionis fuisse *Britonum*, quo tempore a Rege Edwino subactæ fuere, annum circiter 620. Verba autem ejus a Regio Interprete Aelfredo Saxonice reddita, non *Manniam*, nec plurali numero *Mevanias Insulas*, sed *Monam* i. e. hodiernam *Anglesey*, manifeste respiciunt—*Swylce he eac Monige* (1) *Brytha calond da Syndon gesette betwih Hibernia Scotland 7 Brœotone Angel Cynnes rice underwtheodde*—i. e. necnon et Monam Brittonum Insulam, quæ inter Hiberniam, *quæ est Scotia*, et Britanniam sita est, Anglorum subjecit Imperio."

A Danis subactam fuisse Manniam Sæculo IX, narrat *Chronicon Manniæ;* at populum fuisse Hibernicum patet ex ipsa lingua, quæ non alia est, ut dixi, quam Hibernica. (2) Chronicon Manniæ prædictum ad ann. 1075—narrat Mannenses Legatos ad Regem Hiberniæ Murcardum O' Brian missos, ut ab eo peterent, Regem sibi mitteret Hibernensem, quod et fecit, ut alibi indicavi. (3)

Ex Eumenio edito a Jaegero et Schwarzio, Norimbergi, 1779.

Floruit Eumenius sub Constantio Chloro, et victoriam ejus de Alecto cum J. Cæsaris de Britannia triumpho, his verbis contulit, coram Senatu et Imperatore A. D. 296.

" Quam *(Britanniam)* Cæsar, ille Auctor Vestri nominis, cum Romanorum primus intrasset,
" alium se orbem terrarum scripsit reperisse, tantæ magnitudinis arbitratus, ut non circumfusa
" Oceano, sed complexa ipsum Oceanum videretur. Sed enim, illa ætate, nullis erat ad Navale
" bellum armata navigiis, et Romana res inde jam a Punicis Asiaticisque bellis, etiam recenti exercitata Piratico, et postea Mithridatico, non magis terrestri quam navali usu, vigebat.—Adhoc natio (Britannica) etiam tunc rudis, et solis Britanni *Pictis* modo et *Hibernis* adsueti hostibus, adhuc seminudi, facile Romanis Armis, Signisque cesserunt." (4)

---

(1) "i.e. Monam Insulam *Anglisei*, non Manniam," inquit Whelock in editione Cantabrigiense anni 1644, pag. 120.

(2) Confer Catechismum lingua Mannense editum cum Hibernico.

(3) Vide Chronicon Mannense in *Bibliotheca Hibernico—Cottoniana.* Chronicon istud mutilatum edidit Camdenus, accuratius Johnstone.

(4) " Proba est hæc lectio, ex MS. Codice Gud. Sic enim magis exprimitur, inquiunt doctissimi Editores, quasi vilitas veterum Britannorum, qui eo facilius a J. Cæsare vinci potuerunt, quod *solis Pictis et Hibernis hostibus* olim adsueti fuerint." Ita doctissimus Schwartzius.

Ex his patet veteres Hibernos, sive Scotos, non modo Sæculo 3tio. sed *olim, ante Cæsaris adventum,* in Britanniam ex Hibernia irrumpere solitos fuisse, quod Annalium Hibernensium, eandem rem sæpius affirmantium, fidem confirmat. Unde recte Buchananus de Rebus Scoticis, l. 2, p. 55—" neque semel, inquit—*Scotorum ex Hibernia transitum* in *Albium factum,* nostri Annales referunt."—Annales enim Hibernici, et vetera Carmina *Cennfaoladii, Eochodii, Maolmurii, Flanni,* et *Coemanni,* qui a Sæculo VI ad X floruerunt, Regum Hibernorum expeditiones in Albaniam, ante adventum Cæsaris factas, et postea ante adventum S. Patricii, regnantibus in Hibernia *Ængusio Olbhuadach, Tigernmasio, Reachtacho Righ-derg, Crimthano* 2do, *Cormaco Ulfada, Collao Uasio,* et *Niallo Magno,* uno ore testantur, una cum Beda l. 1, c. 1. Consentit et Ammianus infra pag. 66.

Ex Ammiano Marcellino ed. Valesii Paris, fol. 1681, *Ann.* 360.

" Consulatu Constantii decies, terque Juliani, in Britanniis, cum *Scotorum Pictorumque*, gentium ferarum, excursus, rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vastarent, et implicaret formido Provincias, *præteritarum cladium* congerie fessas, hiemem agens apud Parisios Cæsar, distractusque in Solicitudines varias, verebatur ire subsidio transmarinis, ut retulimus ante fuisse Constantem, (1) ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alemannis ad sævitiam etiamnum incitatis et bella, ire igitur, ad hæc ratione vel vi componenda, Lupicinum placuit."

Ex ejusdem, l. 26, *c. viii. Ann.* 364.

" Hoc tempore Gallias Rœtiasque simul Alemanni populabantur, Sarmatæ Pannonias et Quadi. *Picti*, Saxonesque, et *Scotti*, et *Attacotti* Britannos ærumnis vexavere continuis."

Ex ejusdem, l. 27, *c. viii. Ann.* 368.

Capitis hujus Titulus—" *Pictis, Attacottis*, et *Scottis*, post Ducem et Comitem interfectos, Britanniam impune vastantibus, Theodosius Comes fusis prædam excussit."

" Profectus itaque ab Ambianis, Treverosque festinans, nuntio percellitur gravi, qui Britannias indicabat barbarica conspiratione, *ad ultimam vexatas inopiam*. Nectaridumque Comitem maritimi tractus occisum, et Fullofaudem Ducem hostium insidiis circumventum. Quibus magno cum horrore compertis, Severum etiam tum Domesticorum Comitem misit, si fors casum dedisset optatum, correcturum sequius gesta; quo paullo postea revocato, Jovinus eadem loca profectus, Provertuidem celeri gradu præmisit, adminicula petiturus *exercitus validi*, id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremo ob multa et metuenda, quæ super eadem Insula rumores adsidui perferebant, electus Theodosius, officiis Martiis felicissime cognitus, adscitaque animosa legionum et Cohortium pube, ire tendebat, præeunte fiducia Speciosa. Et quoniam cum Constantis Principis actus componerem, motus adolescentis et Senescentis Oceani, situmque Britanniæ, pro captu virium explanavi, ad ea quæ digesta sunt semel, revolvi superfluum duxi: ut Ulyxes Homericus apud Pheacas ob difficultatem nimiam replicare formidat. Illud tamen sufficiet dici, quod eo tempore Picti, in duas gentes divisi, Dicalidones et Vecturiones, (2) itidemque *Attacotti*,

---

(1) Composuit Romæ Ammianus Historiarum, a Nervæ Principatu ad Valentis excessum, libros 31, quorum primi 13 periere.—Constantis expeditio contra *Scotos* et *Pictos* contigit paulo post victoriam ejus de Francis anno 312, teste Libanio in Oratione Βασιλικος, ideoque recte refertur ab Usserio ad annum 343.—*Scoti* porro et *Picti* Ammiani non alii sunt quam *Hiberni et Picti* Eumenii, ii nempe *Scoti* de quibus Nennius " *Scoti in quarta ætate Mundi* Hiberniam occupaverunt . . . Sic mihi *peritissimi Scotorum* nunciraverunt." Hinc Gildas mare inter Hiberniam Britanniam que *Vallem Scythicam* appellat.

(2 Camdenus legit *Deucalidonios* velut sic nominatos ab *Occidua Scotiæ ora*, qua Deucaledonius Oceanus irrumpit. Valesius in Annot. ad Ammian, p. 67. Ego *Dun-Caledonios*, legerem, vel *Din-Caledonios.* Vox enim est *Celtica*, a *Dun* vel *Din* Munimentum loco eminentiore positum, et *Cael* vel *Gael* Hibernorum.—Locus ipse ubi habitabant, in *Ardgathelia* antiqua, idem est quem Hibernensibus sive Dalreudinis tribuit Beda.

bellicosa hominum natio, et *Scotti* per diversa vagantes, multa populabantur........Ad hæc prohibenda defertur Rutupias. Unde cum consecuti Batavi venissent, et Eruli, Joviique, et Victores, fidentes viribus numeri, egressus, tendensque ad Lundinium, vetus oppidum, quod Augustam Posteritas appellavit, divisis plurifariam globis, adortus est vagantes hostium vastatorias manus, graves onere Sarcinarum, et propere fusis, qui vinctos homines agebant, et pecora, prædam excussit, quam tributarii perdidere miserrimi. His denique restituta omni, præter partem exiguam impensam militibus fessis, mersam difficultatibus suis antehac Civitatem, (Lundinium) sed subito quam salus sperari potuit, recreatam, in ovantis speciem lætissimus introiit. Ubi ad audienda majora prospero successu elatus, tutaque scrutando consilia, *futuri morabatur ambiguus*. Diffusam variarum gentium plebem, et ferocientem immaniter, *non nisi per dolos occultiores, et improvisos excursus, superari posse*, Captivorum confessionibus, et transfugarum indiciis doctus. Denique edictis propositis impunitateque promissa, *Desertores*, ad procinctum vocabat, et multos alios per diversa libero commeatu dispersos."

Ex ejusdem, l. 28, *c.* 3, *Ann.* 369.

Titulus Capitis, p. 505.—" Theodosius urbes Britanniæ a Barbaris vastatas, restituit, Castella reparat, et Provinciam Insulæ recipit, quæ Valentia est appellata."

Textus,—" Theodosius vero Dux nominis inclyti, animo vigore collecto, ab Augusta profectus, quem veteres appellavere Lundinium, cum milite industria comparato sollerti, versis turbatisque Britannorum fortunis opem maximam tulit. Opportuna ubique ad insidiandum Barbaris præveniens loca, nihil Gregariis Imperans, cujus non ipse primitias alacri capesseret mente. Hocque genere cum strenui militis, et præclari Ducis curas expleret, fusis variis gentibus et fugatis, quas insolentia nutriente securitatem, aggredi Romanas res inflammabat, in integrum restituit Civitates et Castra, multiplicibus quidem damnis adflicta, sed ad quietem temporis longi fundata, recuparatamque Provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino, ut, eodem referente, et Rectorem haberet legitimum, et *Valentia* deinde vocaretur, arbitrio Principis velut ovantis." (1)

Notanda in Ammianum.

Prima mentio Scottorum et Attacottorum Britanniam vastantium, facta ab Ammiano, referenda est, ad ann. 342—3, Secunda ad ann. 360, Tertia ad 364, Quarta ad 368—9.

---

(1) Hanc Theodosii Victoriam commemorant Claudianus in l. IV, de Consulatu Honorii, et Symmachus in Ep. 22, libri X. Missus Theodosius in Britanniam anno 368, victor reversus est anno 369.—Pacati verba de hac victoria sunt "*redactum ad paludes suas Scotum loquar?*" Panegyrico ad Theodos.—Claudiani de eadem in Panegyrico de IV Honorii Consulatu—" Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
" Edomuit. Scotumque vago mucrone secutus,
" Fregit Hyperboreas remis audacibus undas."
Quas autem *Hyperboreas* undas, i. e. Mare Hibernicum, Claudianus nominat, Gildas appellat *Vallem Scythicam*.

Scottos et *Attacottos* ex Hibernia in Britanniam venisse constat, eosque primum *iis nominibus*, Romanis innotuisse Sæculo 3tio, vel inde patet, quod dum cæteri omnes Britanniæ populi, memorantur, altum est de Scottis et Attacottis silentium, usque ad annum 343, et quod Attacottorum æque ac Scottorum historia, ex Annalibus Hibernicis, *exclusive* petenda sit, ita ut recte Andreas Duchesne scripserit,—

"Ce fut environ les tems de Constantius, que les *Scots*, qui avoient appelle'e de leur nom "l' Isle d' Hibernie, commencerent de passer, et faire des Courses en la partie Septentrionale "de la Bretagne, tant qu' enfin s'en rendant maistres, ils y jetterent les premiers fondemens "du Royaume d' Ecosse. Pour le moins, ce fut sous cet Empereur, que les Romains commence-"rent d' y cognoistre leur nom, et d'y sentir la valeur de leurs armes. Il est certain, et recognu "d' un chacun qu' ils vinrent de l' Hibernie. *(Claudian) Isidore*, *Orose*, *Bede*, *Eginard*, temoins "irreprochables, l' afferment en divers lieux." (1)

Et quidem ipsa Britanniæ Regio, Hiberniæ proxima, ubi, Hiberni e Currucis suis irrumpere solebant, a vetere auctore his verbis designatur—"*Ard-Gathel* dicitur, (i. e. Montes Gadeliorum, "hodie *Argyle*) quasi Margo Scottorum, sive Hibernorum, quia omnes Hibernenses et Scotti "generaliter *Gatheli* dicuntur. Ibi enim semper Hibernenses applicare solebant, ad dampna "facienda Britannis." (2)—Ardgatheliam olim totam Occidentalem Oram a Glotæ Æstuario inclusisse, eam nempe regionem quam *Dalriatam* appellatam, et ab Hibernensibus occupatam fuisse, narrat Beda, docti jam, non modo Britanniæ, sed et Scotiæ hodiernæ, ita uno ore consentiunt, ut in his immorari supervacaneum esse censendum sit.—Hoc itaque pro Cardine Historico statuo *Ammiani*, *Claudiani*, *Hieronymi*, *Orosii*, *Isidori*, *et Bedæ Scotiam, non aliam fuisse quam Hiberniam, Scotos non alios quam Hibernos*." (3)—Ardgathaliam autem, quam *Scoti*, *Attacotti*, aliæque Hiberniæ gentes occupabant, regiones inclusisse quæ hodie appellantur *Kentirea*, *Knapdalia*, *Loarna*,

---

(1) Du Chesne Hist d' Anglet. Paris, fol. 1641, p. 146. Consentiunt—Stillingfleet, Usser, Pinkerton—Neminem legi qui hanc Historiæ Britannicæ partem accuratiori stylo descripsit, quam vir doctus *Roy*—"There is incontrovertible authority to join the Irish with the Picts, in their Martial exploits against the Romans, as well from the Latin as from the ancient British and Saxon writers. It is clear, not only from all the Scots history we have of the times, but from *Bede*, from the most authentic writers for an age or two before and after him, and from the Roman writers, that Scotland, during the Roman domination in Britain, subsisted under *two different Monarchies*, *Irish* and *Pictish*. Eumenius states that, before the arrival of J. Cæsar, the Britons were accustomed to the inroads of these two enemies, —"*Hibernis modo, et Pictis assueti hostibus*," and those whom Eumenius calls Irish, Ammianus calls Scots. No writer speaks of any third nation in N. Britain. They uniformly describe those two, the one proceeding a *Circio*, from the West, the other ab *Aquilone* from the North, one stretching from the Frith of Forth along the Eastern shores of Albania, the other from the Frith of Clyde along the Western," &c. Roy. Military Antiq. of Scotl. Lond. fol. 1793, p. 20. Consentiunt recentiorum Scotorum doctissimi viri *Chalmers*, *Caledonia* vol. 1, p. 271, &c. *Pinkertonus* Enq. v. 1, p. 43, et 116. *Gibbon's* Map of the Roman Empire, *D' Ainville*, &c.

(2) Apud Innes Critical Inquiry, p. 771. Appendix I.—Scotos nusquam in Gallia vel Britannia legimus ante Sæculum 4tum, quo primum ibi memorantur ab Ammiano—At in Hibernia, propria eorum Patria, eos memorat Beda ante Reudæ tempora, l. 1, c. 1, et 12, id est ante Sæculum 3tium.

(3) "Scotia eadem et Hibernia" Isidor, l. 12, c. 6. "Scotia eadem et Hibernia, proxima Britanniæ Insula, a "Scotorum gentibus colitur." Orosius.

Argathelia, et *Braidalban*, cum vicinis Ebudum Insulis, recte animadvertit Flaherteus p. 467, cum quo consentit, inter recentiores qui de his rebus scripserunt doctissimus *Usserius*, et *Chalmers*, a quorum lucubrationibus de Hibernensium in Albania Imperio, si quædam minutiora tollas, nihil mihi dissentiendum puto. (1)

Pinkertonus quidem Ebudas Insulas ex Hibernensium Imperio excludit, quia vetus Author a Camdeno citatus ait " Fergus filius Erc fuit primus, qui de semine *Chonaire*, (i. e. Conarii I. Regis Hiberniæ) suscepit regnum Albaniæ, a Brunalban *ad* mare Hiberniæ et *Insegall*, (i. e. Hebrides") —*Ad*, inquit Pinkertonus, significat *usque ad*, non *supra*. (2)—Miror equidem!

Quasi vero ex tam vaga, ne dicam falsa, Ludimagistri potius quam Philologi opinione, etiamsi stricto sensu vera fuisset, Annalium fides, populorum traditiones antiquæ, et ipsa Ebudarum lingua, quæ non modo Hibernica est, sed Hibernica ab ipsis incolis appellatur, (3) pendere opporteret!—Sed neque vera est viri docti opinio de præpositione *Ad*. Nonnunquam enim inclusiva est, ut in Cicerone pro Cæcinio " *ad omnes introitus* armatos opponit."—Consules *ad* Africam, i. e. in Africam, profecti sunt.—Præterea Monticoli Scotiæ recentioris, sive Minoris, i. e. Albaniæ et Insularum, Hibernenses appellantur a Giraldo in descriptione Albaniæ, et Tigernachus inquit recte S. Columbam, in Britanniam venientem, Insulam Hionam accepisse a *Conallo Comgalli filio*, qui tum Rex erat Albaniæ Hibernicæ et Insularum. (4)—Gervasius Dorobernensis de primis Fidei prædicatoribus in Anglia ait, " plures eorum *de gente Scottorum fuisse, i. e. Hibernensium*," (5) et eo ipso tempore quo scribebant Ammianus, et Claudianus, S. Hieronymus de Cælestio Pelagiano inquit— " habet progeniem Scoticæ gentis, *de Britannorum vicinia*." (6)

Ammiani Chronologiam quod attinet—præcipuas tantum Scotorum ex Hibernia irruptiones in Britanniam commemorat, quæ suo ævo evenere, alias antea præcessisse, easque gravissimas, expresse declarat, eamque ingentem quæ Lundinium usque pervenit, refert ad annum 368, qui fuit *quartus* ante natum S. Patricium. S. Hieronymus ait se *adolescentulum in Callia vidisse Scotos, Gentem Britannicam*, humanis vesci carnibus, l. 2 contra Jovinianum, Atqui natus est Hieronymus anno D. 329. Quid autem mirum si in Britannia sedes sibi armis arripuerint, qui etiam ad Alpes eo

---

(1) The Scots, at that Epoch, possessed the whole Western Coast, from the Clyde to the Loch-Toridon, with the adjacent Isles. We have seen the Scoto Irish settle on the *headland* of Rentire, as the name imports, at the commencement of the 6th century, (id verum de 2do adventu Scotorum, *Ducibus 3 filiis Erci*, anno 503. At, *Carbreus Rieda*, de quo Beda, l. 1, c, 1, floruit regnante Cormaco Rege Hiberniæ, Sæculo 3tio.) As Colonists arrived and population encreased, they extended their settlements. In two centuries they made an extensive progress. In Bede's days they extended from the Northern Margin of the Clyde, along the shores of the Irish sea, far into the North. During the effluxion of another century, they occupied the ample extent of Argyle, from the Clyde to Loch Maree N. and from the Sea to Drumalban E." p. 336. Consentit Usssetius Primord. p. 612.

(2) It reached *ad*, not Supra." Enquiry into the Hist of Scotl. v. 2, p. 97.

(3) Martin's Western Isles passim. Ipse Pinkertonus id fatetur " They call their language *Erse*, that is Irish."

(4) Tigernach et Annal. Ult. ann. 563. Item Usser Primord. p. 703,

(5) Inter Scriptores x Lond. 1652, p. 1635—Idem paulo antea dixerat S. Laurentium, non modo curam *gessisse Britanniæ incolarum, sed* et Scottorum qui *Hiberniam Insulam* Britanniæ proximam incolunt." p. 1633, et eadem ad verbum habet Beda, Hist. l. 2, c. 4, ubi addit iterum *Hiberniam Scotorum Patriam*.

(6) S. Hieron Prolog. in l. 3, in Hieremiam.

tempore pervenere? *Dathias* Rex Hiberniæ fulmine occisus est ad Alpes A. D. 428, consentientibus cum Flaherteo, Carminibus et Annalibus Hibernensis, a Sæculo VI. Confer *Notitiam Imperii.*

Ex Claudiano—ed. Delphin. Paris, 1677.

Coævi erant S. Hieronymus et Claudianus Alexandrinus, qui floruit sub Arcadio et Honorio. Is Consulatum Honorii tertium et quartum Latinis versibus celebravit, annis 396 et 398, in quorum priore Theodosii expeditionem prædictam his versibus extollit—

" Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotumque vago mucrone secutus
Fregit *Hyperboreas remis audacibus undas.*" (1)

Per Hyperboreas, intelligit Hibernicum mare, quod, a *Scotis* Hiberniam habitantibus, Gildas vallem Scythicam appellat. Claudianus se ipsum explicat sequentibus verbis.

Ex ejusdem Carmine viii, sive de iv. Honorii Consulatu, ib. p. 115, *v.* 30.

Quid rigor æternus Cæli, quid frigora possunt,
Ignotumque fretum? Maduerunt *Saxone* fuso
Orcades, Incaluit *Pictorum* Sanguine Thule,
Scotorum cumulos flevit Glacialis *Ierne.*

Scotos itaque ex Hibernia Britanniam invadere solitos fuisse manifeste declarat. Et quidem Scotos nemo veterum inter Britanniæ vel Galliæ populos recenset, non ita autem Hispaniæ et Hiberniæ. Scythas enim in Hispania memorant Silius iii, 360, (2) et Horat. Od. iii, 4, unde earum in Hiberniam migrationem in 4ta mundi ætate narrat Nennius, atque hinc in Vetere Bobiense Antiphonario annorum 1200, *Hymnus* in honorem S. Columbæ inquit—" Celtiberum-Scytham nil simile habuisse Columbæ," ut in Messinghami Florilegio, p. 412.

Ex ejusdem l. 2 *in* 1. *Consulatum Stilichonis.* (3)

" Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit (*Britannia*)
Munivit Stilicho, *totam cum Scotus Iernem*
Movit, et infesto spumavit remige Tethys."

(1) Ex Carmine vii—Sive de iii Honorii Consulatu. v. 54, pag. 97.
(2) Confer Camden in *Scotia,* cum Plin. l. 6, c. 42. ed. Harduin, t. 1, p. 310, not. 3, et l. 5, c. 18, p. 262, not. 24 et 25.
(3) Ex Carmine xxii, v. 250, ib. p. 363—Stilicho Consulalum I iniit anno 400, et paulo post alterum.

Ex ejusdem de Bello Getico, sive Carmine xxvi, v. 416.

Venit et extremis Legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frœna truci, ferroque notatas,
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Attacottos quidem, qui in nostris Annalibus *Attachtuatha* appellantur, ignoravere, eo saltem nomine, Plinius, Ptolemæus, et Romani omnes usque ad Ammianum. At, Geographus Romanus, quem sequitur Corinensis, populis a Ptolemæo memoratis in Britannia Septentrionali, adjungit *Attacottos* et *Damnios*, i. e. *Damnonios* Hibernos, qui ex Connacia et Ultonia, regnante in Hibernia *Cormaco Ulfada*, Sæculo 3tio transiere. Hi, Ptolemæo scribente, sedes in Britannia *fixas* non habebant, sed frequentibus ex Hibernia incursionibus Britanniam vastare assueti, simul ac *Carbreus Reuda* sedem sibi et suis in Ardgathelia, medio Sæculo 3tio, acquisivit, eum secuti, sedes istas dilataverunt, ut recte monet Usserius, eos enim cum *Scotis* conjungit S. Hieronymus in Epistola 93 ad Oceanum, æque ac Ammianus.—Procedente tempore, cum bellicosos et formidandos Romani invenissent, præmiis propositis, ut sese Auxiliariis adscriberent allexerunt, ideoque Attacottos in *Notitia Imperii* nominatos invenimus, curante Honorio, ut ex inimicis amici, et vacillantis Imperii Defensores haberentur. Hinc *Attacotti Honoriani*, Juniores, et Seniores, quorum Insignia militaria memoravi in Dissertatione Annalibus IV Magistror. præmissa, p. 31.

Ex his omnibus, Symmachi verba intelligimus, in Epistolarum l. x, Ep. 76, ubi ait "*Septem* "*Scoticos Canes* Prælusionis die, ita Roma mirata est, ut ferreis Caveis putarit advectos."—Floruit Symmacus Imperante Theodosio, A. D. 384, quo tempore Hibernorum nomen *Scoticum* Romæ familiare erat, ut ex dictis manifestum est. Camdenus de Canibus Hibernicis plura habet digna memoratu, additque animantia omnia, *præter homines, et Canes illos Venaticos, quos Grehounds vocamus*, minora esse in Hibernia quam in Anglia.

Ex S. Hieronymo.

Christianorum primus Scoticas Gentes memorat S. Hieronymus, ut supra ex Porphyrio p. LIX. Is contra Pelagianos scribens in Procemio libri 3tii in Hieremiam, hæc habet.—

" Ipseque (Pelagius) mutus, latrat per Alpinum canem, grandem et corpulentum, et qui " calcibus magis posset sævire quam dentibus. Habet enim progeniem *Scoticæ* Gentis, de " Britannorum vicinia, qui, juxta fabulas Poetarum, instar Cerberi, Spirituali percutiendus est " Clava, ut æterno, cum suo Magistro Plutone, silentio conticescat."(1)

(1) Pinkertonus recte in hunc locum notavit, Cælestium procul dubio Hibernensem fuisse, et plures Hibernenses eo ævo Christianos fuisse et Pelagianos, unde in pluribus conciliis Hæresis Pelagiana *Pultis Scotorum* appellatur "the Reader has seen above, from the consent of all antiquity, that the name Scoti belonged to the Irish alone till the eleventh Century. That Celestius was an Irishman follows of course, and he became so illustrious a propagator of this heresy that, as Augustin informs, its followers were, in his time, called *Celestians.* The *Pultis Scotorum,* and similar expressions, indicate that this heresy was not confined to one Scotus, Celestius, but that he had many followers of his own country, and it is fair to conclude that by means of intercourse with Britain, Christianity had made some progress in Ireland in the fourth century." Pinkert. Enquir. vol. ii. p. 261.

Pelagium mutum appellat, quod publice pro hæresi non loquebatur, unde in Epistola ad Ctesiphontem ei insultat—" Publice prædica, inquit, quod *Secreto* Discipulis loqueris," Cælestius vero Cerbero comparatur, quia, more Hibernico, palam ac aperte, quidquid sentiebat prædicare non timuit. Hinc ab Augustino Cælestius liberior dicitur, Pelagius *astutior.* (1)

De Cælestio Marius Mercator ait " Pelagio adhæsit Cælestius, nobilis natus quidem, et illius temporis auditorialis Scholasticus, sed naturæ vitio Eunuchus, matris utero editus" (2)—De antiquioris Ecclesiæ Scholasticis pluribus agit Suaresius, in Dissertatione de Origenis Hexaplis et Octaplis, pag. 77, unde colligitur Pelagium *Britannum* fuisse, (3) et Scholam rexisse Romæ, annum circitur 400, ubi, inter alios, *Cælestium* habuit Discipulum.

Ex Gennadio, qui quinto Sæculo floruit, manifestum est, Cælestium, ante quam Romam veniret, adhuc imberbem, studiis Monasticis se dedisse in quodam Monasterio, forte S. Martini Turonensis, unde ad Parentes suos, Hibernos et *Nobiles*, tres inscripsit Epistolas, Viro Christiano dignas, quas Gennadius his verbis extollit.—" Cælestius, antequam Pelagianum dogma incurreret, *imo adhuc adolescens*, scripsit ad Parentes suos de Monasterio, Epistolas in modum Libellorum tres, in omnibus Deum desiderantibus necessarias." (4)—Romam deinde profectus, et Rufini ac Pelagii familiaritate usus, primus Hibernorum recti Dogmatis naufragium fecit.

De ingenii ejus acumine plura habent S S. Augustinus et Hieronymus, quorum prior inquit, tantam doctrinæ suæ propalandæ operam navasse, ut Sectatores Pelagii *Cælestiani nuncupentur.* (5) nec alio quidem nomine Pelagiani in Ephesina Synodo damnati sunt.

De eodem S. Hieronymus ait—" Unus Discipulorum ejus, (Pelagii) imo *jam Magister*, et totius ductor exercitus, et contra Apostolum Vas perditionis, per Solœcismorum, et non ut sui jactant per Syllogismorum, spineta decurrens, sic Pholosophatur," &c.—Hiberniam tantum virum, ante Sæculi quarti medium genuisse, haud minimi habendum puto.

Cælestii Opera.

Periere Opera Cælestii, quorum tres libros misit, medio Sæculo IV, ad Parentes suos, e nobili Hibernorum familia ortos, ut supra memoravi. Cæterorum quæ remanent fragmenta pauca sunt, Indicant autem *ex pede Herculem*, ita ut de eo dicenda sint, quæ de alio Hibernense scribit Anastasius Bibliothecarius ad Carolum Calvum, A. 865—" Mirandum est quoque, quomodo Vir ille

---

(1) S. Aug. de Pec. Orig. c. 12.

(2) Mercator in Commonitorio ad Pintam contra Julianum.

(3) " I procul insana Impietas, artesque malignas
Aufer, et auctorem comitare exclusa Britannum"

Ita Prosper in Carmine *De ingratis*, et iterum in Chronicho ad ann. 413. " *Pelagius Brito.*"

(4) Gennadius De Script. Eccl. c. 44—Auctor coævus.

(5) S. Aug. de Hæres. c. 88.—Idem in l. 2 contra 2 Epist. Pelag. c. 3, Cælestium " hominem *accerrimi ingenii* appellat, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset." Et quidem argumenta ejus a S. Augustino servata in libro *De perfectione* justitiæ, Cælestii acumen satis superque ostendunt.

barbarus (*Johannes Erigena*) qui, in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione longinquus, talia intellectu capere, in aliamque linguam transferre valuerit."—Hæc autem iis qui Hiberniam norunt minime miranda videntur. Gens enim Hibernica, quidquid vult, quidquid sentit, vel odio habet, valde vult, vehementer sentit, ex corde detestatur. Tertio et quarto Sæculo totam Britanniam Romanam bellico furore vastaverunt Pagani, jamque, vix *quinto inito* Giganteo quasi conatu, Christi fide imbuti, cum Hieronymo et Augustino disceptare aggrediuntur!—Hinc ad Scotos *in Christum credentes*, sed non recte credentes, Palladius primus Episcopus missus est a Cælestino I, testante coætaneo suo Prospero, Patricius *secundus* missus est, notante Mariano, anno 432.

Quæ supersunt Cælestii fragmenta, servata leguntur in S. Augustini Epistola ad Eutropium et Paulum, ex Sicilia ei perlata *nomine Cælestii*, uti narrat Prosper in Libro contra Collatorem c. 43,—De istis Fragmentis S. Augustinus, in eadem Epistola inquit—" Non abhorrent ab illius *ingenio*, quod in *Opere alio* ejus inspexi, cujus eum esse constat authorem."—Intitulantur *Definitiones Cælestii*, sive breves *Ratiocinationes*, quibus demonstrare conatur, more Socratico, hominem, solis varibus suis, posse peccata vitare, his et similibus argumentis.—

" Ante omnia interrogandus est, qui negat hominem sine peccato esse posse, quid sit peccatum? Quod vitari potest nec ne?—Si quod vitari *non* potest, peccatum non est. Si quod vitari potest, potest homo sine peccato esse quod vitari potest. Nulla enim ratio, vel justitia patitur, saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.

" Iterum quærendum est, Peccatum *voluntatis* an *necessitatis* est? Si necessitatis est, peccatum non est. Si voluntatis est, vitari potest.

" Et hoc dicendum est. Certe justus est Deus. Negari enim non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum, et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum est, quicquid non imputatur in peccatum, et si est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodo justus Deus dicitur, si imputari cuiquam creditur quod vitari non possit."

Ex his intelligimus, cur Epistola Pelagii ad *Demetriadem*, quam *luculentissimam* appellat Orosius, Apolog. p. 662, *Cælestii* opus esse existimatur, potius quam Pelagii. (1)—Ex illus officina prodiisse, tum hoc, tum alia etiam Pelagii nomine vulgata Opuscula, plane innuit Orosius ibidem "Imanissimus superbia *Goliath*, (Pelagius) habens post se Armigerum suum, (Cælestium) qui, etsi ipse non dimicat, *cuncta tamen* æris, et ferri suffragia subministrat"—Deinde de *Epistola ad Demetriadem* subjungit—" quamquam hoc quod neque apte neque decore dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque *Natales dederunt ut honestioribus studiis erudireris*, neque naturaliter provenit, ut saperes, sed illis Dictatoribus tuis." (Cælestio et Juliano.) Jam vero ex Gennadio scimus Cælestium e *nobili* genere ortum. Hinc itaque Orosius ansam arripit, ut Pelagium cum Cælestio conferat, atque ut inferiori loco natum contemnat.

---

(1) Pelagio adscribitur a S. Augustino, l. de Gratia c. 37, extatque inter Augustinianas N° 141, et inter Hieronymianas in t. 4, editionis Erasmi, itemque in t. IX Mariani Victorii, qui tamen monet—" *Cælestii nomen Exemplaria quædam præ se tulisse.*"

Hæc de Cælestio, antiquissimo Scriptore Christiano Hibernense, Hibernice *Ccallach* dicto, dicenda censui, quia ejus erroribus et ingenio præcipue debemus, quod S S. Palladius et Patricius in Hiberniam missi fuerint, ut *Scotos in Christum credentes,* sed non recte credentes, testante Prospero, ad rectam fidem revocarent. S. Augustinus ejus *ingenium et facundiam* plurimum commendat, in libro de Natura et gratia c. 6, et in l. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, c.' '. S. Hieronymus, acerbior cum in Hæreticos scribit, eum appellat "*indoctum calumniatorem,* qui nimia stertens vecordia, non intelligit leges commentariorum, &c. nec recordatur *stolidissimus,* et *Scotorum pultibus* prægravatus, nos in ipso dixisse opere, non damno digamos, imo nec trigamos, et si fieri potest *Octogamos,* plus aliquid inferam, etiam Scortatorem recipio pœnitentem."—His et talibus, pro innata sua asperitate, in Hæreticos fertur, iræ impatiens, ita ut nihil in ipsis ferendum, nedum laudandum putet. Alibi tamen Cælestium " *totius* Pelagiani *exercitus Ductorem*" appellat.

Scripsit Cælestius tres libros ad Parentes, *de Religione,* quos supra memoravi ex Gennadio, item librum *adversus peccatum Originale,* alterum *adversus Gratiam, Definitiones,* seu Ratiocinationes de impeccantia, quas posteritati servaverunt Marius Mercator, et S. Augustinus. De his Operibus consulenda est Dissertatio sexta Viri eruditi P. Garnerii in Marium Mercatorem, ubi pluribus agit De scriptis pro Hæresi Pelagiana.

Ex ejusdem S. Hieronymi libro 2 contra Jovinianum.

" *Quid loquar de cæteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos,* (1) *Gentem Britannicam,* humanis vesci carnibus? et cum per silvas, porcorum Greges, et armentorum pecudumque reperirent, Pastorum nates, fœminarumque papillas abscindere solitos, et eas solas delicias arbitrari?"

Obiit S. Hieronymus anno ætatis 91, Imperante Honorio, A. D. 420, ut in Prosperi Chronico, edito integre a Benedictinis. (2) Natus est itaque anno 329, atque Adolescentiæ annos egressum fuisse oportet A. D. 350. Scoti itaque, non modo in Britanniam, verum etiam in Galliam, vel ad prædas agendas, vel inter Auxiliarios Romanos adsciti, transmeare solebant ante annum 350.—Eorum immanem barbariem quod attinet, tria notanda sunt,—S. Hieronymum eo tempore non modo fateri se adolescentem fuisse, sed *adolescentulum;*—deinde hominem fuisse ingenii valde fervidi, ætate etiam provecta, ut qui, ea ætate, se ab Angelo flagellatum fuisse asserit, quod Ciceronem legisset;—tertio, in more fuisse in Gallia, ut ubique, istiusmodi narrationibus de *Scythica* barbarie, adolescentulos cohibere a vagando, ne Scholas atque tutores et Magistros desererent; 4to

(1) Ita exemplaria edita, Codices autem MSS. habent *Attacottos gentem Britannicam* &c. In Annalibus Hibernicis *Attach-tuatha,* quæ Vox ad literam significat *Giganteam-Gentem.* Variantes hujus nominis lectiones exhibet Labbe in notis ad *Notitiam* Imperii.—Erasmus in sua Hieronymi editione notat *Attacottos* pro Scottis legendum, consentientibus Codicibus.

(2) Rer. Gal. t. 1, Paris, fol. 1738, p. 629. Item *Labbe* in Bibliotheca Paris, 1657.

narrationem istam naturæ et experientiæ repugnare, nec facile quemquam induci posse, ut potius, Pastoris nates manducaret, præsente *adolescentulo* Hieronymo, quam Hieronymum ipsum. Denique S. Hieronymum nimium acriter in Hæreticos scribere solere, nec modum sibi imponendum putasse, quo minus eos rudes, luteos, carneos, plane animales homines, Monstra immunda appellaret.—Dixi *experientiæ* repugnare et *naturæ* quæ se *adolecentulum* vidisse narrat. Plinius quidem Scythas *Anthropophagos fuisse* ait l. 7, c. 2. At quomodo id probat?---Audiatur ipse "Esse *Scytharum* genera, et quidem plura, quæ corporibus humanis vescerenter, indicavimus. Idipsum incredibile fortasse, ni cogitemus in medio orbe terrarum, ac Sicilia et Italia, fuisse Gentes hujus monstri, *Cyclopas*, et Læstrygonas, et nuperrime trans Alpes hominem immolari, gentium earum more solitum, quod *paulum a mandendo abest*. Sed et juxta eos qui sunt ad septentrionalem versi, haud procul ab ipso Aquilonis exortu, specuque ejus dicto quem locum Gescliton appellant, produntur *Arimaspi*, quos diximus uno oculo in fronte media insignes."—Hæc Plinius, qui ad Gorgones et Harpyas, *ad Cyclopas*, et *Læstrygones*, aliasque Poetarum fabulas recurrere cogitur, ut absurdis Romanorum de *Scythis* opinionibus morem gerere possit, et *adolescentulorum* Phantasmata, atque Portenta, quæ ipse, a matre edoctus, non abjecit, tueatur.

Ex Orosii Historiar. l. 1, *c.* 2.

Edit. Havercamp, 4to, Lugd. Bat. 1738, p. 28.

"Hibernia Insula, inter Britanniam et Hispaniam sita, longiore ab Africo in Boream Spatio porrigitur. Hujus partes priores, intentæ Cantabrico Oceano, Brigantiam, Calleciæ Civitatem, ab Africo sibi in Circium occurrentem, spatioso intervallo *procul spectant*, ab eo præcipue Promontorio, ubi *Scenæ* fluminis (1) ostium est, et *Velabri*, Lucenique, consistunt. Hæc propior Britanniæ, spatio terrarum augustior, sed Cœli solique temperie magis utilis, a *Scotorum gentibus* colitur. Hinc etiam *Mevania* Insula proxima est, et ipsa spatio non parva, solo commoda, æque a *Scotorum gentibus* habitatur."

Ex eodem ib. p. 26.

"Hispaniæ secundus angulus Circium intendit, ubi *Brigantia* Calleciæ (2) Civitas sita, altissimam Pharum, et inter pauca mirandi operis, ad Speculam Britanniæ erigit." (3)

Vide quæ de his dicta sunt supra, ad Æthicum, pag. 55. Pro *Calleciæ* in vetusto Havercampi codice, libri vulgati habent *Gallecia*. Dio Cassius de Cæsare inquit l. 37, p. 49.—"Brigantium Urbem *Callaeciæ* prætervectus," unde patet oppidum fuisse maritimum, quod hoc Orosii loco confirmatur,

---

(1) In Æthici Cosmographia *Secanæ*, *Senæ* autem scribunt MSS. Codices, et editio princeps.

(2) In Vulgatis *Gallæciæ*. Æthici Cosmographia habet "Ubi Brigantia Civitas sita est *Galliciæ*, *ac* Altissimum Farum, (alii *ad* altissimum farum) et inter pauca memorandi operis, ad Speculam Britanniæ erigitur."

(3) Eadem habent Æthicus et Strabo, uti supra pag. 49.

neque enim alibi memorandi operis Pharus, usum sui nautis præbere potest.—Hinc patet vetera Carmina Hibernica, quæ Militis Hispani filios ex Brigantia Galliæciæ oppido in Hiberniam navigasse aiunt, vetustissimis consentire.

Ex Prosperi libro contra Collatorem, c. 41, *ubi de Cælestino I. Papa.*

"Nec segniore cura ab hoc eodem morbo (Pelagiano) Britannias liberavit, quando quosdam inimicos Gratiæ, solum suæ Originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, et ordinato *Scotis* Episcopo, dum *Romanam* Insulam studet servare *Catholicam,* fecit etiam *Barbaram* Christianam."—Collator is erat *Cassianus,* qui Monasterium Massiliæ, juxta Regulas Orientalium, extruxit, annum circiter 410, et *Collationes Patrum* Monachis *Stœchadensibus* inscripsit ante annum 426. Semipelagiani erant Monachi Massilienses, Lirinenses, Stœchadenses, et fere omnes Monachi istius ævi *Scoti* atque *Britanni.* Ipse *Sulpicius,* S. Patricii condiscipulus, ea nota inuritur a coævo Gennadio.

Ex ejusdem Chronico, edito integre a Benedictinis, t. 1 *Rer. Gal. fol. Paris,* 1738, *p.* 630. *Ann.* 429. *Florentio et Dionysio Coss.*

"Agricola Pelagianus, Severiani Episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ, Dogmatis sui insinuatione, corrupit, sed ad actionem *Palladii Diaconi,* Papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, et deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit." (1)

Ex eodem Chronico ad ann. 431.

"Basso et Antiocho Consulibus.—

Ad Scotos in *Christum credentes,* ordinatur a Papa Cælestino Palladius, (2) et *primus* Episcopus mittitur."

Notanda de Prosperi Chronologia.

Eadem quæ Prosper refert ad ann. 431, Beda refert ad annum VIII Theodosii Junioris. l. 1, c.13. Uterque Theodosii annos, non a tempore quo simul cum Honorio regnavit, sed ab Honorii obitu deducit. Conveniunt itaque ambo, neque ab hoc Cardine Chronologico discedendum esse,

(1) Eadem habet Beda. l. 1, c. 17.

(2) Ex loco Prosperi antecedente, liquet hunc Palladium eundem fuisse, qui a Cælestino obtinuit anno 429, ut S. Germanus ad Britanniam a Pelagianis liberandam mitteretur. Prosperus scripsit contra *Collatorem,* Cassiano adhuc vivente, anno 433.

indicat *Vita. S. Germani*, scripta a Constantio Presbytero, circa annum Christi 488, in qua S. Germani prima legatio in Britanniam refertur ad annum 429. (1)

Quod ad Scotos *in Christum credentes* attinet, eadem habent omnes Codices, et ex Prospero *Beda, Freculfus-Lexoviensis, Ado-Viennensis, Marianus-Scotus, Florentius-Wigorniensis, Hermannus-Contractus, Sigebertus*. Nulla itaque de genuina lectione suspicio oriri potest. Idem dicendum est de verbis *primus Episcopus* mittitur. Conveniunt enim *Beda* et reliqui cum Prosperi Chronico, edito tam a *Pontaco*, quam a *Canisio*, ex Codice Augustano. Antiqu. Lect. t. 1.---Deest tamen vox *primus* in *Du Chesnei* editione Rer. Francicar, t. 1, p. 205.

S. Patricius.

S. Patricium expressis verbis non nominat Prosper, sed dum Palladium *primum* Episcopum missum memorat, innuit alium postea missum, a quo Hibernia tota *Christianam* fidem didicit, eodem modo quo Britannia *Catholicam*.—Prosperi verba illustrant Sigebertus et Marianus, quorum prior ad annum 432.---" Cælestinus Papa ad Scotos in Christum credentes Palladium mittit *primum* Episcopum. Post quem ad eosdem ab eodem Cælestino missus est S. Patricius, genere Brito, filius Conches, sororis S. Martini Turonensis, qui in baptismo quidem dictus est *Suchat*, a S. Germano *Magonius*, a Cælestino vero *Patricius*, a quo Archiepiscopus Scotorum ordinatus, per LX annos signis, sanctitate, doctrina excellens, totam Insulam Hiberniam convertit ad Christum." (2)

Mariani Scoti verba hæc sunt, ad eundem annum---" Anno C. 432, Theodosii VIII. Bassus et Antiochus.---Ad Scotos in Christum credentes ordinatus a Papa Cælestino Palladius, *primus* Episcopus missus est. Post ipsum S. Patricius. Fuit genere Brito, a S. Cælestino Papa consecratus, et ad Archiepiscopatum Hibernensem mittitur. Ibi per annos *quadraginta*, signis atque mirabilibus prædicans, totam Insulam Hiberniam convertit ad fidem." (3)—Errorem in

---

(1) Rer. Gal. Script. t. 1, p. 642.

(2) Chronicon suum perduxit Sigebertus ab anno 381, ad 1112 quo obiit—Verba ejus supra allata sunt ex Vossio de Scriptoribus Latinis, Lugd. Bat. 1627, p. 209.—Vetustus, et si non *autographos*, saltem de eo exscriptus Chronici ejus codex, servatur in Bibliotheca Gemblacense. Voss. ib. p. 371.

(3) Ex editione Basileense 1559—Marianus Scotus, *vir ætate sua admodum disertus*, ut de eo Sigebertus in Catalogo Viror. illustr. c. 173, Chronicon perduxit ad ann. 1083—quod Dodechinus S. Dysibodi Abbas continuavit ad annum 1200. Sigebertus in Chronico suo de Mariani Chronico ad ann. 1061, inquit " Marianus Chronographus claret, qui " a *Scotia* in Gallias veniens, Coloniæ factus Monachus primo, postea apud Moguntiam reclusus est"—et ad ann. 1082 Marianus Scotus Chronicam suam a Christi nativitate inchoatam, usque ad hunç annum perduxit, qui erat ætatis suæ annus 56, multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui invenitur in Cyclo Dionysii, altrinsecus autem secundum veritatem Evangelii."

In hoc Sigeberti loco pro 56 legit Vossius 54. Exaratum nempe erat LIV, unde librarius proclivi errore fecit LVI. Marianus ipse ait in Chronico suo ad an. 1028 se eo anno natum fuisse. Idem ad an. 1056 se tum factum Monachum, et ad an. 1059 Presbyterum. Ad an. 1069 indicat se a Fuldensi reclusione ad Moguntinam transiisse. In Chronico suo sequitur Cassiodorum, uti et Cassiodorus Eusebium. Itaque ubi Eusebius errat, errant etiam isti. Interim utilitatis hoc adfert, inquit Vossius, quod cum suo ævo, *meliores habuerit Codices, quam hodie supersunt,* non pauca ex eo in *Eusebio, Cassiodoro, Beda,* et aliis, possunt emendari.

numeris irrepsisse, et pro *quadraginta* sexaginta legendum, vetustissimorum consensus demonstrat. Proclivis est error a XL ad LX, et viceversa. Hinc in eodem Chronico, ad ann. 491, S. Patricius in Hibernia prædicavisse legitur *annis sexaginta.* Ed. Basileæ 1559, pag. 356.

Sed quoniam abunde de veritate Missionis S. Patricii, in hujus nostri Lucubrationis parte 2da egimus, ab his ulterius prosequendis in præsentiarum supersedendum puto. Hoc tantum adjungo, Virum hunc Sanctissimum expressis verbis memorari a *Cummiano*, in Epistola ad *Segienum*, anno 634, ab Auctore Vitæ *S. Getrudis* anno 658, et a *Fiecho* Sleptense anno 520.

Monachorum in Hibernia instituta Orientalia.

Cum tota quæstio de authenticitate *Carminis Hibernici* in *honorem S. Patricii*, quod Fiecho Sleptensi tribuitur, pendeat a Sanctorum Germani et Martini Chronologia, atque a Monachorum origine in Hibernia, quæ certa sunt breviter perstringam.

Monachorum Instituta toto fere Sæculo ante S. Patricii adventum, invecta fuisse in Hiberniam patet ex supra allatis de Cælestio, qui ab ipsa adolescentia Monasterio se dicavit, ut scribit Gennadius (1)—Placuit nempe Altissimo ut S. Athanasius, ex Ægypto pulsus ab Arianis, Vitam Monasticam, usque ad id tempus in Occidente ignominiosam, (2) *Scotis, Attacottis,* aliisque barbaris Romanum Imperium vastantibus, S S. Ambrosio et Martino opem ferentibus, propalaret annum circiter 336.—Fugæ enim et laborum Socios habuit Monachos Ægyptios, attulitque secum in Europam Vitam *Antonii* a se scriptam, itidemque Pachomii Vitam Petrus ejus Successor, quas Romani, a Barbaris eo tempore vexati, ita in deliciis habuere, ut eorum exemplo, fugam in solitudines meditarent plurimi, et Pammachius, ex Senatore, Monachorum Occidentalium *primus,* in prima Urbe efficeretur. (3)

Hinc S. Martinus, ex Tribuno Militum Monachus, Mediolani sibi Monasterium statuit, cujus meminit S. Augustinus, sed inde ab Auxentio Ariano exturbatus, in *Gallinariam* Insulam se recepit, de qua, et de Monachis *Etrusci Maris,* inter quos S. Patricius postea versatus est, loquitur Rutilius Poeta Paganus, et Vir Consularis, qui Romæ Præfecturam admnistravit anno 417.

> " Processu Pelagi jam se Capraria tollit,
> Squalet lucifugis Insula plena viris,
> Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt.

---

(1) De Script. illustr. c. 44. Hoc opus scriptum fuisse ante ann. 493 demonstrant Baronius, Norrisius, et alii.

(2) Hieron. Ep. 16 ad Principiam. Rutilii Iter ex Codice Bobiense apud Maittaire, Corpus Poetar, t. 2. p. 1413."

(3) S. Hieron. ib. et Ep. 26, et 50.—" Nulla eo tempore nobilium fœminarum noverat Romæ Propositum Monachorum, nec audebat propter rei *novitatem ignominiosam.*—Marcella ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, *Papaque Athanasio,* et postea *Petro,* Vitam B *Antonii* adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide *Pachomii,* et Virginum et viduarum didicit Disciplinam." Hieron. Ep. 16. S. Pachomii *Regulam* eo tempore S. Hieronymus Latio donavit—Vide Holstenii Collectionem Regularum, Romæ 1661.—Scripsit præterea S. Hieronymus Vitam *Pauli,* cujus extat vetustissimum exemplar in Cottoniano, aliudque *Veronæ,* anni 517, ut plane demoustrat *Maffei,* Opusc. Eccl. p. 61.

Orósius coævus *Caprarienses* Monachos laudat, et eorum precibus Victoriam de Gildone partam testatur—" Mascεziel jam inde a Theodosio sciens, quantum in rebus disperatissimis, Oratio " hominis, per fidem Christi, a clementia Dei impetret, *Caprariam* Insulam adiit, unde secum " Sanctos servos Dei aliquot, permotos precibus suis, sumsit. Cum his, orationibus, jejuniis, " Psalmis, dies et noctes continuans, *sine bello victoriam* meruit, ac *sine cæde vindictam.*" Ed. Havercamp, p. 564.

Et hæc quidem evenere, non modo ante Patricii tempora, sed etiam antequam vel Pelagius vel Cælestius in Italiam venirent, ut supra memoravi. Martinus enim e Galinaria reversus, S. Hilario opem ferente, *Pictaviense* Monasterium condidit anno 361, deinde Turonense, et cum turbam se ibi frequentantium ferre non posset, aliud extra urbem condidit, ubi S. Patricium eum eo postea commoratum, Probus et Evinus, æque ac *Hymnus Hibernicus* retulerunt. Neque mirum si plurimi Auxiliares Hibernenses qui in Gallia militabant pro Romanis, Monasticam vitam amplexi sunt, sub tutela S. Martini, qui et ipse Miles erat, et Militum tribunus anno 350.

Episcopi tres Britanni, una cum Presbytero et Diacono Britanno, interfuere Synodo *Arelatensi* anno 314, ut patet ex tomo 1. Conciliorum Galliæ, edito Parisiis anno 1629, pag. 9.---Interfueres item Britanni Synodo *Nicenæ* anno 325, ut in Constantini Epistola apud Eusebium, l. 3 de Vita ejus c. 18, Socrat. l. 1, c. 6, l. 5, c. 31, Theodoret. l. 1. c. 10. Interfuere *Ariminensi* Synodo, ut apud Sulpitium severum, l. 2. p. 401.—Interfuere præterea *Sardicensi* Concilio anno 347, ut patet ex S. Athanasii Apologia 2da contra Arianos, et S. Chrisostomus circa annum 388, in Demonstratione *quod Christus sit Deus,* hæc habet de *Insulis Britannicis*—" *Britannicæ Insulæ,* Aι " Βρεττανικαι νησοι, extra hoc mare sitæ, et quæ in ipso Oceano sunt, virtutem verbi senserunt, " sunt enim etiam illic fundatæ Ecclesiæ, et erecta altaria." (1)—Iterum in sermone de utilitate lectionis Scripturæ---" Sive ad Oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas Insulas, καν προς τας " Βρεταννικας νησυς, sive in Euxinum pontum naviges, sive ad Australes partes abeas, omnes " ubique audies de iis quæ in Scriptura sunt Philosophantes, alia quidem voce, sed non alia fide."(2) Itemque in posterioris Epistolæ ad Corinthios c. 12 homilia 28---" In quamcumque Ecclesiam " ingressus fueris, sive apud Mauros, sive apud *ipsas Britannicas Insulas,* καν προς αυτας τας " Βρετανικας νησυς, clamantem Johannem audis, non licet tibi uxorem habere Philippi fratris " tui." (3)

S. Hilarii famam ante hæc tempora in Insulis Britannicis percrebuisse, vel inde patet, quod in Phrygia exul, Librum *de Synodis,* adversus Arianos scriptum, *Provinciarum Britanniarum Episcopis* dicavit, anno 358, in quo se *eorum literas* gratulanter accepisse testatur.

Frequens præterea erat his temporibus Hierosolymitana peregrinatio e Britanniis, ut patet ex S. Hieronymi, apud Bethlehem tum versantis, Epistola 12, editionis Erasmi, Basileæ 1516, fol. 57---" Divisus ab orbe nostro Britannus, si in Religione processerit, Occiduo sole dimisso, quærit " locum fama sibi tantum, et Scripturarum relatione, cognitum."

Neque solum in Palæstinam, sed etiam in Syriam, ad Symeonem Stylitam contemplandum,

(1) Operum t. 6. ed. Savil. Etonæ 1648, p. 685. (2) Ibid. t. 8, pag. 111. (3) Ibid. t. 3, p. 696.

Britannos proficisci assuetos, testatur Theodoretus, qui Symeonis adhuc viventis Acta conscripsit, in S S. Patrum Historia c. 26---" Venerunt *multi* quoque qui habitant *extrema Occidentis,* Hispani, " inquam, et *Britanni,*"—Ad horum sic peregrinantium usum Xenodochium etiam tum in Portu Romano a Fabiola conditum fuisse, patet ex S. Hieronymi Ep. 30, ibid. folio 91. " Xenodochium " in Portu Romano situm totus pariter mundus audivit. Sub una æstate didicit Britannia, quod " Ægyptus et Parthus noverant Vere."

Minime itaque mirandum si, eodem tempore quo Cælestius Martini Discipulus factus est in Gallia, *Kebius* Cornubiensis, S. Hilarii Discipulus, in Patriam rediens, uti narrat Vita ejus edita a Tinmuthense et Capgravio, inde in Hiberniam navigans, et ex Hibernia post annos quatuor Angleseiam, Promontorio prope Holyhead, *S. Hilarii* nomen, a Sacello ejus ibi posito, communicaverit, anno 369.

Extat usque hodie Codex operum S. Hilarii, Sæculo VII exaratus, in Monasterio Turonensi, cujus characteres cum Hibernensibus istius ævi mire conveniunt. Benedictini de isto Codice inquiunt---" *On donne plus de mille ans a ce MS. dans le Catalogue de la Bibliotheque de S. Martin de Tours. Bien loin de' en vouloir rebattre, nous le croyons au moins du* VII *Siecle.*" Nouveau Traite' de Diplom. t. 3, p. 171.---Extat in eadem Bibliotheca codex Commentariorum S. Hieronymi in Isaiam, Sæculi VIII, iisdem characteribus exaratus, cum Initialibus ornatis more Hibernico, Capitibus nempe, pedibus, Rostris, atque unguibus Avium et piscium, quæ omnia communem originem manifeste demonstrant. Servatur in eadem Bibliotheca Exemplar Evangelii S. Matthei, quod manu ipsius S. Hilarii scriptum putabatur, referente Ruinarto in Gregorii Turonensis Operum editione, col. 1317, de quo iidem Scriptores inquiunt iisdem characteribus, iisdemque ornamentis exaratum esse Sæculo VII. Ibid. pag. 86, et Codicem esse *Anglosaxonicum.* Sed pluribus demonstravi, in *Epistola Nuncupatoria* Characteres *Anglo-Saxonicos* a Benedictinis cum Hibernicis, etiam recentioribus Sæculi XII, confundi, et Descriptio istius Codicis talis est, ut de Dubliniense, *S. Columbæ,* dicto, facta videretur, Vide *Epistolam* prædictam pag. 182, et 237.

Descriptio ista sic legitur—" *Le Corps de ce beau MS. est de deux ecritures differentes. La* 1. *ere est l' onciale elegante, a pleins traits, et delies, la* 2. *de est l' onciale antique presse' et indistincte, c' est a dire, sans presque aucune distinction de mots. Les titres desrlivres sont en Capitale, et il n' y a aucune division de Chapitres. Les premiers lignes des alinea sont en rouge. Les derniers pages des cayers* (*quaternionum*) *sont marque'es par des chiffres Romains, avec quelques Ornamens. Le titre du Livre n' est point repete au haut des pages, et l' on ne porte point une partie d' un mot d' nne ligne a l' autre. Les y ne sont point surmonte's de points. On trouve peu d' abbreviations. Dominus est rendu par* Dns, *Sanctus par* Scus. *On fait ce MS. ancien de plus d' onze censans, dans le Catalogue imprime. A en juger par les modeles et la notice que Dom Iean le Saint nous a envoyes, on croira ce monument du* VI, *ou du commencement du* VII *Siecle.*" *t.* 3, *p.* 90.—Atqui alibi probavi nullum extare Codicem Anglosaxonicum Sæculi VI, vel inchoantis VII, cum antiquissimus sit Codex Bodleianus Græco-Latinus *Actuum Apostolorum,* Majusculis scriptus, anno 703, notante Usserio De Symbol. pag. 6, et huic proximus Codex *Cuthberti,* de dictus quidem *Anglosaxonicus,* sed revera Scholæ Lindisfarnensis S. Aedani, scriptus annum circiter 721, ut in *Epistola Nuncupatoria* pag. 209.

Iisdem characteribus quibus in veterum Hibernorum Scholis utebantur, scriptus est codex Sæculi VII Veteris Testamenti Turonensis, qui ibidem a Benedictinis memoratur p. 176, & 251.

S. Martini Monasteria Episcoporum Occidentalium Seminaria fuisse, scribit Sulpitius in Vita Martini c. 7—" Pluresque, inquit, ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset Civitas aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio caperet Sacerdotem?"(1)

Procedente tempore, adeo crevere S. Martini Discipuli, ut, teste eodem ad ejus funus *duo millia* concurrerint Monachorum.---Quid itaque prohibet quominus, juxta *Hymni Hibernici* narrationem, S. Patricius, S. Germano Magistro usus, aliquantisper cum S. Martino familiariter diversatus fuerit, cum anno 272 in lucem editus, anno 388 ductus Captivus in Hiberniam, anno 395 liberatus, non ante annum 402 Romam perrexisse dicendus sit? Hoc intervallo plura S. Martini Monasteria condita fuere; (2) et cum varia Sæculo v Decreta pro Monachis legantur in Turonensis Provinciæ Conciliis, in Andegavensi, et Venetensi, Monasticam professionem per illas Regiones eo Sæculo valde diffusam fuisse manifestum est. Penetrasse etiam in 2dam Lugdunensem itemque ad Morinos, prope Portum *Iccium*, testes sunt Epistolæ tum Innocentii I. ad Victricium, hujus propagationis auctorem, tum S. Paulini ad eundem. *In Hiberniam Insulam, per S. Patricium, S. Martini Discipulum,* invectam fuisse vitam Monasticam, scribit Mabillonius in Annalibus, t. 1, pag. 6. Id autem immerito, cum dimidio saltem Sæculo præcesserit *Cælestius.* (3)

Magna æstimatio in qua S. Martinus ab Hibernensibus habebatur, satis clare apparet ex iis quæ de eo in Epistolæ nostræ Nuncupatoriæ Indice videri poterunt, Voce *Martini,* unde intelligimus S. Columbanum, e Burgundia pulsum a Theodorico, ad Martini sepulcrum Turonos divertisse, ut Sanctissimi Viri memoriam, ea qua decebat reverentia, et honore prosequeretur; non modo quod S. Patricii Magister fuerit, sed quod cælesti charitate, et mente plane Evangelica, præditus, anno 384, apud Treveros constitutus, testante Sulpicio, *non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione hæreticorum desisteret, orare Maximum ut a Sanguine infelicium abstineret. Novum esse et inauditum nefas ut Causam Ecclesiæ Judex Sæculi judicaret.*—Denique quoad usque Treveris fuit, *dilata cognitio est* Priscillianorum, et mox discessurus, egregia auctoritate a Maximo elicuit sponsionem, *nihil cruentum* in reos constituendum." (4)

Laudent alii Alexandrum, qui, amicis trucidatis, cervice celsa, et insatiabili corde, Achillis cippum circumcucurrit, unctoque coronam imposuit. Patrocli tumulum coronet Hephæstion, Invidi atque maligni Philosophi, *Rousseaui,* sepulchrum Paganica æmulatione invisent Scioli.

---

(1) Sulp. Sev. in Rer. Gal. t. 1, p. 574—" In Monasterio isto, inquit, ars, *exceptis Scriptoribus,* nulla." ibid. Vide quæ de *Scribis* Monasteriorum Hiberniæ diximus in Epistola Nuncup. in Indice voce *Scriba.*

(2) Eo intervallo plura Romæ Monasteria cognovit S. Augustinus, Vide de Morib. Eccl. S. Hieronymus inquit—" nunc *multi* Monachi Sapientes, nobiles, potentes." Ep. 16.

(3) Omnes fere Pelagiani Monachi erant, uti et eorum Antesignani *Pelagius et Cælestius.* S. Eusebio Vercellensi S. Ambrogius id elogii tribuit, quod *primus in Occidente* diversa inter se conjunxit Clericorum et Monachorum Instituta, Ep. 63.—In Dalmatiæ Insulis *Monachorum Choros* memorat S. Hieronymus, Ep. 2.

(4) Sulpicii Severi de Vita S. Martini, Amstelod. 8vo, Varior, 1665, pag. 428. Item in t. 1, Rer. Gal. p. 573. S. Martini vitam scripsit Sulpicius anno 2do. post obitum ejus, i. e. anno 403, ut in Tironis Prosperi Chronico Rer. Gal. t. 1, p. 637. Alibi notavi Operis Sulpicii Codicem extare anni 517.

Per me licet. Mortalia facta peribunt. Alexander omnium Victor, inter voluptates quas vincere non potuit interiit. Non ita Martini Charitas quæ manebit in æternum.

Quo anno obierit incertum reliquere Benedictini. (1) Ego Usserii rationibus adhæreo, qui ejus obitum refert ad annum 401. Sulpicius enim inquit obiisse anno XVI a *Consulatu Evodii*, qui fuit æræ nostræ 401, et Gregorius Turonensis ait obiisse *media nocte quæ Dominica putabatur*, et conveniunt Martyrologia omnia et Capitularia obiisse *iii Id. Novemb.* Atqui media nox Dominicam decimi Novembris claudebat anno 431. Potuit itaque S. Patricius cum S. Martino diversari Spatio dierum XL, anno 431, et deinde in Italiam, et ad *Insulas Tyrrhemi maris*, perrexisse anno 402. (2)—Post plurium annorum moram in istis Insulis, ad S. *Germanum* redire potuit in Galliam, ejusque Discipulatui se addicere, usque ad Missionem ejus in Hiberniam anno 432. Hinc non modo non rejiciendus est Hymnus Hibernicus, Fiecho adscriptus, quod ista referat, sed potius vel ideo pro antiquo habendus, quod cum antiquissimis conveniat. Conveniunt etiam tempora, Germanus enim a Præfectura Sæculari ad Sacerdotium raptus est anno 418, ut patet ex Constantio, qui eum Amatori successisse inquit annis XXX, diebus XXV, et Amatorem obiisse *Kalendis Maii feria* IV, qui characteres conveniunt cum anno 418.

Prima ejus in Britanniam Legatio incidit, ut supra, in annum 429, tribus annis ante adventum S. Patricii, Secundam legationem incidisse in annum 447, patet ex Constantio, qui ad *alterum ante obitum ejus annum* id referendum esse declarat.

Ex dictis patet omnia, de quibus hactenus egimus, Instituta Monastica, ex Oriente in Occidentem translata fuisse. Cassianus Lerinensis, Ægyptiorum institutis a puero edoctus, iisdem *Massilienses* suos et *Aptenses* imbuisse certum est, ex Præfatione ejus ad Castorem. Lerinensium Regulam, *juxta Orientalium Patrum Instituta* scriptam fuisse, narrat Auctor Vita S. Eugendi c. 14, apud Bollandum ad 1. Januarii. Eandem regulam in insigni Monasterio Aquileiensi, in quo Rufinus, Cælestii amicus, se Monachum fuisse scribit anno 380, Norrisius invaluisse probat, (3) iisdemque Institutis imbutos fuisse ait, omnes illos Etrusci Maris Monachos, de quibus S. Hieronymus, Fabiolam laudans, in Epistola 30 ad Oceanum, inquit—" Peragrabat Insulas, *et totum Etruscum mare, Volscorumque Provinciam, et* reconditos curvorum litorum sinus, in quibus *Monachorum consistunt chori.*"—(4) Hanc veterem Orientalium Regulam, in Galliam ex Hibernia introduxit Sæculo VI Columbanus, ut patet ex Ionæ coævi Opere de Vita ejus c. 6.

---

(1) Rer. Gal. t. 2, p. 152, et Sulpicius ibid. pag. 463.

(2) Ita vetus scriptor *Tirechanus*, qui vitam S. Patricii scripsit Sæculo VII, apud Usser. Primord. p. 835, et Vetus Anonymus ibidem " Ad B. Martinum venit, et mansit XL dies cum illo, *Secundum Libros Hiberniæ*." ibid.

Hornius, id refert ad ann. 402. *Evodii* enim Consulatum incidisse in annum 386, a quo supervixit Martinus *annos* 16. Not. ad Sulp. pag. 492. Amstelod. Elzivir, 1662. Atqui id, a fortiori, cum S. Patricii historia conveniret.

(3) " Italiæ Monasteria, quæ apud Urbem, et Mediolani se vidisse scribit Augustinus, Volscorum, atque in Tusciæ Insulis Monasteria, et Aquileiense, S. Athanasii Insituta secuta esse non dubito." Norris Hist. Pelag. l. 2, p. 276. fol. Veronæ 17.

(4) Hæc Monasteria a S. Patricio frequentata fuisse, scribit Sæculo IX Probus, et ipse Patricius, ni fallor, apud Usser. Primord. p. 836 " Timorem Dei habui Ducem Itineris per Gallias atque Italiam, etiam in Insulas quæ sunt in Mari Tyrrhæno." Itemque Fiecus in Hymno *Hibernico*, Strophe 6.

Pelagium et *Cælestium* Monachos fuisse, res est notissima, idque *Rufinus* de seipso testatur. Atqui Rufinus, anno 396 et sequenti, Romæ degebat, quo tempore *Pelagium diutissime Romæ vixisse*, scribit S. Augustinus, De peccato Orig. l. 2, c. 21, et "*Cælestius ante viginti plus minus annos, Discipulus fuit, et auditor Pelagii,*" testante Mario Mercatore in Commonitorio ad Theodosium.

Rufinus præterea Aquileiam ivit anno 397, nunquam deinde Romam reversus, ut demonstrant Fontaninius et Norrisius, et Cælestius ipse in Synodo Carthaginiense anni 412, suam a Rufino doctrinam, *dum Romæ versaret*, se didicisse testatus est. Cælestius itaque et Pelagius vixere *diutissime* Romæ ante annum 396, et Cælestii *Adolescentia*, quo tempore *tres libros* ad Parentes e Monasterio scripsit, ad S. Martini Sholam referenda est, dum adhuc in Turonensi Monasterio, et in Insulis Tyrrhæni maris, Orientalium Monachorum Disciplinæ vigebant.

Id demonstratur ex Cyclo Hibernico annorum 84

Hibernos, juxta Sulpitii Severini Regulam, Cyclum annorum 84, in Paschate designando observasse, author est Aldhelmus in Epistola ad Geruntium, inter Bonifacianas numero 44. (1) Id refert Usserius ad annum 410, " unde, inquit, Cycli illius et *auctorem* habemus Severum, Patricii nostri " sub S. Martini Magisterio condiscipulum, et *locum* Galliam, *tempus* quoque annum circiter " 410." Primord. p. 930. Atqui Cyclus is annorum 84, non erat Romanus, annorum pariter 84. Non enim a 16ta Luna ad 22dam, ut Romani, sed a 14ta ad 20mam, Paschales Dominicas numerabant Hiberni, testante Beda, l. 2, c. 2, l. 5, c. 22. Hanc autem methodum ab Alexandrinis ad Hibernos profluxisse, vel inde patet, quod suam methodum *Anatolii* Alexandrini auctoritate defendebant, ut patet ex eodem Beda, l. 3, c. 25, et ex Cummiani Epistola in Sylloge, p. 32.

Cummianus illam Epistolam scripsit sub initium anni 634, quo novus Cyclus annorum 84 incepit. *Aldhelmus* vero Epistolam suam ad *Geruntium* Cornubiensium Regem scripsit anno 690.

Jam vero S. Cummiani verba valde notanda sunt, quibus, Hibernorum Cyclum respuens, inquit se " Cyclum Decemnovenalem, a Nicæna Synodo constitutum, invenisse *Cyclo Hibernico* " *annorum* 84, *cujus auctorem, locum, tempus, incertum habemus, valde contrarium, in Kalendis, in* " *Bissexto, in Epacta, in XIV Luna, in primo mense, in Æquinoctio---Deinde inveni Cyclos, contra* " *hunc quem vos tenetis esse contrarios. Primum illum quem S. Patricius Papa Noster tulit et* " *fecit,* in quo *Luna a XIV usque in XXIIm.* (Usserius legit XXIIm.) *regulariter,* et Æqui- " noctium a XII Kal. April. observatur."

Ex his patet S. Cummianum asseruisse *S. Patricii Cyclum*, quem in Hiberniam intulerat, eundem esse ac Romanum, ac diversum ab Hibernico *annorum* 84! Tribuit enim ei easdem Lunas Paschales, et idem Æquinoctium, quod Romana istius temporis Ecclesia jam receperat. —Atqui hoc verum esse nequit. Non enim eadem fuit ipsa Romana Disciplina anni 432, ac

(1) In Bibliotheca Patrum maxima t. 13, p. 86.

anni 634, et præterea Usserius hanc Cummiani opinionem refellit, ex vetere Catalogo Sanctorum in Primordiis pag. 930, editionis Dubliniensis, et p. 482 Londinensis.

Cummianus, ex nimia erga S. Patricium reverentia, sibi persuadere non poterat, tantum Virum Cyclum erroneum induxisse in Hiberniam.—Unde ipsi tribuit Cyclum, in quo Pascha *regulariter*, i. e. juxta Universalis Ecclesiæ regulas observabatur, quod plane absurdum est.—nempe, Vir bonus, Romanam ipsam Ecclesiam non nisi post annum C. 525, eam, quam tunc tenebat, Paschatis celebrandi rationem, accepisse, et in ea cum Alexandrina et Orientali Ecclesia consensisse nesciebat.—S. Columbanus, in Epistola 2da. ad Gallos, anno 599, vel. 600, inquit—se "*tres tomos* " Papæ (Gregorio) scripsisse, et *Libellum* Sancto eorum fratri *Arigio*, contra Romanum Pascha, et " suos (Hibernos) *Anatolii*, atque *Orientalium* Paschale Computum longe præferre *Cyclo Victorii*, " quem Romani sectabantur, utpote nuperi scriptoris, qui post tempora D. *Martini*, et D. " *Hieronymi*, et Papæ *Damasi*, post *centum et tres annos*, sub Hilaro scripsit."

EX HISTORIA GILDÆ EDITA A GALE

CXI.—De duabus gentibus Victricibus (al. Vastatricibus.)

Vastationes præcipuas præcedentes, ab Ammiano memoratas, retuli I. ad *annum* 343, quo Rex Hiberniæ *Mureadeach-Tireach* prædecessorem suum Collaum, eique adhærentes, in Albaniam abegit---II. *ad annum* 360, quo Rex erat Hiberniæ, non Niallus Magnus, ut Usserius putavit Primord. p. 587 et 1086, sed *Eochoid Muighmeadhon*, prædicti Mureadhachi filius, qui uxorem habuit Carinnam, Saxonici Regis filiam, Nialli Magni matrem. Saxones his temporibus, cum Hibernis et Pictis sociatos, Britanniam infestare solitos, testes sunt locupletissimi Eutropius, ubi de Carausio, ad annum 285 l. 7, c. 25, Beda l. 1, c. 6, et Ammianus ad annos 360, et 364.

III.---Tertiam retuli ad annum 364, regnante adhuc in Hibernia *Eochodio*.—IV. Quartam, a Theodosio repressam, refert Ammianus ipse ad annos 367, 368---369. Eo autem tempore Rex erat Hiberniæ *Crimthan mac Fiadach*, qui transmarinis expeditionibus, non modo in Britanniam, sed etiam in Galliam, memorabilem se reddidit, ut recte refert Flaherteus p. 380.

His ita accurate statutis, sequuntur jam Vastationes a Gilda memoratæ, ab anno 388. (1)

De prima vastatione,—Gildæ textus.

C. XI. p. 12. " Exin Britannia, omni armato milite, militaribusque copiis, rectoribus linquitur immanibus, ingenti juventute spoliata, quæ comitata vestigiis supradicti Tyranni, (Maximi)

(1) Annum 388 apposui, quia hæc refert Gildas ad annum obitus Maximi, qui occisus est anno 388, nono *Nialli Magni* Regis Hiberniæ, itemque *Theodosii*, qui eo anno *Chrysantum* misit in Britanniam. Socrat. l. 7, c. 12.—Florentius quidem Vastationem hanc refert ad annum 393, eique adhæret Usserius. Ego Gildæ rationibus adhæreo. Usserius nec cum seipso constat, nec cum Gilda—*Aliquando bonus dormitat Homerus*. Vide Prolegom. part. ii. p. 115.

domum nusquam ultra rediit, et omnis belli usus ignara penitus, duabus primum gentibus transmarinis vehementer sævis, *Scotorum* a Circione, *Pictorum* ab aquilone, calcabilis, *multos* stupet, gemitque per annos.

C. XII. "Gens igitur Britonum, Scotorum Pictorumque impetum non ferens, ob quorum infestationem, ac dirissimam depressionem, Legatos Romam cum Epistolis mittit, militarem manum ad se vindicandam, lachrymosis postulationibus poscens, et subjectionem sui Romano Imperio continue, tota animi virtute, si hostis longius arceretur, vovens. Cui mox destinatur Legio, præteriti mali immemor, sufficienter armis instructa. Quæ ratibus trans Oceanum in Patriam advecta, et cominus cum gravibus hostibus congressa, magnamque ex eis multitudinem sternens, et omnes e finibus depulit, et subjectos Cives tam atroci dilaceratione, ex imminenti Captivitate liberavit. Quos jussit (Imperator) constituere inter duo maria, trans Insulam murum, ut esset arcendis hostibus turba (a turba) instructus terrori, civibusque tutamini. Qui vulgo irrationabili absque rectore factus, non tam lapidibus quam cespitibus, non profuit. (1)

De Secunda Vastatione.

C. XIII. "Illa Legatione, cum triumpho magno et gaudio domum repetente, illi priores inimici, ac quasi Ambrones Lupi, profunda fame rabidi, siccis faucibus in ovile transilientes, non comparente Pastore, alis *remorum, remigumque brachiis, ac velis vento sinuatis vecti,* terminos rumpunt, cæduntque omnia, et quæque obvia, maturam seu segetem, metunt, calcant, transeunt. (2)

XIV. "Itemque mittuntur queruli Legati, scissis, ut dicitur, vestibus, opertisque sablone capitibus, impetrantes a Romanis auxilia, &c.

"At illi, quantum humanæ naturæ possibile est, commoti tantæ historia tragædiæ, volatus ceu Aquilarum, equitum in terra, nautarum in mari, cursus accelerantes, inopinatos primum, tandem terribiles inimicorum ungues, cervicibus infigunt mucronum, casibusque foliorum tempore certo ad simulandam, istam peragunt stragem. Ac fit si montanus torrens, crebris

(1) Incidit hæc prima vastatio in annum IX Nialli Magni, cujus anno IX S. Patricius ductus est captivus in Hiberniam, ut scribit Florentius ad ann. 388, qui ad annum 372 inquit—"S. Patricium natum in Britannia, ex Patre *Calprun* nomine, qui Presbyter fuit, filius Diaconi nomine *Fodit.*"—Captivitati ejus in Hibernia *Sex* annos, ab ætatis anno 16, recte tribuunt Fiechus, Jocelinus, Tinmuthensis. Probus et Ninius *septem.* Cum prioribus consentit Usserius, qui eum anno ætatis XXII liberatum scribit, anno C. 394. Primord. p. 830.

(2) Hanc 2dam vastationem Gildæ, Usserius refert ad annum 425, et Legionem a Romanis missam, illam fuisse inquit quam, Gallione Ravennate Duce, misit Valentinianus III. Et quidem Sabellicus id satis indicare videtur—"Burgundiis, inquit, Galliam infestantibus, Ætius suos ex Insula (Britannia) *revocare coactus est.* Scoti, post "Legionariorum decessum, cum Albiensibus confestim ad res novas consurgunt, navibusque circumvecti, maritima "Britanniæ oppida, ferro et igni populantur. Exarsisset per hæc novum bellum in Insula, nisi Valentiniani jussu "nova Legio, quæ Parisiis præsidio erat ab Ætio relicta, Gallionis Ravennatis ductu, Insulanis præsto affuisset." Apud Usser. Primord. p. 603. Obstat autem Beda, qui *2dam Legationem* refert ad ann. 414. Vide Prolegomena infra part. 2, p. CXVII, Obstat et Historia Romana quæ Gallionis Legionem revocatam indicat anno 426.

tempestatum rivulis auctus, &c. uno objectas sibi *evincit gurgite moles*, ita æmulorum agmina, auxiliatores egregii, si qua tamen evadere potuerant, propere *trans maria* fugaverunt, quia *anniversarias* avide prædas, nullo obsistente, *trans maria* exaggerabant.

" Igitur Romani Patria reversi, &c. suadentes murum, non ut alterum, sumptu publico privatoque, adjunctis secum miserabilibus Indigenis, solito structuræ more, tramite a mari usque ad mare, inter urbes, quæ ibidem forte ob metum hostium collocatæ fuerant, directo librant, fortia formidoloso populo monita tradunt, exemplaria instituendorum armorum relinquunt, in littore quoque Oceani ad meridianam plagam, qua naves eorum habebantur, et (*quia et*) inde Barbariæ (Barbarica) feræ bestiæ timebantur, turres per intervalla ad prospectum maris collocant, (et) valedicunt, tanquam ultra non reversuri.

De tertia vastatione.

C. XV. " Itaque illis ad sua revertentibus, emergunt certatim de Curicis, (Currucis) quibus sunt trans *Tithicam* (3) vallem vecti, quasi in alto Titane, incalescentesque caumate, de arctissimis foraminum Cavernulis, fusci vermiculorum Cunei, tetri Scotorum Pictorumque greges, moribus ex parte dissidentes, et una eademque sanguinis fundendi aviditate concordes, furciferosque magis vultus pilis, quam Corporum pudenda, pudendisque proxima, vestibus tegentes, cognitaque condebitorum reversione, et reditus denegatione, solito confidentius, omnem Aquilonalem, extremamque terræ partem, pro Indigenis *muro tenus* capessunt. (i. e usque ad *murum prædictum*, inter *Tinæ* et *Ithunæ* æstuaria, ubi *Severus* murum extruxit, ut Beda testatur.)—Statuitur ad hæc in edito arcis Acies, segnis ad pugnam, inhabilis ad fugam, &c.

"Interea non cessant Uncinata nodorum tela, quibus miserrimi Cives de muris tracti, solo allidebantur, &c.

" Quid plura loquar? Relictis Civitatibus, muroque celso, iterum quibus fugæ: iterum dispersiones solito desperabiliores. Item ab hoste insectationes: item strages accelerantur crudeliores, et sicut Agni a lanionibus, ita deflendi Cives ab Inimicis discerpuntur, ut commemoratio eorum, ferarum assimilaretur agrestium."

Notanda de his Vastationibus.

Primam Gildæ Vastationem retuli ad annum 388, quo Maximus occubuit. Secundam ad annum post obitum Theodosii 396, regnante adhuc in Hibernia Niallo.—Ab his quidem rationibus dissentire

(3) *Scythicam* legunt Usser. Primord. p. 606, et *Bertram.* Eandem historiam refert Fabius Ethelwerdus " Audito oppositum sibi exercitum domum reversum, *Scoti et* Picti gaudio gavisi sunt.—Iterum arma movent—Vastant partem in axe Aquilonis usque ad Severiam fossam. Britanni muro insistunt.—Tum *astuta gens Scotorum,* gnara quid faceret pro imminenti muro, ac sude profundo saltu, ferreos in mensura, arte Mechanica, struunt aculeos, superstantesque muro deorsum trahentes avide interimunt." Eadem refert Paulus Diaconus Hist. Aug. Script. Genevæ 1544, pag. 158.

videtur Beda, qui primam Legationem refert ad annum 414. Beda autem Vastationum tempora nusquam indicat, sed tantum *Legationum.* Nusquam asserit *primam Legationem* missam fuisse ob *primam vastationem*, vel ob *Secundam.* Imo vero Vastationes *Anniversarias* fuisse declarat, et ipsam primam Legationem *ob plures vastationes* missam fuisse testatur.—Obscura sunt valde, et secum pugnantia quæ a Gilda, Beda, et Usserio narrantur de Chronologia Vastationum.. Usserius neque cum seipso constat, nec cum aliis. Manifestissime patet Vastationes fuisse *anniversarias*, partim ex Hibernia, partim ex Hibernorum *Dalriada-Albanica* factas, (1) quarum *tres dirissimæ* evenere in intervallo inter obitum Maximi, anno 388, *et tertium Ætii Consulatum*, anno 445. *Primam* et *Secundam* evenisse constat, regnante in Hibernia *Niallo magno*, qui regnavit ab anno 379 ad annum 406, et *tertiam* postquam Legio Romana, sub Gallione, murum extruxit, ubi *Severus* suum extruxerat. Id autem evenit A. D. 426, a Cæsaris adventu 475.—" Quibus ad sua remean- " tibus, inquit Beda, *Scotti et Picti redeunt confestim ipsi*, et solito confidentiores facti, omnem " Aquilonalem, extremamque Insulæ partem, pro Indigenis ad murum usque (prædictum) capessunt." Hanc *tertiam* alia antecessit, quam memorant ad annum 418, Zosimus, Chronicon Saxonicum, et Ethelwerdus. Sed de tribus tantum *dirissimis* agunt Gildas, et Beda, qui Tertiam Legationem, sed non *Vastationem*, refert ad annum 445.

Quo anno Gildas Librum de Excidio composuit.

Gildæ libri *De Excidio* meminere Beda l. 1, et Alcuinus in Epistola ad Edilhardum, quam ex Codice vetustissimo Monasterii Hibernici *S. Galli*, edidere Canisius et Basnage, in Thesauro, Antwerpiæ 1725, t. 2, p, 385.—Anno 564 scriptum fuisse, et Gildam obiisse anno 570, asserit Usserius. Alii tamen, anno 581, adhuc in vivis fuisse, fere nonagenarium opinantur.

Saxones in Britanniam venisse anno 446,. patet ex Bedæ l. 5 ad finem. Ibi enim annum adventus Saxonum 285, annum esse ait Incarnationis 731. Atqui se natum narrat Gildas anno obsessionis Badonicæ, quæ facta est ante mortem *Hengisti*, qui, juxta Malmesburiensem, l. 1, " obiit anno adventus sui 39, Christi 485, et reliquit filium, *pacis amantem*, qui, magis tuendo " quam ampliando regno intentus, *Paternos limites nunquam excessit*, consumptisque annis 24 " filium *Otham*, ejusdemque filium *Ermericum*, habuit successores, sibi quam Avo suo aut " Proavo similiores."—Hengisto itaque tribuenda est Obsessio Badonica, quæ proinde cum anno circiter 484 recte componetur, et cum Gildæ ortu. Anni enim 44 quos Gildas numerat, non inter Saxonum adventum et Obsessionem istam intercesserunt, ut Beda sentire videtur, sed inter obsessionem et Opusculi sui *De Excidio* descriptionem. Loquitur quidem manifestissime de annis

(1) Advecti navibus, *Anniversarias prædas trans maria cogere solebant.*" Gildas c. 13, Bed. l. 1, c. 12. Ex Hibernia et ex Dalriada Abbanica factas notat recte Smith ad Bedam l. 1, c. 14, editionis Cantabrigiensis p. 51. not. 25, ubi ad Bedæ verba—" Revetuntur ergo impudentes Grassatores *Hiberni* domus, post non longum tempus reversuri"—inquit —" notandam esse appellationis *Hiberni* proprietatem, *Hibernos* vocat Scottos" &c. Hibernia enim *propria erat eorum patria*, unde in Britanniam anniversarie revertebantur.

44, quorum extremus adhuc erat in fluxu dum scriberet, "44tus *orditur* annus, mense *jam uno elapso,*" unde sequitur Opus illud scriptum fuisse anno 528, anno 35 post obitum S. Patricii.

Beda prælium *Badonicum* referre videtur l. 1, c. 16, ad annum 492, *annum* 44 *ab adventu Saxonum.* Adventum autem Saxonum refert ad annum 446. (1) Errant itaque Usserius, Turner, et alii, qui putant Saxonum adventum a Beda referri ad annum 449.—Usserius idem prælium refert ad annum 520. At Beda annos 44 a Gilda numeratos, orditur ab adventu Saxonum anno 446, ac proinde prælium Badonicum refert ad annum 490.—Ego a Beda dissentio quatenus annos 44 numerat ab adventu Saxonum, et ab Usserio et Turnero, quatenus Saxonum adventum referunt ad annum 449, et Prælium Badonicum ad ann. 520.—Denique ab Usserio dissentioo, quatenus Gildæ Librum scriptum asserit anno 564, cum scriptus fuerit revera anno 528.

Doctissimus Smith in nota ad Bedam l. 1, c. 22, p. 58, ait "*Gildam auctorem libri De Excidio fere ignotum.*"—Nomen *Gildæ* esse *exclusive Hibernicum,* et Patria Hibernensem fuisse, indicavi in Epistola Nuncupatoria, et in Prolegomenis infra parte 2, p. 28, nec obstare quod *Brittonum Historiographus* dicitur, cum et similiter Americanorum Historiographus dici possit *Robertsonus.* (2)

De Carmine Hibernico, Fieco Sleibhtiensi adscripto, Prænotanda.

Jamque, Auctoribus omnibus *exteris,* qui de Hibernia usque ad Sæculum VI scripsere, in medium allatis, restat ut ad Hibernicos, qui nunc sese offerunt, advertamus.—Eos omitto quorum non nisi nomina remanent, itemque eos, quorum Carmina ut spuria respuenda esse, posthac Deo volente, demonstrabo—Carmina *Olildo-Olamio,* Regi Ethnico Momoniæ adscripta, itemque *Tornæ* adscripta, respuo, utpote post Patricii adventum fabricata.—His igitur omnibus prætermissis, quæ Historiam Hibernicam non illustrant, sed Anilibus fabulis obnubilant, ad ea quæ *Fieco Sleibhtiensi,* meo judicio haud absurde tribuuntur, accedo.

De hoc Carmine hæc habet Usserius—" Præter *Probi,* et *Ninii,* de S. Patricio Scripta, quatuor, " *ante Jocelini ætatem exarata,* nobis videre contigit. Eorum *primum* Poema fuit Hibernicum, 34 " distichis comprehensum, *Dubhtachi* Poetæ Discipulo *Fieco* attributum." Primord. p. 819.

Carmen hoc edidit Colganus ex *pervetusto Codice, qui Liber Hymnorum inscribitur,* in Triade p. 1.—De hoc Codice Usserius ad Vossium scribens, inquit—" In *Hymnorum,* partim Latino, " partim Hibernico sermone scriptorum, *Codice vetustissimo,* notatum reperi, Symbolum S. " *Athanasio* vulgo tribûtum, trium Episcoporum Opera, in Nicæna Synodo compositum fuisse,

---

(1) Bed. ad. l. 5 finem.

(2) Plures fuisse Gildas, eosque omnes Hibernici Generis, probavi infra, parte 2, p. 28.—Inter hos numerandus est Gildas qui de *Computo* scripsit, ut in Usserii Sylloge p. 55, et S S Actis p. 202.—Bollandus ad 1. Jan. Gildam Albanium *Cauni* filium, S. Patricii Discipulum, confundit cum Badonico.—Albanicus memoratur ex vetustis Codicibus a Tigernacho, et in Annalium Inisfalensium Autographo Bodleiano, scripto A. D. 1215. Obiit Grandævus anno 420.

Errant itaque *Mabillonius, Vossius, Bollandus,* et ii omnes, qui Gildas *Badonicum, Albanicum, Sapientem* et *filium Nave,* unum et idem fuisse declararant. De *Albanico* vide infra pag. 93, 94, et parte ii, p. 28.

" *Eusebii et Dionysii, et nomen tertii nescimus.*---In eadem Hymnorum Collectione, Nicetam Deum " laudavisse legimus, dicentem *Laudate Pueri Dominum—Te Deum laudamus*---et quæ sequuntur " in Hymno illo decantatissimo, qui vulgo *S. Ambrosio* tribuitur."

Hæc scribit Usserius in Libro raro, de Romanæ Ecclesiæ *Symbolo Apostolico* vetere, aliisque fidei formulis, edito Oxonii anno 1660, in Epistola ad Vossium Operi præmissa, pag. 1.

Colganus, rationem reddens sententiæ suæ de Antiquitate Veteris Scholiastæ, qui notas ad *Fieci* Carmen adjunxit, ait se notas istas, et Præfationem ad Carmen, partim Latine partim Hibernice scriptas, in margine Codicis ejusdem pervetusti adnotatas invenisse, et *ipsa Codicis vetustate pæne exesas, et ex parte obliteratas.*" ib. p. 7.—Et quidem, Carminis Idioma quod attinet, in eo leguntur verba quædam antiquissima, quæ nusquam in usu fuere, a tempore quo Religio Christiana, per totam Hiberniam diffusa, Religionem Druidicam abolevit. Quis a Sæculo VII Vocem *Cisel* usurpavit pro Diabolo, ut in hujus Carminis Strophe 19? aut Vocem *Armchosal* ibidem? Inusitatæ sunt etiam voces *temhel* obscurum, Strophe 21, *noeb* pro *naomh* Sanctus, in Strophe 9, *Fuisceadh* in Strophe 10, et alia similia quæ procul dubio antiquitatem redolent, a Sæculo XII remotam, et nostris pæne imperviam, ut de *Dubtachi* et *Dallani* Carminibus notat Colganus. Idem dicendum de vocibus *mos nicfed,* in Strophe 27,—*Samh aigis* 28,—*ar na cate les oca,* ibidem, et de aliis similibus.

Hymnum hunc Fieco tribuunt Waræus, ex eodem Hymnorum Codice pervetusto, in libro de Scriptoribus, Dublinii 1639, p. 3, itemque Flahertes, Harrisius, Nicolsonus, et alii fere omnes.

Hymnorum Librum, S. Columbæ manu scriptum, memorat *Magnus O Donnell,* in Vita Hibernica S. Columbæ, edita anno 1520. Cummianus Columbani Discipulus, et Adamnanus qui ejus vitam pariter scripsit ante annum 680, Columbam *Hymnarium* sua manu scripsisse declarant,—"*Hymnorum* " *liber Septimaniorum,* S. Columbæ manu descriptus, de cujusdam pueri de ponte elapsi humeris, " cum pellicio in quo inerat Sacculo, in quodam partis Lageniorum fluvio, submersus cecidit, &c. " Sed et alia, de libris *manu* Columbæ craxatis (exaratis) similia, ab expertis indubitanter " didicimus." Adamn. l. 2, c. 9, in Triade p. 352,

Alium *Hymnorum Codicem* antiquum, cum Kalendario præfixo, in 4to, memorat Waræus in suorum Codicum Catalogo, edito Dublinii 1638, pag. 3, N° xxiii. De Hymnorum veterum Codicibus vide *Epistolæ Nuncupatoriæ* Indicem, Voce *Hymnus.*

Hoc pro *certo,* ex ipso idiomate, ex prædicti Codicis vetustate, et ex Evino, et Probo constare arbitror, scriptum fuisse Hymnum hunc ante Sæculum VII; et, si in re tanti momenti sententiam meam ulterius exponere auderem, scriptum fuisse assererem, tempore quo *Temoriam* dereliquere Reges Hiberniæ, propter maledictionem *Ruani,* annum circiter 540, ut in notis ad Annales Ultonienses, et infra p. 94.—Notanda sunt quæ de *Fieco* narrat *Scholiastes* prædictus, qui, juxta " Colganum, ante Sæculi VI finem floruit, me autem judice non ante finem Sæculi VII.—Fiecus, " inquit, Sleptensis Episcopus, est, qui sequentem Panegyricum in laudem S. Patricii composuit. " Fiecus autem hic fuit ex stirpe Darii, cognomento *Bairrech,* a quo nobilis familia de *Hua-* " *Bairreche* in Lagenia, &c.....*Fiecus* autem, tempore juventutis, educatus fuit apud celebrem " illum *Dubthachum,* Lugarii filium, qui tempore Leogarii Regis, erat Archipoeta, sive Princeps " Poetarum Hiberniæ."

Dubtachi hujus meminere Annales nostri ad annum 438—De ejus Carminibus, jam ni fallor

deperditis, Colganus inquit se nonnulla habuisse penes se exemplaria, Triade p. 8, n. 5. Pluribus laudatur a Jocelino c. 44, itemque ab Evino, in Vita Tripartita, parte 1, c. 60, et 61. Extat etiam in Bodleiano, Codex Hibernicus Sæculi x, cujus meminit *Astle* in *Ectypis*, in Bibliotheca Stowense servatis, fol. 161, ubi ejusdem *Dubtachi*, Archipoetæ Regis Laogarii, fit mentio, ut indicavi in *Epistola Nuncupatoria*, pag. 59.

De Fieco Evinus inquit—" ædificasse Ecclesiam primo, in loco qui ex ejus nomine *Domhnach-Fiec*, i. e. Ecclesia Fieci postea appellata est, ubi reliquit Sacram supellectilem, *Cybalum ministeriale*, et *Epistolas Paulinas*, *Baculum Pastoralem*, &c. Triade p. 155. Secundam Ecclesiam ædificavit in *Leixia*, apud Sletty." Cætera quæ Carmen hoc illustrant in Observationibus Carmini subjunctis referenda existimavi.

Id interim hic observandum puto, Waræum de Codice Vetusto *Dungallense*, in quo Carmen hoc etiamnum servatur, his verbis scripsisse—" *Extat etiamnum Hymnus, S. Patricio attributus, in antiquo tum Latinorum tum Hibernicorum Hymnorum Codice, Literis Hibernicis descripto, ad Conventum Fratrum Minorum de Observantiæ*, Donegaliæ, *olim pertinente, qui ita desinit*—Domini est Salus, Domini est Salus, Salus tua Domine sit semper nobiscum—*Reliqua pars ejusdem, lingua Hibernica conscripta est, a cujus peritia me longe abesse profiteor.*" Opuscula, Lond. 1656, pag. 144.

Carmen vetus Hibernicum

Quod Fieco Sleibhtiensi, S. Patricii Discipulo, tribuitur a Waræo, Usserio, Nicolsono, &c.

Ex Codice vetustissimo Dungallense.

1.	1.
Genair Patraic i Nemthur,	Natus est Patricius Nemturri,
Asseadh adfet hi Scelaibh,	Ut refertur in narrationibus,
Macan se mbliadhan decc,	Juvenis (fuit) sex annorum decem,
An tan do breth fo dheraibh.	Quando ductus sub vinculis.
2.	2.
Succat a ainm hi trubh rad:	Succat ejus nomen in Tribubus dictum,
Cidh a athair ba fissc,	Quis ejus Pater sit notum,
Mac Calpuirn mic Otidhe,	Filius (fuit) Calpurnii, filii Otidi,
Ho Deochain Odisse.	Nepos Diaconi Odissi.
3.	3.
Bai se bliadhna hi foghnamh.	Fuit sex annis in servitute,
Maisc doine nis tomledh.	Escis hominum (Gentilium) non vescebat,
Batar ile Cothraighe, (*Ceathraighe*)	Fuit ei nomen adoptivum aliud *Cothrag,*
Ceathar trebhe dia fognad.	Quatuor Tribubus quia inserviit.

4

As bert Victor fri gniadh
Milcon, tescadh for tonna.
Forruibh a chois for sind leic.
Maraidh dia aes in bronna.

4

Dixit Victor (ei) Servo (1)
Milconis, Iret trans fluctus.
Posuit suos pedes supra saxum,
Manent exinde ejus vestigia.(2)

5.

Do faidh tar Ealpa uile,
De mhuir, ba hamhra reatha,
Conidh fargaibh la German,
An deas an deisciort Leatha.

5.

Profectus est trans Alpes omnes,
Trans maria, fuit fælix expeditio,
Et remansit apud Germanum,
In Australi parte Australis Lethaniæ (3)

6.

An innsibh Mhara Toirrian,
Ainis indibh, ad rimhe,
Leghais Canoin la Gearman
Is eadh ad fiadhad line.

6.

In Insulis Maris Tyrrheni,
Mansit in iis, ut dixi,
Legit Canones apud Germanum,
Est ita testantur Ecclesiæ. (4)

7.

Do cum n Erenn dod fetis,
Aingil De hi fithisi,
Menic it chithe ifisibh
Dos nicfed a rithisi.

7.

In Hiberniam profectus est,
Angelis Dei vocantibus,
Sæpe videbat in somniis
Quod veniret iterum.

8.

Ropo cobhair dond Erinn
Tichta Patraic for Oclad:
Ro clos cian son angarma
Macraidhi caille Fochlaid.

8.

Fuit salutaris Hiberniæ
Adventus Patricii ad Focladios,
Audivit a longe sonum Vocantium
Infantium Masculorum Sylvæ Fochlad.

---

(1) Cum a Colgani versione in pluribus discedendum esse sentiam, neque omnia in notis explicari poterunt. Lectorem ad *Observationes* huic Carmini subjunctas refero, ubi quæ dubia et incerta videri possent, ad Historiæ leges et pristinam integritatem revocantur.

(2) Druidicæ superstitionis vestigia sunt ista, de quibus vide supra pag. 20, et infra *Observationes* ad Stropham 4.

(3) Lethaniam appellabant Hiberni non modo Armoricam sed et Occidentalem Galliam, usque ad Diæcesim Antisiodorensem ad Austrum. Vide infra *Observationes* ad Stropham 5.

(4) Colganus hæc vertit—" sicut testantur *Historiæ*." At *Line* nusquam *historiam* significat, sed est pluralis vocis *Lan* Ecclesia, vel significat *nobis*, si scripta reperiatur *Linne*.

9.

Gadhadar co tisseadh in noebh,
Ara nimthisedh lethu,
Ara tintarad o cloean
Tuatha h Erenn do bheatha.

9.

Rogabant ut veniret Sanctus,
Quo cum discurrerent in dies, (1)
Quo abstraherentur ab erroribus
Populi Hiberniæ ad Vitam.

10.

Tuatha h Erenn tairchantais
Dos nicfead sithlaith nua
Meraid co ti aniartaige
Bidh fas tir Temhrach.

10.

Populi Hiberniæ Prophetizabant
Venturos pacis dies novos,
Qui durarent in perpetuum,
Fore desertam regionem Temoriæ.

11.

A Druidh ar Laoghaire
Tichta Patraic in cheiltis.
Ro firad ind aitsine
Inna flatha as beirtis.

11.

Sui Druidæ Laogario
Adventum Patricii non celabant,
Verificata sunt Vaticinia
De Rege quem vaticinabant.

12.

Ba leir Patraic combebha,
Ba sabh innarba cloeni,
Ised tuargaib a eva
Suas de sech threbha doeani.

12.

Erat clarus Patricius usque ad obitum.
Erat strenuus in profligandis erroribus.
Hinc exaltata sunt ejus Acta
Supra desuper omnes tribus Populorum.

13.

Immuin 7 Apocalips
Na tri coicath nos canad
Pritchad, batsed, arniged,
De molad De' ni anad.

13.

Hymnos et Apocalypsim
Tres quinquagenas Psalmorum indies canebat.
Prædicabat, baptizabat, orabat,
A Laudibus Dei non cessabat.

14.

Ni con gebed uact sine
Do fess aidche hillinnibh,
For nim consena a righe,
Pritcais fri De in Dindaib.

14.

Non impediebat algor
Quin maneret nocte in aquis.
Ad Cæli obtinendum regnum
Prædicabat de deo in Collibus.

---

(1) Colganus hæc interpretatur—" *qui discurrebat per Latium.*" Miror! Vox enim *n imthisedh* discurrerent, Pluralis est, et vox *Lethu* eadem est quæ *Leatha,* et *Lethu,* in Stropha 17 et 18.

15.

Hi Slan, tuaith Benna-Bairche,
Nis gebhedh tart, na lia,
Canadh ced Psalm cech naidhche,
Do Righ Aingel fo gnia.

15.

In *Slana*, Populorum Montis Boirch,
(Fonte) qui nunquam sentit siccitatem, vel diminutionem,
Canebat centum Psalmos omni nocte,
Regi Angelorum ut serviret.(1)

16.

Foidh for leic luim iaram,
Ochus cuilche fliuch immo
Ba coirthe a ritha dart
Ni leic a Corp i timme.

16.

Dormibat supra Saxum nudum postea,
Et Casula madida circumamictus,
Fuit Cortex (2) ejus quietis pulvinar,
Non sinit suum corpus in superbiam.

17.

Pritcadh sosccla do cach,
Do gnith mor fearta i leathu
Iccaid luscu la trusca,
Mairbh dos fuisceadh do beathu.

17.

Prædicabat Evangelium cuique,
Operabat ingentia miracula quotidie,
Sanabat Cœcos jejuniis,
Mortuos resuscitabat ad vitam.

18.

Padraic priotcais do Scotuibh,
Ro cheas mor seath illeathu.
Immi co tisat do brat,
In cach do fuc do beathu.

18.

Patricius prædicabat Scotis,
Passus est magnas tribulationes indies,
Ideo ut salvi fierent in æternum
Omnes quibus annunciavit de Vita.

19.

Meic Eimhir meic Eirimoin,
Lotar hiule la Cisel.
Fos rolaic in tArmchosal
Isin mor cathe n isel.

19.

Filii Emeri filii Erimonii
Ierunt omnes cum Diabolo.
Etiam eos dejecit Satanas
In maga palearum ventilatione in Infernum. (3)

---

(1) In priore Stropha laudat Patricium, quia in Druidarum *Collibus* prædicare audebat. Hic ideo laudat, quia id auderet etiam apud *Fontes Sacros*. Vide Columbani Epistolas nuper editas *Anglice*, Epist. No. 3.

(2) *Cortex*. Colganus habet Saxum. Consulantur Vocabularia, et Disciplina vetus Discipulorum S. Patricii. "Wenwaelocus, *S. Patricii Discipulus*, ut in vetere Vita edita a Bollando, t. 1, Martii, p. 24, ex Hibernia in "Armoricam trajecit, quæ olim a Britannis *Lethania* dicebatur, Centenis per diem, totidemque per noctem genu-"flectionibus Dei Majestatem adorabat, et pro plumis et Lectisterniis tantum *arborum Corticibus* utebatur." Mabillon. Annal. t. 1, p. 150,

(3) Colganus habet "*In magno Pluteo Infernali.*" At vox *Cathe* non significat Puteum, sed vel quod Angli *Winnowing* appellant—i. e. *Palearum Ventilatio*, vel quod appellant *Reprobating, casting away.*—Eligat Lector.

20.

Conda tanic in tApstal
Do faith, gidh gacthe dene.
Pritchais tri fichte bliadhna,
Croich Cris *do thuathaibh* Fene.

20.

Donec venit Apostolus
Ad eos docendos, licet Spiritus maligni vehementes.
Prædicavit ter viginti annis,
Crucem Christi populis *Feniorum*.

21.

For thuait h Erenn bai temhel,
Tuata adhorta Idhla,
Ni chraitshed in fhirdheacht,
Inna Trinoite fire.

21.

Supra populos Hiberniæ erant umbræ,
Populos adorantes Idola,
Non credebant in veram Divinitatem,
In ejus Trinitatem veram.

22.

In Ardmacha fil Righi,
Is cian do reracht Emhain,
Is Cell mor Dun-leith-Glaisso,
Nim dil cidh ditrubh Temhair.

22.

In Ardmacha est Imperium,
Et diuturnum nascenti juventuti Eamaniæ,
Et Ecclesia Celebris in Duno.
Non mea voluntas quod deserta Temoria.

23.

Patraic dia m boi illobhra
Ad cobhra dol do Mhaco,
Do lluidh Aingel ara cheann
For sed, ameadhon laithe.

23.

Patricius quando fuit in Lepra
Ad medelam procedens Ardmacham,
Ivit Angelus coram eo
In via, in medio diei.

24.

Do faith fa dheas co Victor,
Ba he arid relastur,
Lassais immuine imbai,
Asan teainad galastar.

24.

Ivit ad Austrum ad Victorem,
Fuit is idem qui eum vocavit,
Exarsit rubus in quo erat,
Ibi miscuerunt colloquium.

25.

As bert ordan do Mache,
Do Crist atlaighthe, buide,
Do chum nimhe mor raga,
Ro ratha duit do guide.

25.

Dixit (Angelus) Regimen Ardmachæ.
Christo iteratos laudes, gratias.
Ad Cælos magna (tua) dilectio,
Prosperam reddidit tibi tuam petitionem.

26.

Immon do roeghu it biu,
Bid luirech didim do chach;
Immut illathiu mesa,
Re gait fir.h Erend do brath.

27.

Anais Tasac dia aes,
An tan do bert Comain do.
As bert mos n icfead Patraic,
Briathra Tassaigh nir bu go.

28.

Samh aigis crich fri aidhci,
Ar na cate les oca
Co chenn bliadhna bai soilsi.
Ba he sithlaithe foda.

29.

In cath fectha imbeathron
Fri tuaith Canan la mac Nun
Assuith in Grian fri Gabon
Asseadh at fet littre duin.

30.

Huair assuith la Hiessue
In Grian, fri bas ina cloen
Ciasu threbrech ba huisse
Soillse fri betsect na noebh.

31.

Clerich Erend dollotor
Dairi Patraic as cech set,
Son in ceatuil fos rolaic
Con tuil cach uadhibh for set.

36.

Hymnus te laudans te vivente, (1)
Erit Lorica protectionis cuique,
Ibunt in die judicii
Cum prudentibus in æternum Viri Hiberniæ.

27.

Remansit Tassachus post eum,
Quando ministravit Communionem ei,
Dixit quodo non convalesceret Patricius,
Verba Tassachi non falsa.

28.

Sol posuit finem nocti,
Ita ut non deficeret lux eis,
Spatio unius anni fuit lux,
Fuit is Pacis dies diuturna.

29.

In Prælio gesto in Bethoron
Contra populum Canaan per filium Nun,
Stetit Sol contra Gabaon,
Ut narrant Litteræ nobis.

30.

Quoniam stetit pro Joshua
Sol, ad cædendos peccatores
Cur non trecies obedientior
Lux propter beatitudinem sanctorum?

31.

Clerici Hiberniæ confluerunt
Ad exequias Patricii ex omni loco
Sonus consentus superni (2)
Affecit Somno quemque eorum ibi.

---

(1) Hæc, juxta Colganum, Hymnum respiciunt *S Sechnallo* tributum. Et. quidem istius Hymni verba hic relata videntur a Fieco in Strophe 13—" *Ymnos cum Apocalypsi, Psalmosque cantat Dei.*" At hæc verba a se dicente Sechnallo *ex Fieco*, non a Fieco ex Sechnallo descripta sunt. Sechnallo enim adscriptus Hymnus recentior est.

Hymnus ad quem Fiecus respicit, is esse videtur, quem in *Antiphonario Benchorense* Sæculi VII servatum invenio, ut in Epistola *Nuncupatoria* pag. 164.

(2) Colganus habet " *Reddebat ipsos sopore irruente ubi humi decumbentes.*" Interpretatio penitus respuenda! Idioma valde vetus Carminis vetustatem, et sinceram integritatem demonstrat.

32.

Anim Phatraic fria Corp
Isiar saethaibh ro scarad,
Angeil De, icet aidhce,
Arid fethis cen anadh.

32.

Anima Patricii a Corpore
Post ærumnas separata est,
Angeli Dei, prima nocte,
Excubias fecerunt sine mora.

33.

In tan con hualai Patraic,
Ad ella in Patraic n aile,
Is malle connucc aibhset
Do chum h Isu mac Maire.

33.

Quando lugebant Patricium,
Ivit ad Patricium alterum,
Et simul cum gaudio abierunt
Ad Jesum filium Mariæ.

34.

Patraic cen airde nuabhair,
Ba mor do maith ro meanuir,
Bith in gellsine meic Maire
Bha sen gaire in genuir. Genuir.

34.

Patricius absque elevatione superbiæ,
Ingentia bona excogitavit,
Obiit in servitio filii Mariæ,
Fuit id felix ejus nativitas.---Natus est, &c.

Notanda de hujus Carminis Methodo Rhythmica.

Neminem esse puto, qui Carminis hujus stylum perpendet, a ficti Oissini turgidis procellarum ac nubium descriptionibus penitus remotum, qui non statim perspiciet, tantam esse differentiam, quantam inesse sentimus, inter res fictas et veras, inter eos qui res gestas annunciant, et eos qui figmenta sua pro rebus Historicis obtrudere conantur. In hoc Carmine nullum grandiloquentiæ studium, nihil inflatum. Non quærit Auctor splendida quibus offuscat, aut ornata quibus placeat, neque Lectoribus fucum facere studet, ut falsa pro veris eo facilius accipiantur. Res narrat simpliciter, non Hexametris vel Pentametris, non more Græco vel Romano, sed more Hibernico, versibus alternis *similiter desinentibus*, et ad Citharæ sonum modulatis, juxta *veterem Artem*, quam memorat in Vita Columbæ Adamnanus. (4) Hæc Metrorum genera inter Iberos extitisse testatur Strabo. Turditani, inquit, qui Bæticam et Lusitaniam habitant, et *omnium Hispanorum doctissimi* judicantur, *utuntur Grammatica*, et antiquitatis monumenta habent conscripta, et *Poemata*, et *Metris inclusas leges, a sex millibus annorum.* (2)—Methodus ista similiter desinentium, Græcis et Romanis ignota fuit, donec a Papa Damaso, *Gente Ibero*, in Romanam Ecclesiam invecta fuit,

(1) Adamn. Vita Col. l. 1, c. 42, ubi De Cronano Poeta Connaciæ, Beda de *Caedmone* l. 4, c. 24. Obiit Caedmon circa annum 680—" In convivio cum esset lætitiæ causa, ut omnes per ordinem cantare deberent, ille (Caedmon) " ubi adpropinquare *sibi Citharam* cernebat, surgebat," &c. Beda ib.

(2) Strabo Oxon. 1807, t. 1, p. 182—Turditanos Celtas fuisse narrat Plinius. ed. Harduin t. 1, p. 228—383.

annum circiter 384. (1) Procedente tempore eam coluere Patres Latini, et inter Saxones *Caedmon* et *Aldhelmus*, qui ad Aldfridum Regem edidit librum *de pedum regulis*, et de *Metro alterna interrogatio et responsio.* (2) Deinde eam coluere Beda et Bonifacius.

Origo itaque Methodi Hibernicæ non Græca est, non Latina, sed Celtica est, et primæva, inter Gentes inventa antiquissimas, et ad Citharæ sonum accommodata. Sed ex versione Literali vix judicium efformare licet de *Arte*, quam in Cantando simul, et *modulabiliter recitando*, memorat Adamnanus.—Beda de *Caedmonis* versibus inquit "*Hic est sensus*, non autem ordo verborum; neque enim possunt Carmina, quamvis optime composita, ex alia in aliam linguam, sine detrimento sui decoris transferri."—Aldhelmi Præceptor Maildulfus, Hibernensis erat, ut ex Beda alibi notavi, idque pluribus narrat Wilhelmus Malmesburiensis in l. 5 De Pontificibus, edito a Gale inter Scriptores xv. p. 338, (3) ubi cum Hibernensibus, *tunc maxime doctis*, literarum Commercia frequentissima habuisse declarat, et Literas *Cellani* Hibernensis memorat, quarum unam sic inscriptam, adducit—"*Aldhelmo Archimandritæ, Saxonum mirifice reperienti in Oris, Cellanus,* "*in Hibernensi Insula natus, in extremo Francorum limitis latens angulo exul, famosæ coloniæ* "*Christi extremum et vile Mancipium*, &c. Salutem &c.—Ad Locum ubi *Dominus Furseus* in Sancto " et integro pausat Corpore" (4)—Agit nempe de Hibernorum Monasterio apud *Perronam.*

Tantum denique inter Hibernos invaluit methodus Celtica Similiter desinentium, ut Epistolæ quædam *S. Columbani*, et aliorum Patrum istius ævi, quæ primo aspectu prosaice scripta videntur, atque ut prosaica edita fuere ab Usserio, revera Metrice scriptæ sunt, versibus similiter desinentibus, ut Epistola IV in Sylloge, de qua Usserius inquit, Goldastum et seipsum quoque effugisse, *Rhythmis* orationem totam contineri, atque inter ea quæ ad *canendum digna*, Columbanus edidit, testantibus Jona, in Vita ejus c. 2, et Sigeberto De Script. c. 60, etiam hæc Epistola numeranda sit.

Versus sunt parisyllabi omnes, et modulationi accommodati, ita ut, elisionum, et quantitatis ratione prorsus neglecta, quatuordecim Syllabarum numerus studiose observatur. Hujus generis versus inter Bonifacii Moguntini Epistolas complures sunt, octo Syllabarum numero constantes, de quibus in Epistola 65 ad Aldhelmum sic meminit Ædilwaldus—"Huic nostræ parvitatis Epistolæ, trina cantati modulaminis Carmina, binis generibus digesta subdidimus, quorum tertium non pedum mensura elucubratum, sed Octonis syllabis in unoquolibet versu compositis, *una eademque littera, comparibus linearum tramitibus aptata*, cursim calamo perarante caraxatum, tibi dicavi." Talis fere est methodus antiquissima Hibernorum.

---

(1) Damasi Carmen in honorem S. Agathæ edidit Maittaire, Corpus Poetar t. 2, p. 1572. Vide Supra Ep. Nuncup. p. 22. *Dubtachus*, Poeta Ethnicus Hibernensis, scripsit eodem ævo, quo Damasus.

(2) Angl. Sacr. II. 7. Smith ad Bed. l. 5, c. 18.—Octo ultimi versus similiter desinunt, quorum quatuor alternatim. Biblioth. Max. PP. t. 13, p. 19. Extat carmen ejus inter Bonifacianas Epistolas, quod incipit—" Lector Caste *Catholice*—Atque obses *Athletice*.—Tuis pulsatus *precibus*—obnixe *flagitantibus*, &c. Hymnum de anno scripsit Beda versibus similiter desinentibus Oper. T. 1. p. 476, et 485.

(3) " Religionis habitum in Meldunense accepit Cœnobio. Id quidam qui alio nomine vocatur Meildulf, natione Scotus, eruditione Philosophus, professione Monachus fecerat. Ibi *Græcis* et *Latinis* Literis eruditus est. Quod a puero in Meldunensi Cœnobio et altus et doctus, Lutherius Episcopus insinuat in privilegio, quo eidem Aldelmo Abbatiam dedit," &c.—Deinde Privilegium recitat, et Aldhelmum ait *primum omnium* suæ gentis hominum fuisse, qui *ad scientiam Metrorum præsumpsit ingenium, impulit animum.* ib. p. 342.

(4) Ibid. Confer Aldhelmi ad Eahfridum ex Hibernia reversum Epistolam XIII, in Sylloge p. 37.

His Rhythmis successere *Leonini*, ex *Rhythm opariter et Metro constantes*, utpote in quibus tum *quantitatis syllabarum* ratio habita est, tum etiam similiter cadentium, cujus generis inter primos qui extant, Gulielmi Pictaviensis sunt, qourum meminit Usserius in Sylloge p. 123.

Historica itaque sunt Carmina, quæ remanent antiquissima Hibernorum, uti et Germanica ista, de quibus Tacitus ait, *unum esse* apud Germanos *memoriæ et Annalium Genus*, quæ quamvis hispida, et inculta, cum tamen antiquissima fuissent, Carolus Magnus *scribi* jussit, et *memoriæ mandari*, sicuti refert in ejus Vita Eginhardus.—Jamque, his generatim præmissis, quænam sit hujus Carminis Hibernici *fides Historica* perpendamus.

Observanda de Stropha I.

" Natus est Patricius *Nemthurri, ut refertur in narrationibus*. Primum ei nomen fuit *Succat*."

Omnia hæc antiquitatem redolent. *Neam-thur* Hibernica vox est, quæ *Cœlestem*, sive *Altam Turrim* denotat, aliter Hibernice dictam *Al-cluid*, Rupes Cluidensis, hodie *Dunbarton*, quæ fuit Regia Arx Regum Hibernorum Albaniæ, uti notant Beda l. 1. c. 12, Adamnanus l. 1, c. 15, et Vetus Scholiastes hujus Carminis, qui *Neam-thur* et *Alchid* unam et eandem Civitatem esse declarat, uti et Jocelinus et Evinus. Ne autem vocem *Tur* Latinam esse suspicamur, prohibent *Ainsworth*, aliique Lexicographi, qui eam ex Phœnicia, Syriaca, et Hebræa, in Latinam invectam fuisse demonstrant.

In hac Regia regnasse *Rudragium mac Tuathail*, e celebri nempe Rudriciorum Ultoniensium familia ortum, *S. Columbæ amicum*, testatur Adamnanus ibidem, qui præterea inquit, Rodericum istum misisse *Lugadium Mac Comain*, ut S. Columbam consuleret de rebus suis, annum circiter 570.

Atqui Hibernica sunt omnia nomina ista, et qui hic *Rodericus* dicitur, is est qui, in Vita Kentigerni, apud Bollandum, t. 1, Jan. 13, vocatur " *Rederech, a S. Patricii Discipulis in Hibernia baptizatus*," unde non sine fundamento conjicit Bollandus, *genere fuisse Hibernensem*, uti et reliquæ Occidentalis Albaniæ incolæ, testante Beda l. 1, c. 12.

Natus est itaque S. Patricius inter Hibernos, in præcipuo Hibernorum Propugnaculo in Albania, in eadem nempe Civitate in qua natus est ejus Discipulus *Gildas Albanicus;* et primum nomen ei impositum, Hibernicum erat, *Suc-cat*, quod ad literam *Prosperum-Prœlio* denotat *Hibernice*, usque in Hodiernum diem.—Gildæ *Albanici* Patriam describit ex Codice Floriacense Mabillonius, eum tamen cum *Badonico* confundens, sequentibus verbis, in Annalium t. 1, p. 150.

" *Landvenecense* Monasterium (in Armorica) condidit *Winwaloeus*, quem S. Patricii tempore vixisse constat, ex ejus Actis apud Bollandum t. 1, ubi Patricium consulere voluisse memoratur. Ex *Hibernia* trajecit in Armoricam, &c.—Eodem tempore floruit *Gildas Sapiens*, (lege *Albanicus*,) qui, *inter primos*, Monasticam vitam in Armorica instituit. Is auctor fuit Cœnobii *Ruyensis*. Natus est Nobilissimis, ac Regiis Parentibus apud *Areclutam* (*lege Alcluid*) ipso anno obsidionis *Badonicæ*, ex qua *Badonici* cognomentum accepit, (en iterum confusionem *Badonici* cum Albanico.) *Albanum* alii vocant, a patre *Cauno* (lege *Nave*) Albaniæ Rege.

"Socios in Iltuti Schola habuit Samsonem et Paulum, postea *Dolensem* et *Leonensem* clarissimos Episcopos, in Armorica, quæ olim *Letavia* a Britannis dicebatur. In *Hiberniam* a Rege accitus, Rem Christianam ea in Insula mirifice promovit. Post Romanum inde iter, in Armoricam accessit, et Ruyense Monasterium condidit annum circiter 538.—Post decem annos quam ex Patria excesserat, *librum de Excidio* scripsit, (en eamdem confusionem) anno quo Constantinus, Damnoniæ Rex, Duos pueros Regios occidit, anno post obsidionem Badonicam 44, quam obsidionem anno C. 484 contigisse probavimus."

Hæc Mabillonius, et recte, nisi in unum conflasset Badonicum cum vetustiore Albanico, quorum tempora nullatenus convenire demonstravi, tam in Epistola Nuncupatoria p. 165, quam infra, in Prolegom. parte 2, p. 20, &c.—Non potuit Gildas, qui Galliam ex Hibernia venit, regnante *Childerico Merovei filio, anno ætatis suæ* 30, juxta Codicem Floriacensem, ibique *septem annis* mansit, et deinde rediit Ardmacham, ubi *septem Artes* docuit vivente Patricio, esse *Badonicus*, qui natus et anno 484.—Non alius certe erat, nec esse potuit quam Albanicus, cujus Vitam scribit Caradocus, dum putat se scribere Vitam Badonici, de quo tamen nihil refert, nisi valde pauca, quæ ex Libro de Excidio colligenda sunt.

Albanicus, sive *Al-cluidensis*, annum circiter 425 natus, postquam Discipulus esset S. Patricii, in Galliam abiit, anno ætatis 30, regnante Childerico, anno C. 455, mansit in Gallia annis septem, et rediit Ardmacham anno quo David Menevensis natus est, *trigesimo post adventum S. Patricii* in Hiberniam, uti refert Giraldus in Vita Davidis, atque is fuit qui, postea ex Hibernia rediens, *Codicem Evangeliorum scripsit*, de quo vide Epistolam Nuncupatoriam pag. 200, et Vitam veterem S. Brendani in Bodleiano.—Floriacencis et Caradocus consentiunt, Gildam hunc, audito fratris nece, venisse ex Ardmacha in Walliam, ubi pace inita cum Arthuro, i. e. Aurelio Ambrosio, uno anno remansit in Schola Llancarvanense, ibique *quatuor Evangelia manu sua scripsit*, quando S. Brendanus Findlogæ filius, ad eum invisendum ex Hibernia pervenit, ut in Codice MS. Vitæ Brendani in Bodleiano.—Hic itaque, *tres* habemus diversos auctores, ex tribus diversis Ecclesiarum Regestis et Codicibus, convenientes in uno *Albanico*, unde S. Patricium et Gildam hunc Albanicum, ejusdem oppidi *Alcluidensis* concives fuisse, fatendum est.

Annotatio 2da in Stropham I.

"Ut refertur in *Narrationibus*"—Colganus ista reddit ut refertur in *Historiis*, unde Carmen hoc a quodamr ecentiore confictum esse videretur, qui ad *Vetustiores* Historicos appellat.—Id quidem speciosum putarem, nisi et S. Paulus ad vetustiores appellasset, viventibus Apostolis, etiam in rebus notissimis, quæ Apostolorum tempore evenere "Qui passus est *secundum Scripturas*, et resurrexit tertia die *secundum Scripturas*." I. Cor. 15. Similiter qui *Symbolum* composuere. Ergone S. Pauli Epistola ut sæquioris Ævi respuenda? Quis nescit in judicio de Veterum Scriptis efformando, habendam esse rationem temporum, quorum ea erat indoles, ut nihil melius, nihil elegantius haberetur, quam S. Pauli et S. Scripturæ stylum et methodum imitari.

Præterea, Colgani Versionem rejicio. Vox enim Hibernica *Sceal*, non Historiam scriptam

significat, sed proprie *narrationem oralem*, ut in Epistola Nuncupatoria indicavi, ubi de Origine *Scaldorum*, pag. 25.

Atqui nihil magis veritati consonum, quam quod plures de S. Patricio narrationes, etiam *Scriptæ*, exeunte Sæculo VI circumferrentur, idque expressis verbis testantur omnes veteres, quotquot de Actis ejus a Sæculo VII scripsere, uti et de Columbæ Discipulis, Beda et Adamnanus.—Imo vero tot fuisse videntur, de S. Patricio narrationes, ut ii qui eum in transitu memorant, Sæculis VI et VII, id facere videantur, tamquam de re notissima, tamque omnibus decantata, ut a pluribus de eo dicendis abstineant, ne toties actum iterum agere censeantur. Eum ita memorat Cummineus *Albus* sive *Hiiensis*, annum circiter 596—"Patricius *namque*, primus Hiberniæ "Apostolus, Avum Proavumque ejusdem Columbæ benedicens, *Fergusium* scilicet, ejusdemque "Patrem *Connallum*," &c. (1) Ita etiam Cummineus Junior, sive *Altus*, in Epistola ad Segienum, scripta anno 634 (2) "Inveni Cyclos contra hunc, quem vos tenetis esse contrarios, Primum illum "*quem S. Patricius Papa noster tulit et fecit*."—Loquitur nempe de re tam nota, et ab omnibus concessa, ut inde alia argumenta petat, quibus adversarios confundat, et veritatem, eadem luce meridiana, qua S. Patricii nomen, et res gestæ splendebant, tueatur.

Scriptor Vitæ S. Gertrudis anno 658, S. Patricum sic memorat—"Cum appropinquasset dies assumptionis animæ illius, (Gertrudis) vocavit unum de fratribus, et præcepit ei, dicens. Vade festinanter ad illum peregrinum qui vocatur *Ultanus*, qui est in Monasterio *Fossuense*, et dic ad illum—Virgo Christi Gertrudis misit me, ad te interrogandum, quali die migratura sit de hac vita, quia valde timet, &c. At ille servus Dei *Ultanus*, sine mora ipsi Misso responsum dedit, et dixit *hodie XVI Kalendas Aprilis est dies*. (S. Patrick's day.) Crastino autem die, inter Missarum sollemnia, illa Dei Ancilla, et Christi Virgo Gertrudis, de Corpore est migratura, et dic ei, ut non timeat, quia *B. Patricius Episcopus*, cum electis Angelis Dei, et cum ingenti gloria parati sunt eam recipere. Vade et tu velociter.—Interrogavit autem eum ille frater si hanc causam per revelationem Divinam vidisset, et ille servus Dei *Ultanus* dixit—Vade festinans—Scias hoc—quod die crastina migratura sit ad Deum. Quid me plus interrogas? Qui reversus nuntiavit famulæ Christi. At illa quasi ex somno hilaris, &c.—Crastina autem die Dominica, hora quasi sexta, juxta Viri Dei verbum, sacratissimum Corporis et sanguinis viaticum accepit, et quando Sacerdos Dominicam Secretam sententiam habuit finitam, (i. e. formam absolutionis,) XXXIII ætatis suæ anno, sub XV Kal. April. reddidit spiritum, *dum ibidem ego, et alius frater, Richinus nomine*, fuissemus evocati, propter sororum consolationem." (3)

Ingenua sunt hæc, et sincera, et animum indicant ab omni fuco alienum, auctorem etiam qui ea narrat, quæ *ipse vidit*, qui usque ad *diem et horam* descendet, et cum quo omnia veterum monumenta concordant.—Adamnanus, in Prologo ad Vitam Columbæ ait—"Quidam Proselytus Brito, *S. Patricii Episcopi* Discipulus, homo Sanctus, *Maucteneus (Mocteus)* nomine, ita de

(1) Hanc Vitam edidit imperfecte et mendose Colganus, integre *Mabillonius* in Actis Benedictinorum.

(2) In Sylloge Usserii, et in Codice Cotton. Vitel. A. xii.

(3) Ex Codice Fuliense apud Mabillon. Annal. t. 1, p. 467, ubi numeri diversorum Codicum optime conciliantur.

nostro prophetavit Patrono." &c. Jam vero, hi omnes ante Bedam scripsere, et paulo post Bedam Alcuinus Hibernorum illustrium Catalogum texuit sequentibus verbis.—

Patricius, Kieranus, Scotorum gloriæ gentis
Atque *Columbanus Comgallus,* Adamnanus,
Præclari Patres, &c. (1)

Ex his sequitur, S. Patricium, etsi in Britannia natum, cum tamen in *Nemh-tur,* oppido Hibernico, natus esset, *Scotum* potius dicendum, et nomine Scotico prius appellatum, uti narrat Carmen hoc Hibernicum, quo aliud vernaculum antiquius, gentes septentrionales in medium afferre non valent. Memoratur denique Patricius, non modo in Epistolis ei adscriptis ad *Hibernos,* et ad *Coroticum,* quæ procul dubio vel ipsius sunt, vel saltem istius ævi, (2) sed etiam in *Vita Saxonica Fursei,* in Cottoniano, ab annis 900 exarata, et in quatuor vetustis Calendariis, ab eruditissimo *Marteneo* editis, in Thesauro, t. 3, fol. p. 1566, 1575, 1591, 1595.

Denique sequentes dies veterum Hibernorum solemnes, a meipso quam fideliter excerptæ sunt, ex quatuor Menologiis Saxonicis Cottonianis, *Julius A x, Tiberius B v, Nero A ii,* et *Galba A. xviii,* quorum antiquissimus, a mille saltem annis exaratus, hæc habet—

XIX. Kal. Feb.	.. i. e. Jan.	14	..... *Furseus* ast denis, novenis, atque Kalendis.
IV. Kal. Feb.	.... i. e. Jan.	29	..... Bis binis *Gildas* meruit pausare Kalendis.
I. Kal. Feb.	.... i. e. Feb.	1	..... Gloria Scottorum *Brigida* sortita Kalendas.
IV. Kal. Martii	.. i. e. Feb.	26	..... *Comganus* meritis transivit Tartara quadris.
XVI. Kal April.	.. i. e. Mart.	17	.. .. *Patricius* pausat Scottorum gloriæ consors.
III. Nonas Jun.	.. i. e. Jun.	3	..... Cætibus Angelicis *Coemgen* sociatur in Archis.
V. Idus Jun.	.... i. e. Jun.	9	..... Idibus in quinis celebramus Festa *Columbæ.*
III. Idus Jun.	.... i. e. Jun.	2	..... Id. trinis migravit *Mactail* in culmina Cœli.

Nec unum quidem in his Codicibus Festum extat, vel Sanctus nominatur, qui ab anno 880 floruerit, et Codex *Galba* annos mille antiquitate excedit. Ad alia vetustissima de S. Patricio monumenta respexit *Erricus* Autisiodorensis, qui, Imperante Carolo Magno, inquit—" Patricius, *ut gestorum ejus series prodit,* Hibernicæ peculiariter Apostolus regionis."

Quidni ergo, cum tot Scriptores antiqui S. Patricium quasi in transitu memoraverint, ut Virum celebritate notissimum, cur non potuisset Fiecus Sæculo VI ad vetustiores appellare, præsertim cum de nativitate ejus ageret, quæ *toto antea Sæculo* evenit, anno D. 372?

Fateor equidem ingenue, me non aliter de his cogitare, quam ii qui res humanas considerant

(1) Alcuin in Vita Metrica Willibrordi—Scriptores post Bedam 1691.

(2) Tillemont Memoires Eccl. v. 2, p. 780. Vol. 16, p. 452, et Article 2, p. 455. Extant in Cottoniano, MS. *Nero E. 1,* quem Ælfrici tempore scriptum constat ex *Vita Oswini,* a qua incipit. *Confessio* S. Patricii incipit a No. XII Elenchi. Nollem antiquitatem ejus cum Waræo deducere, ex eo quod V. Testamenti loca ex lxx interpretibus afferuntur, non ex Vulgata. Verba enim *Dominus induxit super nos Iram animationis suæ,*" leguntur in Paralip. xxix 10, in Vulgata, quæ procul dubio in usu fuit a tempore S. Patricii. Vide infra pag. 105.

prout sunt, non ut finguntur, mente a spe et metu alieno, et animo corrigi parato a Doctioribus, dummodo saniora probarint.

Neque video cur non ad tempora *Temoriæ desertæ*, vel *deserendæ*, Fiecus vivere non posset. Monachos veteres Hibernos valde longævos fuisse alibi indicavi. (1)—Johannes Abbas Reomaensis *vixit annis centum et viginti.* (2) S. Columbanus Carmen scripsit ad Hunaldum *anno ætatis* 95, Strabo inquit *Turditanos* Iberiæ, qui Celtæ fuere, " longævitate adeo conspicuos fuisse, ut *longævi* " nominati fuerint, maxime eorum Principes, indeque esse quod dixit Anacreon—

Non posco quinquaginta
Centumque regnare annos,
Tartessis beatis." Strabo l. 3, ed. Oxon. t. 1. p. 202.

Eadem habet Plinius l. 7, c. 48, et totidem Arganthonio tribuunt Censorinus, Phlegon in Harduini nota ad Plin. ib. et S. Augustinus de Civ. Dei l. 15, c. 12. Alia longævitatis exempla, sed incredibilia adducit Plinius ibidem.—Quæ autem, certissima sunt ex eodem, adduxi in Prolegomenis parte 2, pag. 113. (3)

Annotatio 3tia in Stropham 4.

Victorem Angelum nusquam memorant Sacræ literæ, nec cujusvis Angeli nomen ante Captivitatem Babylonicam. Nomina *Raphaelis, Michaelis*, et *Gabrielis*, cum mensium nominibus, e Babilonia venisse scribunt Talmudistæ. Attamen plura Angelorum nomina, ante *Fieci* tempora, tradita fuisse, patet ex Concilio Laodiceno anni 367, Canone 35, quæ prohibet alia Angelorum nomina venditari, quam *Michaelis, Gabrielis, et Raphaelis.* Id etiam confirmat Capitulum Aquisgranense anni 789, uti notat Baluzius, in Capitularibus Regum Francorum, l. 1, c. 16.—Itaque *Victoris* mentio, Carminis hujus Hibernici antiquitati non obstat—præsertim cum nomen ejus pariter legatur in Epistola adscripta S. Patricio, in Codice Ardmachano annorum mille, ut in Epistola nostra Nuncupatoria pag. 56, itemque in Codice Cotton. Nero E. 1, annorum 900, qui Vitam antiquissimam Fursæi continet, memoratam a Beda l. 3, c. 19, et Vitam Brigidæ scriptam a *Cogitoso*, quas posthac, Deo opitulante, edituri sumus.

---

(1) Prolegom. parte 2, p. 113.

(2) Annales Benedictini t. 1, p. 45. Greg. Turon. de Glor. Confess. c. 42 eum memorat. Natus est anno 420. Monachis suis præscripsit Regulam Orientalem *Macharii*, quam in Lirinensi Monasterio didicit. " Orientalium exemplo, fratres suos labore manuum exercebat, nec viros Sæculares in Monasterii basilicam inter sacra admitteret. Unde quidam Agrestius, cum ad Monasterium die dominico advenisset, communionem sacram ab eo (Presbyter enim erat) et benedictionem percepturus, Johannes eum foras egredi jussit, non inquit, quasi præsentiam tuam aversemur, sed ne Sanctorum Patrum Præcepta, et Regularem Censuram transgredi videamur. Eadem Disciplina in Luxoviensi Monasterio Hibernico viguit sub Columbano." Mabillon. ib.

(3) Confer Phlegonis Tralliani Opus de Longævis ex ipsis Censuum Commentariis.

Stropha 4, *v.* 4.

" Ibi manent ejus vestigia."—Neque hæc antiquitati Carminis officiunt. Imo vero potius antiquitatem confirmant, cum nihil frequentius in Hibernia Druidica quam celebriorum virorum *Vestigia* Saxis impressa jactitare, ut supra notavi p. 20.—Vix ulla est Hiberniæ regio, in qua non indicantur vestigia Gigantum, Vestigia *Finni* filii Cubhalli, (vulgo *Fingal,*) *Patricii,* et aliorum Sanctorum, Petris impressa. Notum est in Regibus inaugurandis, moris fuisse ut Rex electus pedem figeret in vestigiis Primi Ducis, petræ impressis, quæ servabatur apud *Carneam,* i. e. *Collem Sacrum,* ubi inauguratio fiebat, uti notant Spenserus in *Dialogo de Hibernia,* et Martinus in *Descriptione Ebudarum.* Hi autem mores *Ethnici* fuere, qui Fieci tempora pluribus Sæculis precedunt. Herodotus Herculis vestigia memorat Petræ impressa, l. 4.

Stropha 6, *v.* 3.

" *Legit Canones cum Germano,*"

S. Patricium S. Germani Discipulum fuisse, scribunt omnes veteres, cum Jocelino, et Malmesburiense, in libro de Antiquitatibus Glastoniæ, edito ab Hearne, itemque Auctor Libri *De Officiorum Ecclesiasticorum origine* MS. in Cottoniano, et apud Spelman, Concil. t. 1, quem mille et amplius abhinc annis scriptum fuisse, refert Usserius in Primord. p. 343. idque confirmant Mabillonius in Annalibus t. 1, p. 207, *Ninius, Probus, Florentius, Sigebertus, Erricus-Autisiodorensis* in libro MS. de Vita S. Germani in Bodleiano, itemque Malmesburiensis iterum De Pontificibus Anglis l. 2.

Stropha 17, *v.* 3.

" *Iceaid luscu la truscu*" Colganus hæc ad literam, ut ait, ita vertit—" Curabat Cæcos *et Leprosos*"—At voces *la truscu* non significant *et Leprosos,* sed *cum jejunio.* Notanda est etiam vox *iccaid,* quam Colganus perperam vertit in Strophe 27.

Stropha 18, *v.* 1.

" S. Patricius prædicabat *Scotis*"—Ex his patet, Camdeni editorem Anglum, (*Gough*) valde errare ubi ait,—" Hibernos Indigenas nunquam in more habuisse, Hiberniam *Scotiam* appellare, vel seipsos *Scotos.* (1)—Longe quidem errat vir doctus, cum Hibernia et Hiberni *Scotia et Scoti*

---

(1) " It doth not appear, from the most ancient Irish MSS. and historic Poems, that the antient Inhabitants of

nuncupentur, ab *Eochodio* in Carminibus suis Hibernicis, et a *Flanno*, quem Usserius recte *non novitium Auctorem* appellat, obiit enim Grandævus anno 1051. Antiquiorem esse Nennio fabulam de *Scota* norunt omnes, nomen itaque *Scotorum* antiquissimum fuisse oportet, ad cujus explicandam originem, fabulam istam tot retro Sæculis Bardi excogitaverunt. *Maelmurius Fathanensis*, Poeta Hibernicus, qui anno 885 obiit, hæc habet

Feni o Fhenius adbearta—brigh gan dochta,
Gaoidhil o Gaodheal Ghlas gharta—Scuit o Scota.
Fenii a Fenio appellantur—Explicatio non dura, (i.e. non longe petita.)
Gadheli a Gadhelo Cæruleo dicuntur—Scoti a Scota.

Adamnanus, qui ante Bedam floruit, linguam Hibernicam ubique *Scoticam* appellat, ut l. 1, c. 14, Hiberniam ubique fere *Scotiam*, et Hibernos *Scotos; Kildariam* in Scotia memorat, *Achabo* in Scotia, Lacum *Ce* in Scotia, hodie *Logh Ke* in agro Roscommanense, flumen *Boin* in Scotia, Lacum *Feabhail*, hodie *Foyle*, in Scotia, et alia similia, quæ, cum innumera sint, ab iis indicandis supersedendum puto. Et hæc quidem omnia Scythicam originem plane demonstrant, non Britannicam vel Gallicam; neque aliam quamlibet indicat ullibi in hoc Carmine Fiecus, vel S. Patricius ipse, in Epistola dicta *Confessione*, vel in Epistola ad Coroticum.

Nomina *Historica*, a Fieco memorata, sunt *Fenii, Scoti, Eberi, Herimonii, Gatheli, Hiberni,* et *Eamanii.*—Non *Belgas* memorat, non *Damnonios*, non *Menapios, Caucos*, aliosve, qui, e Britannia transeuntes, sedes sibi maritimas in Hibernia posuere. Ii a Fieco pro peregrinis habentur, eodem modo quo Dani postea, et Angli. Veteres autem Incolas, qui origine *Celt-Iberi* erant, tanquam Insulæ Hiberniæ *Indigenas*, uno nomine *Scotos* appellat. Vellem sane, si per me liceret, Britannicam potius, Scotis originem tribuere. Sed vetant Historiæ leges, neque gentis cujusque de suis Majoribus opinionem, quæ vetustissimorum testimoniis innititur, et Historicis Legibus non repugnat, rejiciendam puto.—Plures erant Scytharum gentes vagæ et erraticæ, de quibus, æque ac de Hibernis, Claudianus dicere poterat—"Scotum *vago* mucrone secutus."—Eæ, nullis certis sedibus contentæ, tanquam *Zingari*, totam Asiam et Europam tentoriis hinc inde fixis peragrabant; neque errant *Bardi*, dum aliqua earum examina in *Palæstinam, Ægyptum*, et *Africam* migrasse, atque inde in Hispaniam transiisse clamant, et ex Hispania Hiberniam; nam et eadem declarant Auctores Græci veteres.—*Scythopolim* in Palæstina eorum fuisse Urbem principaliorem, enarrant Josephus in Antiquitatibus, et Eusebius in Chron. MCCCLXXXVII.

Alios in Ægyptum transiisse, narrat Scholiastes in Pindarum vetustissimus, cujus verba sunt Αιγυπτων αποικοι εισιν οι Σκυθαι. (1) Eosdem in Lybia et prope Ægyptum statuit Ptolemæus, qui cum Alexandrinus esset, hæc ignorare non potuit, (2) et alios quidem Scythas memorat Galatis

---

Ireland denominated in general their Country *Scotia.*—Even the Poets have not given it that appellation, till towards the 13th and 14th Centuries. The word seems to be of foreign extraction." Gough's Camden, vol. iii, p. 471. Lond. fol. 1789.

(1) Scholiastes vetus ad Pindar. Pyth. 4, v. 376.

(2) Ptolem. Tab. 3 Africæ. In textu "*Scythiaca* Regio in Lybia, cujus situs 60-40, 30-10."

conterminos ad Aquilonem, Σκυθαι υπερ την Γαλατιαν, quos notat etiam Chronicon Paschale. (1) Quinquaginta Scytharum gentes numerat Timonax, a Pindari Scholiaste memoratus, et ab Ammiano. Quod si e Lybia in Hispaniam transeamus, ibi, inter cæteras gentes qui ex Africa transierunt, juxta Varronem, Annales Punicos Hiempsalis apud Salustium, Plinium, et Silium Italicum inveniemus Massagetas, qui Scythæ erant, *Concanos*, et *Lucenses* pariter Scythas, (2) et *Scythicum* Promontorium, hodie cape *Finisterre*, e regione Hiberniæ, ita ut in hac catena migrationum nihil fere desideretur, nisi Stationes et Oppida quæramus in mari intermedio, ubi classes et itinera in liquido gurgite evanescunt. *Scythopolim* in Palestina ita appellatum a *Scythis* Coloniam ibi ducentibus, narrant non modo Eusebius loco citato, sed et Josephus l. 5, c. 1, l. 6, c. 15, l. 12, c. 12, l. 13, c. 10, Liber Jud. c. 1. juxta 70, Abulfeda, et Synesius.

Stropha 22, *v.* 4.

" Nec gratum quod Temoria *deserta*."—Subintelligenda est *sit*, vel *futura sit* deserta. Hæc plane indicant, auctorem scripsisse annum circiter 540, ac proinde vel Fiecum non fuisse auctorem, vel vitam ad annum istum produxisse, quo Diarmitius, Rex Hiberniæ, quemdam Reum e S. Ruadani Monasterio ad supplicium traxit Temoriam, et Abbas et Monachi reclamantes, Temoriam ipsam, ut Iniquitatis sedem maledixerunt, IV Mag. Annal. ann. 540, unde ab eo die nullus Regum sedit Temoriæ, sed Regni sedes translata fuit, ad alium locum haud procul distantem, et postea ad alia loca diversa, usque ad adventum Danorum, a quo tempore *Arx Alichiæ* Præcipua erat Regia. Ultoniæ, *Rath-Cruachan* Connaciæ, *Cinn-Cora* Momoniæ, et *Naas* et *Ferna* Lageniæ.

DE EPISTOLIS S. PATRICIO ADSCRIPTIS.

Codicem Ardmachanum, unde has Epistolas descripsit Waræus, memoravi, simul cum Elencho Contentorum ejusdem Codicis, in Epistola Nuncupatoria p. 56. Hæ autem Epistolæ a meipso descriptæ sunt, ex Codice Cottoniano vix minoris ætatis, utpote a 900 annis exarato, quem cum Waræi editione diligenter contuli, ita ut quod Manuscriptorum fidem attinet, nihil desideretur. Veritati consulere cupiens, Doctissimi *Mabillonii* verba in medium afferam, unde perspiciat Lector, me, non meis viribus confidentem, aut meæ tantum opinioni proclivum, sed summi Viri scientia ductum, has Epistolas, ut sinceras, et saltem ævi S. Patricii genuina Monumenta, jure merito produxisse. Conveniunt cum Mabillonio Tillemontius, Dupinius, Usserius, et alii, a quorum judicio, absque validissimis in contrarium argumentis, temerarii esset, et prorsus insani discedere.

---

(1) Rer. Byzant. Venetiis 1729, t. 4. pag. 38. In Judice "*Scythæ Ægyptii.*"
(2) Silius Ital. iii, 360, et 384, cum Heinsii nota in editione Drakenborch 1717, p. 160.

Mabillonii verba, ubi has Epistolas memorat, hæc sunt—

"Patricius in Scotia ortus, sed in Hibernia exsul non semel, Monasticos ritus in Gallia, primum quidem in *Majori Monasterio* (Turonensi, *Marmoutier*,) tum in *Lirinensi* didicit. Palladio mortuo, in Hiberniam a Cælestino Pontifice missus, fundatis Ecclesiis, Monasteria etiam instituit, cum per se, tum per Discipulos suos, etiam in Episcopalibus Ecclesiis, quasi funestissima ista ætate, inquit Mareshamus (Præf. in Monast. Angl.) comparatum fuisset hoc vivendi institutum, tutissimum adversus humanas miserias Refugium. Unde Patricius, *in Confessione sua*,—*Filii Scottorum*, inquit, et *Filiæ Regulorum*, Monachi et Virgines esse videntur, et etiam una Benedicta *Scotta*, (nempe *Birgitta*) Genitiva nobilis, quam ego baptizavi.

"A *Scotis* tamen nonnullis multa passus, cogitabat reverti in Gallias, ut denuo visitaret fratres suos, et ut videret *faciem Sanctorum Domini sui*, ubi *fratrum* nomine, intelligere videtur Gallicanos Monachos. Sanctorum vero nomine comprehendit *S. Germanum*, Autissiodorensem Episcopum, qui cum aliquamdiu commoratus fuerat. Qui etiam post obitum suum, eisdem Gallicanis fratribus relinquere et commendare cupiebat filios, quos in Hibernia Christo lucratus fuerat, ne scilicet, urgente persecutione, a fide recens suscepta ceficerent. Hæc persecutio tam acerba fuit, auctore imprimis *Corotico* quodam Apostata, ut innumeri Neophiti, postera die, quam sacris eos aquis Vir Sanctus abluerat, in veste candida, gladio crudeliter trucidati ac mactati sint *a Scottis et Pictis Apostatis*, ut ait in Epistola ad eumdem Coroticum, in qua *filios Scottorum et filias Regulorum*, qui Monasticen et Virginitatem professi fuerant, *innumerabiles* fuisse testatur." (1)

Subjungit S. Patricium Ritus quos Romæ hauserat, Hibernis imposuisse, sed pervicisse alterius sectæ homines, qui tonsuram, exemplo Simonis Magi, ab aure ad aurem, intonso Occipitio præferebant, et Pascha non a XV die Lunæ ad XXI, ritu Catholico, sed vel a XIV ad XX, vel a XVI ad XXIII celebrabant.

Cucullam candidam quod attinet, id confirmare videntur Cummineus Albus in Vita Columbæ, c. 23, et Adamnanus l. 2, c. 44, ubi ejus tunicam Candidam fuisse narrant, uti et Jocelinus c. 185, et Probus ubi ait S. Patricium, postquam sermonem habuisset de cultu Solis, Lunæ, et Stellarum, baptizasse filias Regis Hiberniæ, et Candidis vestibus induisse, l. 1, c. 55. Ordericus etiam Vitalis de S. Columbani Discipulis scribit, nigredinem Vestium, abjecto scilicet albo colore, cum Regula S. Benedicti accepisse.—At S. Patricium Ritum Paschalem Romanum in Hiberniam induxisse anno 432, veritati Historicæ repugnat, ut supra indicavi pag. 83, neque verisimile est alios eum mores induxisse, quam eos quos inter *Fratres Gallicanos*, Lirinenses nempe et Turonenses, sulpicii Severi condiscipulus coluit ipse et amavit. De Paschali ritu res est certissima, non eundem fuisse Romæ tempore S. Augustini, quo controversia orta est cum Scotis, ac anno 432; neque eandem fuisse tonsuram opinor, ex fragmentis servatis in Roma subterranea, et ex tonsura Ethnicorum. (2)

---

(1) Mabillon, Annales t. 1, p. 207.

(2) Lampridius in Commodo c. 9—"*Sacra Isidis coluit, ut et caput raderet,* et Annubim portaret."—Julianus Apostata, ut affectati sceptri suspicionem vitaret, "*abrasa cute,* vitam Monasticum simulavit." Socrat. l. 3, c. 1.—Monachi orientales *Coronam* non gestabant, sed eodem modo quo Hiberni—"non *improba att.nsi capitis fronte* "*criniti,* sed casta informitate, capillum ad cutem cæsum habebant, et inæqualiter semitonsi, et *destituta fronte* "*prærasi* erant." Paulini Ep. 7 ad Severum.

Illud certissimum—Romanos, S. Gregorii ævo, *detonso superius toto capite*, inferius brevem tantum capillorum circulum, in Coronæ modum, gestasse, exemplo ut putabant B. Petri, Græcos, nullo relicto circulo, penitus detonsos fuisse, ad imitationem, ut dicebant, S. Jacobi fratris Domini, cæterorumque Apostolorum, Hibernos vero et Brittones anteriorem capitis partem penitus rasisse ab aure ad aurem, occipitio intonso, quod S. Johannis exemplo se facere gloriabantur.—Tonsuræ Hibernicæ formam exhibet Codex Elnonensis, in effigie *S. Mummolini* Discipuli S. Columbani, apud Mabillonium, Annales t. 1, p. 528. Per-ridicula est, atque ad odium Theologicum conficta, falsa criminatio de Simone Mago, cumquo nullam omnio necessitudinem, vel mediate, habere poterant Monachi Hiberni. Jamque ad S. Patricii Epistolam accedamus.

S. PATRICII CONFESSIO,

SIVE

EPISTOLA AD HIBERNOS,

Ex Codice Cottoniano annorum saltem 800, collato cum Ardmachano annorum mille. (1)

Ego Patricius peccator, rusticissimus et minimus omnium fidelium, et contemptibilissimus apud plurimos, patrem habui Calpornium Diaconum, filium quondam Potiti Presbyteri, (2) qui fuit in Vico Banavan Taberniæ.(3) Villulam enim (4) prope habuit, ubi capturam dedi. Annorum eram tum

(1) Codex Cotton, Nero E 1. Folio, foliorum 428, cujus pars longe maxima scripta fuit A.D. circiter 1000, continet inter alia,—1. Vitam Oswaldi Eborac. Archiep. *tempore Ælfrici*, ut propria manu illic notavit Usser.—15. Vitam S. Fursei—29. Vitam S. Brigidæ a fol. 134 b.—41. Confessionem S. Patricii a fol. 167, b.

(2) " Calphurnius Patri qui nobilis *postea* extitit Presbyter, nomen erat." Evinus in Vita Tripartita p. 1, c. 1.—" Postquam vero aliquamdiu processerant in diebus suis, fælici generatione completa, communi consensu Castitati studuerunt. Calphurnius prius in Diaconatu diutius Domino servit, postremo in Presbyteratu." Jocelin. c. 1.

Electi nempe ad ordines Sacros, ea lege ordinabantur, ut, si uxorati erant, consentiente primum Uxore ordinarentur, et inde desinerent prorsus usu conjugum.—" Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, " Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe *post Sacerdotium in æternum pudici.*" Hieron. l. 1. adv. Jovin. et iterum Ep. 50 ad Pammac. editionis Erasmi, iterumque in Vigilantium. Concil Carthag. II, c. 2, et magnum Nicænum Can. 3.—Hæc omnia Patricii ævum præcedunt, uti et Epiph. Hær. 59. Quidquid alii sentiant, at saltem *veritas historica servanda est.*

(3) Ita in Codice Nero E 1, "*Banavan* Tabernie." In Probo " De Vico *Banavæ, Tyburniæ* regionis, haud procul a mari Occidentali."—In pago Taburnia secus oppidum *Empthor*. Jocelin.

(4) Waræus habet *Enon*. Sed lege *enim*, ut in Codice prædicto.

fere xvi. (1) Deum verum ignorabam, et Hiberione in Captivitate adductus sum, cum tot milibus hominum, secundum merita nostra, quia a Deo recessimus, et præcepta ejus non custodivimus, et sacerdotibus nostris inobedientes fuimus, qui nostram salutem admonebant: et Dominus induxit super nos iram animationis suæ, (2) et dispersit nos in gentibus multis, etiam usque ad ultimum terræ, ubi nunc parvitas, mea esse videtur inter alienigenas. (3) Et ibi Dominus apperuit sensum incredulitatis meæ, ut vel sero rememorarem delicta mea, et ut converterer toto corde ad Dominum Deum memum; qui respexit humilitatem meam, et misertus est adulescentiæ et ignorantiæ meæ, et custodivit me antequam saperem vel distinguerem inter bonum et malum, et munivit (4) me, et consolatus est me, ut pater filium.

Unde autem tacere non possum, neque expedit quidem tanta beneficia, et tantam gratiam, quam mihi (Dominus præstare) dignatus est in terra captivitatis meæ, (5) quia hæc est retributio nostra, ut post correptionem ad agnitionem Dñi exaltaremur, et confiteremur mirabilia ejus coram omni natione quæ est sub omni cœlo, quia non est alius Deus, nec unquam fuit nec erit post hunc, præter Deum Patrem ingenitum, sine principio, a quo est omne principium, omnia tenentem, (ut diximus) et hujus filium Jesum Christum, quem cum Patre scilicet fuisse semper testamur, ante originem seculi, spiritualiter apud Patrem, inenarrabiliter genitum ante omne principium, et per ipsum facta sunt visibilia et invisibilia, hominem factum, devicta morte, in cœlos ad Patrem receptum. Et dedit illi omnem potestatem *super omne nomen, cælestium et terrestrium et infernorum, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus* et Deus *est Jesus Christus,* (6) quem credimus, et expectamus adventum ipsius, mox futurus Judex vivorum et mortuorum, qui reddet unicuique secundum facta sua, et infudit in nobis abunde Spiritus Sancti donum, et pignus immortalitatis, qui facit credentes et obedientes, ut sint filii Dei Patris, et cohæredes Christi, quem confitemur et adoramus, unum Deum in Trinitate sacri nominis. Ipse enim dixit per Prophetam—*Invoca me in die tribulationis tuæ, et liberabo te, et magnificabis me.* Et iterum inquit, *Opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.*(7) Tamen etsi in multis imperfectus sum, opto fratres et cognatos

(1) Captus est nempe a Classe Hibernica Britanniam vastante, anno 388, regnante *Niallo Magno,* ut jam antea indicavi. Confer Florentium Wigorn. ad ann. 388.

(2) Verba—"*Iram animationis suæ,*" neque ex *Vulgata,* neque ex 70 *Interpretibus* descripta sunt ut putavit Waræus. In Vulgata enim sic leguntur—et *avertet a nobis* furorem *iræ suæ*" et in LXX sic "*et avertit iram furoris sui a nobis.*" Walton Paralipom. 29, 10.—Itaque S. Patricius Vulgatæ propior est quam LXX Interpretibus.

(3) Scripsit itaque hanc Epistolam in Hibernia, et quidem ad *ultimum terræ,* nempe in *Occidentalis* Connaciæ Regione *Jar-Connacht,* cujus Regem *Amalgadium* baptizaverat, a quo *Tir-Amalgaid* dicitur Hibernice, Anglice *Tirawley.* Ita Ninius, apud Usser. p. 865, Jocelin. c. 59, et alii.

Amalgadium istius Regionis eo ævo Regem fuisse, scribit *Flannus* in Carmine Hibernico Stowense sæpe memorato, et Catalogus metricus Regum Connaciæ, de quo posthac plura dicenda erunt.

(4) Codex Cotton. Nero E 1, *monuit.*

(5) Desunt in Codice Ardmachano quæ inter uncos inclusa sunt.

(6) Hæc ita leguntur in Vulgata "*et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne Genu flectatur, Cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus J. C. in gloria est Dei Patris.*" Philip. c. 2.

(7) Hæc pariter leguntur in Vulgata.

meos scire qualitatem meam, ut possint perspicere votum animæ meæ. Non ignoro testimonium Domini mei, qui in Psalmo testatur, *Perdes eos qui loquuntur mendacium*, et iterum, Os *quod mentitur occidit animam.* (1) Et idem Dominus in Evangelio inquit, *Verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii.*(2) Unde autem vehementer (debueram) cum timore et tremore, metuere hanc sententiam in die illa, ubi nemo poterit se subtrahere vel abscondere, sed omnes omnino reddituri sumus rationem etiam minimorum peccatorum ante tribunal Christi Domini.

Quapropter olim cogitavi scribere, sed usque nunc hæsitavi. Timui enim ne inciderem in linguam hominum. Et qui non legi, sicut cæteri qui optime, itaque jure, et sacras literas utroque pari modo combiberunt, et sermonem illorum ex infantia nunquam mutaverunt, sed magis ad perfectum semper addiderunt.(3) Nam sermo et loquela nostra translata est in linguam alienam, sicut facile potest probari ex saliva Scripturæ meæ, qualiter sum ego in Sermonibus instructus atque eruditus, quia inquit Sapiens, *per linguam dignoscitur et sensus et scientia et doctrina varietatis.*(4) Sed quid prodest excusatio juxta veritatem, præsertim cum præsumptione? quatinus modo ipse appeto in senectute mea, quod in juventute, quia obstiterunt (peccata mea) ut confirmarem quod ante non perlegeram. Sed quis me credit? Et si dixero (quod ante præfatus sum) adulescens, immo pene puer imberbis, capturam dedi, antequam scirem quid peterem, vel quid vitare debueram. Unde ergo hodie erubesco, et vehementer pertimeo denudare imperitiam meam, quia disertis brevitate sermonis explicare nequeo. Sicut enim Spiritus gestit, et animus et sensus monstrat affectus. Sed si itaque datum mihi fuisset sicut cæteris, veruntamen non silerem propter retributionem. Etsi forte videtur apud aliquantos, me in hoc præponere cum mea inscitia et tardiori lingua. Sed scriptum est, *Linguæ balbutientes velociter discent loqui pacem:* quanto magis nos adpetere debemus qui sumus, inquit, *Epistola Christi*, in salute usque ad ultimum terræ: etsi non diserta, sed rata et fortissime scripta in cordibus vestris, *non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* Et iterum Spiritus testatur, *Et rusticicatio ab Altissimo creata est.*

Unde ego primus rusticus perfuga, indoctus scilicet, qui nescio in posterum providere: sed scio illud certissime, quia utique priusquam humiliarer, ego eram velut lapis qui jacet in luto profundo, et venit qui potens est, et in sua misericordia sustulit me, et quidem scilicet sursum adlevavit, et collocavit me in summo pariete, et inde fortiter debueram exclamare, ad retribuendum quoque aliquid Domino, pro tantis beneficiis ejus, hic et in æternum, quæ mens hominum æstimare non potest. Unde autem admiramini magni et pusilli qui timetis Deum, et vos ignari Domini Rhetorici, ex

---

(1) Hæc ita leguntur in Vulgata. Sap. I. 11. Itemque in lxx. Walton.

(2) Similiter in Vulgata. Matth. xii, 36.

(3) "*Utroque pari modo,*" i.e. ut ego interpretor, tam Græce quam Latine, vel tam ex Versione Hieronymi quam ex Vetere Italica. *Ambæ enim tum in usu erant.*

(4) Hæc ita leguntur in Vulgata, Eccl. IV, 29,—"*In lingua enim Sapientia dignositur,* et *sensus et scientia, et doctrina in verbo sensati.*"—In Græca editione LXX sic—" In sermone enim cognoscitur Sapientia et doctrina in " verbo linguæ," Walton. Itaque, ut antea notavi, S. Patricius Vulgatæ potius editioni quam Græcæ accedit. Quid mirum, cum antiquissimi Codices Evangeliorum Sæculi VI et VII, Vulgatæ editionis esse dignoscantur.

Gallicis.(1) Audite ergo et scrutamini, quis me stultum excitavit de medio eorum, qui videntur sapientes esse et legis periti, et potentes in sermone, et in omni re, et me quidem detestabilem hujus mundi, præ cæteris inspiravit si talis essem. Dummodo autem ut cum metu et reverentia, et sine querela fideliter prodessem Genti, ad quam charitas Christi transtulit, et donavit me in vita mea, si dignus fuero: denique, ut cum humilitate et veraciter deservirem illis.

In mensura itaque fidei Trinitatis, oportet distinguere sine reprehensione periculi, notum facere donum Dei et consolationem æternam, sine timore fidutialiter Dei nomen (nomine) ubique expandere, ut etiam post obitum meum Gallicis relinquerem fratribus, et filiis meis, quos ego in Domino baptizavi, tot milia hominum.(2) Et non eram dignus neque talis, ut hoc Dominus servulo suo concederet, post ærumnas et tantas moles, post captivitatem, post annos multos, in gentem illam tantam gratiam mihi donaret, quod ego aliquando, in juventute mea, nunquam speravi neque cogitavi.

Sed postquam *Hiberionem* deveneram, quotidie (igitur) pecora pascebam, et frequens in die orabam, magis ac magis accedebat amor Dei, et timor ipsius, et fides augebatur, et spiritus augebatur, ut in die una usque ad centum orationes, et in nocte prope similiter; (3) ut etiam in silvis et monte manebam, et ante lucem excitabar ad orationem per nivem, per gelu, per pluviam, et nihil mali sentiebam, neque ulla pigritia erat in me, sicut modo video, quia tunc in me Spiritus fervebat.

Et ibi scilicet quadam nocte, in somno audivi vocem dicentem mihi, Bene jejunas, cito iturus ad patriam tuam. Et iterum post paululum tempus, audivi responsum dicens mihi; ecce navis tua parata est; et non erat prope, sed forte habebat ducenta milia passus: et ibi nunquam fueram, nec ibi notum quenquam de hominibus habebam. Et deinde postmodum conversus sum in fugam, et intermisi hominem, cum quo fueram sex annis.(4) Et veni in virtute Domini, qui viam meam ad bonum dirigebat, et nihil metuebam donec perveni ad navem illam. Et illa die qua perveni, profecta est navis de loco suo, et locutus sum, ut haberem unde navigarem cum illis. Et gubernatori displicuit, et acriter cum indignatione respondit—Nequaquam tu nobiscum adpetas ire.—Et cum hæc audissem, separavi me ab illis, ut venirem ad tuguriolum ubi hospitabam; et in itinere cœpi orare, et antequam orationem consummarem, audivi unum ex illis fortiter exclamantem post me: Veni cito, quia vocant te homines isti, et statim ad illos reversus sum, et cœperunt mihi dicere, veni quia ex fide recipimus te, fac nobiscum amicitiam, quomodo volueris. Et in illa die itaque repuli fugere, propter timorem Dei. Veruntamen speravi ab illis, ut mihi dicerent, Veni in fide Jesu Christi, quia Gentes erant.

Et hoc obtinui cum illis: (et protinus navigavimus) et post triduum terram cepimus, et viginti

---

(1) Hæc aliter edidit Waræus, sed erronee, et contra fidem Codicis *Nero E* 1.

(2) Ingentem populorum multitudinem Hibernia eo ævo continebat, sed his omnibus dominabantur *Scoti*, qui totam sibi Insulam, maritimis quibusdam exceptis, jam antea a pluribus Sæculis vindicaverunt.—Pro Gallicis, libenter legerem *Gadelicis* fratribus, nempe Hibernicis, quos solos baptizasse narratur.

(3) Vide supra pag. 93, not. 1, de S. Patricii Disciplina Monastica.

(4) Probus annos VII Servitutis habet, Jocelinus et alii VI.

octo dies, per desertum iter fecimus, et cibus defuit illis, et fames invaluit super eos. Et alia die cœpit gubernator mihi dicere, Quid Christiane dicis? Deus tuus magnus et omnipotens est, Quare ergo non potes pro nobis orare, quia nos fame periclitamur? difficile est enim ut aliquem hominem unquam videamus. Ego enim evidenter dixi illis, convertimini ex fide, et ex toto corde, ad Dominum Deum nostrum, quia nihil est illi impossibile, ut hodie cibum mittat vobis, in viam vestram, usque dum satiamini, quia ubique abundat illi. Et adjuvante Deo, ita factum est: ecce grex porcorum in via ante oculos nostros apparuit: et multos ex illis interfecerunt, et ibi duas noctes manserunt bene refecti; et carne eorum relevati sunt, quia multi ex illis defecerunt, et secus viam semivivi derelicti sunt. Et post hæc summas gratias egerunt Deo, et ego honorificatus sum sub oculis eorum. (Et ex hac die abundanter cibum habuerunt.) Etiam mel silvestre invenerunt, et mihi partem obtulerunt. Et unus ex illis dixit, hoc immolatitium est: Deo gratias. Exinde nihil gustavi.(1) Eadem vero nocte, eram dormiens, et fortiter temptavit me Satanas, cujus memor ero quamdiu fuero in hoc corpore. Et cecidit super me veluti saxum ingens, et nihil membrorum meorum prævalens. Sed unde mihi venit, ignoro, in spiritum, ut *Heliam* vocarem: et inter hæc vidi in cœlo Solem oriri, et dum clamarem *Heliam, Heliam,* viribus meis, ecce spendor Solis decidit super me, et statim discussit a me omnem gravitudinem. Et credo quod a Christo Domino meo (subventus sum, et Spiritus ejus jam tunc) clamabat pro me, et spero quod sic erit in die pressuræ meæ, sicut in Evangelio inquit; (In illa die) Dominus (testatur) *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Et iterum post annos (non) multos, adhuc capturam dedi: ea nocte prima itaque mansi cum illis, responsum autem divinum audivi dicens mihi, Duos menses eris cum illis, quod ita factum est. Nocte illa sexagesima liberavit me Dominus de manibus eorum. Ecce in itinere prævidit nobis cibum et ignem, et siccitatem quotidie: donec quarto decimo die pervenimus ad homines, sicut superius insinuavi, viginti et octo dies per desertum iter fecimus, et ea nocte qua pervenimus ad homines, de cibo vero nihil habuimus.

Et iterum post paucos annos, in Britanniis eram cum parentibus meis, qui me ut filium susceperunt, et ex fide rogaverunt me, ut vel modo ego (post tantas tribulationes quas pertuli) nunquam ab illis discederem. Et ibi scilicet, vidi in visu, nocte, virum venientem quasi de *Hiberione*, cui nomen *Victoricius*, cum epistulis innumerabilibus, et dedit mihi unam ex illis, et legi principium epistulæ, (2) continentem *Vox Hiberionacum.*(3) Et dum recitabam principium epistolæ, putabam

(1 Confer *Fiecum* supra in Carmine Hibernico Stropha 3.

(2) Hujus Epistolæ antiquitatem vel inde deduco, quod Auctor ubique fere Epistulam scripsit pro Epistola, adulescentem pro adolescentem, &c. non enim ante desinentem Sæculum VI litera O pro U in istis vocibus substituta est, uti plane demonstrat *Fontaninius* in Antiquitatibus Hortæ l. 1, c. 8, p. 157.

Codicis Veronensis Cassiodori antiquitatem vel inde deducit Maffeius, in editione Florentina anni 1720, quod titulum ita scriptum præ-se-ferat "*Cassiodori Senatoris jam Dn̄s prestante conversi explici Præfatio incipiunt complexiones in Epistulis* Apostolorum."—Obiter dicam—Cassiodorum, qui optimos penes se habuit Codices Sæculi VI, versum 7 Capitis 5 Epistolæ primæ S. Johannis sic retulisse—"*In Cœlo autem Pater et Filius et S. Sanctus, et hi tres unus est Deus.*" Codex Veronensis unde hæc verba descripta sunt, Sæculo VI exaratus est. Vide Maffæi Oposc. Eccles. p. 62. Tab. 2, No. VIII.—In Codice Cotton. Nero E 1, litera *e* simplex sæpe ponitur pro *æ*.

(3) Exemplar a Jocelino citatum c.21 habet *Hibernigenarum.*

ipso momento, audire vocem ipsorum qui erant juxta sylvam *Focluti*, quæ est prope mare occidentale. Et fic exclamaverunt quasi ex uno ore; Rogamus te sancte puer, ut venias et adhuc ambules inter nos. Et valde compunctus sum corde, et amplius non potui legere: et sic expergefactus sum. Deo gratias, quia post annos plurimos præstitit illis Dominus, secundum clamorem eorum. Et alia nocte, nescio, Deus scit, utrum in me, an juxta me, verbis peritissimis, quæ ego audivi et non potui intelligere, nisi ad postremum orationis sic affatus est: *qui pro te animam suam posuit.*(1) Et sic expergefactus sum gaudibundus. Et iterum vidi in me ipsum orantem, et eram quasi intra corpus meum: et audivi super me, hoc est, super interiorem hominem, et ibi fortiter orabat gemitibus. Et inter hæc stupebam, et admirabar, et cogitabam quis esset qui in me orabat. Sed ad postremum orationis, sic effatus est, ut sit Spiritus. Et sic experrectus sum, et recordatus sum, Apostolo dicente: *Spiritus adjuvat infirmitatem* nostræ orationis. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quæ verbis exprimi non possunt. Et iterum, *Dominus advocatus noster postulat pro nobis.*

Et quando temptatus sum ab aliquantis senioribus meis qui venerunt, et peccata mea contra laboriosum episcopatum meum: utique in illo die fortiter impulsus sum ut caderem hic et in æternum. Sed Dominus pepercit proselito et peregrino, propter nomen suum benigne et valde mihi subvenit, in hac conculcatione, quod in labem et in obprobium non male deveni. Deum oro ut non illis in peccatum reputetur occasionum. Post annos triginta invenerunt me, et adversus verbum quod confessus fueram, antequam essem Diaconus, propter anxietatem, mœsto animo insinuavi amicissimo meo, quæ in pueritia mea, una die gesseram, immo in una hora, quia nec dum prævalebam. Nescio, Deus scit, si habeam tunc annos quindecim, et Deum vivum non credebam, neque ex infantia mea, sed in morte et in incredulitate mansi, donec valde castigatus sum, et in veritate humiliatus sum a fame et nuditate, et quotidie. Contra, *Hiberionem* non sponte pergebam, donec prope deficiebam. Sed hoc potius bene mihi fuit, quia ex hoc emendatus sum a Domino, et aptavit me ut hodie essem quod aliquando longe a me erat, ut ego curas haberem, aut satagerem pro salute aliorum; quando tunc etiam de me ipso non cogitabam.

Igitur in illo die quo reprobatus sum a memoratis supra dictis, ad noctem illam) vidi in visu noctis: scriptum erat contra faciem meam sine honore. Et inter hæc, audivi responsum (divinum) dicens mihi: male vidimus faciem Dei signati nudato nomine, nec sic prædixit, male vidisti, sed male vidimus, quasi ibi se junxit, sicut dixit; *Qui vos tangit, quasi tangit pupillam oculi mei.* Idcirco gratias ago ei qui me in omnibus confortavit, ut non me impediret a profectione quam statueram, et de meo quoque opere quod a Christo didiceram. Sed magis ex eo sensi in me virtutem non parvam, et fides mea probata est coram Deo et hominibus. Unde autem audenter dico: non me reprehendit conscientia mea hic et in futurum.

Testem Deum habeo, quia non sum mentitus in sermonibus quos ego retuli vobis. (Sed magis doleo pro amicissimo meo, cur hoc meruimus audire tale responsum, cui ego credidi etiam

(1) "*Qui dedit animam pro te, ipse est qui loquitur in te.*" Ita Liber Ardmac.

animam. Et comperi ab aliquantis fratribus, ante defensionem illam, quod ego non interfui, nec in Britanniis eram, nec a me orietur, ut et ille in mea absentia, pro me pulsaret, etiam mihi ipse ore suo dixerat: ecce dandus es tu ad gradum Episcopatus, quod non eram dignus. Sed unde venit illi postmodum, ut coram cunctis bonis, et malis, et me publice dehonestaret, quod ante sponte et lætus indulserat? Et Dominus qui major omnibus est, satis dico. Sed tamen non debeo abscondere donum Dei, quod largitus est nobis in terra captivitatis meæ. Quia tunc fortiter inquisivi eum, et ibi inveni illum, et servavit me ab omnibus iniquitatibus. Sic credo, propter inhabitantem Spiritum ejus, qui operatus est usque in hanc diem in me audenter rursus. Sed scit Deus, si mihi homo effatus fuisset, forsitan tacuissem, propter charitatem Christi. Unde ergo indefessam gratiam agam Deo meo, qui me fidele servavit in die temptationis meæ, ita ut hodie confidenter offeram illi sacrificium, ut hostiam viventem, animam meam Christo Domino meo, qui me servavit ab omnibus angustiis meis: ut et dicam quis ego sum Domine, vel quæ est vocatio mea, qui mihi tantam divinitatem cooperuisti? ita ut hodie in gentibus constanter exultarem, et magnificarem nomen tuum, ubicunque fuero; necnon in secundis, sed etiam in pressuris: ut quicquid mihi evenerit, sive bonum sive malum, æqualiter debeo suscipere, et Deo gratias semper agere, qui mihi ostendit ut indubitabilem eum sine fine crederem, et qui me audierit, ut et ego inscius sim in novissimis diebus, hoc opus tam pium et tam mirificum adire aggrederer, ita ut imitarer quospiam illos, quos ante Dominus jam olim prædixerat prænunciaturum (1) Evangelium suum, *in testimonium omnibus gentibus*, ante finem mundi. Quod ita ergo (ut vidimus itaque) suppletum est. Ecce testes sumus, quia Evangelium prædicatum est usque ubi nemo ultra est.

Longum est autem totum per singula enarrare laborem meum, vel per partes. Breviter dicam qualiter piissimus Deus de servitute sæpe liberavit, ex duodecim periculis, quibus periclitata est anima mea, præter insidias multas, et quæ verbis exprimere non valeo: nec et injuriam legentibus faciam. Sed dum authorem habeo, qui novit omnia, etiam antequam fiant, (ut me pauperculum pupillum. Ideo tamen responsum divinum creberrime admonuit, unde mihi hæc sapientia quæ in me non erat, qui nec numerum dierum noveram, neque Deum sapiebam: unde mihi postmodum donum tam magnum, tam salubre, Deum agnoscere, vel diligere: Sed ut patriam, et parentes amitterem; et munera multa mihi offerebantur, cum fletu et lachrymis, et offendi illos, necnon contra votum, aliquantis de senioribus meis. Sed, gubernante Deo, nullo modo consensi, neque adquievi illis, non mea gratia, sed Deus qui vicit in me, et restitit illis omnibus, ut ego venirem ad Hibernas gentes Evangelium prædicare, et ab incredulis contumelias preferre, ut haurirem opprobrium peregrinationis meæ, et persecutiones multas, usque ad vincula, et ut darem ingenuitatem meam pro utilitate aliorum; et si dignus fuero, promptus sum ut etiam animam meam incunctanter et libentissime pro nomine ejus: et ibi opto impendere eam, usque ad mortem, si Dominus mihi indulgeret. (Quia valde debitor sum Deo qui mihi tantam gratiam donavit, ut populi multi per me in Deum renascerentur, et postmodum consummarentur. Et ut clerici ubiq; illis ordinarentur ad plebem nuper venientem ad credulitatem, quam sumpsit Dominus ab Extremis Terræ, sicut olim pro-

(1) Lege *prænunciaturos*. Inter Scribas Veteres plurimi Linguæ Latinæ ignari erant.

miserat per Prophetas. (*Ad te gentes venient ab extremis terræ et dicent*) *Sicut falsa comparaverunt patres nostri idola, et non est utilitas in eis.* Et iterum, *Posui te lumen in Gentibus, ut sis in salutem, usque ad extremum terræ.* Et ibi volo expectare promissum ipsius, qui utique nunquam fallit, sicut in Evangelio pollicetur. *Venient ab oriente et occidente* (et) *recumbent cum* Abraham, *et* Isaac, *et* Jacob: sicut credimus ab omni mundo venturi sunt credentes.

Idcirco oportet bene et diligenter piscari, sicut Dominus præmonet, dicens; *Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum.* Et iterum dicit per Prophetas, *Ecce ega mitto piscatores et venatores multos, dicit Dominus,* &c. Unde autem valde oportebat retia nostra tendere, ita ut multitudo copiosa et turba Deo caperetur, ut ubique essent Clerici qui baptizarent et exhortarentur populum indigentem et desiderantem, sicut Dominus in Evangelio admonet et docet, dicens; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* (*Docentes eos observare omnia quæcunque mandavi vobis: et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*) Et iterum dicit, *Euntes ergo in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur.* Et iterum: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* Et item Dominus per Prophetam prænuncians, inquit; *et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et filii vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.* Et in Osea dicit: *vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, et erit in loco ubi dictum est, non plebs mea vos, ubi vocabuntur filii Dei vivi."*

Unde autem *Hiberione*, qui nunquam notitiam Dei habuerunt, nisi idola et immunda usque nunc semper coluerunt; quomodo nuper facta est plebs Domini, et filii Dei nuncupantur? Filii *Scottorum* et filiæ Regulorum, Monachi et virgines Christi esse videntur.—Et etiam una benedicta *Scotta,* genitiva nobilis, pulcherrima, adulta erat, quam ego, baptizavi.

Et post paucos dies, una causa venit ad nos, insinuavit nobis responsum accepisse a nuntio Dei, et monuit etiam ut esset virgo Christi et ipsa Deo proximaret. Deo gratias. Sexta ab hac die optime ad avidissime arripuit illud, quod etiam omnes virgines Dei ita hoc faciunt, non sponte patrum earum, sed persecutionem patiantur, et inproperia falsa a parentibus suis; Et nihilominus plus augetur numerus, et de genere nostro qui ibi nati sunt, nescimus numerum eorum, præter viduas et continentes; sed et illæ maxime laborant, quæ servitio detinentur, usque ad terrores et minas assidue perseverant. Sed Dominus gratiam dedit multis ex ancillis meis, nam sive tantum, tamen fortiter imitantur. Unde autem etsi voluero amittere illas, et ut pergens in Britannias, et libentissime paratus eram, quasi ad patriam et parentes, non id solum, sed eram usque Gallias visitare fratres, et ut viderem faciem Sanctorum Domini mei. Scit Deus quod ego valde optabam, sed alligatus Spiritu, qui mihi protestatur, Si hoc fecero, ut futurum reum me esse designat, et timeo perdere laborem quem inchoavi; Et non ego sed Christus Dominus qui me imperavit ut venirem, esse cum illis residuum ætatis meæ; si Dominus voluerit et custodierit me ab omni via mala, ut non peccem coram illo. Spero autem hoc debueram, sed memet ipsum non credo,

quamdiu fuero in hoc corpore mortis, quia fortis est qui cotidie nititur subvertere me a fide et a proposita castitate, usque in finem vitæ meæ, Christo Domino meo: sed caro inimica semper trahit ad mortem, id est, ad inlecebras inlicite perficiendas. Et scio ex parte, quare vitam perfectam ego non egi, sicut et cæteri credentes. Sed confiteor Domino meo, et non mentior, ex quo cognovi eum, a juventute mea crevit in me amor Dei et timor ipsius, ut usque nunc favente Domino fidem servavi.

Rideat autem et insultet qui voluerit, ego non silebo, neque abscondam signa, et mirabilia quæ mihi a Domino ministrata sunt, ante multos annos quam fuerant quasi, qui novit omnia, etiam *ante tempora secularia.* Unde autem debuero sine cessatione Deo gratias agere, qui sæpe indulsit insipientiæ meæ, et de loco non in uno quoque, ut non mihi vehementer irasceretur, qui adjutor datus sum, et non cito adquievi, secundum quod mihi ostensum fuerat, et sicut Spiritus suggerebat. Et misertus est mihi Dominus in milia milium, (1) quia vidit in me quod paratus eram, sed quod mihi pro his nesciebam de statu meo quid facerem, quia multi hanc legationem prohibebant, et jam inter se ipsos post tergum meum narrabant et dicebant; iste quare se mittit in periculum inter hostes qui Dominum non noverunt? non ut causa malitiæ, sed non sapiebat illis, sicut et ego ipse testor, intellexi, propter rusticitatem meam; et non cito agnovi gratiam quæ tunc erat in me, nunc mihi capit quod ante debueram.

Nunc ergo simpliciter insinuavi fratribus et conservis meis qui mihi crediderunt. Propter quod prædixi et prædico, ad roborandam et confirmandam fidem vestram, utinam et vos imitemini, majora et potiora faciatis. Hoc erit gloria mea; *Quia filius sapiens gloria patris est.* (2)

Vos scitis et Deus, qualiter apud vos conversatus sum a juventute mea, et fide veritatis, et in sinceritate cordis: etiam ad gentes illas inter quas habito, ego fidem illis præstavi et præstabo.(3) Deus scit, neminem illorum circumveni, nec cogito propter Deum et Ecclesiam ipsius, ne excitem illis et nobis omnibus persecutionem, et ne per me blasphemaretur nomen Domini, quia scriptum est *Væ homini per quem nomen Domini blasphematur.* Nam etsi imperitus sum in omnibus, tamen conatus sum quippiam servare me etiam et fratribus Christianis, et virginibus Christi, et mulieribus religiosis, quæ mihi ultronea munuscula donabant, et super altare reddebant, ex ornamentis suis, et iterum reddebam illis. Et adversus me scandalizabantur, cur hoc faciebam. Sed ego propter spem perennitatis, ut me in omnibus caute propterea conservarem, ita ut me in aliquo titulo infideli non caperent, vel ministerium servitutis meæ, nec etiam in minimo incredulis locum darem infamare sive detrectare. Forte autem, quando baptizavi tot milia hominum, speraverim ab aliquo illorum vel dimidium scriptulæ. Dicite mihi et reddam vobis: aut quando ordinavit

(1) Semper et ubique *mile* et *milia,* more Hibernico.—Stylus etiam Epistolæ, et phrases, scriptorem indicant, cui familiare erat potius *Hibernice* loqui et scribere quam Latine. Natus est nempe apud *Alcluid,* quæ Regia erat Hibernorum Albaniæ, ubi non alia lingua in usu erat quam *Hibernica,* vulgo *Erse,* i.e. *Irish.*

(2) Quæ hactenus ex Sacris Literis allatæ sunt, eodem modo leguntur in Vulgata, quæ ab ipso Hieronymi ævo, obtinuit inter Monachos Gallos et Hibernos, ut patet ex eorum Scriptis et ex Isidoro.

(3) Lege *præstiti.* Quotidie semper scribitur *cotidie* in MS.

Dominus clericos per modicitatem meam et ministerium, gratis distribui illis. *Si poposci ab aliquo illorum vel pretium calceamenti mei, dicite; dicite adversus me, et reddam vobis.*

Magis ego impendi pro vobis, ut me caperet; et inter vos et ubique pergebam causa vestra, in multis periculis, etiam usque ad exteras partes, ubi nemo ultra erat, et ubi nunquam aliquis pervenerat qui baptizaret, aut clericos ordinaret, aut populum consummaret, donante Domino, diligenter et libentissime pro salute vestra, omnia generavi.(1) Interim præmia dabam Regibus, propter quod dabam mercedem filiis ipsorum qui mecum ambulant, et nihil comprehenderunt me cum comitibus meis. Et illa die avidissime cupiebant interficere me, sed tempus nondum venerat. Et omnia quæcunque nobis invenerunt, rapuerunt illa, et meipsum ferro vinxerunt: et quarto decimo die absolvit me Dominus de potestate eorum, et quicquid nostrum fuit, redditum est nobis, propter Deum et necessarios amicos quos ante providimus. Vos autem experti estis quantum ego erogavi illis, qui judicabant per omnes regiones quas frequentius visitabam.(2) Censeo enim non minimum pretium quindecim hominum distribui illis, ita ut me fruamini, et ego vobis semper fruar in Deum, non me pœnitet nec satis est mihi, adhuc impendo et super impendam. (3) Potens est Dominus, ut det mihi postmodum ut meipsum impendam pro animabus vestris.)—Ecce testem Deum invoco in animam meam, quia non mentior, neque ut sit occasio (adulationis vel avaritiæ scripserim) vobis, neque ut honorem sperarem vestrum. Sufficit enim mihi honor qui non (videtur, sed corde creditur, fidelis autem qui promisit, nunquam) mentitur. Sed video jam in præsenti seculo me supra modum exaltatum a Domino. Et non eram dignus neque talis ut hoc mihi præstaret, cum scio (certissime quod mihi) melius convenit paupertas et calamitas, quam deliciæ et divitiæ. Sed et Christus Dominus pauper fuit pro nobis.

Ego vero miser et infelix, et si opes voluero, jam non habeo, neque meipsum judico, quia quotidie sperno aut internecionem, aut circumveniri, aut redigi in servitutem, sive occasionem cujuslibet.—(Sed nihil horum vereor, propter promissa cœlorum, quia jactavi meipsum in manus Dei omnipotentis qui ubique dominatur, sicut Propheta dicit: *Jacta cogitatum tuum in Deum, et ipse te enutriet.* Ecce nunc commendo animam meam fidelissimo Deo meo, pro quo legatione fungor, in ignobilitate mea. Sed quia personam non accipit, et elegit me ad hoc officium, ut unus essem de suis minimis, minister: *Unde autem retribuam illi pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sed quid dicam, vel quidprom ittam Domino meo ?(4) Quia nihil video, nisi ipse mihi dederit: sed scrutabor corda et renes, quia satis et nimis cupio; et paratus eram ut donaret mihi bibere calicem ejus, sicut indulsit cæteris amantibus se.

Quapropter non contingunt mihi a Deo meo, (5) ut unquam amittam plebem suam quam adquisivi in ultimis Terræ. Orò Deum ut det mihi perseverantiam, et dignetur ut reddam illi testem fidelem, usque ad transitum meum, propter Deum meum. Et si aliquid boni unquam imitatus sum, propter Deum meum quem diligo, peto illum det mihi, ut cum illis proselitis et captivis, pro

---

(1) Pro *exteras* partes, lege *extremas.*

(2) Loquitur de *Brehonibus* Hibernicis, qui, juxta Leges Druidicas, sententias ferebant in Collibus.

(3) En Mulctam, quam Hiberni appellabant Eric.

(4) Nota interrogationis nulla est in Codice Nero E 1.

(5) Lege *contingat.*

nomine suo, effundam sanguinem meum, etsi ipse etiam caream sepultura, aut miserrime cadaver per singula membra dividatur canibus, aut bestiis asperis, aut volucres cœli comederint illud. Certissime reor, si mihi hoc incurrisset, lucratus sum animam cum corpore meo; quia sine ulla dubitatione, in die illa resurgemus in claritate Solis, hoc est, in gloria Chisti Jesu Redemptoris nostri, filii Dei vivi, *Cohæredes Christi et Conformes futuræ imaginis ipsius*: Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, regnaturi sumus. Nam Sol iste quem videmus Deo jubente, propter nos quotidie oritur, sed numquam regnabit, neque permanebit splendor ejus. Sed et omnes qui adorant eum, in pœnam miseri male devenient.(1) Nos autem credimus et adoramus Solem verum, Christum qui nunquam interibit, neque qui facit voluntatem ipsius, sed manebit in æternum, quomodo et Christus manebit in æternum, qui regnat cum Deo patre omnipotente, et cum Spiritu Sancto, ante secula, et nunc et per omnia secula seculorum, *Amen*. (2)

Ecce iterum iterumque breviter exponam verba *Confessionis meæ*. Testificor in veritate, et in exultatione cordis, coram Deo et sanctis Angelis ejus, quia nunquam habui aliquam occasionem, præter Evangelium et promissa illius, ut unquam redderem agentem illam, unde autem prius vix evaseram.)* Lege—ut unquam *redirem ad Gentem*, &c.

Sed precor credentibus et timentibus Deum, quicunque dignatus fuerit inspicere vel recipere hanc scripturam, quam Patricius peccator (indoctus scilicet) *Hiberione* conscripsit, ut nemo unqam dicat quod mea ignorantia, si aliquid pusillum ego vel demonstraverim, secundum Dei placitum. Sed arbitramini, et verissime credatur, quod donum Dei fuisset. Et hæc est *Confessio mea*, antequam moriar.———

Explicit liber 1,
Incipit liber 2.

SIVE

S. Patricii ad Coroticum Epistola.

Patricius peccator, indoctus scilicet, *Hiberione* constitutum Episcopum me esse fateor. Certissime reor, a Deo accepi id quod sum. Inter barbaros itaque habito proselitus et profuga, ob amorem Dei. Testis est ille, si ita est: non quod optabam tam dure et tam aspere ex ore meo effundere, sed cogor zelo Dei et veritatis Christi, *(qui)* excitavit me pro dilectione proximorum atque filiorum, pro quibus tradidi patriam et parentes, et animam meam usque ad mortem, si dignus sum. Vovi Deo meo docere gentes, etsi contemnor a quibus manu mea scripsi atque condidi verba ista, danda et tradenda militibus, mittenda Corotico, non dico civibus meis, neque civibus Sanctorum Romanorum, sed civibus Dœmoniorum, ob mala opera ipsorum, ritu hostili. In morte vivunt Socii *Scottorum* atque Pictorum *Apostatarum*, quæ sanguinolentos sanguinare de sanguine innocentium Christianorum, quos ego innumeros Deo genui, atque in Christo confirmavi, postera

(1) En cultum Solis in Hibernia, ut supra satis demonstratum.

(2) Codex Evangeliorum Vercellensis, S. Eusebii manu scriptus, medio Sæculo IV, Versionem antiquam Italicam exhibet, in qua hæc verba servantur—"*Quia Deus Spiritus est, et ex Deo natus est,*" quæ verba ab Arianis deleta fuisse ex S. Johan. c. 3, v. 6, scribit S. Ambrosius, in libro de Spiritu Sancto. Simonius erronee ait non extare in aliquo Codice Latino. Hist, Crit. p. 355.—Divinitas Filii et Spiritus S. ex S. Patricii Epistolis manifesta est.

die qua chrismati Neophyti in veste candida flagrabant in fronte ipsorum, dum crudeliter trucidati atque mactati gladio a supra dictis. Et misi Epistolam cum sancto Presbytero, quem ego ex infantia docui, cum clericis, ut nobis aliquid indulgerent de præda, vel de captivis baptizatis quos cœperunt, (*sed*) cachinnos fecerunt de illis. Idcirco nescio quos magis lugeam, an qui interfecti, vel quos ceperunt, vel quos graviter Zabulus inlaquiavit, perhenni pœna gehennæ, (*ubi*) pariter cum ipso mancipabunt. Quia utique qui facit peccatum servus est, et filius Zabuli nuncupatur.

Quapropter sciat omnis homo timens Deum, quod a me alieni sunt et a Christo Domino meo, pro quo legatione fungor, Patricidæ, Fratricidæ, Lupi rapaces, *Devorantes plebem Domini, ut cibum panis*, sicut ait; *iniqui dissipaverunt legem tuam Domine*, qua in supremis temporibus *Hiberione* optime benigne plantata atque instructa erat favente Deo. Non usurpo, partem habeo cum his quos advocavit, et prædestinavit Evangelium prædicare, in persecutionibus non parvis, usque ad extremum Terræ. Etsi invidet inimicus per tyrannidem Corotici, qui Deum non veretur, nec Sacerdotes ipsius quos eligit et indulsit illis summam, divinam, sublimem potestatem, *quos ligarent super terram, ligatos esse et in cœlis.* Unde ergo (quæso) plurimum sancti et humiles corde, adulari talibus non licet, nec cibum nec potum sumere cum ipsis, nec eleemosynas ipsorum recipere debere, donec crudeliter effusis lachrymis satis Deo faciant, et liberent servos Dei et ancillas Christi baptizatas, pro quibus mortuus est et crucifixus. *Dona iniquorum reprobat Altissimus, qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Divitiæ* (inquit) *quas congregabit injustus evomentur de ventre ejus; trahit illum Angelus mortis. Ira Draconum multabitur, interficiet illum lingua colubri.* Comedet autem eum ignis inextinguibilis. Ideoque *væ qui replent se quæ non sunt sua.* Vel, *quid protest homini, ut totum mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur?*

Longum est per singula discutere vel insinuare, per totam legem carpere testimonia de tali cupiditate. Avaritia mortale crimen. *Non concupisces rem proximi tui. Non occides.* Homicida non potest esse cum Christo. *Qui odit fratrem suum, homicida adscribitur*, vel, *qui non diligit fratrem suum in morte manet.* Quanto magis reus est, qui manus suas coinquinavit in sanguine filiorum Dei, quos nuper adquisivit in ULTIMIS TERRÆ, per exhortationem parvitatis nostræ.

Nunquid sine Deo, vel secundum carnem *Hiberione* veni? Quis me compulit alligatus Spiritu, ut non videam aliquem de cognatione mea? Numquid piam misericordiam ago erga gentem illam quæ me aliquando ceperunt, et devastaverunt servos et ancillas domus patris mei? Ingenuus fui secundum carnem, Decorione patre nascor. Vendidi enim nobilitatem meam. Non erubesco, neque me pœnitet pro utilitate aliorum. Denique servus sum in Christo Jesu Domino nostro, etsi mei me non cognoscunt. *Propheta in patria sua honorem non habet.* Forte non sumus ex uno ovili, neque unum Deum patrem habemus: sicut ait, *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.* Non convenit, *Unus destruit, alter ædificat.* Non quæro quæ mea sunt. Non mea gratia. Sed Deus quidem hanc sollicitudinem in corde meo, ut unus essem de *venatoribus*, sive piscatoribus, quos olim Deus in novissimis diebus ante pronunciavit. Invidetur mihi? Quid faciam Domine? Valde despicor. Ecce oves tuæ circa me laniantur atque deprædantur, a supra dictis latrunculis, jubente Corotico, hostili mente, (longe est a charitate Dei traditor Christianorum) in manus *Scottorum* atque Pictorum. Lupi rapaces deglutierunt gregem

Domini, qui utique *Hiberione* cum summa diligentia optime crescebat; et filii *Scottorum*, et fiæli regulorum, monachi et virgines Christi: enumerare nequo. Quamobrem *injuria justorum non tibi placeat, etiam usque ad inferos non placebit.* Quis sanctorum non horreat jocundare vel convivio frui, cum talibus? De spoliis defunctorum Christianorum repleverunt domos suas, de rapinis vivunt. Nesciunt miseri venenum, letalem cibum porrigunt ad amicos et filios suos: Sicut *Eva* non intellexit quod mortem tradidit viro suo; sic sunt omnes qui male agunt, mortem perennem pœnam operantur.

Consuetudo Romanorum et Gallorum Christianorum, mittunt viros sanctos idoneos ad *Francos*, et cæteras gentes, cum tot mil. solidorum, ad redimendos captivos baptizatos. Tu toties interficis, et vendis illos genti exteræ ignoranti Deum, quasi in lupanar tradis membra Christi. Qualem spem habes in Deum? vel qui te consentit? aut qui te communicat verbis adulationis? Deus judicabit. Scriptum est enim; *Non solum facientes mala, sed etiam consentientes damnandi sunt.* Nescio quid dicam, aut quid loquar amplius, de defunctis filiorum Dei, quos gladius supra modum dure tetigit. Scriptum est enim, *Flete cum flentibus,* et iterum, *si dolet unum membrum, condoleant omnia membra.*

Quapropter Ecclesia plorat, et planget filios et filias suas, quas adhuc gladius nondum interfecit, sed prolongati et exportati in longa terrarum, ubi peccatum manifeste gravetur, impudenter, abundat. Ibi venundati ingenui homines Christiani in servitutem redacti sunt, præsertim indignissimorum, pessimorum, apostatarumque Pictorum. Idcirco cum tristitia et mœrore vociferabor: O speciocissimi atque amantissimi fratres et filii quos in Christo genui, enumerare nequeo quid faciam vobis! Non sum dignus Deo neque hominibus subvenire. Prævaluit iniquitas iniquorum super nos. Quasi extranei facti sumus. Forte non credunt, *unum baptismum percipimus,* vel, *unum Deum patrem habemus.* Indignum est illis; *Hiberia* nati sumus, (1) sicut ait, *Nonne unum Deum habetis? Quid dereliquistis unusquisque proximum suum?* Idcirco doleo pro vobis, doleo charissimi mihi: sed iterum gaudeo intra meipsum, non gratis laboravi, vel peregrinatio mea in vacuum non fuit, et contigit scelus tam horrendum, ineffabile. Deo gratias, creduli baptizati, de seculo recessitis, ad Paradisum (cerno) vos migrare cœpistis, *ubi nox non erit, neqne luctus, neque mors amplius,* Sed *exultabitis, sicut vituli ex vinculis resoluti, et conculcabitis iniquos, et erunt cinis sub pedibus vestris.* Vos ergo regnabitis cum Apostolis et Prophetis atque martyribus æterna regna capietis: sicut ipse testatur (inquit) *Venient ab oriente et occidente, et recumbent cum* Abraham *et* Isaac *et* Jacob, *in regno cœlorum: Foris canes, et venefici, et homicidæ, et mendaces,* perjuri: pars eorum in stagnum ignis æterni. Non immerito ait Apostolus, *Ubi justus vix salvus erit; peccator et impius transgressor legis, ubi se recognoscit?* Unde enim *Coroticus* cum suis sceleratissimis rebellatoribus Christi, ubi se videbunt (quum *inter* mulierculas baptizatas præmia distribuuntur) ob miserum regnum temporale, quod utique in momento transeat, sicut nubes, vel fumus qui utique vento dispergitur? Ita peccatores fraudulenti a facie Domini peribunt: justi autem epulentur in magna constantia cum Christo: judicabunt nationes, et regibus iniquis dominabuntur in secula seculorum. *Amen.*

---

(1) Hibernia, quæ supra *Hiberione* appellabatur, in omnibus exemplaribus, hic appellatur *Hiberia.*

Testificor coram Deo et Angelis suis quod ita erit, sicut intimavit imperitiæ meæ: non mea verba, sed Dei et Apostolorum, atque Prophetarum, (quod ego Latinum exposui) qui nunquam enim mentiti sunt. *Qui crediderit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Deus locutus est. Quæso plurimum, ut quicunque famulus Dei, ut promptus fuerit, ut sit gerulus literarum harum, ut neutiquam subtrahatur a nemine, sed magis potius legatur coram cunctis plebibus, et coram ipso Corotico. Quod si Deus inspirat illos, ut quandoque Deo resipiscant, et vel sero pœniteant, quod tam impie gesserunt homicidæ, erga fratres Domini, et liberent captivas baptizatas quas ante ceperunt, ita ut mereantur Deo vivere, et sani efficiantur hic et in æternum. Pax Patri, et filio, et Spiritui sancto. AMEN.

Observanda de his Epistolis.

Has Epistolas edidit primum Waræus, ex IV antiquis Codicibus inter se collatis, *Armachano* nempe, de quo supra pag. 105, *Cottoniano*, unde hæc nostra editio descripta est, et binis *Sarisburiensibus*, in quibus omnibus *S. Patricio* adscriptæ leguntur.—Stylum quod attinet, Patricius ipse se tum senem fuisse cum hæc scriberet, et linguæ Latinæ usum neglexisse, fatetur. (1) Lingua etiam quam a parentibus hausit, non Latina fuit sed utique Hibernica, oppidi *Alcluid*, ubi inter Hibernos natus est, A. D. 372.—Amanuensibus præterea tribuenda sunt vitia Orthographica, et peccata in Priscianum, quæ sensum hinc inde fere impervium efficiunt, et *Scribam* indicant Linguæ Latinæ ignarum, (2) qui primigeniam S. Patricii simplicitatem offuscavit, quædam verba omittendo, quæ Auctoris sensum plenius et melius aperirent.—Sunt certe *emunctæ naris* doctissimi viri, qui harum Epistolarum stylum longe diversum odorabunt a stylo Sulpicii Severi, qui S. Patricii condiscipulus fuit in Schola Martini. At, imprimis meminisse oportet, Sulpicium semper, legendo et scribendo, vitam inter scholasticos sui ævi peritissimos, exegisse, dum S. Patricius, Sanctiori functus officio, in animabus a nefanda Druidarum superstitione ad Christum revocandis, totum vitæ decursum, studiosa fugientis ævi avaritia impendit.(3)—Ab Apostolis eorumque Discipulis quam exilia sunt et pauca quæ scripta extant, vel unquam extiterunt? Sed quam eloquens silentium! quam mira taciturnitas! Dominus ipse non nisi unam sententiam, eamque in instabili arena scripsisse narratur, "*Quicumque vestrum sine peccato est, conjiciat in eam* (Adulteram)

(1) "Hæc est Confessio mea *antequam moriar.* (obiit anno 493.)—*Olim* cogitavi scribere, sed usque nunc hæsitavi, quia non legi sicut cæteri, qui sacras literas utroque pari modo combiberunt, et sermonem illorum ex infantia *nunquam mutaverunt*, sed magis ad perfectum addiderunt."—i. e, qui, cum Latine loqui ab infantia didicerint, eamque linguam semper exoluerint, eo facilius Latine scribere possunt.

(2) A Romani imperii Casu, usque ad Caroli Magni tempora Orthographiam valde ab Amanuensibus corruptam fuisse, et plures *scribas* puriorem Latinitatem ignorasse, nec nisi Latinam lingua *Vulgari* loqui vel scribere potuisse patet ex Præfatione ad Ducangii Glossarium, et ex variis vetustis Codicibus qui usque hodie extant, ut in Opere Nouveau Traite' de Diplom. t. 3, et ex Maffei Verona t. 1, p. 636.

(3) Expressis verbis Concives suos, inter quaos natus est, distinguit ipse Patricius a *Civibus Romanis*, in Epistola ad *Coroticum*, " non dico *civibus meis*, neque *Civibus Sanctorum Romanorum*."

primum lapidem."—Apostolorum septem nec unum quidem Iota scriptum reliquisse constat. Quot Discipulorum sunt, quorum vel ipsa nomina ignoramus! Gloriolam nempe humanam minimi habentes, et *unum necessarium*, cœtera parvi pendere assueti erant. S. Patricius se peccatorem appellat, et *indoctum*. *Rhetoricos* Gallos objurgat, quod magis in quisquiliis Oratorum tempus tererent, quam in rebus utilibus. In Epistola ad Coroticum, (1) non *Archiepiscopum* se appellat, vel *Primatem*, sed simpliciter *Episcopum*. Licet enim tituli isti sublimiores in usu fuerint, Sæculo exeunte quinto, cum tamen non nisi recenter introducti, eos, utpote arrogantiam quamdam mundanam præseferentes, potius quam sanctificationem animarum, Vir Sanctus neglexisse censendus est.—Interfuere Archiepiscopi, et subscripsere Synodo Arelatensi, anno 314, sed tamen Archiepiscopi nomen nulli eorum tributum legitur, uti notat Sirmondus, (2) et Sulpicius Severus, S. Patricii Condiscipulus, passim in Episcoporum ambitionem invehitur, unde orti sunt Hierarchiæ superbi gradus, *Archi*-Episcopi, et *Archi*-Diaconi, quos sæquior ætas invexit. (3)

De Scottis et Pictis *Apostatis*, qui Neophytas Hibernos in Captivitatem duxerunt, incerta sunt omnia. Inter Hibernos quidem et Britannos eo ævo bella et strages fuisse perpetuas, narrant Gildas et Beda, donec, Ducibus filiis *Mucertachi Mac Erc*, *Loarno* scilicet *Ængusio*, et *Fergusio*, quem S. Patricius benedixit, Hibernica classis Albaniam potenti manu aggressa, Scotici Imperii in septentrionali Britannia fundamenta posuit, Anno D. 503.

Jamque, cum ad hæc tempora, Chronologico ordine servato, pervenimus, liceat *Carmen Hibernicum* afferre, unde istius Imperii Origo, et Regum Hibernorum in Albania regnantium ordo, nomina, ac tempora, ex ipsis Genealogicis Regum istorum tabulis, Sæculo XI extantibus, deducta, et coram Regni Primoribus, et Poetis, sive Bardis, publice et solemniter prolata, et decantata dignoscantur.

---

(1) Nomen *Corotici* familiare fuit Britannis Richardus ad annum Mundi 4053 inquit—" Post novennale bellum, Regem Silurum *Charaticum* vicit Dux Romanorum Ostorius." De situ Britan. p. 51. ed. Bertram. Galfridus inquit *Cereticum* Malgoni Regi Britonum successisse A. D. 591.

(2) Sirmondi Concilia Gallicana t 1, Paris. 1629, p. 9.

(3) " Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc *Episcopatus pravis ambitionibus* appetuntur." Hist. Sacr. l. 2, c. 47, Elzivir Amstælod. 1665, p. 368.

CARMEN HIBERNICUM

A EOLCA ALBAIN UILE

ANNI CIRCITER 1057.

Editum ex duobus Exemplaribus quorum unum ex Codice Stowense No. XLI, cui Titulus.

" *Craobha Coibhneasa 7 Gcuga genealuigh gach Gabhala dar ghabh Eire on amsa go h Adhamh, acht Fomhoraigh, Lochlannaigh, 7 Sax-Ghaill, lamhaim o thangadar dar thir, go Naomhshencus 7 Reimh rioghraidhe Fodla fos, 7 fa dheoigh clar ina ccuimsighthar, iar n ord aibghidire, na sloinnte 7 na h aite airidhe oirdhearca luaitior isin leabhar sa, do teghlom leis an Dubhaltach mc Fhirbhisich Leacain,* 1650, *agas ar na sgriobha go nua ann so an bl. ainsi d aois an Tigherna* 1715, *le Semus Mha Guidhir, do Chaiptin Brian-mha-Guider mc Chonchobair Mhodarta, mc Briain, mc Seain 7c.*

i. e.

Historicæ Memoriæ, et Stemmata Genealogica omnium Expugnatorum, qui expugnaverunt Hiberniam, ab hoc tempore usque ad Adamum, exceptis Prædonibus Maritimis, Danis, et Saxonis-Alienigenis, qui recenter venerunt ab exteris Regionibus, simul cuim Sanctorum historiis, et duratione Regnantium in Hibernia præterea, et denique Tabula, in qua declarantur ordine Alphabetico, nomina propria, et loca diversa illustria, quæ memorantur in libro hoc, quem collegit *Dudleus mac Firbis* Lecanensis, A. D. 1650, et quem scripsit de novo, anno hoc Domini 1715, Jacobus Maguire, ad usum Tribuni Militum Briani Maguire, filii Concobari Urbani, filii Briani, filii Johannis, &c.

Testimonia de hoc Carmine.

No. 1.

Ex Colgani Triade, Lovanii 1647, p. 114.

"Vetus est Scriptor Anonymus, Scoto-Britannus, qui vixit tempore *Malcolmi*, filii Donnchadi, Regis Scotiæ, anno 1057, quo ego non legi, *nec Scoto-Britanni producunt, ullum Regum Scotorum vetustiorem Scriptorem*—Hic enim, in quodam Carmine, veteris linguæ Scoticæ, producit seriem Regum Scotiæ, annotando annos quibus singuli regnaverunt, ab adventu filiorum Erci in Albaniam, usque ad prædictum Malcolmum, quem scribit *suo tempore* regnasse, et quem Scoto Britanni scribunt anno 1057 Regem creatum. Hic enim, postquam recensuerit numerum Regum *Cruthiniorum,* sive *Pictorum,* qui in *Albania* regnaverunt, de adventu filiorum Erci, de stirpe

Conarii-Magni, Hiberniæ Regis, in Albaniam, et Regno ab eis ibi condito, subdit, et exorditur suam Historiam hisce Scoticæ linguæ versiculis—" *Clann Eirc mhic Eochaidh na n diaigh*," &c.

No. 2.

Ex Flahertei Ogygia p. 466.

" Extat Scotorum in Britannia Regum Poema, Malcolmi 3. tempore, Hibernice contextum, singulorum nomina, et regnationis annos continens, quo unico *nullum vetustius ea de re* Scoto-Britanni producere possunt Monumentum, cujus Author *Loarnum, Fergusium,* et *Æneam,* filios Erici filii Eochodii, de semine *Conarii* Regis Hiberniæ, primos Scoticæ in Britannia Coloniæ Duces statuit, tres *benedictione Patricii dotatos*, per quod S. Patricio cævos, et ab eo, juxta ac illius Acta produnt, conversos insinuat.—In Regum deinde serie *Loarnum* illum primum, secundum *Fergusium* facit, tertium Fergusii filium *Domangardum,* minime ausurus anteriores Scotiæ Reges, si qui fuissent, præterire, præsertim cum plures Pictorum Reges ante horum adventum extitisse præmittat. Verum aliquot desideratis Distichis, *integrum apographum* reperire non contigit, alias, absolutum ex eo Catalogum contexere non dubitaremus.

" Cæterum duo sunt quæ, ex penultimo et ultimo Disticho, ea enim extant, *pro certo* colligenda sunt. viz Malcolmum tertium, Donnchadi filium, tum in Scotia regnantem esse, et a Loarno ad ipsum *quinquaginta duos* in toto Reges extitisse, quibus cum ita clauditur Poema—*Malcoluim a nos as Righ*," &c. &c. ut in nostra hujus carminis editione infra legitur, pag. 129.

No. 3.

Ex *Pinkertoni** Opere, cui titulus " *Enquiry into the Hist. of Scotland*," Lond. 1786, t. 2, p. 92.

" The *Gaelic* poem of Malcolm 3d's time, is the most *ancient monument of Dalriadic History remaining*, and deserves the greatest credit."—The Highland Scots are allowed, by their own late writers, to have been an illiterate people; the celebrated Monastery of *Hiona*, was supplied from Ireland, which it always regarded as its own *parent Country*, and being detached from *Dalriada*, had no effect on the character of the Highlanders. Ireland was, on the contrary, much noted for such learning as was then in vogue, so that it is *from the Irish writers* that we must expect genuine memorials of the Dalriadic kingdom."

Eadem repetit ibidem, pag. 100, et iterum pag. 106, hæc habet—

The original of this piece is supposed to be in the *Psaltair Cashail*. It is quoted by Ward in *Vita Romualdi*, p. 372, by *Colgan* in his Trias, p. 115, by *O'Flaherty* in his Ogygia vindicated, p. 143, Kennedy, p. 150.—This Poem is, beyond question, the most ancient Monument of Dalriadic History extant.

" Besides its historical merit, it is also valuable for its curiosity, as an ancient specimen of those metrical lists of Kings which supplied the place of history in illiterate Countries—Among the

oldest monuments of our history, is a metrical piece in Latin, written in the 13th Century, in elegiac measure, only beginning with Kenneth, 143, but this Duan is more valuable from its being older by two centuries, and that Latin piece is evidently on the model of those used in the vulgar idiom, before Latin was in such general use. Without this old Gaelic Duan, no series of the Princes of Dalriada could have been given, for many of them are not found either in the Latin lists, or in the Irish Annals. Indeed as the most ancient piece of Dalriadic History preserved, by near two centuries, (1) this Duan would, by every rule of Historic authority, have merited the preference."

No. 4.

Ex Opere cui titulus Ogygia Vindicated, Dublinii 1775, pag. 142.

" Malcolm the 3d his poem is quoted by Dr. Keating in the reign of Heremonont, of *Psailter* Caissil. It was written about the year 1058. My Copy of it is not complete. It was composed by Malcolm the 3d his own Chronologer, or at least by some expert antiquary in King Malcolm's time. My Copy is imperfect. It was found in the collection of the celebrated Duald mac Firbis, now in the possession of the Earl of Roden." pag. 145.

CARMEN HIBRNICUM PRÆDICTUM.

"A EOLCHA ALBAIN UILE"

Ex Codice Hibernico Stowense No. XLI, fol. 237, et ex Exemplare D. Caroli O'Conor.

1.	1.
1 *A Eolcha Albain uile,*	1 Vos Docti Albaniæ totius,
2 *A shluagh feta, folt-buidhe,*	2 Vos Exercitus peritorum, flavi comatorum, (2)
3 *Cia ceud ghabhail an eol duibh,*	3 Qui primi didicerunt scientiam e vestris,
4 *Ro ghabhustar Alban bhruigh.*	4 Ii obtinuerunt Albaniæ terras.

(1) Errat vir doctus. Extat enim in Codice Stowense No. 1, Opusculum Hibernicum *Flanni Butensis,* qui obiit anno 1051, De Regibus Hiberniæ et Albaniæ, de quo posthac, Deo juvante, plura dicenda erunt.

(2) " The Britons were tall and well made, and, like most of the Irish, at this day, *red haired.*" Rapin Hist. of Engl. Lond. fol. 1732, p. 5—Militavit is in Hibernia ab anno 1688,—Poeta autem noster non *Rufos* extollit, sed *Flavicomatos.*

2.

Albanus do ghabh ria n shlogh,
Mac scin oirdhairc Isiocoin,
Brathair do Britus 'gan brath,
O raitir Alba eathrach.

3.

Ro ionnarb a bhrathair Bras
Britus tar muir, n Iocht namhnas,
Ro ghabh Briotus Albain ain,
Go roinn Fiaghnach Fothudain.

4.

Fada iar m Britus mblaith, mbil,
Ro ghabhsad clanna Neimhidh
Earglan iar ttocht as a loing,
Do aithle togla Tuir Conaing.

5.

Cruithnigh ros ghabhsad iar ttain,
Iar ttiachtain a h Eirinn Mhuighe,
X Righ tri fichid Righ ran
Ghabhsad dhiobh an Cruithen chlar.

2.

Albanus possedit eas cum suo exercitu,
Filius istius illustris (fuit) Isiocon, (1)
Frater ei Britus absque macula,
A quo nominatur Albania navalis.

3.

Expulsit suum fratem Bras
Britus ultra mare, Ictium dictum,
Possedit Britus Albaniam illustrem,
Usque ad fines Venatoris Fothudani.

4.

Longe post (tempora) Briti mansueti, boni,
Obtinuerunt eam filii Nemedi.
Clamantes postquam exscenderunt e suis navibus,
Celeriter expugnaverunt Turrim Conani. (2)

5.

Cruthnii (i. e. Picti) possederunt post hos,
Postquam venerunt in Hiberniæ campos, (3)
Decem Reges (et) ter viginti Reges nobiles
Obtinuerunt istorum Cruthniam illustrem.

---

(1) Hanc traditionem notant Nennius c. 13, et Giraldus in Descr. Cambriæ c. 7. Item Wheloc not. ad Bed. l. 1, c. 25.

(2) Vide quæ de hac Turre dicta sunt infra, parte ii, pag. 60. *Conan* nomen Wallicum est, æque ac Hibernicum, unde *Gryffith-Ap-Conan.* Annales nostri Angleseiam appellant *Mon-Conain.* Conanum Walliæ Principem memorat Caradocus ad annum 811, et Tyrrel, in Historia Angliæ l. 5, p. 250.—Powelus inquit *Conani* prædicti fratrem sibi arrogasse *Mon,* i. e. Angleseiam, unde bellum inter fratres ortum.

(3) Eadem de Pictorum adventu ex Scythia, *primum in Hiberniam,* deinde ex Hibernia Albaniam, narrat ex vetustioribus Beda l. 1, c. 1.—" Circumagente flatu ventorum, Hiberniam pervenisse, ejusque Septentrionales oras intrasse, atque inventa ibi gente *Scotorum,* sibi quoque in partibus illis sedes petisse, nec impetrare potuisse, &c. Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per Septentrionales Insulæ partes cæperunt. Nam Austrinas Britones occupaverunt. Cumque Uxores Picti non habentes peterent a *Scotis,* ea solum conditione dare consenserunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de *fœminea Regum Prosapia, quam de Masculina, Regem sibi eligerent, quod usque hodie apud Pictos constat esse servatum."*

6.

21 *Cathluan an ced Righ dhiobh sin,*
22 *Aisneidhfiod dhaoibh go cumair,*
23 *Rob e an Righ deidhenach dhiobh*
24 *An Cur Calma Cusantin.*

6.

21 *Cathluanus* (fuit) primus istorum Rex, (1)
22 Enarro vobis veraciter,
23 Fuit Rex ultimus eorum
24 Heros illustris *Constantinus*.(2)

7.

25 *Clanna Eathach in a n diaigh,*
26 *Ghabhsad Albain iar n ardghliaidh,*
27 *Clanna Conaire na caoimh fhir,*
28 *Toghaidhe na tren Ghaoidhil.*

7.

25 Filii Eathaci eos post (i. e. post Pictos)
26 Obtinuere Albaniam per præclara facinora,
27 Filii *Conarii* mansueti Viri,
28 Optimi fortissimorum Hibernorum,(3)

8.

29 *Tri mic Erc mc Eathach ait,*
30 *Triar fuair beannacht Padraicc,*
31 *Ghabhsad Albain, ard n gus,*
32 *Loarn, Fergus, is Aonghus.*

8.

29 Tres filii Erci filii Eathachi Justi,
30 Tres qui habuerunt benedictionem Patricii, (4)
31 Obtinuere Albaniam, præclara fama eorum,
32 Loarnus, Fergusius, et Aongus.

9.

33 *Deich m blianna Loairn, leir bladh,*
34 *Iflaithios oirir Albain,*
35 *Tareis Loairn, Sgel* (5) *go n gus,*
36 *Seacht m blianna fichiot Fergus.*

9.

33 Decem annis Loarnus, clarus fama,
34 In regimine Illustris Albaniæ,
34 Post Loarnum, Historia est nota,
36 Septem annis (et) viginti Fergusius. (6)

---

(1) Præter Pictos Albanios, erant et Picti Ultonienses, *Cruthnii* pariter in nostris Annalibus, et ab Adamnano, appellati.—Eorum Regionem in Ultonia, *Cruthenorum Regionem* appellant Adamnanus, Probus, Evinus, et alii in Triade pag. 19, 25, 349, Annal. Ult. an. 446, et 818. Hos Pictos Hibernicos "*Y Gwydhil Phichtiaid*" Walli appellabant, uti notat H. Lhuyd in Anglica sua Walliæ Descriptione, p. 14, 15.

(2) Vide *Annotationes* ad Carminis Calcem. Errores, et Vitia Exemplaris Avi mei, quod ad Pinkertonum transmisit anno 1786, Codicis Stowensis ope, ad pristinam integritatem restituuntur.

(3) Vide quæ de Imperii Hibernici in Albania initiis habentur infra in Prolegom. part ii, p. 83.

(4) Vide dicta ibidem, et Adamnanum in Vita Columbæ l. 3, c. 5, cum antiquiore *Cumiano* in Vita ejusdem, ubi hanc benedictionem expressis verbis enarrant.

(5) In alio exemplari corrupte *fhel*. Vox *Sghel* hic significat Historiam vel narrationem.

(6) In annis *Fergusii* et *Loarni* dissentiunt veteres, in ordine successionis ab anno C. 503 consentiunt, ut infra in Annotationibus ad Carminis calcem—*Loarno* mortuo regnavit solus *Fergusius*.

10.

37 *Domhangort mac Fergusa Aird*
38 *Airemh cuig m bliadhna m bioth ghairg,*
39 *A ceathair ficheat, gan troid,*
40 *Do Chomhghall mc Domhanghairt.*

10.

37 *Domangarto* filio Fergusii Illustris
38 Numero quinque annos Vitæ ferocis,
39 Vigintiquatuor, sine Præliis,
40 *Comgallo* filio Domangarti.(1)

11.

41 *Dha bhliadhna conaing,* (2) *gan tar,*
42 *Tareis Chomhghaill do Ghobhrain,*
43 *Tri bliadhna fa chuig, gan roinn,*
44 *Ba Ri Conall mc Comhghaill.*

11.

41 Duos annos felices, sine contumelia,
42 Post Comgallum *Gaurano.*
43 Tribus annis quinquies, sine divisione (Imperii)
44 Fuit Rex *Conallus* filius Comgalli.(3)

12.

45 *Ceithre bliadhno fichiod thall,*
46 *Ba Ri Aodhan na n orlann.*
47 *Deich m bliadhna fo seacht, scol n gle,*
48 *If flaithios Eochaide Buidhe.*

12.

45 Quatuor annis (et) viginti ultra,
46 Fuit Rex *Aodhanus* Auratorum ensium. (4)
47 Decem annis septemque, spatio claro,
48 In Regimine (fuit) *Eochodius Flavus.*

13.

49 *Conchad Cerr Raithe, reil bladh,*
50 *A se deg dia mhac Ferchair.*
51 *Tareis Fherchair, feghaid rainn,*
52 *Ceithre bliadhna deag Domhnall.*

13.

49 *Concadus* Ferox quarta anni parte, regno legitimo inclito,
50 Sexdecim postea ejus filio *Fercaro*
51 Post Fercarum, inspice Carmen,
52 Quatuordecim annis Donaldus.

---

(1) *Tertium* fuisse *Domangardum*, et *quinque* annis regnasse, scribit ex alio exemplari Flahert. p. 472—Duos filios habuit, *Comgallum* et *Gauranum*, e Fedelmia filia *Eochodii Muighmedonii* Regis Hiberniæ.

(2) In Avi mei exemplari prædicto mendose *chonnail.* Plura sunt quæ Codicis Stowensis ope emendantur:

(3) *Comgalli* obitum referunt Annales Ultoniæ ad ann. 542, vel 545, *Gaurani* ad ann. 560. Tigernachus inquit "Mors *Gaurani filii Domangardi* et Albadi, a *Brudeo* filio Milchuonis Rege Pictorum in fugam conversi, *Dermitio* Rege Hiberniæ suprema comitia Temorensia celebrante," i.e, A. D. 560.—Conveniunt ambo cum Adamnano l. 1, c. 7, *Conallum, Comgalli filium,* cum fuisse qui *Hionam* Insulam S. Columbæ dono dedit anno 563.—*Comgallum,* Domangarti filium, Regem fuisse a Loarno *quartum,* et annis 24 regnasse, scribit ex alio Exemplari Flaherteus, initium Regni ejus referens ad ann. 534, finem ad ann 558. Annales tamen Ultonienses ejus obitum referunt ad ann. 545, quamvis ei pariter tribuant annos 24.—*Gaurano* annos *duos,* ab anno 558, tribuunt alii Codices apud Flahert. ibidem. Ejus obitum referunt Tigernachus et Ultonienses Annales ad ann. 560, quod pro *Cardine Chronologico* statuendum puto,—*Conallum,* Comgalli filium, *Sextum* fuisse, conveniunt omnes, obiisse anno 575, enarrat ex alio Exemplari Fahert. p. 575 Confer Aunal. Ult. ann. 573, et 575, et Usser. Primord. p. 703.

(4) Vide annotanda ad Carminis Calcem, et Stropham Carminis ultimam. v. 107.

14.

53 *Tareis Dhomhnaill bhric, na mbla,*
54 *Conall Dunghal x mbliadhna,*
55 *XIII bliadhna Domhnaill Duinn,*
56 *Tareis Dhunghail* do (*is*) *Chonall.*(1)

14.

53 Post Donaldum Maculatum, celebrem fama,
54 *Conallus* (et) *Dungal* decem annis.
55 Tredecim anni *Donaldo Fusco,*
56 Post Dungallum *et* Conallum.

15.

57 *Maolduin mc Conaill na ccreach*
58 *A seacht deg dho, go dlighthech.*
59 *Ferchair fogha,* (2) *legha leat,* (3)
60 *Do chaith bliadhain ar fhichid.*

15.

57 *Maolduinus* filius Conalli Prædarum,
58 Septemdecim annos ei, valde legitime.
59 *Fercarus* sagittarum,—lege tibi,
60 Transegit annum supra viginti.

16.

61 *Dha bliadhain Eath. na neach,*
62 *Ro ba calma an Righ Righthech.* (4)
63 *Aon bliadhain ba flaith iar ttain,*
64 *Aincheall maith, mac Ferchair.*

16.

61 Duo anni *Eathacho* equorum,
62 Fuit is strenuus Rex, Regie regnans,
63 Uno anno fuit Rex post eum,
64 *Anceallacus* Bonus, filius Fercari.

* Desunt hic *Selvacus* et *Eochodius iii,* quorum loco substituuntur in proxima Stropha *Dungal* et *Alpen,* incuria Amanuensis. Vide infra v. 77.—Annales cum hoc carmine conveniunt usque ad *Anbceallachum,* a Loarno inclusive xviii. Ordo deinde ex Annalibus restituendus est, ut infra not. 6.

17.

65 *Seacht m bliadhna flaith Dungal dein,*
66 *Agus a ceathar do Ailpein.* (5)
67 *Tri bliadhna Muiredh. maith,*
68 *A xxx do Aodh na ardfhlaith.*

17.

65 Septem annos Regiminis Dungallo Celeri,
66 Et quatuor Alpino.
67 Tres annos Muredacho bono,
68 Et xxx Aodho supremo Regi.(6)

18.

69 *A ceathair fichiot nior fhann*
70 *Do bhliadhnaibh do chaith Domhnall,*
71 *Dha bliadhain Chonaill ceim n gle,*
72 *Sa ceathair Conall eile,*

18.

69 Quatuor viginti (annos) non imbelles
70 Annorum exegit Donaldus,
71 Duos annos Conallus nobilitatis puræ,
72 Et quatuor Conallus alter,

(1) In Avi mei exemplari, melius *is Chonall. Do* Dativum indicat, *is* significat *conjunctivum.*

(2) " Fearchair *fada,* i. e. Ferchariius Altus. ibid. et in Tigernacho.

(3) In prædicto exemplari *feagha leat.* Ambo tamen eundem sensum referunt, nempe Inspice tecum.

(4) Hæc corrupte leguntur ibidem " Ra ba Calman an Rightheach."

(5) Hi duo versus, hic perperam antepositi, transferendi sunt ad locum suum v. 77, et eorum loco duo versus deperditi inserendi sunt, qui Regna duorum Regum commemorarent, *Selvaci* et *Eochodii tertii.* Tigernac. ann. 719.

(6) Duos versus hic desiderari notat Flaherteus, et duos Reges, *Dongallum ii, Achaium iv,* ut numerus Regum 52 adimpleatur sic—19 *Selvac,* 20 *Achaius iii,* 21 *Muredac,* 22 *Dongal ii,* 23 *Achaius iv,* 24 *Aidus* 1, deinde *Donaldus iii,* ut supra, Stropha 18. Post Donaldum iii Annales Ulton. habent *Fergusium* ad ann. 780, et *Doncorcaum,* ad ann. 791.

19.

73 *Naoi mbliadhna Chusaintin chain,*
74 *A naoi Aonghus ar Albain.*
75 *Ceithre bliadhna Aodha ain*
76 *Sa tri deg Eoghanain.*

19.

73 Novem annos Constantinus dilectus,
74 Novem Aongusius supra Albaniam,
75 Quatuor annos Aodhus Laudabilis,
76 Et tredecim Eogananus.

* Hic transferendi sunt versus qui e loco suo deturbati leguntur supra numero 65 et 66, sed pro *Dungal* ibi, lege *Eochoid. Mac Aodha Finn*, et deinde *Ailpin mac Eochoidh."* Cæteri Reges recto ordine succedunt.

20.

77 *Triocha bliadhna Cionaoth Cruaidh,*
78 *A ceathair Domhnaill Dreachruaidh.*
79 *Triocha bliadhna con a bhrigh,*
80 *Don Churaidh do Chusantin.*

20.

77 Triginta annos Kennethus laboris patiens,
78 Et quatuor Donaldus Vultus rubicundi,
79 Triginta annos, cum sua potentia,
80 Heroi Constantino.

21.

81 *Dha bliadhain, ba daor a dhath,*
82 *Da bhrathair do Aodh Fhionnsgothach.*
83 *Domhnall mac Cusantin chain*
84 *Ro chaith bliadhain fo cheathair.*

21.

81 Duos annos, fuit rigidus ejus color)
82 Ejus fratri Aodho Albi-Scuti. (1)
83 Donaldus filius Constantini Dilecti
84 Exegit annum cum quatuor (annis.)

22.

85 *Cusantin, ba calma a ghleic,*
86 *Ro chaith a se is da fhichiot,*
87 *Maolcoluim ceithre bliadhna,*
88 *Indolbh a hocht Ardriaghla,*

22.

85 Constantinus (fuit strenuus ejus impetus in prælio,
86 Exegit sex et bis viginti,
87 Malcolmus quatuor annos
88 Indolfus octo in supremo Imperio.

23.

89 *Seacht m bliadhna Dubhoda Den,*
90 *Agus a ceathar Cuilen.*
91 *A seacht fichiod os gach cloinn*
92 *Don Chionaoth mc Maolcoluim.*

23.

89 Septem annos Duboda Fuscus,
90 Et quatuor Cuilenus.
91 Septem (et) viginti supra omnes Stirpes
92 Kennetho filio Malcolmi.

24.

93 *Seacht mbliadhna Cusantin clinn,*
94 *Agus a ceathair Mac Duibh.*
95 *Triocha bliadhna breacaid rainn,*
96 *Ba Ri Monaidh Maolcoluim.*

24.

93 Septem annos Constantinus Curvus.
94 Et quatuor Filius Duffis, (i. e. *Grimus.*)
95 Triginta annis varie divisis,
96 Fuit Rex Montium Malcolmus.

---

(1) Chronicon Pictorum habet duos Reges *Grig* et *Eochoid*, qui in hoc Catalogo omittuntur, ideo, ut opinor, quia non jure, sed vi, paulisper dominati sunt. *Grig*, i. e. Gregorium, includit Flaherteus.

25.

97 *Se bliadhna Donncha ghloin,*
98 *A seacht bliadhna deag mac Fionnlaoich.*
99 *Tareis Mhec Beath go m blaidh,*
100 *Seacht mis isflaithios Lughaidh.*

26.

101 *Maolcolm u nois as Ri,*
102 *Mac Donncha datha Dreach bhui.*
103 *A re noch n fidir neach*
104 *Acht an t eolach as eolach.*

27.

105 *Da Righ for chaogad, cluine,*
106 *Go Mac Donncha Dreach ruire,*
107 *Do Shiol Eirc Ardgloin a noir,*
108 *Ghabhsad Albain, a Eolaigh.*

25.

97 Sex annis Donnchadus clarus,
98 Septemdecim annis Filius Finnlaochi.
99 Post Macbethum cum fama,
100 Septem menses in Imperio Lugad. (1)

26.

101 Maolcolmus nunc est Rex,
102 Filius Donnchadi coloris Vultus flavi.
103 Ejus(Regni) durationem scire nequit quivis
104 Præter sapientem sapientissimum.

28.

105 Duo Reges supra quinquaginta, audite,
106 Usque ad filium Donnchadi Vultus Rufi,
107 De stirpe Erici Illustris splendentis in auro,
108 Obtinuere Albaniam, O Docti.

Observanda de hoc Carmine.

Imprimis notandum puto, convenire cum hoc Carmine, in Regum Pictorum numero, a *Cathluano,* primo, ad Constantinum ultimum, *Psalterium Casselense* Sæculi IX, et *Codicem Lecanum,* apud Flaherteum in Ogygia p. 190, itemque Chronicon Pictorum editum ex Codice Colbertino Sæculi XIII ab Innesio, (2) neque dissentire Catalogos Latinos, editos Sæculo XIV, a Forduno, Wintono(3) Langbaneo,(4) vel Ninii versionem vetustam Hibernicam, in Cambrense Everso p. 95 (5)

Hi quidem Catalogi in nonnullis discrepant, sed discordia hæc, in præcipuis concors, indicat unum non mutuasse ab altero, et omnes quidem ad antiquiora Monumenta appellant. *Septuaginta* itaque Reges Pictos statuo, antequam filii Erci Imperium Hibernicum in Albania exegere, A. D. 503.

Stropha vi, v. 25.

A Pictis transit Poeta ad *Scotos,* qui, ex Hibernia procentes, vel amicitia, vel ferro, ut Beda ait, sedes sibi, Duce Fergusio, in Albania vindicaverunt, A. D. 503. "*Clanna Eachach in a ndiuigh.*"

---

(1) " *Luthlac* filius Mac Bethi" Buchanan. In exemplari prædicto lego *bliadhna,* i. e. annos, pro *mis* menses in Codice Stowense. " Lulach Rex 51 Patri Macbetho successit anno 1057." Flahert.

(2) Innes Critical Enq. Appendix No. i, ii, iii, iv.

(3) Wintoun's Chronikyl, ed. *Davidis Macpherson.*

(4) Langbane Eleuchus Antiq. Albion, una cum brevi Regum Pictorum Chronico, Lond. 8vo. 1673.

(5) Extat in Libro Ballimotense ejusdem Opusculi Fragmentum, incipiens " *Ego Nennius Elvodugi Discipulus, &c.*

In alio exemplari memorato a Colgano in Triade pag. 115, lego—" *Clann Eirc mhic Eochoidh nan diaigh*"—At, nulla est quoad sensum discrepantia. *Eochodius* enim et *Eathachus* unum atque eundem Principem Ultoniensem indicant, qui in Annalibus nostris *Eochoid Muingreamhair* dicitur, i. e. Eochodius Capillorum fortium, qui Pater fuit *Erci*, ac proinde Fergusii Avus. Recte igitur qui in uno Exemplari v. 25 filii *Eathachi* appellantur, in alio appellantur filii *Erci*, cum Ercus filius fuerit Eathachi, et omnes deinde Posteri recte dicantur tam filii Eathachi, sive *Eochodii*, quam *Erci*, itemque, in sequente Versu, Filii *Conarii Magni*, Regis Hiberniæ.

Obiit *Ercus* anno 474, ut recte notat Usserius, et res nostras ignorasse censendi sunt; qui eum cum *Earca* Loarni filia confundunt.—Hæc, bis nupta, primum virum habuit *Muredachum*, Patrem *Murcertachi mc Earca*, qui fuit Rex Hiberniæ A. D. 513, secundum *Fergusium Cennfada*, prioris Conjugis Consobrinum, filium *Conalli Gulbanii*, filii *Nialli Magni*, cui, inter alios, *Fedlimidium* peperit, S. Columbæ Patrem.

Sunt etiam qui *Eochodium Muingreameair* confundunt cum *Muredacho Muingndearg* (sive Rufo) qui, ex eadem domo *Dal-Fiatachense*, Rex fuit Ulidiæ, adveniente Patricio in Hiberniam, anno 432. Veteres de Vita Patricii Scriptores aiunt, hujus filium seniorem *Eochodium*, S. Patricio restitisse, juniorem vero *Carillum*, a S. Patricio baptizatum, meruisse ut, fratre defuncto, ad Principatum istum perveniret, atque ut ex ejus stirpe omnes sequentes Ulidiæ Reges trigintaquinque numerarentur, usque ad annum 1195, quo Jocelinus scripsit, ut in ejus libro de Vita Patricii c. 130.(2)

Lyncheus testatur se in *O'Duregani* Codice legisse, ex *Libro Saballi*, *Boedanum*, *Carilli filium*, Hiberniæ Albaniæque Regem fuisse. Catalogus tamen Metricus Regum Ultoniæ, inter illius Provinciæ Reges eum enumerans, annos 20 regnasse commemorat. Libellus quoque de *Synchronismis Monarcharum* Hiberniæ et Regum ejusdem Provincialium, non ultra Ultoniæ Reges eum evehit, et Annales Hiberniæ, mortem ejus in annum 530 referentes, non alio eum quam *Regis Ultoniæ* titulo exornant. Cambr. Evers. p. 92.—Ignorant plurimi Provinciam, quæ nunc *Ultonia* appellatur, antiquitus in tres Provincias fuisse divisam, saltem a tempore *Nialli Magni*, defuncti anno 405, nempe in *Ulidiam* proprie ita dictam, in *Hy Nialliam septentrionalem*, quæ Tironiam et Tirconalliam comprehendebat, et in *Orgialliam*.—Sic etiam Connacia tres Provincias complectebatur, 1. *Hy-Bruin-Aoi*, 2. *Hy Bruin Breffni*, et 3. *Hy--Fiacriam*.—Momonia in *Desmoniam* et *Thomoniam* divisa erat, et Lagenia in *Lageniam propriam*, a flumine Liffi ad usque Momoniam, 2. in *Hy Niallos Australes*, ab eodem flumine *Liffi* ad *Orgialliam*, et 3, in *Ossoriam*.

Stropha vii, v. 27.

" *Clanna Chonaire*"—Fergusius nempe, et fratres, linea recta a *Conario* IIdo, filio *Moghalamai*, per *Carbreum Rieda* filium ejus, quem Beda memorat, descenderunt.—Hanc Genealogiam erronee exhibent Flaherteus, Kennedius, et alii, qui sua systemata, potius quam Manuscriptorum fidem,

(1) Malcolmus iii regnavit annis 33 ab anno 1057—Buchanan.

(2) IV Magistri ad ann 585 inquiunt—" *Baodan mac Cairill mc Muireadhaig Mhuingndearg* a ecc.

secuti sunt. Ego in his rebus opinioni parum, antiquitati Historicæ, prout in Codicibus fide dignis servatæ, totum fere quod tute sentiendum est, tribuendum puto. Hanc itaque genealogiam exhibeo, ex Codice prædicto Stowense No. XLI, page 227 fideliter descriptam sequentibus, verbis—

"*Do chalnnaibh Cairbre Riaghfhoda ann so,—i. miniagh. senchusa. Fher n Alban, iar sleas. aibh leabhair i Dhubhagain*, 7 *ar aile—*

Eoch. Muinreamhar, *mc Aonghusa*, *mc Fergusa-Ullaidh*, *l. Uallaidh*, *mc Fiach. Tathmhaoil*, vel *Forthamhaoil*, *mc Guaire*, *mc Feidhlim-Laimhdhoid*, *mc Cianga*, *mc Cionnta na Cinde*, *mc Caibre Rioghfhoda*, *a quo Dal-Riada*, *mc Conaire Chaoimh*, *mc Mogha Lamna 7c.*

i. e.

De filiis Carbrei Riadæ hic—Expositio Genealogiæ Virorum Albaniæ, juxta Generationes libri *O Duvegani*, et plurimorum aliorum—

1. *Feargus mac.*
2. *Eirc.*
3. Eochodius Capillorum fortium, (*Fergusii* Avus,) filius
4. Aongusii, filii
5. Fergusii Uladensis, vel Superbi, filii
6. Fiachi Audacis, filii
7. Fedhlimii Manus combustæ, filii
8. Ciongai, filii
9. Guarii, filii
10. Cinntai vel Cindei, filii
11. Carbrei Riadæ, a quo Dalriada, filii
12. Conarii Mansueti, filii
13. Moghalamai, &c.

Huic genealogiæ, cui lubens adhæreo, quia in diversis Codicibus pariter scripta habetur, Flaherteus objicit *nimias esse generationes*.—Errare autem virum doctum, qui quinque generationes tollendas censet, vel inde patet, quod anni intersunt 250 inter Carbreum Riada et Fergusium, et cuique generationi tribuendos esse annos 30, id exigente experientia rerum humanarum, et ipsa Regum Hibernorum et Albanensium Chronologia. *Undecim* Generationes a Carbreo Riada ad Fergusium, sive *novem* inter utrumque, Periodum efficiunt annorum 270 a Prælio *Kinfebratense*, cui Carbreus juvenis interfuit, annum circiter 227, et Genealogia Metrica Hibernica Alexandri 3tii Regis Scotiæ, quam Poeta, sive Bardus Regius, die Coronationis ejus decantavit anno 1242, generationes exhibet duodecim a *Conario* ad Fergusium, quod cum prædicta Carbrei genealogia apprime concordat. (1)

Flaherteus itaque et Kennedius, qui, ad sua systemata tuenda, non nisi sex generationes inter

(1) Extat in Bibliotheca Stowense, eamque in medium afferunt Sæculo 14to Fordunus, Diceto, et alii.

Riadam et Fergusium admittunt, (1) a fide Codicum, a traditione veterum, et a genuina Historia discedunt, et Flaherteus quidem sibimetipsi contrarius est, non plures enim quam sex generationes admittit inter Conarium et Loarnum, nec plures quam tres inter Riadam et *Ercum* Loarni patrem, et tamen *decem* admittit inter *Lugadium*, Hiberniæ Regem, qui Loarno coævus fuit, et *Connum Centum præliorum*, Hiberniæ Regem, cui Connarius immediate successit!

Totam hanc Historiæ Hibernicæ portionem breviter exponam.—Omnia Carmina, omnia monumenta quæ de his rebus, vel ex professo, vel obiter, et quasi in transitu agunt, Genealogiæ Regum, et Principum, quarum infinitus est numerus, tam in Stowense quam in Bodleiano, consentiunt *Conarium* II, Hiberniæ Regem, qui *Conno*-centum-præliorum successit, annum circiter 184, uxorem habuisse *Saraid*, Conni prædicti filiam, cujus Soror *Saib*, bis nupta, *primum* conjugem habuit *Mac Niadum*, Lugadii Mac Conni Regis Hiberniæ patrem, *secundum* vero *Olildum-Ollam*, Regem Momoniæ, cui novem filios peperit, nempe *Eoganum* Momoniæ Regem, a quo *Mac Carthi* originem trahunt, *Cormacum-Cass* a quo quatuor Dal-Cassiorum familiæ oriuntur, *O'Briani*, *Mac Mahoni*, *O'Kennedii*, et *Macnamarai*, et deinde septem alios, quos in præsentiarum omitto.

Eadem monumenta adjungunt insuper, cum Tigernacho, *Connum centum-præliorum* filium habuisse *Arthurum Aen-fir*, i. e. Unicum, sed ætate minorem. Leges autem Hibernicæ puerum a jure successionis excludebant, ordinabantque, ut Regum liberis nondum adultis, qui propinquorum maxime idoneus videretur Imperaret, eo autem defuncto, successio ad Regis superioris filios Regno idoneos perveniret; et hæc quidem Imperii forma usque ad Jacobi I. tempora ita perduravit, ut quamvis Statuto edito Kilkenniæ, anno 40 Edwardi iii, abrogata esset, non modo tamen ab Indigenis, sed etiam a pluribus Anglicæ gentis magnatibus, qui more Hibernico vivebant, servaretur, uti narrant Spenserus, Davisius, et Waræus, qui tamen legem hanc parum accurate exponit. (2)

Conno itaque defuncto, gener ejus, *Conarius* II, socero surrogatus est, anno 184. Conario autem e medio sublato anno 192, *Arthurus* prædictus, Conni filius, ad regnum evectus est. Is Regno Paterno legitime potitus, Conarii filios sibi propinquos, et tum ætate minores, contra Patris occisores *Nemethum*, *Ercum*, et alios istius factionis Proditores, tuendos suscipiens, cum Rege Momoniæ *Olildo*, pariter propinquo, egit, ut amplam vindictam pluribus præliis sumerent, usque ad annum 227, quo Carbreus Riada Nemetum sua manu in prælio *Kinfebratense* interfecit.

Ab hoc *Carbreo Rioghfhoda*, sive brachii longi, cui *Cormacus*, Arthuri filius, amplam in Ultonia ditionem concessit, *Dal-riadam* ab eo appellatam, et postea aliam in Occidentali Albania, *Dalriadam* pariter ab eo dictam, uti narrat Beda, l. 1, c. 1, et 12, Fergusius filius Erci, generatione *nona* inter utrumque, genus suum derivavit; unde vetus Auctor apud Camdenum et Usserium scripsit—"*Fergusius filius Erci, primus fuit, qui de semine Chonaire, Regnum Albaniæ suscepit, a Brun Albain* (i. e. *Braid-Albain*) ad mare Hiberniæ et *Inse Gall*, (i. e, Ebudas) et inde *Reges de semine Fergusii regnaverunt in Brun Albain usque ad Alpinum filium Eochoid.*" (3)

---

(1) Kennedy's Chronology of the Stuarts, Paris, 1705, pag. 109.

(2) "*Jus hæreditarium successionis non observatur.*" Antiq. c. 8, p. 38.—Errat procul dubio, ut omnes antiquæ Genealogiæ manifeste demonstrant, et Legis *abusum* cum lege ipsa confundit.—Primus Indigenarum, qui veterem successionis ordinem interrupit fuit *Donnchadus O'Brian*, Thomoniæ Comes 2dus, uti notat Flahert. Ogyg. Vindicated p. 99.

(3) Camden Scotia p. 707. Usser. Primord. 610.

Fateor equidem, Rationes Chronologicas supra statutas, a Flahertei et Kennedii rationibus longe diversas, recentioribus Hibernis hactenus esse inauditas. At, imprimis Lectorem oro, ut argumenta consulat quæ infra adducuntur, in *Prolegom. parte ii*, et deinde perpendat quam sint pugnantia inter se, quæ a Flaherteo, Kennedio, Keatingo, et aliis allata sunt; quam Tigernacho contraria; quam naturæ et rerum humanarum experientiæ repugnant!—Cæcutiunt certe qui *sex* tantum generationes inter *Conarium II* admittunt, et *Fergusium mac Eirc*. Ipsi enim fatentur, consentientibus uno ore omnibus antiquis, in certissima Regum Hibernorum serie, inter Regem *Connum Centum prœliorum*, Conario II coævum, et *Mucertachum* Regem Hiberniæ, Fergusio coævum, generationes esse *undecim* inclusive.

Kennedius nolens agnoscit, veteres Catalogos Hibernicos *undecim* generationes exhibere *inclusive*, inter Carbreum Riada et Fergusium—"The Irish books, particularly that of *Lecan*, count them *eleven inclusively*;" p. 115, atque ut difficultatem hanc, quæ sistema suum Chronologicum evertit, e medio tollat, nomina filiorum propria tanquam Cognomina interpretatur. Sic nomen *Cuigei*, filii *Fedhlimidii Laimh-doit*, in unum cum patris nomine conjungens, ita interpretatur, "*Felimius-manus-comburentis Provincias*," vox enim *cuige*, inquit, Provinciam significat! At in nullo libro antiquo, in nullo Codice MS. legitur nomen *Cuige* pro cognomine Fedlimidii istius, cujus cognomen ubique est Fedlimidius-manus-combustæ.

Generationes singulas in utraque linea, tam in Regali Hibernica, quam in Fergusiana Albano-Hibernica, a *Conario II* ad Fergusium, et a *Conno-centum Prœliorum* Connarii Coævo ad *Mucertachum mac Earca*, ex omnibus Annalibus, Codicibus, et Carminibus Hibernicis vetustis, in unum collatis, fideliter descriptas, Columnis duabus hic exhibendas curavi, ut doctorum acumini subjiciantur.

Fergusii Genealogia.

1. Fergus mac.
2. Eirc, mic.
3. Each. Muingreamhair—mc.
4. Aengusa Fir—mc
5. Fergusa Uall.—mc.
6. Each. Fortamhail alias *Fiach. Tathmhaoil* —mc.
7. Feidhlimm Laimhdhoid—mc.
8. Cionga, alias *Cuige*,—mc.
9. Guaire mc.
10. Finntain, ab. *Cinta*—mc.
11. Cairbre Riada—mc.
12. Conaire ii, Regis Hiberniæ.

Murcertachi coævi Regis Hiberniæ Genealogia.

1. Muircertac mac Earca—mac.
2. Muiredhaicc,—mic.
3. Eogain—mc.
4. Neill *naoi-ngiallach*—mc.
5. Eachoid Muighmedoin—mc.
6. Muireadhaig Tirigh—mc.
7. Fiacha Sraiftinne—mc.
8. Cairbre Liffeochair—mc.
9. Corbmaic Ulfadha—mc.
10. Airt Aonfhiri—mc.
11. Cuinn-ced-cath.

Ex dictis sequitur *Carbreum Riada*, a quo Albaniæ Reges, ad Malcolmum usque, linea recta,

descenderunt, filium fuisse et nepotem illustrissimorum Hiberniæ Regum, filium nempe *Conarii II*, nepotem *Conni-centum-prœliorum*, ex filia sua Saradia, conjuge Connarii, Sorore *Arthuri*, ac proinde inclitissimi Regis *Cormaci-Ulfada* Consobrinum. Fuit etiam *Olldi-Ollam*, celeberrimi Momoniæ Regis, filiorum Consobrinus, cum uxor Olildi fuerit *Saiba*, soror Saradiæ prædictæ.

Hinc genus, hinc origo Regum Scotorum....*Hinc Dardanus ortus.*

O'Duinnus, qui Carmen Hibernicum—" *Aoibhin sin Eire ard,*" Sæculo XI scripsit, cujus plura Exemplaria vetusta extant in Bibliotheca Stowense, inquit—

Erna, Dalriada go rath,	Ernai, Dalriadai Prosperi,
Muscraidhe, uaisle Alban,	Muscrigii, Regii Albani,
Duibhne, Dalfiatach, re a la,	Dubhnii, Dalfiatachi, cum suis Posteris,
Clan Fiachach Firmhara.	Progenies (fuere) Fiachi Viri maritimi.
Albanaigh, Riadaigh don roinn,	(Horum) Albanii, Riadensis Divisionis,
Basgnigh o leim Conculainn,	Basconii a Saltu Concullani,
Muscraidhe go n aoibh a le,	Muscragii cum suis Nepotibus huc usque,
Cineadh an chaoimh Chonaire.	Progenies fuere Dilecti Conarii.

Hibernorum Albanensium originem, hæc tam manifeste produnt, ut alium eis adscribere, sit prorsus insanire; atque hinc Buchananus non alium quam Hibernicum eis adscribendum esse, iterum iterumque declarat.—" Cum, inquit, nostræ gentis Historiam scribere aggrederemur, ea potissimum repetere visum est, quæ a fabularum vanitate abessent, et a vetustis rerum scriptoribus non dissentirent. Primum omnium *constans fama* est, quam *plurima etiam indicia confirmant,* Hispanorum multitudinem, sive a potentioribus domo pulsam, sive abundante sobole ultro profectam, in Hiberniam transmisisse, ejusque Insulæ loca proxima tenuisse. Deinde, cum et aeris salubritas, et pabuli fœcunditas invitaret, paulatim complures, et propter seditiones domi, et exterorum injurias, quietioris vitæ spes et cupiditas eodem traxit, eoque facilius quod ad Insulam, jam a popularium suorum multitudine occupatam, tamquam ad alteram Patriam, se proficisci sibi persuaderent. Stirps autem illa tanta sobole, in terra *hominum fœcundissima,* refloruit, ut jam, non Hiberniæ finibus contenti, in proximas etiam Insulas minores frequenter emigrarent. Interea *Scotis,* id enim universæ genti nomen erat, per Æbudas Insulas fines propagantibus, appulit ad Hiberniæ littus Classis Germanica, vel, ut scribit Beda, *Scythica,* eo rejecta tempestatibus, &c. Trajecti ad Rhen 1697, pag. 87.

Deinde Pictorum *ex Hibernia* in Albaniam adventum enarrat, uti supra, ex Beda l. 1, c. 1, et postea Scotorum.—Eadem repetit l. 1, p, 50.—" Verisimile non est, inquit, Hispanos, relicta a tergo Hibernia, terra propiore, et Cœli et soli mitioris, in Albium primum descendisse, sed primum in Hiberniam appulisse, atque inde in Britanniam Colonos missos, quod et *Scotis contigisse, omnes eorum annales affirmant, et Beda l.* 1 *testatur.* Scoti enim omnes Hiberniæ habitatores initio vocabantur, uti indicat Orosius. Nec *semel Scotorum ex Hibernia transitum in Albium factum nostri Annales referunt.* Principio autem, cum utrique, i. e. Hiberniæ incolæ, et Coloni eorum in Albium missi, *Scoti* appellarentur, ut discrimine aliquo distinguerentur, alteri *Scoti-Ierni*

alteri *Scoti-Albini* vocari cæpere, ac paulatim utrinque cognomenta, loco nominis usurpata, effecerunt, ut vetus nomen Scotorum prope oblivioni daretur, ac non ex usu loquendi, sed ex Annalium memoria repeteretur.

"Nationes propinquæ videntur nomen in loquendo potius usurpasse, quod gentis originem, quam quod Regionis situm et formam demonstraret. Idem quoque in *Scotorum* nomine est factum. Nam cum ipsi se *Albinos*, nomine ab Albio declinato, vocent, vicini tamen *Scotos* eos nuncupant, quo nomine *origo eorum ab Hibernis declaratur*. ib. p. 59.—"Arbitror me satis dilucide ostendisse, ex Paulo Orosio Hispano, et Beda Anglo, omnes Hiberniæ Incolas, ab antiquissimis usque temporibus, dictos fuisse *Scotos*, ac tum demum cum in Albium Colonos miserunt, nomen Scotorum, domi prope extinctum, foris celebrari cœpisse. lib. 2, p. 69.

"Nec est quod miretur Luddus, quod cum Scoti et Picti tot, non dico annos, sed Sæcula in Britannia habitaverint, nemo tamen paulo vetustior scriptor eorum meminerit ante Ammianum. Nam, ut omittam Vallos, Cambros, Loegros, nuper nota mundo nomina, possum et ego eum rogare, cum tot Græci, et Latini, res Græcorum memoriæ mandarint, cur nemo Græcus *Græcos*, aut Romanus *Hellenas* nominet? cur tam sero nomina nationum, quarum modo memini, in Historiam Britannicam irrepserint?—Si quem Anglum interroges cujas sit, nemo *Saxonem* se profitebitur. Cur prisci Scoti (i. e. Hiberni) ne nunc quidem Scotorum nomen agnoscant. Non debet igitur nobis absurdum videri, si Romanis Captivos rogantibus, cujus gentis essent, alius *Mæatum*, alius *Attacottum*, alius *Caledonium* se esse diceret, et quæ ab eis acceperunt exteræ gentes, ea nomina retinuerint, et in sermone publico usurpaverint; nec erit, opinor, incredibile *alia nomina* Historicis et Peregrinis, alia popularibus esse notiora. *Brigantes*, magna et valida natio, trans Humbrum, totius Insulæ (Britanniæ) latitudinem inter duo maria obtinebat. Hos non e proximo Galliæ tractu, in quo nulli Brigantes, sed ex Hispania in Hiberniam, ex Hibernia in Britanniam propinquam immigrasse est verisimile, nec a conjectura C. Taciti abhorrens.—Si ab Hibernia Brigantes advenere, *Scotici* profecto generis, uti et *reliqui omnes Hiberniæ habitatores*, fuere.—Hanc sententiam videtur etiam Seneca confirmare de morte Claudii—

Ille Britannos ultra noti littora Ponti,
Et Cæruleos Scuta-Brigantes, dare Romuleis
Colla catenis jussit, &c.

"Pro *Scutabrigantes*, Jos. Scaliger *Scoto-Brigantes* legendum censet, cum enim apud Cæsarem et alios legamus, Britannos *Glasto* Corpora inficere solitos, ac, juxta Herodianum, *Scutis angustis*, nec in armis insigni ullo usos ornamento, absurdum videbatur *Corporis*, quod pingebatur, mentione omissa, Scuti quod non pingebatur meminisse! Pingebantur autem veteres Britanni, non ad decorem, sed ut Cæruleus color terribiliorem pugnantium speciem in acie hostibus afferret. Is vero color quomodo in angusto Scuto terribilis videri possit, non intelligo. Itaque verisimile est, ab homine Britannicarum rerum perito, ut qui totam Insulam, juxta Dionem, usuris oppressam teneret, *Scoto-Brigantes* scriptum fuisse, ut diversi ab Hispanis et Gallis Brigantibus intelligerentur. Eodemque pertinet illud quod in eodem Carmine Britannos et Brigantes separavit." ib. p. 72.

Stropha ix, linea 36.

"Post Loarnum *Fergusius* annis xxvii." i. e. xxvii ab anno 503, quo simul cum Loarno regnavit, xvii ab anno 513 quo Loarnus obiit. Veteres Catalogi Latini, Fordunus et Boethius, quibus adhæret Flaherteus, annos tantum xvi ei tribuunt, et certe Tigernachus, et Annales Ultoniæ *Gaurani* obitum referunt ad annum 560, et Carmen hoc annos *duos* Gaurano tribuit, Comgallo 24, et *Domangardo quinque*, quod cum prædicto numero annorum 16 mire concurrit.

Dubiæ numerorum formæ in Codicibus, et difficultas secernendi numeros v, vi, vii, a numeris ii, iii, iv, et viceversa, effecit, ut in Regum annis, auctores sæpe discrepent, in eorum vero nominibus, et ordine successionis, Historica veritas diligenter inquirenti elucescit.

Carmen hoc quinquaginta duos Albaniæ Reges numerat, a Loarno ad Malcolmum iii, anno 1058, spatio annorum 555, quod cuique Regi annos circiter *undecim* assignat. Atqui id naturæ et experientiæ convenit. Omnia enim monumenta, tam Albanica quam Hibernica, plane demonstrant, Reges recentiores Albaniæ, fuisse numero xviii a *Kennetho* inclusive, anno 843, ad obitum Lulachi anno 1054, periodo annorum 211, quod cuique Regi annos *undecim* confirmat.

Iterum a Loarno inclusive ad *Ainceallachum*, i. e. ab anno 503 ad 719, conveniunt omnes cum hoc carmine in numero Regum 18, spatio annorum 216, quod eundem annorum *undecim* numerum cuique Regi tribuendum esse declarat.—Hæc autem veritatem Historicam tam clare produnt, tamque manifeste confirmant, ut a Regum singulorum annis ad unguem definiendis supersedendum putem.

Stropha xi, vers. 44.

"Conal mac Comhgail, i. e. Conallus I, Rex vi, annis 15."

Conveniunt omnes Annales, et Adamnanus fere coævus, l. 1, c. 7.—Hujus Conalli tempore, duobus post prælium *Cuiledrevne* transactis annis, i. e. anno 563, S. Columba, a *Niallo Magno*, Rege Hiberniæ, generationis serie quartus, et *Loarni* ex Erica filia pronepos, in Britanniam enavigavit, "*coram Conallo Rege filio Comgill* conversatus." Adamn. ib. Ab eodem Conallo *Hionam* Columbæ dono oblatam Annales Ultoniæ, Tigernachus, et Usserius recte, contra Bedæ errorem, consentiunt. Obiit anno 574, Annal. Ult.

Stropha xii, lin. 46.

"Aedanus auratorum ensium filius Gaurani, Rex vii, annis 24."

Aliud exemplar habet—"*Aodhan na n iolrann,*" i. e. Aodanus *plurimarum regionum*, et certe Imperium Hibernicum in septentrionali Britannia, ultra terminos antiquiores, Aedanus dilatasse videtur ex Beda, Saxonum enim regiones armis sibi vindicavit, donec ab *Aedelfrido* in prælio

Degsa-stanense superatus aufugit, anno 603.—Bedæ verba notanda sunt—" Aedan Rex *Scotorum, qui Britanniam inhabitant,* venit contra Aedilfridum cum immenso ac forti exercitu, sed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo, qui dicitur *Degsa-stane,* i. e. Degsa Lapis, omnis pene ejus cæsus est exercitus. In qua etiam pugna Theobald frater Ædilfridi, cum omni illo quem ipse ducebat exercitu peremptus est, neque ex eo tempore quisquam Regum Scotorum in Britanniam adversus gentem Anglorum, usque ad *hanc diem,* in prælium venire audebat." Bed. l. 5, c. 24.—Scripsit hæc Beda anno 731, quo Historiam suam terminans, inquit—" *Scottos qui Britanniam incolunt, suis contentos finibus, nihil contra gentem Anglorum insidiarum molitos, aut frudium.*" Hoc prælium in quo Aedanus ita victus est, *Prælium Saxonum* appellat Tigernachus. Confer Usser. Primord. p. 710.

A Sancto Columba Aidanum ordinatum fuisse in Regem scribunt Adamnanus l. 3, c. 5, et *Cummineus Albus,* ibidem. Id referunt Annales Ulton. ad ann. 574. Synodo Dromcheattensi in Ultonia, cum S. Columba et Rege Hiberniæ *Aedo,* interfuisse, ibique obtinuisse immunitatem a pendendo Regibus Hiberniæ tributo, narrant Acta istius Synodi, Hibernice scripta, et Auctor Vitæ Columbæ in Triade, p. 430, 432.—Comitia ista perperam referunt Kennedius p. 174, et Colganus p. 375, ad ann. 586. Ex Adamnano l. 1, c. 10, et 49, et aliis, liquet referenda esse ad ann. 590, Obiit Aedanus A. D. 606. Annal. Ult.

Ibid. v. 48.

" *Eochodius Flavus, Aedani filius, Rex Octavus, annis* 17."—Patri successisse eum scribit etiam Adamnanus l. 1, c. 8, 9, et l. 3, c. 5. Filii ei erant *Connadius,* sive *Conchadus Cerr,* et *Donaldus Brec.* Connadius *Fiachnaum,* filium Demani, Ulidiæ Regem in prælio Ardcoranense interemit, eodemque anno, inquit Tigernachus, obiit *Eochodius Flavus, anno regni* 20.

Carmen hoc, Flannus in Synchronismis, Tigernachus, et Codex Cluanensis, *Connadium Cerr,* Eochodii filium, et trium mensium spatio successorem faciunt.

Tigernachus inquit Maelcæcum Scandlani filium, Cruthiniorum, seu Pictorum, e stirpe Hiri Dynastam, vicisse *Connadium Cerr,* Dalriadæ Regem, in prælio *Fea-oin,* in quo Dicollus Rex generis Pictorum, Rigallanus ex *Conango,* sive Concadio, et Falbeus ex Achaio, duo Aidani Regis nepotes, et Ostricus filius *Albruit,* Princeps Saxonicus, occubuerunt. Subjungit Concadium eodem anno abiisse.—Ei successit filius ejus *Fercar,* annis 16 juxta quosdam, annis 10 juxta alios.

Stropha xiii, v. 52.

" Donallus Maculatus Eochodii Filius, Rex undecimus, annis 14."

Donaldi hujus obitum referunt uno ore Annales et Scriptores veteres, cum Adamnano, ad annum 642, *regni sui* 15, quo Donaldus filius Aedi Rex Hiberniæ pariter obiit, anno *regni sui* 16. *Cardo est Chronologicus* a quo discedere non licet.—Prælii *Moyrathensis* meminit Adamnanus l. 1, c. 5, ubi

inquit *Donaldum Brec*, Aedani Regis nepotem, a Donaldo filio Aedi filii Anmirei, Rege Hiberniæ, devictum fuisse. Eadem habet Tigernachus, qui prælium istud refert ad annum 637. Adjungit Donaldum Brec victum fuisse iterum anno sequente, in prælio de *Glinn-Marison*. Adamnanus ei vitio vertit quod Hiberniam, Scotorum Patriam, invaserit, " Domnallo Brecco, nepote Aidani, sine causa vastante Provinciam Domnalli nepotis Anmirech, et a die illa, usque hodie, adhuc in proclivo sunt ab extraneis, (Scoti Albaniæ) quod suspiria doloris pectori incutit." l. 3, c. 5. Tigernachus addit Donaldum Brec interfectum fuisse ab *Hoano* Rege Britonum, anno 642.

Stropha xvi, v. 64.

" Ainbhceallachus filius Fercari, Rex xviii, anno uno."

" Tigernachus ad ann 719 inquit " Prælium *Finglinne* gestum adversus duos filios Ferchari-Longi, in quo Ainbhceallachus jugulatus est *die quintæ Feriæ ante Idus Septembris*."

Hactenus Carmen Hibernicum cum Annalibus, cum Adamnano, et cum Beda, in numero et ordine Regum consentit. Sed ab anno 719, Amanuensium incuria vitiata esse ambo exemplaria, vel inde patet, quod e Regibus 52, quos ultima Stropha compendiose enumerat, quinque desunt, quorum tempora Doctorum diligentiam et Annalium opem requirunt, ut ad ordinem pristinum et ad annos suos restituantur.

Ainbhceallacho occiso, anno 719, Dungallum Selbhachi filium successisse referunt omnia hujus Carminis Apographa apud Flaherteum, æque ac Exemplare Stowense Firbhisianum, ordine autem præpostero.—Hibernici Annales rectum ordinem sic servant—

XIX. *Selbhachus fil. Fercari II*, Anbhceallachi frater, quem memorant Annales Ultoniæ ad annos 700, 713, 718, 722, 725, 726, 729, IV Magistri ad ann. 719, et Tigernach. ad ann. 719, 722, 725. Ainbhceallacho successit, cui, post annos 7, successit.—

XX. " *Eochodius iii*, filius Eochodii ii," cujus obitum refert Tigernachus ad ann. 733.

Hic est ille Achaius Rex Scotiæ, cum quo Buchananus et alii recentiores Scotiæ Scriptores Carolum Magnum Fœdus iniisse fingunt. Eo tamen ævo, nulla Magnæ Britanniæ pars *Scotia* adhuc appellata fuit, cum nomen illud fuerit Hiberniæ proprium, idque exclusive usque ad Sæculum xi, et præterea *Reges Scotorum*, cum quibus Carolus M. Fœdus iniisse dicitur ab Eginhardo, fuerint Reges Hiberniæ, unde doctissimi istius Sæculi viri, ad Carolum Magnum confluxerunt.—" *Quid Hiberniam memorem*, inquit Erricus Autisiodorensis, *contempto Pelagi discrimine, pæne totam, cum grege Philosophorum, ad nostra Gallicana litora migrantem, quorum quisquis peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum*."

Eginhardus ipse qui, uno loco, inquit Carolum " Scotorum Reges sic habuisse ad suam voluntatem, per suam munificentiam *inclinatos*, ut eum nunquam aliter quam Dominum, seque subditos ac servos ejus pronunciarent," de iisdem Scotis ait ad annum 812, " Norvegi *Hiberniam Scotorum Insulam* aggressi, a Scotis in fugam conversi sunt." (1)

(1) Rer. Gallic. Scr. t. 5, Paris 1744, p. 95, editio Maurina. Chesnius eandem Caroli vitam cum tota inscriptione vulgavit t. 2. Script. Franc. pag. 93, ex *quinque* Codicibus MSS. Maurini cum *novem* Colbertinianis contulere.

Et quidem, recentiorum Scotorum doctissimi viri, in omni literarum genere clari, id agnoscunt.(1) Annales Francorum, scripti anno 808, eandem Normannorum cædem ab *Hibernis* factam referunt, sequentibus verbis—"*Classis Nortmannorum Hiberniam Scotorum Insulam adgressa, commissoque cum Scotis prælio, parte non modica Nortmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reversa est.*" (2) Præterea Auctor Saxonicus coævus, qui Caroli gesta versibus scripsit, de eo et de Hiberniæ Regibus inquit—

Admittabat eas (amicitias) caute, sed firmiter immo·
Ex se servavit fœdere perpetuo.
Unde decus regni factis et nomen amicis,
Auxerat externis Regibus et populis,
Ex quibus unus erat Hadefonsus nomine dictus,
Qui Rex Asturiæ Galliciæque fuit,
Qui dum Legatos et munera mitteret illi,
Mandabat dici se propinquum Caroli.
Scottorum Reges ipsum Dominum vocitabant,
Ac se subjectos ipsius ac famulos,
Hoc Apices ab eis missi testantur ad illum,
Quorum claret amor maximus alloquio." (3)

Hoc opus edidit Chesnius, t. 2, Scriptorum Franc. pag. 136, post doctissimum Virum *Reinerum-Reinecium*, qui id primus ex Codice Helmstadense vulgavit, et Leibnitium qui idem opus edidit in *Rerum Brunswicensium* Scriptoribus, ex Codice authentico Membranaceo pag. 120. Omnes hos secuti sunt Patres Maurini Rer. Gal. t. 5, pag. 136.—Ad Regum Seriem redeamus—

XXI. "*Murea-dachus-Uaigneach*, sive Solitarius, Ainbhceallachi filius, Eochodio iii successit," referente Tigernacho ad ann. 733.

XXII. "*Dungallus ii, filius Selbhcaci*, Muredacho Patrueli successit, anno 736, *annis 7.*" Is fuit qui, juxta Tigernachum, classe *ad Torigiam Insulam expeditionem fecit, anno* 733.—De eodem, ad annum 736, inquit—"*Ængus filius Fergusii Rex Pictorum vastavit Regionem Dalriada, et obtinuit* Duna, *et combussit* Crec. *Duos filios Selvachi catenis alligavit, Dungallum scilicet et Feradachum, et Paulo post Brudeus filius Ængusii filii Fergusii obiit.*"

---

(1) "The *Reges Scotorum*, who, according to Eginhart, were at Charlemegne's obedience, *were those of Ireland*, from which Country different men, of saintly learning, adorned his Court and Capital." Pinkerton. Enquiry, t. 2, Lond. 1787, p. 124.

(2) Rer. Gal. ibid. Eosdem Annales, ab anno 708 usque ad 808, quo Auctor se vixisse testatur, edidit *Du Chesne*, Script. Franc. t. 2, pag. 11.

Eandem cladem enarrant Annales Francorum *Fuldenses* ad ann. 812 sic—" Classis Danorum *Hiberniam* aggressa, " a *Scottis* prælio superatur. Hoc anno post meridiem solis Eclipsis fuit." Rer. Gal. t. 5, p. 334. Primus vulgavit *Du Chesne* ex vetusto Codice J. Sirmondi. Annales Mettenses eandem cladem referunt pariter ad eundem ann. " Classis Nortmannorum, *Hiberniam* Insulam aggressa, commissoque cum *Scotis* prælio, multi ex eis interfecti, cæteri fuga lapsi sunt," Rer. Gal. t. 5, p. 357, itemque *Hermannus Contractus* " Classis Danorum *Hiberniam* invadens, a *Scottis* victa est." ib. p. 336.

(3) Rer. Gal. t. 5, p. 177.

Pinkertonus ex his arguit Hibernorum in Albania Imperium hoc tempore defecisse—" In the 3d or last year of Murdac, 739, *Ungust son of Vergust*, King of the Piks, seems totally to have destroyed the Dalriadic Kingdom. After this the history of Dalriada is almost annihilated in Tigernach, the Annals of Ulster, and other authentic documents." Ibid. p. 125.

Errat autem vir doctus, qui Tigernachi Opus nunquam vidit, neque aliud Annalium Ultoniensium Exemplar, quam illud *Clarendonianum* Musæi Britannici, quod ipse valde mutilatum, et corruptum esse declarat. pag. 121. Flaherteus quidem Tigernachi Codicem præ manibus habuit, at ex Tigernacho nihil adducit, quo sequentium Regum Hibernorum Albaniæ tempora definiantur, et Codicem suum mutilatum fuisse ab anno 766, ad ann. 809, Flaherteus ipse ingenue fatetur. (1) neque alius ei Codex proinde fuit, quam Dubliniensis, ita mutilatus, in quo plurima Flahertei manu in margine scripta leguntur.

XXIII. "*Eochoid iv, sive Angbhuidh*"—Flaherteus agnoscit in diversis hujus Carminis Apographis, quibus usus est, *Selvachum*, *Achaium iii*, *Achaium iv* de quo nunc, *Achaium v*, et *Gregorium* defuisse, ita ut etiam a numero 52 Regum ad Malcolmum iii defuerint, et Achaii hujus IV tempus colligit ex Regum *Hiberniæ et Albaniæ Synchromismi Libello*, in quo Albaniæ præfuisse dicitur, anno quo Rex Hiberniæ *Ollanius* occubuit, qui fuit Æræ C. 743. Addit etiam *quinquennium* regnasse, ad Successoris Aidi Finn initium, anno D. 748. At, in regnorum duratione, ut antea notavi, plures occurrunt difficultates, quæ non nisi *Annalium*, et Carminum veterum Hibernicorum Collatione diligentissima, et improbo labore, superandæ sunt. Vix fieri potest ut non interdum fallamur in iis quæ longissime a memoria hominum exciderunt.

XXIV. *Aodh I*, sive *Finn*, filius *Eochodii ii*, Eochodio iv successit, eique *Donaldus iii*, et cæteri deinde Reges ut in Carmine hoc.

Hujus Imæ partis Epilogus.

Hæc sunt quæ, de rebus Hibernicis, remanent exterorum testimonia, a vetustissimis deducta temporibus, usque ad Sæculum VI, quo *Conarii*, Regis Hiberniæ, Posteri Imperium Scoticum, Ducibus *Loarno Aengusio* et *Fergusio*, in Britannia septentrionali exegere, iis observationibus illustrata, quæ diversorum auctorum tempora postulare videbantur, ut quæ certa sunt ab incertis, quæ dubia et obscura a perspicuis distinguerentur, atque ut in unum congesta haberemus, quæ non nisi sparsim, in multis et magnæ molis voluminibus, indigesta leguntur.

Quod si objiciatur me nullum auctorem Hibernensem hactenus produxisse, qui tempora Patricii præcedat, præter *Cælestium* Pelagianum, respondeo id consulto factum, quia Catalogi veterum Auctorum, Hibernice scripti a *Firbisio*, et aliis, et Latine a Flaherteo et Linceo, absque ordine

(1) Ogyg. Vindicated p. 151.

Chronologico ita digesta sunt, ut qui ultimi primi, et qui primi ultimi appareant, eorumque nomina et scripta tot fabulis intermixta legantur, ut si ea absque Chronologicis, aliisque adminiculis obtruderem, non nisi cachinnos excitarem.—Quis fidem præstare posset scribenti *Matthæum Henæum* Authorem fuisse *prioris partis* Annalium Inisfalensium, ineunte Sæculo XIII, cum *Henæus* is obierit A. D. 1206, et *Pars Prior* Annalium istorum una eademque manu ab initio scripta fuerit anno abinde *octavo*, nempe A. D. 1215?

Quod si in rebus tanto recentioribus, maxima opus est diligentia, ut errores effugiamus, quanto magis, ut in rebus tot sæculorum caligine obductis, veritas Historica elucescat?—Patriæ honori et famæ consulere studeo, dum veritati prospicio. Splendide mendacem et ipse forte me reddere possem, Tullius autem, Ethnicus cum esset, "*in omni re*, inquit, *vincit imitationem veritas.*" Quanto magis deceat hominem Evangelii radiis illustratum ita sentire, ita in omnibus agere, ac si coram Deo causa dicenda esset, non est cur insistam, cum veritas contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, facile se per se ipsam defendat.—-Vulgus ex *veritate* pauca, ex *opinione* fere *omnia* æstimat. At, habitus vera dicendi, et quædam quasi innata sinceritas, quam a puero colui, prohibent ne aliorum præjudicatis opinionibus, superbiæ, aut arrogantiæ assentiar. Obsequium quidem amicos, et veritas odium parit. Absit autem ut, pristinæ simplicitatis, et paternarum admonitionum immemor, vulgo potius paream quam religioni, "*Falsus honor* juvat, et *mendax infamia* terret"—*Quem nisi Mendacem?*

Attamen, etsi me haud *facilem* in rebus dubiis agnoscam, vel ad decantata admittenda pronum, non ideo fastidiosum esse decet, aut contemptui habere quæ vulgo sunt in honore, quia vulgaria existimantur. Nullius opiniones fastidire licet, nisi sint manifeste veritati repugnantes, et diligentia opus est quam maxima, præsertim in rebus arduis, ne inertiæ tribuendum sit, quod ea respuamus ac contemptui habemus, quæ non intelligimus; neque minus hominis arrogantis fastidium fugere debemus, quo præconceptas opiniones veritati præponere nonnulli solent, quam nimiam in Historia, vel religione credulitatem, cum ambo æque veritati officiant, et falsitati patrocinentur.

A sequentibus doctissimi *Frereti*, de rebus Historicis judicandi Regulis, non discedo, nec discedendum esse puto, ubi rerum gestarum veritas, aut opinio aliqua historica, non adhuc omnino demonstrata, a traditione pendeat, et quasi in æquilibrio consistere videatur.

"*Par traditions Historiques, j'entends ces opinions populaires, en consequence des quelles, toute une nation est persuadee de la verite d' un fait, sans en avoir d' autres preuves que sa persuasion meme, et celle des generations precedentes, et sans que cette persuasion soit fondee sur aucun temoignage contemporain subsistant separment de la tradition meme.*

"Pour que ses traditions ayent une autorite' suffisante, on demande que les faits, dont elles deposent, ayent ete' *publics*, et *eclatans;* qu' elles soient *anciennes;* qu' elles remontent jusqu' au temps des evenemens memes, et que du moins on ne puisse en *montrer le commencement;* qu' elles soient *constantes*, et *generales;* qu' elles s' accordent avec les *temoignages positifs de l' histoire;* qu' au moins elles *n'y soient oppose'es;* qu' elles ne soient point detruites par *d' autres traditions mieux prouvees*, ou *plus anciennes*, et par des *coutumes et des pratiques religieuses ou politiques, etablies en consequence.* Si l' on en excepte les faits dont nous avons ete' nous memes *temoins oculaires*, tout

est *tradition* dans l' histoire, meme contemporain. l' autorite des temoignages contemporains depend *absolument de la tradition*, c' est a dire de l' opinion qu' ont eu de ces temoins ceux qui les ont suivis; l' estime qu' ils en ont faite regle la notre. Je me flatte d'avoir suffisamment etabli l' autorite' de la *tradition Historique* en general, et d'avoir montre' qu' elle a pour le gros des faits une sorte de certitude, qui ne permet pas aux esprits justes de la rejetter entierement, sur de simples soupcons generaux, et *sans avoir des preuves positives de sa faussete.*" Freret Reflex. sur l' etude des Histoires Anciennes, et sur le degre de Certitude de leurs preuves. Mem. de l. Acad des Inscr. t. 6, Paris 1729, p. 150-158.

Denique, haud satis sufficere existimo, ut mentiendi absit libido, abesse debet et nimia securitas, ut veritas, quæ sæpe alte latet, ex multorum codicum consensu, et multorum auctorum simili relatione eruatur.—Polybius ne quid falsi scriberet de Rebus Romanis, linguam didicit Romanam, Operamque dedit ut Monumenta eorum antiqua intelligeret, quæ ipsi Romani, iique præstantissimi viri, eo ævo ignoravere. Valde enim difficile putabat vera a falsis discernere, cum homines famam rerum ante ipsos gestarum, nullo examine instituto admitterent, et *temporum rationem* ignorarent.

Quod si ea fuit in rebus Romanis difficultas, perpendat Lector quanta futura sit in Hibernicis, præsertim cum Codices ipsi qui remanent, sæpe inter se dissentiant, et, pluribus in locis, in temporum ratione enuncianda depravati legantur!—Tatianus in oratione ad Græcos recte notavit "*apud quos confusa est temporum ratio,* apud eos nec Historiæ veritatem constare."

Ut autem hæc maxima in rebus Hibernicis difficultas, eo luculentius appareat, placuit *Gildæ Modudii* Catalogum Metricum Regum Hibernorum subjicere, et deinde ad Regum et Annalium ac Codicum Hibernensium tempora, ea qua potero diligentia definienda, cæteris omnibus veritati posthabitis, pervenire. Non enim ad tempora tantum nostra respiciens hæc inquiro et confero, sed in omne ævum intentus, illis potius qui in posterum victuri sunt, Annales nostros a fœdis Scriptorum maculis immunes tradere cupio, atque ab illis mercedem deposco, ut saltem me liberum fuisse, et veritatis studiosum, ac proinde bonum civem, et de Patria optime meritum, fateantur. De Poggio Florentino, qui veritatis legem neglexit, scripsit Sanazzarius—

" Dum Patriam laudat, temnit dum Poggius hostem,
" Nec *malus* est Civis, nec bonus Historicus."

Ego autem potius existimo, nec *bonum* fuisse civem, nec bonum Historicum, omnia enim *veritati* cedere debent, ut quis vel bonus civis esse possit vel bonus Historicus. *Rien n' est beau que le Vrai.*—Cum autem Historia Hibernica, non ex fucatis recentiorum opinionibus, sed ex Majorum memoria, et Annalium vetustate eruenda sit, et de rebus tam vetustis judicare non liceat, nisi Historicos veteres fere omnes pervolvamus, fateor non sine metu, et pudore quodam, me opus tam arduum suscepisse, non quod mihi diligentia defuerit, aut ardens erga Patriam studium, aut veritatis quædam inntata cupiditas, sed quod in tanto tamque gravi officio, perspexerim *periculosæ plenum opus Aleæ*, eo vel maxime loco Judicem fieri, ubi Vir summus exigitur, qui, gravissimo judicio et prudentia præditus, non mediocre hoc munus, non modo inchoare posset, sed omissa temeritatis deprecatione, perficere, et adimplere.

GILDÆ MODUDII CATALOGUS METRICUS

REGUM CHRISTIANORUM HIBERNIÆ,

Hactenus ineditus,

Et nunc primum ex quinque Exemplaribus Stowensibus Publici Juris factus.

TESTIMONIA.

No. I. *Ex Colgani Triade Lovanii* 1647, *pag.* 365.

"Gilla Modudius, gravis, et magnæ authoritatis Historicus, qui de Regibus Hiberniæ Christianis, seu ab anno 431 ad annum 1143, quo suam historiam absolvit, fidelissime scripsit, Victoriam Ochanam adscribit *Lugadio* filio Laogarii."

No. II. *Ex ejusdem Actis SS. pag.* 200.—*Lovanii* 1645.

"Gildas, cognomento Moduda, gente Hibernus, apud quam etiam in magno pretio habitus, qui de Regibus Hiberniæ Christianis, sive a *Laogario*, in quo Gildas Coemanus destitit, usque ad *Briannum Borumeum*, et Malachiam, post ipsum secundo regnantem, produxit Historiam Regum Hiberniæ. Vixit autem, ut ipse in Calce Operis scribit, tempore Theodorici Regis Connaciæ, quem Principatum Hiberniæ refert ambiisse dum ipse scriberet, et postea obtinuit, et tempore S. Malachiæ Primatis Hiberniæ. Addit etiam ibidem annum, quo opus suum, Patrii idiomatis sermone scriptum, conscripsit, quem dicit fuisse Christi 1143. Fuit autem Monachus Cluain-Erardensis in Media ut ipse ibidem significat.—De ejus vitæ integritate, ac fide in re Historica, Anonymus quidam, ut apparet, æqualis, Operi adjecit egregium testimonium, ipsum nunquam *ex ore protulisse* verbum mendacii, nec scripsisse quod a veritate sit alienum."

No. III. *Ex Flahertei Epistola Nuncupatoria, p.* 2.

"Tria penes me sunt vetera Poemata, quorum unum, quod incipit—" *Eire Ard Inis na Riogh*"—*Maighean molbhthach na moirghniomh*, primas in Hiberniam ductas Colonias, ac supremorum Insulæ Regum nomina, tempora, obitus, ad S. Patricii appulsum usque continet; alterum, Poematis calci a prisco aliquo scriptore adjectum, G. *Coemanum* Antiquariorum utriusque Scotiæ præstantissimum auctorem contestatur. (1)

(1) Hoc Carmen nunc primum editum habemus, infra, parte ii, pag. 31.

" Alterum Poema a *Gilda Modudio de Ardbrecain* Ecclesiastico, anno C. 1143, ut in ipso opere innuitur, antiquitatibus Patriis apprime versato concinnatum, eandem materiam ab anno 428 ad Malachiæ ii Regis interitum, A. D. 1022, per annos 594, ut uno ibidem Disticho, complexus est, prosequitur, ab hoc principio—" *Eire og Inis na Naomh.*"

"Tertium *Conangi O Maolconarii* Poema, a Laogarii Regis initio, anno C. 428, ad Briani Boromei exitum, anno 1014, singulorum Regum tempora casusque complectitur, cujus initium—*Ata sun forba feasa,*" &c.

No. IV. *Ex eadem Epistola, pag.* 13, 14, *et* 18.

" Regum Ultoniæ Nomenclaturam, et annorum numerum quo eorum quisque Ultoniæ præfuit, penes me habeo, ab intimo nostro amico *Dualdo Firbisio*, e vetustis Majorum suorum Monumentis excerptum, qui anno D. 167½ cruenta morte sublatus, antiquitatum, et Hibernicæ linguæ cognitioni, altum vulnus inflixerat. Cum illo, in temporum enumeratione, convenit Poema, in quo *Colmanus O'Seasnan*, vetus Antiquarius, Ultoniæ Reges a Conquovavo Nessano ad eversam Eamaniam complexus est, cujus initium " *Eamhuin aluinn aras Uladh,*" nisi quod ex postremi Regis tempore decem anni in eo penes me apographo desiderentur. (2)

" Habetur *Synchronismus* Regum nostratium cum 4 Orbis Monarchiis, in *O'Duvegani*, O'Kelliorum Hy Maniæ Dominorum Antiquarii, Codice Membraneo, fol. 104, exarato antequam *Mucertachus O'Kelly*, seu Mauritius Cluanfertensis Episcopus, ad Tuamensem sedem anno 1394 evectus est, ac etiamnum a multis jam annis in custodia illustrissimorum Clanrickardiæ Comitum conservato, in quo, inter alia Miscellanea supra citata, G. *Coemani* et *G. Modudii* de Regibus Hiberniæ Poemata, et Poema Chronologicum extant."

" Gildas Modudius Sæculo XII florens Antiquarius, 70 annorum interregnum post Malachiam " ii statuit." Ogyg. p. 437.

No. V. *Ex Cambrense Everso, pag.* 298.

" Tigernachus *Nemedium Srabhcinni* filium, Conarii filii Mogholami percussorem, Regem Hiberniæ appellat, et in pugna *Kinathabrense*, a filiis Olilli-Olami tribusque Carbreis, occisum memorat, sed eum Gilla *Coemanus*, accuratissimus Regum Hiberniæ Nomenclator, excludit." p. 91.

" Felimeus, Casseliæ seu Momoniæ Rex anno D. 818 salutatus, in ea dignitate 27 annos deinde perstitit. Illi regnum Hiberniæ delatum fuisse, nemo quod sciam præter Giraldum tradidit. Ei tamen titulum illum a Giraldo affictum fuisse non dixero, utpote quem a quibusdam Momoniensibus retulisse, sequentia *Gilla-Modudii Hibernica Carmina insinuant*—

(1) In margine exemplaris Stowensis, hæc Avi mei manu leguntur—" *Agamsa taoi̇an Coip so a nos.*" i. e. Ad me pertinet Exemplar istud nunc."

Ge airmhit Muimhnecaidh minc
Feidhlim in Airdrighe,
Imdhuain in Sabhrioma linn
Uair ni fhaighbhoin ob Erinn.

Quæ Carmina hunc sensum Latine præ se ferunt---

Momonii Comes Felimeum Regis Iernes
Quamquam ornant titulo, tamen haud decoratur honore,
Hic nobis tanto, quando monumenta vetusta
Hunc non in Regum Juvernæ classe locarunt,

In Codice Stowense No. XV, pag. 130, Titulus Carminis sic legitur "*Is do Flaithes na Riogh sin, is da na idheghaibh, ro chan File and rann sa, deis creideamh i. Giolla Maodhubhda, 7 Dall clairineach eisidhe, 7 nior Can go no clana Senchusa a riamh.—Giolla Maduda O'Caisside cc.*"—i. e.

"De Imperio Regum istorum, et de eorum terminationibus composuit Poeta Carmen hoc, post fidem susceptam, i. e. *Gildas Modudius,* et Cœcus Claudus fuit is, et non cecinit pro tribu Historicorum unquam.—*Gildas Modudius O Casside* cecinit.

Titulus, prout legitur in Codice No. XVI, fol. 12, sic se habet—

"*Doibh sin ro chan Giollai Modudha, i. Sai Senchusa na h Erbt. gaireim, ind so*—i. e.

De istis (Regibus) cecinit (vel composuit) *Gildas Modudius,* i. e. Sapiens Historicus Hibernorum appellatus, ut sequitur.

Idem Titulus ex Codice No. XLII—

"*Giolla Modudha. i. Ab Ardabreacain do rinne an Duain si iona nochthar fios acus Reimhios gach Righ dar ghabh Eire iar ccreidedh.*"—Gildas Modudius, i.e. Abbas Ardbrecanensis, composuit Carmen hoc, in quo exponitur notitia, et duratio Imperii cujusque Regis qui obtinuit Hiberniam post fidem susceptam.

No. VI. *Ex Codice Hibernico Stowense, No.* XVI, *pag.* 12, *Flahertei manu in margine*—

"*Extat hoc Poema apud O'Duveganum fol.* 11, *pag* 2, *Col.* 2."—"*O' Duveganus obiit A. D.* 1372." *ib. pag.* 16.—Codex prædictus, manu ejus exaratus est.

"*Extat et in Codice Lecano.* ib. p. 15.—" Codex Lecanus scriptus est inter annos 1380 et et 1400." Ogygia vindicated, pag. 141.

GILDÆ MODUDII ARDBRAECANENSIS

CARMEN HIBERNICUM

EIRE OG INIS NA NAOIMH

Ex Codice O'Conoriano, nunc Stowense, No. XVI, olim Flaherteano, et antea

CLANRICARDENSE.

Nunc primum, cum aliis quatuor Exemplaribus MSS. collatum, et eorum ope ad pristinam integritatem restitutum, variantibus lectionibus ad imum adjectis.

1.

Eire ogh Inis na Naoimh,
Con iomat (1) *Riogal ro choemh,* (2)
Ro ghabhsat geinti garbha,
Cen reilge cen ro tharbha.

2.

Triocha Ri sa deich fa (3) *deich,*
Agus seiser co saor bhreith,
Ria Cr7imh cen creidimh (4) *cruaidh,*
Ro ghabhsat Eirin arm ruaidh.

3.

Ar iomat congal is cath,
Na riogh ccrodha ccomhramhach,
Ro chuir set gaire gaile, (5)
O Slainge co Laeghaire.

LECTIONES VARIÆ.

Numeri Romani indicant Codices.

(1) *Go niomad*—XV, XX, XLII.
(2) *Chaomh*—iidem omnes.
(3) *Fo*—iidem omnes, Diversitas est Dialectus non sensus, Asserit nempe Reges Hiberniæ Ethnicos ante S. Patricii adventum regnasse numero 136. Convenit *Coeman* in Carmine *Analad*, infra parte 2, pag. 46.
(4) *Re ccreidiomh gan creidiomh.*—XX—corrupte.
In Codicis XVI margine, hæc manu Flahertei scripta leguntur—" Hoc Poema (extat) apud O Duveganum fol. 11, p. 2, col. 2.—Vide Testimonia, supra No. 5.
(5) *Goile*—XV, *guile*—XLII.

4.

13 *O Laogaire Laochdha agh luinn,* (1)
14 *Co Maolsriangalach* (2) *Sechluinn,*
15 *Ro ghabhsat Banba na m brat,*
16 *Ocht Ri calma cethrachat.* (3)

5.

17 *Cethrar cuicc coicc do Rioghaibh,* (4)
18 *Do chuador in droich diol.* (5)
19 *Naoi righ* x. *fri glaine n gart* (6)
20 *Fuarattar ecc re hadhart.*

6.

21 *Tuirmeam Reimus gach Ri reil,* (7)
22 *A ainm sa oid. aicc mheil,* (8)
23 *Mar do berad buidhne ar bert,* (9)
24 *Maruid im cuimhne coimcert.* (1)

7.

25 *Ceirt* xxx *bliadhan blaidhe,*
26 *A lain reimius Laeghaire,*
27 *Fuair bas on ghrein gleit. grinn,*
28 *Tre breithir Trein Tailginn.* (2)

---

(1) *Laochtadh a gluinn*—xv. *Laochdha a nghluinn*—xlii.

(2) *Maolsogradhach*—xv, et xx.

(3) *Caogad*—xx, i. e, quinquaginta, sed erronee, et contra antiquorum codicum fidem. Codex tamen xv habet "*Cetrachat no Caogad*" i. e. 40 vel 50, quod indicat variantes diversorum Codicum numeros, quos Scriba iste invicem contulit. In margine Codicis xvi, manu Flahertoi "48 a Laogario ad Malachiam," i. e. 48 Reges, et recte.

(4) *Ceithre deich do Roighibh*—xv.—*Cearthar cuig chuig do Rioghaibh*—xlii.—*Ceithre* v. v.—xx.

(5) *Do cuaidh an droich dhiolaibh*—xv et xx.

(6) *Ar dion n gart*—xv, et xx.—*Naoi Righthe deg don ghleiré ghairt.*—xlii.

(7) *Tuirbhim bas cech righ reil.*—xv.

(8) *Ainm is oighedh aidhmheil*—xv, et xx.

A ainm as oidh. aigbheil—xlii.

(9) *Mar us beirid buidhe ar bhfert.*—xv, et xx.—*Mar adberaid buidhne bert.*—xlii.

(1) *Lenadh do coimhne coimhchert.*—xv, et xx.

(2) *Trein an Tailginn*—xlii et melius. En antiquum Poetam Ethnicum, et Carmen Hibernicum scriptum antequam Fides Christi, prædicante Patricio, Cultum Solis aboleverit. In Codice Stowense *Dinsenchus*, Sæculi xiii exeuntis, fol. 17, col. 4, duo disticha extant Poetæ *Finn (Finn File)* qui Sæculo Christi primo floruisse narratur.

8.

29 *Tair* (1) *Oill Molt on muaidh.* (2)
30 xx *bl. co* (3) *m bith buaidh,*
31 *Ros mudh* (4) *tre glonn n gaile*
32 *Lucch. Lond mc Laegaire.*

9.

33 *Lucch.* v. *bliadhna fo choicc,*
34 *Fuair oc Ath* (5) *Ath-farcha urchoid,*
35 *Ro marbh* (6) *Farcha teineadh tenn,*
36 *Flaith na neimhedh sna naoimhcheall.*

10.

37 *Muircertach fa calma ced.* (7)
38 *iiii fnd bliadhna fichet,*
39 *Ic Cleitech caidh* (8) *a dhiol de*
40 *Ro baidh fion ro loiscc teine.*

11.

41 *Tuathal Maolgarbh tren a tres,*
42 *iii bl. a* x (9) *gan. dimes,*
43 *Maelmor ros geoghain do ghaibh,* (1)
44 *Flaith ro ghab Teamair tonnbain.*

12.

45 *Diarmaid da* x. *da bliadhain,*
46 *Mac Cerbaill co ccaeimhriag,*
47 *Oedh Dubh d arm ro coiscc ro craidh,*(2)
48 *Ro marbh, ro loisc, ro luathbhaidh.*

---

(1) *Tarraigh*, XV.—*Ro chaith*,—XLII. Sensus idem, Dialectus diversa. Horum Codicum unus a Connaciense, alter a Momoniense, tertius a quodam Lageniense Scriptus videtur, quartus a Ludimagistro *Mauritio O'Gorman*, olim mihi cognito, a quo puerulus Grammaticæ Hibernicæ Rudimenta didici, annum circiter 1774.

(2) *Muingh*,—XLII. (3) *Fa*,—XLII. (4) *Mughaidh*,—XV.

(5) *Iccath*—XLII—diverso sensu, nempe in prælio, pro apud vadum, et melius, aliter enim esset repetitio inutilis.

(6) *Ro loisc*—XLII et melius. *Ro chraith*—XV.

(7) "*Muircertach fa calma iccath*"—XV.

(8) *Ac Cleith cruaidh*—XLII. *Ig Cleithuidh caid*—XV.

(9) *Da bl* x,—XV.

(1) *Maelmordha ge o ghuin do ghaibh*,—XLI.I *glerdha do guib.*—XV.

(2) *Ro cruaidh*—XLII.

13.

49 *Bliadain da bliadhain at clos,* (1)
50 *Do deg Dhomhnall is d F. gos.* (2)
51 *Marbh Ri na tire ga toigh* (3)
52 *Da* (4) *mhac mine Muirchertaigh.*

14.

53 *Eochaidh is Baedhain Brighe,*
54 *Da bhliadhain imblaithrighe.*
55 *Ros bhi gan diadhecht an damh,* (5)
56 *Ri ro gabh Ciandacht* (6) *cronan.*

15.

57 *Ammire mac Setna Saer*
58 *Tri bliadhna os Banba blathcaoin,* (7)
59 *Co garbh nir bo gealghus min,* (8)
60 *Ro marbh* (9) *Fergus mac Neillin.*

16.

61 *Aen bliadain Baedain ni brecc,* (1)
62 *Mac Ninnedha na naoimcett,*
63 *Ros fuair abforlonn gan aoibh,* (2)
64 *Iccomlann cruaidh da cummaoin.* (3)

17.

65 *Oedh mac Ainmire ro det,* (4)
66 VII (5) *bliadhna finna fichet.*
67 *Iccath Beal. Duin Bolcc buain,*
68 *Do cherr a ord re h ennair.* (6)

---

(1) *Ro clos* XLII.
(2) Do *dheadh* Domhnall *as* d Feargas. XLII.
(3) *Da thigh,* XV. (4) *La,* XLII eodem sensu.
(5) *Ro bith cen Diadacht na dan.*—XV.—*Ro bhuoi gan Deadacht na dhan.*—XV, XLII.
(6) Ciannacht—XV. *Connacht*—XLII.
(7) *Tri bl. na abflaiteas lan chaoimh.* XV.
(8) Co garbh noch ar fel gas fleth—XV.—*Go garbh nach ar bfhergus min.* XLII.
(9) *Gur marbh.*—XLII.
(1) *Cen bhed.*—XV. *gan beud.* XLIII.
(2) *Ro thuit a bhforlonn con aoibh.* XV.—*Rus ffhor forlonn chon aoibh.*—XLII,
(3) *Na compain.* XV. (4) *Ro geud.* XV.—*ro dhead.* XLII.
(5) III *bliadhna,* inter lineas, eadem manu, et eodem atramento.—*Tri bliadhna fiora fichead,* XV.—*Tri bliadhna fire fichead.* XLII.
(6) *It bath a ord fri h aon uair.*—XV. *Adbath ord re h aonuair.* XLII.

18.

69 *Aodh Slaine is Colmain Rimhidh,*
70 VI *Bliadhna don dis direigh,* (1)
71 *Fuair Colman na ccrech a guin,*
72 *Fatech ac Locan Dialmuin.* (2)

19.

73 *Lot Aeda Slaine ba saebh,*
74 *La Conall n guith binn n glan chaomh,* (3)
75 *Fingal moch nir denta di,*
76 *Ag loch Segdha Seimhdhi.* (4)

20.

77 *Aedh Uairidnach na toigh,*
78 *Mac Domhnaill mc Muirchertoigh,*
79 *Ri co recht rath co riagliabh,* (5)
80 *Atbath ier* VII *soerbliadnaibh.*

21.

81 *Tri bliadhna bliadain na ma,*
82 *Ro caith Maolcrodha cobha,*
83 *Gur cradh cleire* (6) *o cuinn sa cath,*
84 *Ar lar sleibhe Truim Toadha.*

22.

85 *Tri bliadhna.* X. *Suibhne Seng,*
86 *In Airdricche na h Eireann,*
87 *Gur forbadh an gaeth gan gaoi,*
88 *La Congal claon im bren Laoi.* (7)

---

(1) *Tri bliadhna don di Righibh.* XV.—*Secht m bliadhna dis direch.* XLII.
(2) *Mun tech.* Ib.—Diversitas est tantum Dialecti.
(3) *Ngle chuoimh* —XLII, eodem sensu.
(4) " Segdha Seimhdelle Codex, Lecan." Ita manu Flahertei in margine hujus Codicis XVI. Sedha Seimhdille. XLII.
(5) Righ ro recht as go go riaghla." XLII.
(6) *Ro craidh gleire.*" XLII.
(7) *Le Conall Cluon amren Draoi.* XLII.

23.

Deich mbliadhna Domhnall na nath, (1)
Co gleo gaibteach Maighe Rath,
A VII *ier sed cruaid iccli;* (2)
Co fuair ecc ier maith righi.

24.

Gabsat mc. Maoilcobha cruaidh,
VII *mbliadhna* x *fo degh buaidh,* (3)
Conall Caol is Ceall. Cas,
Ba crobhaing caomh comadhas.

25.

Ecc Ceall. duabhar olc ban, (4)
Co (5) *ros fair. fuacht obann.*
Bas Conaill cermna na ccealg,
La Diarmait ni delb2 n dreach derg. (6)

26.

Diarmait mc Aedha na n damh,
Sa bhrathair Blathmac Biothnair
Ocht mbl. os Banba ar bl. (7)
Gur sat marba don mortl.(8)

27.

Mac Blaithmhic Sechnusach suaire,
V *bliadhna fos a caomhcuairt,* (9)
Dubhduin do Cairbre cuirech,
Rucc run (1) *airccne an tard Ruirech.*

---

(1) *Na n dath.* XLII.—In margine Codicis XVI, manu Flahertei—"Domhnall anno 628 cœpit,—Anno 637 Maigh-"rath prælium, Ogyg. p. 435, post IX annos Regni ejus, anno decimo."
(2) *A secht air sed cuir accli.* XLII.
(3) *Cuig bliadhna deg fa bith buaigh.* XLII.
(4) *Ceall.deg duabhair olc ann.* XLII.
(5) *O ros fair.* XLII.
(6). *La morc mc Deil. Dreach derg.* XLII.
(7) *Mbl.* XLII.—*Tri bliadhna os Banbha co mblaith.* XV.—*Tri bl. a os Banbha na mblaith.* XX.
(8) *Gur ros mharbh don mor tsl.* XLII.—*mortlacht.* XX.
(9) *Bliadhain sa cuig don Chaomhchuairt.* XLII. Da chuig chaomh chuairt, i. Ri Craibhe-Gabhra. XV.
(1) Fuair run. XLII.

28.

109 *Ceithre bliadhna derbuim duit,* (1)
110 *Do Cennfhaol. mc Blaithmic.* (2)
111 *Cradh* (3) *Cinnfhaol. an smechta,*
112 *Ro faomhadh la Finsnechta.* (4)

29.

113 *Finsnechta Fledach anoil,*
114 *Da deich* (5) *os Cornaibh comhoil,*
115 *Do rochair Faol na Falach,* (6)
116 *La h Oed is Congalach.*

30. (7)

117 *Naoi mbl. a co mbrigh n gosa,* (8)
118 *Loingseck Mor mac Aonghusa,*
119 *Gur thuit an Crobaing san cath,*
120 *Ittroitt Corainn* (9) *la Ceallach.*

31.

121 *Congal Cinnmaghair maith maoin,*
122 VII (1) *mbliadhna os Bhanba blathcaoin,*
123 *Gan cath gan cradh ar an Maigh,*
124 *Atbath do tamh, tromghalair.*

32.

125 X. *mbliadhna cen blath meabla,*
126 *Ro chaith Fergal Flaithemhdha,* (2)
127 *Bas Righ na ro bladh rocine,* (3)
128 *Iccath adbal* (4) *Almhoine.*

---

(1) *Ceithre bl. na beg do mhaoin.* XV et XX.—*Ceithre bliadhna deag go n aoibh.* XLII.

(2) *Cuid Cinfhaol Cronnmhaol.* XLII. (3) *Crioch* XV, XX,—XLII. (4) *Fiannachta* XV, XX, XLII.

(5) *Deich.* XLII.—*seacht mbl. a um chorn. caomhoil.* XV, XX. (6) *Ro forbadh Faol na bhfalach.* XLII.

(7) Deest hic Stropha hæc in Codicibus XV et XX. Extat autem in iisdem immediate post Stropham sequentem 30. Sed ordine depravato, ut patet ex Annalibus.

(8) *Go med n gusa* XV XX, XLII. (9) *Attroid Croainn* XV, et XX, et XLII.

(1) *Ocht.*—XLII.—*Se bliadhna biodh-caoin.* XV *Se bl. a os Banbha bithchaoin.*—XX.

(2) *Tarr. Ferg. Flaith Eamhna.* XV, et XX. (3) *Bath Righ na ro bhlath roimhe.* XV—*Bath ri na rabhladh roimhe.* XX.

(4) *Ag cath* adhbhall *Allmhuine.* XV, et XX.—*Iccath Alluin.* XLII.

33.

129 *Aen bliadhain Fogartach Flaith,*
130 *Co ros marbh cinaet comdhait.* (1)
131 *Flaithbertach iolaobh fiadhnach,* (2)
132 *Ro marbh Cionaoth tre bliedhn.* (3)

34.

133 *Tri bliadhna fo tri an Coimsigh,* (4)
134 *Flaitbertach mac Laoch loingsigh,*
135 *Bas don gharcc fiamach,* (5)
136 *In Ardmacha moir miadhac.* (6)

35.

137 *An Fata fiamach da bfuil;* (7)]
138 *Bas Flaithbheartaigh mhic Loingsig,*
139 *A fhual do dergh isin Ri* (8)
140 *De tainic a thiughlaithi.* (9)

36.

141 *Aedh Allan* IX *mbliadhna mer* (1)
142 *Gur marbh i Maigh Feiredh,*
143 *Do thuit accomhlann catha,*
144 *La Domhnall mac Murchadha.*

37.

145 *Domhnall mac Murch. iar ttain,*
146 *Da* x *mbl. do bliadhnaibh.* (2)
147 *Na beth. gan bet gan col,*
148 *Con de chaidh decc a aonor.* (3)

---

(1) *Cionaoth an Chaomhruith.* XV, et XX.
(2) *Flaithbhertach an Flaith fiadhnach.* XV, XX, XLII.
(3) *Cionaoth Cathbhl. nach.* XV, XX, et XLII.
(4) *Naoi mbliadhna cruaidh an chms.* XLII—Tri bl. na fo thri coimhsigh. XV, et XX.
(5) *Atha fhiomach.* XLII.—*Eg cen garg fatha fiadhnach.* XV, et XX.
(6) *Moir fhianach.* XV, et XX.
(7) *Fatha fiamh. o bf.* XLII.—*Se fatha fiadhnoch fa bfuil.* XV, XX.
(8) *Do dhergus an Righ.* XLII. *A fhual do dhreagha san righ.* XV, et XX.
(9) *Co bfuair thrid a tiuglaithi.* XV.
(1) *In mear.* XV. et XX,—*na adbear.* XLII.
(2) X *mbliadhna is bliadhain.* XV, et XX. *Dha naoi mbliadhna ar bhlaidh.* XLII.
(3) *Na aonfear.* XLII.

38.

149 *Niall Frassach mac Finn Fergail,*
150 VII *mbliadhna cen baoith ernail,*
151 *Atbath cen locht iarli alle,* (1)
152 *Ar tocht di dia oilitre.* (2)

39.

153 *Donnchadh gan dorcha n datha,* (3)
154 *Mac Domhnaill mc Murchadha,* (4)
155 *Jar* III. IX. *mbliadhnaibh atbath,*
156 *Ri co riaghlaibh co ro rath.*

40.

157 *Aedh Oirdnidhe don freimh raith* (5)
158 V *bliadhna* XX *it fir maith.*
159 *Frith fath a lechta re a luadh*
160 *Oc ath da fherta ionnfhuar.* (6)

41.

161 *Airemh ceithre mbliadhan* X,
162 *Do Concobhar ba caoimhgheg,* (7)
163 *Atbath iar m borf. dia chloinn* (8)
164 *Degh mac Dondch. mic Domhnaill.*

42.

165 *Tri m bliadhna* X. *i maille,* (9)
166 *Ro faomhadh* (1) *Niall caomh caille,*
167 *On Challainn Calma ros baidh,* (2)
168 *Fuair tallainn anma anbail.* (3)

---

(1) *Air ttocht dlinn da oilithre---do bath cen locht an Righe.* XV.
(2) *At bath cen locht ara li dhe.* XV.—*Ar lar hi dha oilithre.*—i. e. in medio Hionæ in peregrinatione sua, XLII. Codex XX sic---*Ad bath gan locht an Ri De—Ar ttocht d Hii da oilithre.*— et recte.
(3) *Na n doirche n datha.* XLII.
(4) *Mac Domhnaill mhic Donch.* XV, et XX.
(5) *Aodh Ordnighe an Reim co rath.* XV, et XX. *go reim rath,* XLII.
(6) *Fionn fhua.* XLII.
(7) *Na naomh ched* XLII.
(8) *Adbath iar m boir dha cloinn.* XLII---*nior borrfhui dhe dha chloinn* XV, et XX.
(9) *Tri bl. na deg um a leith*—XLII.
(1) *Ro riaradh.*—XV, et XX.
(2) *Ro craidh.*—XLII.
(3) *Anma ardaigh.*—XV, et XX.
Anma annshaigh XLII—*Anno nempe* 846 submersus interiit.—*Cardo est Chronologicus in rebus Hibernicis.*

43.

Maolsechlain XVI *bliadhna,* (1)
Mac Maolruannaigh na Righ sed, (2)
Atbath tall i Midhe mhuadh, (3)
Flaith na Fine sna bfinnsluaigh.

44.

Aedh Findliath Feind. oil. (4)
A secht decc re a dian oidh. (5)
Marbh Ri na ro Duan cen rinn (6)
In Druin adh fhuar in esclainn.

45.

IX *mbliadhna* XXX *co tren,*(7)
Fland Fodla (8) *cen eindlen,*(9)
Marb ittailltin tall do thamh,
Eidir Cairdibh clann Colmain.

46.

Niall glundubh mac Aedha a noir, (1)
III *bliadhna dua Neill nert moir,*
In Athcliath luidh fo lannaibh,
Liach a ghuin do ghlas gallaibh (2)

47.

Glordha gloir Donncha Duinn,
A V. XX. *et dua fir chuinn,*
Ros ben bed re Cruachain Cain, (3)
Ier n ecc i Tuathail Techtmair.

---

(1) *Maoilsechluind tri bliadhna deg.* XV, et XX.

(2) *An roigheg.*—XLII.—*Mac Maolruan. mc Donnch, mc Domhnaill, mc Murchadha, mc Diarmadha, mc Airmedhaicc Caoich, mc Conaill Guthbhin, mc Suibhne mean, mc Colmain moir, mc Diarmada, mc Fearguis Cearbheoil.* Ita Annales.—Generationes sunt duodecim *inclusive.*

(3) *Adbat thall a muigh Muaighe.* XLII.

(4) *Aodh Finnliath Feinnigh Oiligh.* XV, et XX. *Aodh Fionnliath mc Neill go n gloir.*—XLII.

(5) Inter lineas Flahertei manu—*Se decc,* et in margine 16.—*Se bl. na* X *do Niall nter mor.* XLII.—*A secht deg re na aighedh.* XV, et XX.

(6) *Bas righ na ro dhuan gan ruinn.*—XLII.—*Bas Ri na rabhaid do ruinn.* XV, et XX.

(7) *Secht mbliadhna triochu co tren.* XV, et XX. (8) *Flaith Fodla* XLII.— (9) *Idirlen.*—XV, et XX.

(1) *A noil,* XV, et XX. (2) *Do ghlaighall* —XLII.

(3) *Do bhean bet re Cruachain cain.* XV, et XX. *Ros bed re Cruach a char.*—XLII.

48.

Tri bliadhna x *buidnech bregh,*
Congalach Cenn mc Miledh,
Bas Righ an Allaidh Airgnigh,(1)
Re Gallaibh re garcc Laighnibh.

49.

Gabhais Domhn. h. Neill nert
Re IIII *mbliadhan* XX *et*
Marbh arcc fatha na bfreccra (2)
In Ardmacha an mhoir eccna.

50.

Maoilsechlainn slemhna na slegh,
Bile Banbha bair Gaoidhel
Ere na Riaghail ro det
Re IIII *mbliadhna fichet.* (3)

51.

Fiuch. (4) *fairrgi tuile tric,*
Brian breo (5) *os Banbha blaith bric.*
Cen (6) *ciamhair, cen bed, cen brath,*
Da bliadhain decc a degh rath.

52.

Denmaircc (7) *Atha cliath nacclann,*
Dibherga Laochda Lochlann. (8)
Cian o ro gaibhsat gala. (9)
Ro marbhsat Brian Boromha.

---

(1) *Bas Righ n All. mar doigh.*—XLII.

(2) *Mar ab. f ger futha na freagra.* XLII.

(3) *Ri na riaghal mar do read,*
Fri re tri mbliadhan fiochad. XLII.
Eire na riaghail ro ghead
Re rac thri mbliadhna fichet.—XV, et XX.

(4) *Fiuchadh,* XV, et XX,—*Trich,* XLII.

(5) *Bregh,* XV, *bredh.*—XX.

(6) *Gur.*—XLII.

(7) Don mharg.—XV, XX, et XLII—En necessitatem conferendi Codices.

(8) *Laochraidh Lochlann.* XV, et XX.

(9) *Ni can gur ghabhsad galla.* XLII.

53.

209 *Marbh Maolsechlainn thier gathigh,* (1)
210 *Adhaltrach Uallach Uisnigh.*
211 IX *n gairec bliedhna ier m Brian mbinn*
212 *Rob Ard-iarla for Eirinn.*

54.

Desunt in Codice Firbisiano Stowense No. XLII versus sequentes usque ad Stropham 60.

213 " *Tar eis Maoilsechlainn sona,*
214 " *Mic Domhnaill mc Dondchadha,*
215 " *Ro scar saoir brigh re gach dreim,*
216 " *Noch ar gabh aoin righ Eirinn.*

55.

217 " *Nir gabhsat cland s. chlann Neill,*
218 " *Eire ier ccreidemh coimhreidh,*
219 " *A nocht ni ceilim co cian,*
220 " *Acht Aill. Molt is Moir Bhrian.*

56.

221 " *Dias do shiol Laegaire Luind,*
222 " *Fer aon do siol Cairpre in comhlainn,*
223 " *Fer a Mumhan Tuathal tailc,* (2)
224 " *Is fer a Cruachan comh nairt,*

57.

225 " *Oill. Molt mac Dathi tall,*
226 " *A c. t Connacht na comhland,* (3)
327 " *Brian gus an cucht cuimhn. coir,* (4)
228 " *A hucht* (5) *Muimhnech an miodhoil.*

58.

229 " *Laeghaire mc Neill co neimh,*
230 " *Is a mhac Lughaid Laidir,*
231 " *Tuathal do siol Cairpre ui Cuinn,*
232 " *Rucc ruathar airccne umhuill,*

---

(1) *Thiar in a thigh.*—XLII. *thiar na thoigh,* XV, *thiar na thigh.* XX.
(2) *Tuathaidh talc·* XV, et XX.
(3) *A cirt Connacht na ccomhlan.*—XV.—*ccomhchlann.* XX.
(4) *Bhrian gusan gcert cuimhnech coir.* XV, et XX.
(5) *A nert.*—XV, et XX.

59.

233 " *Se Righ* x. *o h Eoghan oll,*
234 " *Is a* x *a degh Conoll,*
235 " *Naonmhair fine Bregh on m Boinn,*
236 " *Ochtar fir Midhe an miodhoil.*

60.

237 *Righ Er. a Midhe a mach,*
238 *Deirmaid Domhnall da Donnch.* (1)
239 *Flann a cremhcoill sa codhal,*
240 *Da Maelsechloinn, Concobhair.*

61.

241 *Aodh, Blathmac, Sechnuiach Seng,* (2)
242 *Diarmait, Fogartach-Fremhann,*
243 *Cendfaol. Finsnechta tra,*
244 *Cionaoth, Congal. Cnodhba.*
245 *Na gniomhradh ttreabhach tarbdha,*
246 *Riograidh breaghach breacbanbha.*

62.

247 *Riograidh Ceneill Conoil cruaidh*
248 *Ro gabsat Banba mbrath ruaidh,*
249 *Ainmire, Aedh, Baedan barr,*
250 *Maolcobha, Ceallach, Conall,*
251 *Domhn. ba coimsech iccath,*
252 *Congal, Loingseach, Lathbertach.*

63.

253 *Da Domhnall tri Neill ni nair,*
254 *Aodh focethair is Colman,*
255 *Suibhne, Eoch. Baetan Bath,*
256 *Fergus, Fergal tabhartach.*
257 *Muircertach mar Aeom lind,* (3)
258 *Rioghr. Eogain os Eirinn.*

Quæ sequuntur extant in Codice XLII, sed e locis suis deturbata, ut qui versus in Codicibus XV et XVI sunt numero 559, 260, &c. sint ibi 264, 265, &c. et qui in iisdem Codicibus sunt ordine 237, &c. sint ibi 213, &c.—Hæc Amanuensium negligentia maximam in Rebus Hibernicis peperit obscuritatem, et confusionem, quæ non nisi improbo labore superanda est.

---

(1) *Domhnald daimhtall da Donnch.*—XV, et XX.

(2) 241 Da Dhiarmuid, Sechnusach Seng—XV, et XX.
242 Aodh as Blathmaic na beimenn—XV, et XX.

(3) *Muircertach mar lotmhan linn*—XV. leomhan linn. XLII.

64.

259 " *Nir gabhsat Righe co rath,* (1)
260 " *Acoiccedh amhra Uladh,*
261 " *Ni ga cleith ro bheinsi a fhir,* (2)
262 " *Acht a reimsi nach rimthir.*

65.

263 " *Baodan, Fiacra Find feidhm n gle,*
264 " *Agus Eoch. iarlaithe.*
265 " *Lucht laingrib gan bunn. mbinn,* (3)
266 " *Airmitt Uladh os Eirinn.*

66.

267 " *Ge airmitt Muimhne mine*
268 " *Feidhlimidh ind Airdrighe,*
269 " *Im Dhuain ni labhraim a linn,*
270 " *Uair ni faghbaim os Eirinn.* (4)

67.

271 " *O re Cathaoir mhoir maoinn* (5)
272 " *Ui Corbmaic re a comhmaoisdhimh,*(6)
273 " *Asa tir maighrighe gan meing,* (7)
274 " *Nir gabh Laigne lain Erenn.* (8)

68.

275 " *Nochar gabh ri thoir no thiar,* (9)
276 " *Do tuathaibh ana Oirghiall.*(1)
277 " *Anglonna ro gluais on greim* (2)
278 " *Acht Colla Uais os Eirind.*

---

(1) *Na ro ghabhsat righ go rath.* xx.—Ma ghabhsad XLII.
(2) *Ni ta cleith*—xv. *ni cleith ro bheinsi bhfer*—xx: *Ni da chleadh do bheinnse seal.* XLII.
(3) *Lucht lainghribh gan bann binn.* xv. *Lucht langribh na monar mbinn.*—xx. gan bunadh binn XLII.
(4) *Ni fhaghim e os* Eirinn xv, et xx, recte.
(5) *O re Chuthair mhoir Muimhnighe*—xv. *O rae Chathaoir mhoir mhaoinigh*—xx.
(6) *Comhmaidemh*—xv—*re ccomh mhaoithemh.*—xx.
(7) *As athar maighnigh gan mheing.*—xx.
(8) *Righ Eirionn*—xv. *os Eirinn*—xx.
(9) *Tsiar*—xx.
(1) *Do thuathdibh Oirghiall*—xv.
(2) *An gluana gluais on ngrim*—xv.

69.

279 " *ii. bliadhain ier sin.* VII. *n deich,*
280 " *O ecc Maelsechlainn suaichnidh,*
281 " *Nir ord teid binn dia dine,*(1)
282 " *Don Eirinn gan Airdrighe,*

70.

283 " *Con eirs. Domhnal Doire,* (2)
284 " *Moir Grian Banba bladhighe,*
285 " *Is Flaith Ri cuimhnech na ccath,* (3)
286 " *Maith Ri Muimhnech Muircertach.*

71.

287 " *Muircertach Luimnigh na long,*
288 " *Domhnall Oiligh na n ardglonn.*
289 " *Ff. a cuicc lom laithi a linn,* (4)
290 " *A comhfhlaithios os caoimh Eirinn.*

72.

291 " *Muircertach Mumhan ros marbh,*
292 " *Galar anaithne aggarbh.* (5)
293 " *Do dith* (6) *Domhn. do tamh tend,*
294 " *Frith dograing dal deigh Eiren.* (7)

73.

295 " *Morseiser* XL *caidh*
296 " *Do clannaibh Neill, go nert baigh,* (8)
297 " *Ro lamhsat* (9) *gach dine an dream,*
298 " *Ro gabhsat Righe n Erean.* (1)

---

(1) *Nior ord deibhinn don dine.*—XLII. *dighmhin*—XV. *nior bhord aoibhinn do dhine.*—XX.
(2) *Con dairt sat Domhnall doire*—XV—*Con carecht Domhnall daire*—XX.—*Go n dorracht Domhnal doire.*—XLII.
(3) *Na ccreach*—XX, *na ccath* XLII.
(4) *Fiche air chuig lamfhlaithe a lion.*—XV.
Fichith tri lom laithe a linn.—XX.
Fiche as cuig lomlaithe linn. XLII.
(5) *Athgarbh*—XV, et XX. *Muirchiort. Luimn. ros mharbh*—*galar anaithn athgharbh.* XLII.
(6) *Do dhigh.* XV. *do thuit.*—XV, et XLII. (7) *Fria dograing 2il dhegheir.* XLII.
(8) *Bhaidh* XV, XX, et XLII—In margine "*47 addito Domnaldo,*" manu Flahertei.
(9) *Nior lamhsad,* XX, *ro* XLII.
(1) Sequentes versus a versu 298 ad 303, in MS. XX partim desunt, partim e locis suis deturbati leguntur.

74.

" *iiii.* IX. XX *fir damh,* (1)
" *Comhairemh na Riogh rathmhar,* (2)
" *Uile tria reimim rimhe,* (3)
" *Os Eirin in Airdrighe.*

75.

" *Fiche Toirr. tuir Tren,* (4)
" *Mac Ruaidhri na renn roiger.*
" *Ag nertadh na tuile tend,*
" *Ag tectadh uile Erenn.*

76.

" VIII *mbl. a* X. (5) *Ruaidhri an Ri,*
" *Mac Toirrd. an t Airdri,*
" *Flaith na n Eirend gan fhell,*
" *Ri deighnach deig Erenn.*

77.

" *Fuarastar ecc as gach alt,*
" *Flaithe Banbha na mbeodhacht,*
" *Gan* (6) *gleo, gan brigh ambloidhe,*
" *As bed Righ na Rioghroidhe.*

78.

" *Millidhe moir Emhna Macha,*
" *Geis dognimh* (7) *gach garcc flatha,*
" *Fingal ar fiachaibh ni feir,*
" *Bladh biodbadh iniath Eirenn.* (8)

---

(1) Sciser 9 bhfichit fior dhamh.—xx—Reliqui habent *ceathrar.*—In margine superiore Codicis Clanrickardiani lego—" *Sesiur.* 9. xx. *fior dhamh.* cod Lecan fol. 312, p. 2, Col. 1. pag. 71 ad finem, et pag. 8 apud me."—nempe apud Flaherteum, cujus manu hæc scripta sunt.—Subjungit tamen in margine Sinistro numerum totalem esse 184, unde fit ut numeri legi debeant iiii. IX. XX. uti supra.

(2) *Righ ro ghlan.*—xx. Reliqui *rathmar.*

(3) *Uile don reilim Righe.*—XLII.

(4) In summo margine Codicis XVI, fol. 14 b. hæc manu Flahertei scripta leguntur—" Distichon litera C notatum (i.e Distichon hoc) xx annos Tordelbacho O'Conor assignatos non habet in Codice Lecano, et recte, cum Poema anno 1143 compositum sit, et ille anno 1156, annos regni xx terminavit, neque Distichon (ibi legitur quod) 6342 annos Mundi numerat ad annum 1143. Utrumque igitur ab alio insertum, et non Authoris genuinum."—

Inter lineas lego " *Ata, Cod Lecan,*" pro *Fiche,* et in Codicibus xx, et XLII itidem *Ata,* quæ vera est lectio. Codex xv habet *Fuicfed* pro *Ata.*

(5) *Secht mbliadhna deg.*—xv.

(6) *Gach.*—xv—Reliqui *gan.*

(7) *Geis go goimh.*—xv. *ges.do ghniomh.*—xx.

(8) *Bliadham biodhbh diath Eir.*—xx.

79.

" *Tighernan tigherna caich,*
" *Ua Ruairc ri nos mar nemhtlaith.* (1)
" *Ollclu fuair co tairpth. tenn,* (2)
" *Onchu uar aircth. Eirenn.* (3)

80.

" *Ionnarbadh Airdrigh Ailigh* (4)
" *Ria n Uanguinech ngairm sl. aigh.* (5)
" *As sniomh gach labradh* (6) *re a linn,*
" *As gniomh* (7) *adbal in* (8) *Eirinn.*

81.

" *Dionnarbadh Murch. Midhe,*
" *Tre foirnert na hainfine.*
" *As truagh cosnamach an ceo*
" *As fuar* (9) *osnadach Ereo.*

82.

" *Tucc* (1) *Muircert. mc neill n ar.*
" *Primghiall Caisil Ceallachan.*
" *Borrf.* (2) *tre gairce brigh na cenn,*
" *Do Donnch. Airdri Eirenn.*

83.

" *Ind aimsir Amlaibh ethraigh,* (3)
" *Ua Maolruan. Righ deabhthaigh,* (4)
" *Mo Duain ro dhelbhas dar lem.* (5)
" *Cenel bas d uaislibh Eirenn.*(6)

---

(1) *O Ruairc ro nosmur nemhthaith.*—XLII. (2) *Go toirpthech tenn.*—XV, et XX.
(3) *Aonchu uaibreach arcitheach Erind.*—XV. *On chu airgthech na h Eirionn.*—XX, et XLII.
(4) Inter lineas—" .i. *Muircertach mac Neill i Lachlaind,* anno 1166 cæsus."
(5) *Ria nuadh nguinech ngarm shluaidh*—XV. *La hongninigh n Gorm leaghaidh.*—XX.
(6) *Is mian a labhra.*—XV. (7) *Is gniomh.*—XX. (8) *Os.*—XX.
(9) *As fuar.*—XV. (1) *Tosg.*—XV.—*Tugg* XX. (2) *Buirfedh.*—XV.
(3) *Eachtraigh.*—XV. (4) *Chrechthaigh.*—XV. (5) *Liom.*—XV.
(6) *Tre eal. nas d uaisle Eirind.*—XV.

84.

" vi. *mile bl. ni brecc,*
" *A do cethrachat tri cett.* (i.e. 6342.)
" *O dhenamh na n dul dar lem* (1)
" *Go feghadh run Righ Eirend.*

85.

" iiii *bl.* lxxxx *at oll,* (i.e. 594.) (2)
" *Agus cuicc cett gan iomrall,*
" *Gan bed don rioghr. re a linn,* (3)
" *Co h ecc Maoil-Saerg-loin-sechloinn.* (4)

86.

xl *ar cett tri bliadhna,*
Is mile co med riaghla, (i.e. 1143.)
O ghein De buain buidhnech toir bhregh
Co Duain tumigh nattrensher. (5)

87.

Gioll Cr. O Mongair maith, (obiit A.D. 1138)
Ar n uasal Esp. Ardraith,
Don bhith buan an ge sl. grinn,
As truagh a easbh. d Eirinn.

88.

Do Ghiolla Modudo dron,
Go ttarda dia gach diolghadh,
Failedh don gairce gniomh ro geall, (6)
Iar n airemh (7) *airdriogh. Er.*

---

(1) *Linn.*—xv. Vide quæ de hoc Disticho dicta sunt supra in nota pag. 162.—In imo margine Codicis xvi hæc apposita leguntur—" *Pro* 594 *habet* 606 *Regum annos.*"

(2) *Seacht mbliadhna seacht moghad oll.*—xx.—*se bliadhna.*—xlii.—Sequentes versus ita e loco suo deturbati legnntur in Codice xlii, ut hic versus sit ibi ordine 236.—Convenit Codex xv, cum xvi.

(3) *Re roinn.*—xlii. (4) *Maolsriangallach Sechlain.*—xlii.

(5) Vide quæ de annis mundi dicta sunt supra not. 162.

(6) *Failigh an gorg niomh rom gheall.* xx. (7) *Inairiomh.*—xx.

89.

359 *Daimhinis deghbrugh as dion,* (1)
360 *Ar gach n olc ar gach nainbfior,* (2)
361 *Asi roimh Inis righ renn,* (3)
362 *Asi oigh Inis na h Eirenn.*

90.

363 *Ard m Brecain mo baile blaith.*
364 *In Abdhaine ꝼp. comhlain,*
365 *Cadhus na Ceilidh an ceall,*
366 *Arus Einn. na h Eirenn.*

91.

367 x *roinn octmoghat uaim,*
368 *Do randaibh isin Riogh Duain,*
369 *Airmhimh cen forcradh gan fell,*
370 *Do torcradh na trein Eirend* (4)

---

(1) *Is din.*—xx. (2) *Nanfhior.*—xx. (3) *Isi roimh inis na reann.* xx.

(4) In hoc Codice xvi, hæc ad imum paginæ hic apposita leguntur—"In Codice *Lecan* in Dublin. Collegio, *decem postrema hujus Poematis Disticha* sunt ordine quo literas præfixi, videlicet—xl ar cett est *decimum postremum*, et sequuntur Disticha queis b c d e f g h i k præfixi.—Disticha *intermedia* authoris genuina non censeo." Manu Flahertei.—Disticha ita notata sunt ea quæ supra designantur numeris—

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k
347	323	303	319	359	355	343	301	315	331

In margine dextro, ad Distichon penultimum hæc leguntur—"90. Consonum hoc Poemati."—Auctor nempe scribit Disticha a se composita esse *numero* 90, i.e. versus 360, ordine supra assignato, quæ Disticha Genuinum Modudii Carmen efficiunt. Cætera, a quodam recentiore adjuncta sunt.

CARMINIS

ISTIUS

VERSIO LATINA AD LITERAM. (1)

1.

1 Hiberniam juvenescentem Insulam Sanctorum,
2 Pluribus institutis valde nobilem,
3 Obtinuerunt gentes feroces,
4 Sine moribus, sine vix aliquo fructu.

2.

5 Triginta Reges et decies decem,
6 Et sex valde illustres in judiciis ferendis,
7 Ante Fidem, sine fide, strenui,
8 Obtinuerunt Hiberniam Armorum rubrium.

3.

9 Plurimos conflictus, et prælia,
10 Reges strenui, memoria digni,
11 Gessere prospere (et) luctuose,
12 A Slangio usque ad Laogarium.

4.

13 A Laogario Heroe Generationum,
14 Usque ad Maelsechnallum Frœni Candidi,
15 Obtinuerunt Hiberniam Vexillorum,
16 Octo Reges Fortes (et) quadraginta. (2)

---

(1) Cum hujus Carminis versio hactenus intentata fuerit, æque ac alterius, quod infra in parte 2da, pag: nunc *primum* publici juris efficitur, veniam dabunt æqui rerum æstimatores, si timide potius quam audacter in rebus arduis procedendum censeam, serviliter potius quam libere, timiditas enim æque nascitur ex rebus quam ex vocabulis.

(2) *Quadraginta sex* tantum legitimi, ut postea patebit.

5.

17 Quatuor (et) quinquies quinque Regum,
18 Ierunt in malum finem,
19 Novem Reges (et) decem spendidæ munificentiæ,
20 Obiere cum Pulvinari.—(i. e. pacifice, in lecto.)

6.

21 Numero regni durationem cujusque Regis legitimi,
22 Ejus nomen, et obitum veraciter refero,
23 Sicunt narrant Cœtus Bardorum
24 Qui extant, cum memoria rerum consentiente recte.

7.

25 Recte triginta annis prosperis,
26 Integrum Imperium *Laogarii*,
27 Obiit (percussus) a Sole splendente, nitido,
28 Juxta verba *Trenii*, Stirpis sacræ.(nempe Druidarum.) (1)

8.

29 Transegit *Olildus-Molt* (i. e. Laudatus) a forma (2)
30 Viginti annos vitæ victoriosæ.
31 Occidit eum per facinus lachrymabile,
32 *Lugadius* fortis, filius Laogarii.

9.

33 Lugadius quinque annis quinquies.
34 Corripuit eum, in prælio Fulgurum, malum,
35 Combussit eum fulgur, ignis fortis
36 Regis Cœlorum, et Sanctarum Ecclesiarum.

10.

37 *Murcertachus* fuit Heroum Primus,
38 Quatuor illustribus annis (et) viginti,
39 Apud Clettiam Diram—finis ejus,
40 Submersit eum Vinum, combussit ignis.

(1 Vide supra pag.148, not. ult.—In Codice Stowense *Dinseanchusa,* Sæculi XII desinentis, aut XIII inchoantis, Poetæ Ethnici sæpius memorantur, qui ante adventum S. Patricii floruere *Fin-File, Amergin, Coilte, Fintan, Fergus-Fin-bel, Mac-Niad,* et alii. Confer Epistolam Nuncup. supra p.73.

(2) In codice XLII *on muaingh*—i. e. a Victoriis. Unicus mihi scopus est verba fideliter interpretari.

11.

41 *Tuathalius* Calvus, Torvus, Fortis in prælio,
42 Tribus annis (et) decem absque probro,
43 Maelmordaus vulneravit eum sagitta,
44 Regem qui sibi vindicavit Temoriam Munimentorum Alborum.

12.

45 *Diarmitius* bis decem annorum,
46 Filius Cearbalii cum mansuetis Legibus,
47 Aodhus Niger armis eum jugulavit, cruciavit,
48 Occidit, combussit, in cinerem redegit. (1)

13.

49 Annum, (et) duos annos fama auditos,
50 Optimis *Donaldo et Fergusio.*
51 Obiere Reges Regionum in suis Ædibus,
52 Duo filii dilecti Murcertagi.

14.

53 *Eochodius et Baodanus* Potentes,
54 Duobus annis in laudabili Imperio,
55 Occidit eos, sine religione vel causa,
56 Rex qui possedit Cianachtam Cronanus. (2)

15.

57 *Anmireus* filius Sednei illustris,
58 Tribus annis supra Hiberniam laudabilis mansuetudinis.
59 Donec torve, quod non meruit dilectus,
60 Occidit eum Fergusius filius Niellini. (3)

---

(1) Diarmitium hunc *totius Scotiæ* (i. e. Hiberniæ) *Regnatorem, Deo authore ordinatum,* appellat Adamnanus, Beda antiquior, l. 1, c. 36.—Ecclesiæ Cluanmacnoisensis prima fundamenta jecit, et agros monti *Usnachæ* contiguos, antea Druidicos, S. Kierano, istius Monasterii primo Abbati, contulit. O'Duvegani Codex MS. fol. 132, Evinus in Vita Patr. p. 3, c. 28. Comitiis *Temorensibus* sæpius indictis, ut in Annalibus, et in Duvegano ibidem, plures leges tulit. S. Columbæ amicus, *Keananusam* Civitatem ei contulit, hodie *Kells,* ubi Monasterium condidit. Sed postea, *Guario* Connaciæ Regi bellum indixit, et Sanctorum Kierani, Columbæ, et Ruadani execrationes promeritus, vitam fœdis vitiis maculavit.—

(2) Adamnanus *decapitatos* fuisse narrat. l. 1, c. 12. Conveniunt cum *Modudio* Annales Hibernici *cæsos* fuisse a *Cronano.* Ambo conciliantur, cum *cæsus* et *decapitatus* sibi consient.

(3) Is fuit qui *Gildam,* non Albanicum, qui anno 520 obiit, sed *Badonicum,* in Hiberniam accivit annum circiter 565. Eum memorat Adamnanus l. 1, c. 7. Vide supra pag. 88, 98, 99, et Indices, voce *Gildas.*

16.

61 Uno anno *Baodanus*—non falsum hoc,
62 Filius Ninnedi Satoris centum Sanctorum,
63 Incidit in aggressionem sine lenitate;
64 In conflictu duorum Cummanorum. (1)

17.

65 Aidus filius Anmirei valde pii,
66 Tribus annis vere (et) viginti,
67 In Prælio Viæ Arcis Belgarum durabilis,
68 Occisus est (2) ejus Ordo, (*Anglice* his Excellency) in Januario.

18.

69 Aodhus Slanensis et Colmannus Superbus,
70 Sex annos ambobus accurate.
71 Accepit Colmannus Prædarum suum vulnus
72 In domo, (percussus) a Locano Mercenario.

19.

73 Vulneratus est Aodhus Slanensis, fuit strenuus,
74 Per Conallum Dulcivocem, Clarus (licet, et) Mansuetus.
75 Parricida mox non prosperus inde,
76 Apud lacum procellosum Semdidense.

20.

77 *Aodhus-Algide-febriculosus* in sua domo,
78 Filius Donaldi, filii Mucertachi,
79 Rex qui judicavit de pactis juste, juxta leges,
80 Obiit post septem nobiles annos.

21.

81 Tres annos, annos hostiles,
82 Transegit *Maolcobha* strenuus.
83 Planxit eum Clerus O'Connorum occisum in prælio,
84 In medio montis tristis Todhensis.

---

(1) Non sunt confundendi *Baodanus* hic Primus, vel Badonus ii, Reges Hiberniæ totius, cum Baodano Carilli filio Rege Ultoniæ de quo supra pag. 126.

(2) Hæc in aliis Codicibus varie et corrupte leguntur. *Aidus*, Anmirei filius, is fuit qui *Dorense* oppidum, ad Monasterium ibi condendum, S. Columbæ concessit, et Concilium *Dromceattense* convocavit. Adamn. l. 1, c. 10, et 49.

22.

85 Tribus annis (et) decem *Subneus* gracilis,
86 In supremo Imperio Hiberniæ,
87 Donec occisus est, Doctus sine prudentia,
88 Por Conallum Curvum, propter distichon Carminis.

23.

89 Decem annis *Donaldus* Scientiarum,
90 Usque ad pugnam litigantium Campi Munimenti.(i.e. *Moy-Rath.*)
91 Sex deinde (annos) numero in ordine,
92 Usque ad obitum ejus, post pœnitentiam. (1)

24.

93 Obtinuere (Regnum) filii Maelcobi strenui,
94 Septem annis (et) decem, cum felicibus Victoriis,
95 *Conallus Gracilis*, et *Celestius Agilis*,
96 Fuère manu-fortes, Mansueti in pacificando.

25.

97 Obiit Celestius e nimia solicitudine, malo tabescente,
98 E quo incidit in algorem repentinum,
99 Mors Conalli Vastatoris Insidiantium,
100 Per Diarmitium venustum vultus rubicundi.

26.

101 *Diarmitius* Filius Aodi Boum,
102 Et ejus frater *Blathmachus* vitæ felicis,
103 Octo annis supra Hiberniam cum fama,
104 Donec obiere e magna mortalitate.

27.

105 Filius Blathmachi *Secknusachus* Hilaris,
106 Quinque annis duratio Mansueti in visitando,
107 Duibduinus Carbreorum Herós-Dominus,
108 Concepit animo cœdem Supremi Regis.

---

(1) Adamnanus Coævus ait S. Columbam ei prædixisse mortem placidam, l. 1, c. 10, l. 3, c, 5, S. *Fechini* Fobharensis coævum fuisse, et ab eo Delictorum veniam postulasse, vita antiqua *Fechini* testatur. Bolland. Jan. xx, c. 35. Confer. Usser. Primord. p. 712, et Annal. Ulton. ann. 642. Donaldi annus obitualis 642 Cardinem efficit Chronologicum in Rebus Hibernicis, ut alibi indicavi.

28.

109 Quatuor annos annuncio tibi
110 *Cennfaloadio* filio Blathmachi,
111 Casus Cennfaoladii Dominantis,
112 Occisus est per Finsneachtaum.

29.

113 *Finsneachtaus* Convivator, ingens Potator.
114 Bis decem (annis) supra Cornua plena,
115 Occisus est Propugnator Doctorum,
116 Per Aodhum et per Congalachum.(1)

30.

117 Novem annis cum potentia clara,
118 *Longsechus* Magnus filius Aongusii,
119 Donec cecidit Manus fortis in prælio,
120 In prælio Coranense (occisus) per Cælestium.

31.

121 *Comgallus Cinmagar* Præclaræ æstimationis,
122 Septem annis (exactis) supra Hiberniam famæ dilectæ,
123 Sine prælio, sine cœde, in Campo (i. e. Temorense)
124 Obiit e mortalitate triste morbo.

32.

125 Decem annos sine anno inæquali
126 Transegit *Fergallus* Rex magnus.
127 Obiit Rex cui nemo fama præponendus,
128 In prælio strenuo Almanense.

33.

129 Uno anno *Fogartachus* Rex,
130 Donec eum occidit Kennethus venustus.
131 Flahertacus plurimarum venationum
132 Occidit *Kennethum* tertio anno.

---

(1) "Anno regni *duodecimo* Clericatum suscepit, et *sequenti anno* ad regnum reversus est." Tigernach. Mulctam Boariam Lageniensibus, S. Molingo rogante, condonavit. Ibid.

34.

133 Tribus annis ter numeratis Pacificus
134 *Flahertachus*, filius Herois Longsechi.
135 Obiit e sævo morbo
136 In Ardmacha magnæ æstimationis.

35.

137 Calor foedi morbi unde evenit
138 Obitus Flahertachi filii Longsechi,
139 Ejus urina in sanguinem mutata in Rege,
140 Inde advenit ejus dies extremus.

36.

141 *Aadhus Allanus* novem annis velocibus,
142 Donec occisus est in Campo Searad,
143 Cecidit in singulari conflictu,
144 Occisus a Donaldo filio Murchadi.

37.

145 *Donaldus* filius Murchadi postea,
146 Bis decem annis annorum,
147 Ejus vita (fuit) absque vulnere, absque obstaculo,
148 Donec obiit in solitudine. (1)

38.

149 *Niallus Procellarum*, filius Candidi Fergalli,
150 Septem annis sine mundi societate,
151 Obiit sine culpa jacens in lecto,
152 Postquam rediit ex Hiona post peregrinationem.

39.

153 *Donnchadus* sine nigredine coloris,
154 Filius Donaldi filii Murchadi,
155 Post ter novem annos obiit,
156 Rex valde justus valde prosperus.

---

(1) Regnavit annis 20 *ab anno* 743, obiit in peregrinatione Hiiense, et sepultus est in *Dermagia*, hodie Derry.—Primus fuit Regum *Clan-Colmannorum*.—Tigernachus recte ait Longsechum, Donaldi Secundi ex Ængusio filio Nepotem, post *novem* regni annos, bello occubuisse IV *Idus Julii, sexta hora diei Sabbati*, quæ verba annum indicant 704, quo obiit Adamnanus, non anno 703, ut scribit Waræus Anti. p. 21.

40.

Aodus Ordinator (sive Institutor Legum) Stirpis Prosperi,
Quinque annis viginti, vir bonus,
Invenit causam obitus in suo vulnere,
Apud vadum duorum Mirabilium in prælio.

41.

Numero quatuor annos (et) decem
Concobaro, fuit mansueti stirpis,
Obiit cum luctu filiorum suorum,
Bonus filius Donnchadi filii Donaldi.

42.

Tribus annis (et) decem in toto,
Imperavit *Niallus Mansuetus* Calneus (dictus.)
A Callano (flumine) fortem qui submersit
Habuit Heros nomen inusitatum.

43.

Maolsechlannus sexdecim annis,
Filius Maolruanagi (fuit) Rex iste,
Obiit pacifice in Midia inclita,
Rex Tribuum et exercituum candidorum (1)

44.

Aodus Albi-Canus, Heros Alichiæ (Arcis)
Sexdecim, quibus fecit strages (Danorum,)
Obiit Rex plurimorum Castrorum, Caput illustrium,
Apud collem valde frigidum Esclanense. (2)

45.

Novem annis (et) triginta cum fortitudine,
Flannus Doctus, supremus Munificorum Protector,
Obiit in Taltenia pacifice e peste,
Inter amicos Clientelæ Colmanni. (3)

---

(1) *Maelsechlanus I.* Turgesium Stratagemate extinxit anno 846, dominationis suæ XXXI, et *ad Carolum Calvum, Francorum Regem, Legatos misit cum Muneribus Viam sibi Romam adeundi postulans.* Waræi Antiq. Obiit *pridie Kal. Dec. feria iii*, ut in IV *Magistror. Annal.* ac proinde anno 863, anno Regni ineunte 17, desinente 16.

(2) "Aodus obiit XII *Kal. Dec. feria* VI, ut habet Tigernach, *seu* Chronicon Scottorum, quod annum 879, confirmat." Flahert. p. 434. Confundit vir doctus *Chronicon Scottorum*, cum Tigernacho.

(3) *Flanni* obitum refert Chronicon Scottorum ad " VIII *Kal. Jan. Fer.* VII, *annum regni sui* XXXVII." Hæc verba ex Codice Dubliniense descripta sunt, cujus Apographum a me ipso descriptum penes me habeo. Alii tamen annos 38 ei tribuunt. Cambr. Evers. p. 78,—Wareus " *annos 36, menses 6, dies 5.*"

46.

181 *Niallus Genu-niger* filius Aodhi Aurati,
182 Tres annos O Niallo Potentiæ ingentis,
183 In Dublinio obiit sub gladiis
184 Heros vulneratus a Cæruleis Galeatis. (1)

47.

185 Inclitus Inclitorum *Donnchadus Fuscus*
186 Quinque (et) viginti Nepoti Virorum Fortium,
187 Fuit Collis tristis Cruachaniæ Dilectæ,
188 Propter obitum Nepotis Tuathalii optati.

48.

189 Tribus annis decem victoriis celebris,
190 *Congalachus*, caput filiorum Milesii,
191 Occubuit Rex Frænator Prædantium,
192 A Danis (occisus, et) a ferocibus Lageniensibus.(2)

49.

193 Obtinuit *Donaldus O Nial* potentiam,
194 Spatio quatuor annorum viginti,
195 Obiit Heros peritus Clypeatorum,
196 In Ardmacha ingentis Doctrinæ.

50.

197 *Maolsechlannus*, Ulmus Hastarum,
198 Arbor Sacer Hiberniæ, supremus Gadeliorum,
199 Hibernia ejus Leges diligenter custodivit,
200 Spatio quatuor annorum viginti. (3)

---

(1) En originem vocis *Gallo-glass.* Occisus est *Niallus-Glundubius* a Danis prope Dublinium—"XVII *Kal. Octobr. feria* IV." Ita IV Magistri. *Cærulei-scuto-Brigantes supra pag.* 131.

(2) Voces *Gall*, et *Galda* probrosæ sunt, et *alienigenam* denotant, non simpliciter Danum, neque confundendæ sunt cum voce *Gaedhil*, quæ Indigenum Hibernensem significat—Hiberni recentiores qui in Mannia et Ebudibus cum Danis et Anglis Connubia inierunt vocabantur Hibernice *Gal-Goidhil*, sic etiam *Muredachus Tireach*, qui fuit Scotis primus Rex Connaciæ, et deinde annum circiter 330 Rex Hiberniæ, dicitur ortus matre *Aifea* de gente *Gall-Gaidelia*, et Flaherteus nomen istud sic interpretatur—"existimo *Gall-Gadelios* fuisse Insulas Britanniæ adjacentes tum incolentes. Nam Dodaldum filium Thadæi O'Brian quem anno 1075 Manniæ ac Insularum Proceres Regni sui Protectorem acceperunt, *Inse-Gall*, et *Gall-Gaedelu* Regem Hibernice dictum reperio." Ogyg. p. 360.

(3) Maelseachlannus is a Teamorense victoria de Danis anno 980, regni exordium duxit, ubi, præter *Reginaldum Amhlafi filium* Danorum Ducem, et *Cathrialum Gillari* filium, Dubliniensiumque Primores, universum pæne Danorum, tam Dubliniensium, quam Insulanorum, exercitum delevit. Ita IV. Mag.

51.

Corvus Maris—Unda Velox,
Brianus Judex supra Hiberniam famæ variæ,
Sine mæstitia, sine luctu, sine macula,
Duobus annis (et) decem in debita prosperitate.

52.

Usque ad prælium Dubliniense facinorum,
Quo expulsit Heroes Danorum,
Haud multum (abfuit) quin vincerent Alienigenæ,
Occiderunt Brianum Boromeum.

53.

Obiit Maelsechlannus postea in sua domo,
Nutritor Pauperum, languentium, lugentium,
Novem ferocibus annis post Briannum Dulcem,
Fuit Supremus Senior Hiberniæ.

54.

Post Maelsechlannum Prosperum,
Filium Donaldi filii Donnchadi. (1)
Discessit legitima potestas a quavis familia,
Quæ obtinuit Monarchiam Hiberniæ.

55.

Non obtinuere Posteri nisi Posteri Nialli
Hiberniam, post susceptam Fidem communiter salvantem,
Hac nocte non celo diutius,
Præter Olildum—Molt et Magnum Brianum.---(2)

Proximo deinde anno, Dublinium obsidione cingens, bis mille obsides Hibernos, et Donallum Regem Lageniæ omnesq. Hibernos in servitute Danica per totam Hiberniam positos, a servitute liberavit.

Decimo Regni anno, Dublinium iterum cinxit, et ad unciam auream, e singulis hortis, illi et successoribus suis solvendam, in quolibet Natalium Domini pervigilio, Danos obstrinxit.

Anno regni 16, *Annulum Tomarii*, et *Ensem Caroli* Dubliniensibus vi et armis ademit.

Anno regni 19, Dubliniensibus Danis alia clade apud Glinmaniam prostratis, *Artlachum* Sitrici, *Araldum* Amlafi, *Culenum* Echtigerni filios occidit, et Dublinii unius hebdomadæ moram trahens, magnam Obsidum et auri atque argenti copiam retulit et *Sitricum* Amlafi filium in exilium pulsit.

Anno regni 23, deficientibus viribus, Brianus, Momoniæ rex, ad totius Hiberniæ Gubernacula pervenit, anno 1003.

(1) Errat Waræus in Malachiæ 2di Genealogia. Vide *Ep. Nuncupatoriam*, supra, p. 84.

(2) Nihil *Modudii* fidem melius indicare posset quam ista Declaratio, Regebat enim Hiberniam, dum hæc scriberet, *Turdelbachus O'Conor*, quem e legitimorum Regum numero verbis istis audacter excludit.

56.

Duo (fuere) e stirpe Laogarii Iracundi, (1)
Unus e stirpe Carbrei, solus ex omnibus,
Vir e Momonia Tuathalius animosus,
Et Vir e Cruachania (Connaciæ Regia) valde Potente.(2)

57.

Olildus-Molt, filius Dathii Prædas agentis,
Jure pertinet ad Connaciam, solus ex omnibus(Connaciensibus.)
Brianus Vigor Potentiæ, memorari dignus,
Unicus (fuit) Momoniensium omnino.

58.

Laogarius filius Nialli cum splendore,
Et filius ejus Lugadius fortis,
Tuathalius e stirpe Carbrei O Conn,
Retulere victorias de Prædonibus subjectis.

59.

Sex Reges decem Eoganiæ (stirpis) Magnæ,
Et decem boni Connallenses,
Novem Familiæ Bregiensis a (flumine) Boin,
Octo Midenses in toto. (3)

60.

Reges Hiberniæ e Midia orti,
(Fuere) Diarmitius, Donaldus, duo Donnchadi,
Flannus eorum in bello Caput, socius in Conciliis.
Duo Maolsechlanni, Concobarus.

---

(1) Stropha hæc e loco suo deturbata videtur. Ea enim quæ numero est 57, Reges illegitimos indicat, quos Stropha 55 indicare incœpit, quibus memoratis, Poeta transit ad legitimos in Stropha 56. Ea itaque quæ hic est 56 deberet esse 57, juxta contextum et ordinem narrationis.

(2) Connaciæ Rex *unicus* Christianus qui, usque ad Modudii ætatem, totius Hiberniæ Monarchiam tenuit, fuit *Tordelbachus*, sive Theodoricus O'Conor, qui obiit anno 1156, quemque florentem indicat Modudius, anno quo hæc scribebat 1143. Vide infra pag.

(3) *Octo* Reges Midenses, *novem* Bregienses, *decem* Tirconallenses, et *sexdecem* Tironenses summam efficiunt Regum Christianorum 43 usque ad *Maelsechlannum ii*, qui obiit anno 1023. Attamen numero fuisse 46 conveniunt omnes Annales, et ipse Modudius in Stropha 59. Ibi enim postquam, numerasset Reges illegitimos *Olildum* et *Brianum*, duos legitimos e stirpe Laogarii, et unum e stirpe Carbrei, subjungit, versu 233, *Tironenses* fuisse *numero non* 13, sed XVI, Tirconnalenses X, Bregiensis familiæ IX, et familiæ Midensis VIII, qui omnes efficiunt numerum Regum *legitimorum* 46.—Differt procul dubio Stropha 56, v. 233, ubi Reges Tironenses 16 numerantur, a Stropha 63, ubi Regum eorundem nomina, *numero tantum* 13, relata, leguntur. Id autem Amanuensium incuri aeffectum, *Modudii* contextus manifeste declarat.

61.

241 Aodhus, Blathmacus, Sechnusachus Gracilis,
242 Diarmitius, Fogartachus,
243 Cennfaeladius, Finsnechtaus fama inclitus,
244 Cennethus, Congalachus Munificus,
245 Facinora eorum familias illustrabant, Prosperi fuere.
246 Reges Bregienses pulchræ Hiberniæ.

62.

247 Reges stirpis Conalli strenui,
248 Qui possedere Hiberniam Vexillorum rubrium,
249 (Fuere) Anmireus, Aodus, Baodanus Sapiens,
250 Maolcoba, Cælestius, Conallus,
251 Donaldus qui fuit providus in prælio,
252 Congalachus, Longsechus, Flahertac.

63.

253 Duo Donaldi, tres Nialli,---non dedecus,
254 Aodus immediate postea et Colmanus,
255 Subneus, Eochodius, Baotanus Maritimus,
256 Fergusius, Fergalus Liberalis,
257 Murcertachus sicut Leo Aquarum,
258 Reges fuere Eoganenses supra Hiberniam.

64.

259 Non obtinuere Regnum felicibus auspiciis
260 Reges Provinciæ inclitæ Ultoniæ,
261 Reges licet illustres (1)—narranda est veritas,
262 Nisi ii quorum Regna non numerantur.

65.

263 Baodanum, Fiacrium Album longevitatis claræ,
264 Et Eochodium, juxta Carmina vetera,
265 Gentem armis splendentem, sine Origine legitima dulci,
266 Numerat Ultonia supra Hiberniam.

(1) Juxta alios Codices, *ni cleith*, i. e. non occultum vel ignotum hoc.

66.

Quamvis numerat Momonia dilecta
Fedhlimidium in supremo Imperio,
In meo Carmine non loquor de ejus tempore,
Nam non invenio eum supra Hiberniam.

67.

A regno Cathirii Magni divitiis,
Nepotis Cormaci (regnantis) cum gratulatione communi,
E sua Regione, narratio sine dolo,
Non obtinuere Lagenienses totam Hiberniam.

68.

Non Imperavit Rex, jure vel injuria,
E Dominantibus supra divitem Orgialliam,
Eorum facinora licet splendida victoriis,
Præter Collaum Nobilem supra Hiberniam.

69.

Duobus annis post istos (et) septies decem, (i.e. 72)
Ab obitu Maelsechnalli Prosperi Herois, (*i.e. ab anno* 1022)
Non ordinata est Conventio dulcis Populo, (1)
Hibernia cum esset sine Supremo Rege.

70.

Donec surrexere *Domhnaldus* Derrensis,
Illustris Sol Hiberniæ inclitæ,
Et supremus Rex, memorabilis præliis,
Bonus Rex Momoniæ Murcertachus.(2)

---

(1) Innuit hic *Modudius* plurima Concilia habita fuisse in Hibernia, elapsis 72 annis interregni, ab obitu Maelsechnalli ii, anno D. 1022. Et quidem plura invenio in Annalibus ab anno 1094 quo interregnum istud terminavit, quorum celeberrimum fuit *Fiadh-mac Æugusianum*, a Murcertacho O'Brian convocatum, anno 1111, ubi Annales Inisfalenses referunt Leges meliores conditas fuisse quam unquam antea in Hibernia. Alii Conventum de *Usneach*, eodem anno habitum, ab isto diversum sentiunt, alii eundem esse arbitrantur, neque alium esse Conventum *Rath-bresallensem* putat Gratianus Lucius p. 83, cum quod eundem Conventum Annales Inisfalenses duobus nominibus afficiant de *Fiadh mac Ængus*, et *Muigh-Bresail*, tum quod vetusti Annales Hibernici duos ab *Usneachense* Concilio Diœceses in Midia constitutas fuisse narrant, et in Rath-Bresallense, non Midiæ solum, sed etiam Hiberniæ totius Diœceses certis limitibus definitas fuisse declarant.

Plurima alia concilia Sæculo 12mo in Hibernia habita Annales produnt, a quibus referendis abstineo.

(2) Anno 1094, elapsis 72 annis a morte Maelsechlanni ii, quibus *Donnchadus* O'Brian, Briani Borromæi filius, et *Tordelbachus* O'Brian ejusdem Briani e Thadæo filio nepos, Momoniam regebant, et *Diarmitius Maelnambo* Lageniam, *Murchertachus O'Brian* et *Domhnaldus Maglochlin*, qui hic a Modudio designantur, quisque se Regem Hiberniæ referebat, spatio *annorum* 25, uti narrat Carmen hoc, et Murcertachus quidem Australi Hiberniæ, *Domhnaldus* vero, qui, procul dubio, legitimus erat, utpote e Regia O'Niallorum stirpe ortus Boreali Hiberniæ eo tempore dominabantur.

Domhnaldus is fuit *Lochluinii O'Nial* ex Ardgaro filio nepos, a quo Mac-Lochlin Patronymice dictus est, atque ita legitimus Hiberniæ Rex, utpote *Maelsechlanni* ii Pronepos.

71.

287 Murcertachus Limericensis navium,
288 Domhnaldus (Arcis) Alichiæ nobilium facinorum,
289 Viginti (et) quinque annis, exceptis diebus, eorum duratio,
290 Sociato Imperio supra dilectam Hiberniam.

72.

291 Murcertachum Momoniensem occidit
292 Morbus ignotus, valde acerbus,
293 Obiit Domhnaldus e peste virulente,
294 Corripuit tristitiaConventionem populorum bonæ Hiberniæ.

73.

295 Septem et quadraginta immaculati (1)
296 E posteris Nialli cum potestate decantata,
297 Dominaverunt, quælibet Generatio eorum, populum,
298 Obtinuerunt Imperium Hiberniæ.

74.

299 Quatuor (2) et novies viginti, vera narro,
300 Numero simul Reges Prosperos,
301 Omnes qui regnaverunt unquam,
302 Supra Hiberniam in supremo dominio.

75.

303 Est Tordelbachus (O'Conor) Turris Fortium,
304 Filius Roderici Cuspidum valde acutorum,
305 Fortificans Munimenta fortia,
306 Vindicans sibi totam Hiberniam. (3)

76.

307 Octo annis et decem Rodericus Rex,
308 Filius Tordelbachi supremi Regis,
309 Rex Hiberniæ sine controversia.
310 Rex ultimus Bonorum Hibernorum. (4)

---

(1) Reges legitimi Hiberniæ Christianæ a *Laogario* inclusive, qui regnare incœpit anno 428, ad *Maelsechlannum* ii defunctum anno 1023, fuere 46, sed Modudius hic includit *Donaldum Mac-Lochlin O'Nial*, qui fuit *legitimus*, et regnavit ab anno 1121, ad 1136,—Boromeum, et *omnes O'Brianos*, ejus Posteros excludit, qui legitimi Reges fuere Momoniæ solius.

(2) Lege sex ut supra pag. 162, not. 7, v. 299.

(3) En procul dubio tempus quo Modudius Carmen hoc Composuit. Omnia Disticha huc usque sunt ipsius Genuina.—Ad regnum pervenit *Tordelbachus O'Conor* anno D. 1136.

(4) Hoc Distichon a quodam recentiore adjunctum indicat Series Chronologica Regum, et Stropha 86, quæ plane narrat Modudium hoc Carmen scripsisse anno 1143, antequam *Rodericus* ad regnum pervenisset.

77.

311 Habuere obitus suos omnibus modis
312 Reguli Hiberniæ facinoribus præclari,
313 Sine splendore in præliis, sine efficacia eorum fama,(fuit,)
314 Id causantibus Supremis Regibus.

78.

315 Destruere nobilem Arcem Eamaniæ,
316 Votum erat quod faciebat omnis ferox Rex,
317 In Alienigenis insequendis nulli præstantiores,
318 Demolitores fuere in præliis inimicorum Hiberniæ.

79.

319 Tigernanus facile Princeps est omnium (Regulorum)
320 O'Ruarc, Rex nunc potentiæ insignis,
321 Magni nominis est cum potestate ingenti,
322 Leopardifer (i. e. Vexillarius) enim est contra Prædones Hiberniæ.(1)

80.

323 Expulsus est supremus Rex Alichiæ, (2)
324 Per nepotem Agilis O'Gormlaigh,
325 Tristis est omnis (Poeta) qui loquitur durante ejus tempore,
326 Fuit Facinus illud prodigiosum in Hibernia.

---

(1) Aldobrandus ait *manum Sanguineam* fuisse Vexillum Hibernorum. At non modo in Modudio, verum etiam in Annalibus Connaciæ, ad ann. 1316, Leopardus, Hibernice *Onchu*, expressis verbis dicitur Vexillum istius Provinciæ "*Fer imorchair na h onchon*," i. e. Vir qui portabat *Vexillum Leopardi*." Utrum id originem habuerit a bello Sacro in Oriente, ubi Hibernorum phalanges Sæculo XI pugnabant, alii inquirant. Certe inter Gentes Celticas vexillorum usum ante Sæculum XI invaluisse, patet non modo ex dictis supra pag. 174, sed etiam ex Diodoro, qui ait—"Gallorum "sive Cellarum tunicas variis coloribus imbutas fuisse, et arma illis esse Scuta *insigni proprio variegata*.—Quidam "æneas *bestiarum imagines*, tam ad defensionem, quam ornatum, affabre factas, præferunt. Æneis præterea Galeis, "cum magnis appendecibus, ad prolixam ostentationem factis, capita muniunt. Nam vel cornua affixa, vel *avium*, "*quadrupedumque* facies, in illis expressas, habent," l. 5. ed. Wesseling 1746, t. 1, p. 353.—En itaque originem ornamentorum, quæ Codices Hibernicos distinguunt, in quibus *avium et quodrapedum* Capita, rostra, et ungues, Literas initiales ubique fere designant. En etiam originem vocis Hibernicæ *Gallo-Glass*, quæ Senecæ *Cæruleos-Scuto-Brigantes* explicat, ut supra pag. 174. Tacitus inquit de Germanis "*Scuta lectissimis Coloribus distinguunt.*" De Mor. Germ. VIII.

(2) Alichia præcipua erat Arx, et Regia O'Niallorum in Tironia, et Rex de quo hæc narrat Modudius erat Murcertachus filius *Nialli O'Lochlin O'Nial*, Donaldi O'Lochlin O'Nial nepos. Annal. IV Mag. ann. 1143, 1145. Donaldus is dicebatur Mac-Lochlin, non proprie sed Patronymice, fuit enim *Lochlinii O'Nial* ex Ardgaro filio nepos, *Maelsechlanni* ii Pronepos, ac proinde legitimus Rex Alichiæ. Obiit anno ætatis 73, Principatus 27, Christi 1121.

81.

327 Expulsus est Murchadus e Midia,
328 Per præpotentiam Alienigenarum,
329 Lugendus est Defensor in tenebris,
330 Frigescunt mæstitia singultus Hibernorum.

82.

331 Abstulit Murcertachus filius Nialli Clari
332 Primus obsides Cassiliensis Ceallachani,
333 Securitatem, propter ferocem potentiam quæ imminebat
334 Donnchado Supremo Regi Hiberniæ.(1)

83.

335 Tempore Amlafi expeditionum exterarum,
336 Nepotis Maolruanagi Regis,
337 Meum Carmen (scriptum est) quod indicat, opinor,
338 Genera obituum Nobilium Hiberniæ.

84.

339 Sex mille anni, non falsa refero,
340 Duo quadraginta trecenti,
341 A Creatione Elementorum, opinor,
342 Ad usque compositum Carmen hoc Regum Hiberniæ.(2)

85.

343 Quatuor anni nonaginta magni
344 Et quingenti, sine nimia numeratione,
345 Sine triste nuncio Regulis, durante suo tempore,
346 Ad obitum usque Maolsechlanni Illustris. (3)

---

(1) Agitur de Murchertacho Mac Loghlin, Nialli filio, Donaldi prædicti Nepote, qui Tordelbacho O'Conor Supremo Regi successit anno 1156, et postea occisus est in prælio de *Letterluin* anno 1166. Tigernachi Continuator fere coævus recte inquit *totius Hiberniæ Regem fuisse legitimum.* Ei successit eo anno *Rodericus*, ultimus Regum Supremorum. Itaque Stropha 76 procul dubio a posteriore manu inserta est. Ipse Modudius inquit, in Stropha ultima, Carmen integrum e *nonaginta* Distichis constare. In exemplaribus autem nunc extantibus sunt *numero* 91.

(2) In versu 339 annos numerat 6342 ad tempus quo Carmen hoc composuit anno C. 1143, ergo annum primum Christi componit cum anno Mundi 5199, et a tempore quo Carmen hoc compositum est, anni fluxere 671, usque ad annum hunc 1814. Stropha hæc similiter extat in Codice XLII, sed ordine depravato, versus enim qui hic est 339 ibi est 283.

(3) Numeri emendendi sunt, Obiit enim *Maelsechlan* anno 1022.

86.

347 Quadraginta supra centum et tres annos,
348 Et mille, juxta omnes Regulas;
349 A nato Deo Bono, Victorioso de Mendaciis,
350 Ad Carmen quod magnificat Excelsos viros.(1)

87.

351 Gildas Christianus O'Mongar Bonus,(2)
352 Noster Venerabilis Episcopus (fuit) Ard-rathensis,
353 Ob obitum Pii Religiosi amabilis,
354 Luctuosum est ejus Desiderium Hiberniæ.

88.

355 Gildæ Modudio Veritatem narranti,
356 Det Deus omnem remissionem,
357 Beneficia qui austeris operibus promisit,
358 Propter numeratos supremos Reges Hiberniæ.

89.

359 Damhinisense (Monasterium) bonum oppidum, et Asylum
360 Contra omnia mala, contra omnes errores,
361 Est mea Insula, Regalis Portio,
362 Est casta Insula Hiberniæ.

90.

363 Ardbrecania meum oppidum celebre,
364 Abbatia Christo integra,
365 Privilegium Colideorum Ecclesiæ,
366 Habitatio Munificentiæ Hiberniæ.

91.

367 Decem Disticha octuaginta, (i. e. 90 disticha,)
368 Distichorum in hoc Regio Carmine,
369 Numero sine redundantia, sine controversia,
370 De obitibus fortium virorum.

---

(1) Scriptum est ergo Carmen hoc anno 1143 ut pluries supra.

(2) Obiit is anno 1138, quinto anno ante compositum Carmen hoc, Annal. IV Magistr.—Obiit nempe eodem anno quo Codex Hibernicus Harleianus IV *Evangeliorum* exaratus est. Prolegom. infra parte ii, p. 143.

Chronologica in hoc Carmine annotanda.

Quæ in hujus Carminis parte posteriore inplicata videntur, conciliari poterunt, si, cum Annalibus Hibernicis facta collatione, hæc, pro certis tamquam limitibus, statuantur.

I. Obiit *Maelsechlanus ii* Rex Hiberniæ anno 1022, Regum Christianorum XLVIII. *legitimorum* XLVI..--" Obiit nempe apud *Cro-inis*, lacus *Andin* Insulam, prope Regiam suam *Dun-na-Sciath*, " anno regni sui 43, 4to Nonas Septembris, die Dominico, Luna 2." (1)

II. Hinc deducendum est initium interregni annorum 72, usque ad annum 1094, quo *Murchertachus O'Brian*, apud Arcem Kencoræ in Momonia, et *Domhnaldus Mac-Lochlin O'Nial*, apud Arcem Alichiæ in Ultonia, regnantes, quisque se Hiberniæ totius Regem referebat, *spatio annorum* 25, uti refert Modudius, i. e. usque ad annum 119, quo Murcertachus obiit.

III. Murcertachus non fuit legitimus Rex, sed tamen filius fuit *Tordelbachi*, filii *Thadæi*, filii *Briani Boromei*, et Pater ejus imperavit uti Supremus, Donaldus enim O'Nial, licet legitimus Regni Hæres fuerit, ad eum invisendum adiit *Kencoram*, et ab eo munera retulit, quod obsequii ab eo Tordelbacho delati argumentum erat, juxta consuetudines Hibernorum.(2) Præterea, tribus vicibus Rex Dublinii ab ipsis Danis renunciatus, expulso inde *Godfredo*, Danorum potentiam contrivit, et Domhnaldum O'Brian, Thadæi filium, Regem Manniæ et Insularum, *omnibus Insularum Proceribus postulantibus*, constituisse narratur. (3)

IV. Defuncto Murcertacho O'Brian anno 1119, (4) *Domhnaldus O'Nial*, Ardgari filius, legitimus Rex ubique prævaluit, consentientibus cum Modudio *O'Duvegano*, Annalibus *Inisfalensibus*, IV *Magistris*, et Thadæo sive Michaele *O'Cleri*, in libro Migrationum.

V. Obiit Domhnaldus anno ætatis 73, Principatus in Hibernia 17, in festo, non *S. Mochoemoci* Lethensis, qui incidit in 3 Id. Martii, sed in festo *Mochuaroci*, nono Februarii, feria 4, ut in Annalibus IV *Magistror.* anno 1121.

VI. Ab anno isto 1121, Interregnum desumendum est annorum XV, quibus nemo supremus Rex fuit, usque ad annum 1136, quo Tordelbachus O'Conor, Rex Connaciæ, ab Eochodio Muighmedonio, Rege totius Hiberniæ, vigesimus tertius, sibi Monarchiam vindicavit. Is *Taltinios* Ludos, a pluribus annis intermissos, instaurans, centum nonaginta navium classe totam Hiberniam subegit, Argentum Cluanmacnoisiæ signari fecit, Clero et Xenodochio Tuamensi agros contulit, et Hospitale ibi posuit anno 1140, Cruces, Scyphos, Calices argenteos, quorum aliqui aureis bracteis

---

(1) Ita Chronicon Scotorum Tigernachi Cluanense, postea subjungens " post *Kalendas proximas Januarias* Eclipsim *Solis* incidisse meridie, et *Lunæ eodem Mense.*" Conveniunt IV Magistri.

(2) Ejusdem dominii argumentum est quod quinque Judæos in Hiberniam appulsos, illi munera deferentes, e *totius Hiberniæ finibus* excedere jussit. Tigernachi Contin. Obiit Cencoræ *pridie Id Jul.* anno ætatis 77, Christi 1086.

(3) Verba sunt Chronici Mannensis.

(4) Annum interitus ejus, Tigernachi Continuator hac nota signavit " Kal. Jan. feria 4, Luna 19." qui characteres simul incidentes congruunt cum anno $11\frac{18}{19}$

obducti erant, Ecclesiæ Cluanensi dono dedit, et moriens auri uncias 65, argenti Marcas 60, vasa aurea, et argentea, gemmas, equos, porcorum greges, organa musica, Instrumenta lusoria, arcum, pharetram, aliaque plurima, *excepto gladio, scuto, et cratere,* Clero Connaciensi legavit. Obiit apud Dunmoram, XIII Kal. Junii anno 1156, in Cluanense Ecclesia sepultus, ætatis anno 68.

His notatis, omnia in prædicto *Modudii* Carmine apprime conveniunt, neque ab ejus auctoritate discedendum puto, nisi ubi numeri annorum, quibus Rex quisque regnavit, Scribarum incuria corrupta leguntur.

Quæ hactenus dicta sunt satis superque indicant, extitisse olim Carmina vetera Hibernica, quorum nonnulla *Druidica* erant, et ante S. Patricii adventum scripta, quæ a Tigernacho *Scotorum Monumenta* appellantur.

Indicant præterea, in hac rerum Hibernicarum investigatione, plurimas, easque arduas, difficultates superandas esse, quæ laborem improbum exigunt, ut vera a falsis, sincera a spuriis secernantur. Quod si in diversis *Coemanni* et *Modudii* exemplaribus, a Sæculo XI exaratis, tot variantes Lectiones occurrunt, et recentiorum interpolationes, perpendat Lector qua fronte Macphersonus, et alii, ficta Oissini Carmina, a 1500 annis incorrupta servata, et *genuina* Oissini Opera esse, ausi sunt jactitare! quasi vero Oissini lingua eadem prorsus fuerit quæ Sæculo XIV invaluit! Ipsa lingua Romana, quæ magna Civium cura incorrupta servabatur, trium Sæculorum spatio ita immutata fuit, ut illam primævam intelligere vix possent recentiores, notantibus Quintiliano, Horatio, et aliis. Cogitet quisque quantum diversa esse oporteat lingua Hibernica Sæculi XIV a lingua Oissini! Vix se mutuo intelligunt hodierni Connaciæ et Lageniæ populi, etsi una eademque lingua Hibernica utantur, tantum in singularum gentium sermone quotidie mutant vicinorum commercia, tantum vetusta vel omnino intereunt, vel adjectis aut decurtatis syllabis, transpositis aut mutatis, intepolantur. Sic ab Attico degeneravit Ionicus, reliqui Græci ab utrisque, Gallica, Hispanica et Italica, a Latina, Momoniensis, Ultoniensis, et Lageniensis a pura Connaciense.—Scoti certe primævi a Celto-Scythis Hispanicis oriundi, Celto-Scythica utebantur, neque alia utebantur, *Basconii Brigantesque* Momonienses quam *Vasconii* et *Brigantes* Iberiæ. Attamen quam longe distent invicem hodie lingua Vasconensis et Hibernica nemo ignorat.

Denique reddenda erit ratio, quis primus Carmina *Oissino* tam audacter adscripta, tradiderit, ubi tamdiu latuerint, et quomodo ad nos tot post Sæculis pervenerint incorrupta.—Ego quidem cum in hanc arenam descenderem, illud mihi imprimis observandum proposui, non ut splendide mendax, famam mihi acquirerem, quæ cito tamquam flos evanescit, sed ut ne latum quidem unguem a veritate abirem.

Restat jam ut Hibernensium Auctorum tempora, Carmina, et Annales, ex Codicibus Stowensibus, Bodleianis, et Cottonianis, propius indicanda accedamus.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

RERUM

QUÆ IN PROLEGOMENIS ET IN DISSERTATIONE PRÆLIMINARE CONTINENTUR,

ELENCHUS.

ELENCHUS.

Ritsonus suam de Gilda sententiam sic prodit, in epistola quam mihi paulo ante obitum inscripsit—" The æra " of the battle of Badon is not ascertained, nor consequently the age of Gildas, nor when he wrote, (nor " who he was.) And as to his computation, from this battle to the arrival of the Saxons, it is so obscurely " expressed, that *Bede* and *Usher* are of different opinions, and even *David Macpherson*, a shrewd man, " who has considered the passage of Gildas, and the opposite construction of Bede and Usher, owns he " can make nothing of it, nor can I who have taken no less pains."—At *Gildæ* istius tempora plane patent ex Annal. Ult. ad ann. 579, et ex Inisfalensibus ad ann. 560.

ELENCHUS.

ELENCHUS.

⁂ Hinc Columbanus, referente Discipulo suo Jona, S. Martini sepulchrum visitavit Turonis, ibique devotus, et grato animo tota nocte vigilavit. Collectanea Sacra p. 234-5.—Hinc SS. *Martini* et *Hilarii* celebritas inter veteres Britannos et Hibernos. Hinc Lex Inæ "Primitiæ seminum ad *celebre Divi Martini* festum redduntor."—Leges Anglo-Saxon. Lond. 1568, fol. 2.

In hujus paginæ xcixnæ linea 27, pro numeris 350 lege 336 vel 346, et confer dicta supra pag. xlviii.

PROLEGOMENA,

PARS II.

IN QUA

DOMESTICORUM ANNALIUM CHRONOLOGICÆ

RATIONES,

CODICES, CARMINA, ET SCRIPTORUM TEMPORA

AD TRUTINAM REVOCANTUR.

" Apud Romanos, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Scævolam Pont. Max. Historia nihil aliud erat " nisi Annalium confectio. Post Scævolam Historia scribi cœpta est a M. Catone, a Fabio Pictore, ab Antistio " Pisone; sed hi veterem similitudinem scribendi secuti, sine ullis ornamentis, monumenta solum temporum, hominum, " locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Primus qui ornate Historiam scriberet, Cœlius Antipater extitit, qui " fuit familiaris L. Crassi Oratoris." Cicero de Orat. l. 2, c. 12.

PROLEGOMENA.

I.

Descriptio Codicis Chandosensis Annalium Inisfalensium in Bibliotheca Bodleiana, Rawlinson No. 503

CODEX hic membranaceus, in 4to mediocri, folia continet 57, quorum prima octo, temporis invidia, ita deturpata, et detrita sunt, ut quamvis pauca, hinc inde legantur, ex veteri Testamento excerpta, quæ Historiam sanctam, et universalem respiciunt, vix tamen cujusvis columnæ dimidium, quod sensum integrum referat, improbo labore eruatur. In primo folio, paucæ admodum sententiæ mutilæ, et hiantes, quæ Abrahami gesta respiciunt, plane indicant, aliud folium, vel forsitan plura, præcessisse, quæ mundi creationem, et Adami lapsum, et Diluvium, ac humani generis dispersionem breviter, et ordine chronologico, secundum veritatem Hebraicam, enarrabant.—Sequuntur gesta Patriarcharum, et Judicum, et compendium historiæ universalis, æque mutilum, usque ad tempora S. Patricii, foliis octo, pariter excsis, et dilaniatis.—A folio 9 ad 36, omnia, recto ordine, absque hiatu, sequuntur; inde autem desunt anni a 1130 ad 1160.—A folio 36 sequuntur, absque hiatu, tria, usque ad Codicis folium 39 inclusive, sed deinde deest folium unum, ab anno qui in margine, et recentiore manu, designatur ciphris Arabicis 1188. In proximo folio sequitur annus, similiter in margine designatus ciphris 1190. Folium hoc est Codicis quadragesimum, in cujus tertia columna, extant quædam, characteribus Oghamiis scripta, ad annum 1193. Hi characteres non recurrunt in nostris codicibus, nec in ullo alio inveniuntur, quod sciam, præterquam in vetusto Codice Membranaceo, olim J. Waræi, qui in Musæo Britannico adservatur, de quo quædam collegi in Opere cui titulus "*Bibliotheca Hibernico-Cottoniana*," MS. in Bibl. Stowense. De vocis *Ogham* origine, et etymologia, et de istarum literarum usu, ac antiquitate in Hibernia, quæ certa sunt, ac authentica, studiis partium sepositis, in *Dissertatione Prœliminari* explicavi.

Quæ sequuntur folia recto ordine succedunt, usque ad Codicis folium 44, et ad ann. 1215, quo anno, *primam* horum Annalium partem exaratam fuisse, ex sequentibus apparebit.

Binæ sunt in quavis pagina columnæ, a folio primo, ad undecimum. Proxima folia 25, tribus columnis divisa sunt; reliqua, usque ad codicis finem, duobus tantum columnis, eodem modo quo prima undecim divisa, distinguuntur.—Characteres sunt Hibernici; formæ rotundæ, nitidi, imo elegantes, et uniformes, unius nempe amanuensis, ab initio usque ad annum 1215; inde vero sunt rudiores, et barbari; alio atramento, diversa manu conscripti, et alia, ac deteriore pergamena.

Literæ initiales rubro ornantur ab initio usque ad annum 1215; at deinde nulla est, vel minima, cujusvis literæ elegantia, nullum ornamenti studium, nulla atramenti pulchritudo, usque ad finem *secundæ partis*, folium nempe 57, et annum 1319.——Lingua partim Hibernica est,

partim Latina. Quæ Hibernicam historiam respiciunt, Hibernice, quæ vero externam, Latine, scripta leguntur; ita tamen utroque sermone permixta, ut sæpe, non solum sub eodem anno, sed etiam in eadem linea, alternas phrases, nunc Latine, nunc Hibernice, exhibeant. Hinc, fidei meæ liberandæ causa, quæ Latina sunt, suis propriis terminis, et barbara etiam orthographia, et quæ Hibernica sunt, suis pariter terminis, et orthographia, charactere tamen distincto Italico, et cum versione Latina intra parenthesim, antiquitati consulens, fideliter exhibere curavi; unde fit, ut, demptis vetustis scribendi compendiis, et charactere Hibernico, in cæteris omnibus, textus a me editus, specimen Codicis *Chandosensis* accurate servare dicendus sit. Illud nempe, Illustrissimo, et Nobilissimo Viro, Georgio, Marchioni de Buckingham, sub cujus auspiciis, et cujus impensis Annales Hibernorum a me, ex vetustis Codicibus, descripti fuere, plane debebatur, ut fideliter, et religiose, veritati consulerem, nec in minimo a Codicum methodo, vel etiam a defectibus, discedendum esse censerem. Quasdam emendationes in textum introducere potuissem; non enim desunt doctissimi viri, qui id, in aliarum gentium chronicis edendis, effecere; hanc tamen licentiam mihimet penitus denegare decrevi. Hinc, Latinitatis barbaræ orthographiam, cujus vitia a sermonis Hibernici indole derivanda sunt, ut *scribsit* pro scripsit, quies *Colmain*, *Brendain*, &c. pro quies *Colmani*, *Brendani*, et alia similia, retinui; ex quibus constat, amanuenses Hibernos, ad vulgi pronunciationem, latinæ linguæ orthographiam accomodasse, et istam pronunciationem non fuisse vel Italicam, vel Anglicam, vel Gallicam, sed Hibernis propriam, et ab ipsius Linguæ Hibernicæ mollitie, et indole derivatam.—Non abs re esse existimo aminadvertere, nullum omnino extare in hoc Codice *Chandosense* characterem, eorum qui Arabici dicuntur. Quod si quis dixerit characterem 7 sæpius recurrere, notandum est non esse characterem Arabicum, nec in ullo Codice Hibernico unquam usurpatum fuisse pro numerali, vel ciphra Arithmetica, sed tantum pro abbreviatura syllabæ *et*.—Dixi non esse characterem Arabicum, sed nuperæ tantum inventionis, antiquus enim numeralis, vel ciphra Arabica, numeri *septimi*, non est 7, sed Λ, ut in Codice Hibernico Bodleiano Annalium Ultoniensium, Rawlinsen 489, ubi passim invenitur, et ubi abbreviatio 7 semper usurpatur pro syllaba *et*, idque non solum in monosyllaba, verum etiam in medio, et in fine vocis, ut *r7in7* pro retinet, nec ullo unquam tempore quod sciam, abbreviatio ista 7, ab Hibernis, pro ciphra, vel numerali, usurpata invenitur ante sæculum xvi, quo, primo, eam invenire contigit, in scriptis Episcoporum Hibernensium istius ævi, in Musæo Britannico.

Aliud notandum restat, literam *u* nunquam in hoc codice forma angulari v, vel in consonantibus, vel in vocalibus describi; nec unquam duplicari ut w, etsi forma hæc duplex, communiter in codicibus Anglicis, a sæculo xii prævaluerit; (1) neque in nostris Codicibus Hibernicis inveniri possunt literæ *y*, vel *q*, vel *x*, vel *z*, vel *k*, majusculæ, vel minusculæ, nisi in exprimendis vocibus Latinis; in Hibernicis enim, loco literæ *x*, utuntur *gs*, ut *Sagsan* pro Saxonus, loco literæ *y*, utuntur *i*. et *ei*, loco literæ *z* utuntur *ts*, loco literarum *q* et *k*, utuntur *c*. Uno verbo, in Codicibus Hibernicis, stricte, et Hibernice loquendo, non extant plusquam literæ 18, quarum numerum, ordinem, et nomina, prout extant in Codice Lecano, folio 158—169, exhibet Flaherteus, pag. 235, et ex Grammatica Hibernica O'Molloyi, edita Romæ, aliaque Hibernica, edita Lovanii anno 1666, exhibet

(1) Vide Diplomata edita in *Hickesii* Thesauro, *Rymeri* Fœdera, et Diplomata Anglosaxonica in Bibl. *Stowense*

Llhwydius, in Archæologia, Oxonii 1707, pag. 299. Interpunctiones Codicis Chandosensis quod attinet, non habetur in toto Codice vel comma, vel cæsum, quod incidat cola, et periodos, vel colon, vel semicolon. In nostris Codicibus, ante sæculum 15 scriptis, hæ distinctiones, prorsus desiderantur; eæque omnes quas Waræus, Epistolis S. Patricii a se editis, adjecit, sunt additamenta sua, ad Codicis intelligentiam apposita, quæ nusquam in Codice Cottoniano, e quo istas Epistolas edidit, inveniuntur; nec alio discrimine sententiæ in Codicibus Hibernicis, quam solo punctulo solent indigitari, idque ad imum, non vero in summo, vel in medio, literæ finalis sententiæ cui apponitur.—Litera H utuntur Hiberni, sed non ut Latini; eam enim, non ut literæ potestatem habentem, tenent, sed ut notam aspirationis, graviter afficientem, et quasi destruentem literam consonantem, quæ immediate præcedit, vel immediate subsequitur. In nullo vocabulario Hibernico inveniuntur voces ab ista litera incipientes, ut in Latinis, Græcis, et Britannicis. Ut plurimum ab amanuensibus, qui brevitati consulunt, hæc litera instar puncti notatur, supra literam quam afficit, vel nota, in summo ducta, instar literæ *r*, et nonnunquam ad similitudinem dimidii literæ H, sic I-, ut in Codice Hibernico IV Evangeliorum, extante in bibliotheca Harleiana, quem anno 1138 exaratum fuisse, pluribus argumentis, in *Dissertatione Præliminari*, perspicue, et invicte demonstravi. Etsi autem litera *h*, in nullo vocabulario, vel Codice Hibernico, inveniatur scripta ut initialis, interdum tamen, vocibus a vocali incipientibus præfigitur, non quidem per modum literæ, ut apud nonnullos, sed ad indicandum genus, ad quod vox ista refertur, et ad determinandam, spiritu aspero, pronunciationem peculiarem, qua genus istud audientibus plane innotescat, vocalem, a quo vox incipit, vegetiore sono efferendum esse demonstrans. Sic vox *inghean* filiam significat, indifferenter respectu ad patrem, et matrem, sed si litera *h* præfigitur, indicat ad matrem referri oportere, ut *a h'inghean* matris filia, *a inghean* Patris filia. Vox *aidh* faciem exprimit, in genere, sed *a h'aidh* feminæ faciem, *a aidh* viri.—Consonantibus quos afficit non præfigitur, sed eos subsequitur, et a propria potestate ad alienam traducit. Si fuerit litera *r* in fine dictionis, et *dh* in initio subsequentis, tum literæ *dh* omittuntur in pronunciatione, sic *muintir Dhalaigh*, familia O'Daly, effertur *muintir Ralaigh*, substituta litera *r* pro omissis *dh*.—Hinc perspiciet Lector, me pluribus de causis, voces omnes sive Hibernicas, sive Latinas, prout extant in Codicibus, religiose descripsisse. Hibernica enim orthographia, plura observanda suggerit, de more quo Majores nostri, pro suarum literarum potestate, a Latinis abhorrente, voces ipsas Latinas efferebant, eodem modo quo Copti, Latine scribentes, vel Græce, plurima vitia a pronunciatione Egyptiaca derivata, in Codicibus scribendis, admiserunt, prout in Codicis Alexandrini descriptione notavit doctissimus *Woide*. —Litera *i* in hoc codice, nusquam extat cum puncto superposito, sed utplurimum, accentu acuto designatur; aliquando autem nullo accentu, ita ut non raro difficile sit distinguere, utrum literæ sint *ui* vel *iu*, cum hæ literæ, vitiosa transpositione, sæpe commutentur, et sæpe disjungantur ubi erant conjungendæ.—Nullibi legitur *æ* dipthongus, nisi seperatim, ut *ae*. De abbreviationibus, quæ sunt innumeræ, ne sim nimium prolixus, omnino tacendum esse existimo.

Præter rationes hactenus allatas, alia etiam de causa, fidelitatem integerrimam adhibendam duxi; nempe quia, in disciplinis, quæ necdum penitus illustratæ sunt, ex assertionibus incautis, alii, quibus explorata non est earum cognitio, facile in errorem inducuntur. Hinc, in affirmando circumspectus, in negando tardus esse studui, ne quod a me verbum excideret, in notis, quo quisquam offenderetur; satius reputans, quæ vera sunt mollius dicere, quam, vehementius, et si quando

ab hac lege me aberrasse contigerit, id mihi quæso Lector ignoscat, non enim sinunt mores, aut conditio mea, ut in erroribus refellendis, plura afferam quam quæ veritas postulat, et ipsa ratio suscepti argumenti præscribit, in quo potius claram, et perspicuam brevitatem, quam inutiles verborum ambages, adhibendam esse, libere, et libenter concedo.

His præmissis, restat ut ad ipsam Chronici nostri partem Historicam propius accedam, ut quæ in octo primis foliis describi nequeunt, quadam possint saltem conjectura divinari.

II.

Excerpta ex primis octo Foliis exesis Annalium Inisfalensium.

Fol. 1, Columna 1. Ab Adam ergo usque ad Isac, ii. xlviii, secundum Hebraicam veritatem.

Fol. 1, Col. 3. Ossa Joseph in Sichem sepulta sunt.......... Hoc tempore, *ro gabsat Firbolg.* [Firbolgii, i. e. Belgæ Hiberniam subegerunt.]

Fol. 1, Col. 4. Natus est Moyses—(postea annis nonnullis interjectis).—Hoc tempore, *ro gabsat Tuatha den for Er.* [Dadani Hiberniam subegerunt.] Moyses sepultus est in Moab, quod est in Arabia, in monte Fasga.. *Meicc Miled do gabail h. Erenn.* [Filii Milesii Hiberniam subegerunt.]

* [Folia sequentia, usque ad quartum, quatuor mundi ætates respiciunt.]

Fol. 4. Ebreorum captivitas in Babilone lxx annis. Inter captivitatem Samarie, que fuit in Ninivem, 7 captivitatem Hierusalem, que fuit in Babilonem, anni cxliiii. Finit quarta etas mundi. *O thosuch na flatha, co doire na cathrach, secht moga teora bliadhna* ccc *camathbach.* *O Adam co doire na cathrach adrimme, teora bliadhna* lx, *tri* c. *teora mile.* [Ab initio Regum, ad captivitatem civitatum, lxxiii anni, et ccc, inequaliter divisi.—Ab Adamo ad captivitatem prædictam, lxiii anni, ccc, et ter mille.]

Quinta aetas mundi continet annos DLXXXIX. Incipit V. etas. (1)

Fol. 5, Col. 1. Quinta aetas mundi ab exterminione populi, vel Regni Judaici, que, juxta Heremiam, lxx annos permansit.—Hoc tempore ignis sub altare sublatus, 7 in...... absconditus. Ignis hic, post lxx annos, vivit, in aqua inventus.

Fol. 5, Col 4. Pulsis ab urbe Regibus, qui imperaverunt annis ccxlii, vix usque ad xv lapidem Roma tenebat Imperium. Romae, post expulsos Reges ab urbe, primum Consules a Bruto esse ceperunt. Deinde Tribuni plebis, ac Dictatores, rursum Consules tempus obtinuerunt, per annos fere cccc lxiiii, usque ad Julium Cesarem, qui primus singulare arripuit Imperium, Olimpiade clxxxiii.

Fol. 6, Col. 2. Hic incipit regnum Grecorum.

---

(1) Vide quæ de his ætatibus habentur infra, in *Prolegomenis*, No. IV.

Fol. 7, Col. 1. Incipit sexta aetas mundi.—*Madoloscad tempuil co gein Cr. iarsetaib, ochtmoga noe mbliana achisar coic cetaib can da blinain coicat. O chruthad in domain noe cet teora mile co gein Cr. i colaind.* [Ab incenso Templo, ad nativitatem Christi, secundum lxx Interpretes, octuaginta novem anni, et quingenti—A creato Mundo, nonginti, et ter mille, supra quinquaginta duo (3952) ad nativitatem Christi in carne.]

Incipit Sexta aetas mundi.—Sexta aetas mundi nulla generatione, vel serie temporum certa, sed aetas decrepita, ipsa tocius saecli morte consumanda—*Cetna bliadain tosaig ogthatchoir is hi sein bliadhain oir o genair Cr. ·i· bliadhan in tanaise ind noidcedai.* [Primus annus incipiens novam numerationem, est annus a nativitate Christi, i.e. annus Tanasticus, circuli decennovenalis.] —Ab initio mundi V.C.XC anno, juxta lxx Interpretes, secundum vero Ebreicam veritatem III.DCCCCLII.—Ab urbe vero condita, anno DCCLII.

Fol. 8, Col. 3. Patricius Eps natus est.—(Annus quo S. Patricius natus est, designatur in margine, characteribus Arabicis 338, manu autem longe recentiore, et erronee; nam S. Patricium natum esse anno 372, constat ex annis vitæ, et obitus; ut accurate notavit *Usserius*, in Indice Chronologico p. 1087, et in Primordiis p. 822, et *Florentius Wigorn.* Francofurti 1601, p. 534.)

Folio 9. Nunc finit h. parva prescriptio a principio mundi undecumque collecta, i.e. sine exemplari prius.—Nunc de Regibus Hiberniæ ex tempore Patricii incipit (1)—*Loegare mac Neill* regnavit annis xxvii. *Ailill molt. mac Nathi*, regnavit annis xix.—*Lugad mac Loegare*, reg. annis xx. *Muircertach mac Erca* reg. annis xxv.—*Tuathal Moelgarb* reg. annis xiv.—*Diarmait mac Cerbaill* reg. annis xix.—*Fergus, et Domhnaill, da macc meic Erca*, [duo filii filii Erci] annis duobus simul regnaverunt; sed *Domhnall* mortuus est post bellum *Gabra Liphi*, in fine VI mensium. *Anmcre macc Setnai* in vicem *Domhnaill*, qui regnavit annis tribus.—*Boctan macc Muirchertaich, 7 Eochu find mac Domhnaill, meicc Muirchertaich*, regnaverunt annis iv.——*Aed mac Ainmirech*, reg. annis xxix.—*Colman Rimed*, et *Aed Slane*, ix annis *hi comflaith*, [ix annis simul regnaverunt.]—*Aed Allain adronaisc boroma Laigen*, [Aed Allan, qui adstrinxit ad boum tributum Lagenienses,] reg. annis vii.—*Maelcoba mac Aeda*, reg. annis duobus—*Suibne mend*, reg. annis xiv.—*Domhnall mac Aeda* reg. annis xi.—*Conall cael, 7 Cellach, da macc Mailchoba*, [duo filii Maelcobæ] regnaverunt annis ....*Diarmait, 7 Blaithmacc*, regnaverunt annis ix.—*Sechnassach macc Blaithmeicc*, annis quinque regnavit.—*Cinfaelad macc Blaithmeicc* annis....iv.—*Finnachta fledach mac Duncada, is he ro maithe Boroma Laigen do Moling Luachra ar duain do Moling do, aris remes da* xx.....*iccad ·i· o tha Thuathail teachtmoir co Finnechta. Cumala da ingen....in scin rosmarbh Eoch. macc...... re Laigen tria bais..boroma, ·i· tricoecait cet bo, 7 tricoecait cet torc, 7 tricoecait cet lend....aedib. sein in a bliadain beos in sa la......hic thaineis. In Finnachta scin* reg. annis x.—[Finnachta *fledach*, i.e. convivator, filius Dunchadi, qui condonavit boum tributum impositum Lageniensibus, Molingo Luachrio impensius roganti, postquam hanc mulctam xl regibus solvere cogerentur, a tempore regis Tuathalii acceptissimi usque ad Finnachtam. Mulcta ista imposita erat ob filias duas..........interemptas a Lageniæ Rege Eochadio filio..................Census autem iste constabat e 3100 bobus, 3100 suibus, 3100 vitulis,.......... ....

(1) De hujus Catalogi vetustate vide infra, *Prolegomena* No. V.

...................................Regnavit hic Finnachta annis x.]—*Loingsech mac Oengusa* regnavit annis ix.—*Fogartach* regnavit anno uno.—*Congal mac Fergusa* regnavit annis vii—*Fergal mac Mailcduin* xii annis regnavit.—*Fogartach hua Cernaich* annis ii regnavit.—*Cinaed hua Conaing, mac Irgalaig*, regnavit annis duobus.—*Flaithbertach mac Loingsich* regnavit anno uno.—*Aed Allain, mac Fergaile*, regnavit annis ix.—*Donall mac Muirchertaich* regnavit annis xx.—*Niall frossach, mac Fergailc*, regnavit annis xv.—*Donnchad mac Domhnaill*, regnavit annis xx.—*Aed mac Neill*, annis regnavit xxii.—*Conchobar mac Dondchada* regnavit annis xiv.—*Niall, mac Aeda* regnavit annis xiii.—*Maelsechnaill mac Maelruanaid* regnavit annis xv.—*Aed mac Neill* regnavit annis xvii.—*Fland mac Mailsechnaill* regnavit annis xxxvi.—*Nial mac Aeda* regnavit annis iii. *Donnchad* regnavit annis xxv.—*Ruadhri, 7 Congalach* regnaverunt xii inter se.—*Brian mac Cennetich* regnavit annis xv.—*Maelsechnaill mac Domhnaill* regnavit annis ix.——Finit......................
Incipit initium Regni *Legare*.

III.

Rationes Chronologicæ de his Excerptis observandæ.

Si materiæ amplitudini obsequi liceret, possem, in his Excerptis explicandis, non sine fructu exspatiari. Sed res postulat, ut ad ipsos Annales, ubi res Hibernicæ ordine enarrari incipiunt, progrediar; ac proinde, quæ subjicienda sunt, quam brevissime potero absolvam.

Imprimis itaque, id diligenter notandum duxi, hos Annales, anni initium, ubique, a mense Januario auspicari, non ut vetera quædam Martyrologia, Usuardi, Adonis, et aliorum; nec ut Kalendaria vetustiora, quæ a vigilia Nativitatis anni initium deduxerunt, sed ut vetus Rosweidi Martyrologium, quod incipit ab ipsis Kalendis Januariis, uti et metrica Bedæ, et Wandalberti, et prosaica Rabani, et Notkeri.

Unde morem hunc hauserint Hiberni, alibi inquirendum erit. Impræsentiarum indicasse sufficiat, Ethnicos Hibernos, annum, in quatuor *Rathas*, absque ulla ad mensem Januarii relatione, assuevisse discriminare, nec unam quidem ex istis *Rathis*, nec ante, nec post S. Patricii tempora, a Kalendis Januariis, ullo unquam ævo fuisse deductam.

Neque ab Anglis, morem istum, derivasse dicendi sunt; veteres enim Angli anni initium auspicabantur a Nativitate Domini, uti Beda distincte testatur.(1) Du Cangius ex Beda inquit, veteres Anglos, menses suos juxtà Lunæ cursum computasse, annumque auspicatos ab viii *Kal. Jan.* die quo Natale Domini celebratur. Hoc testantur etiam, ea Regum Anglosaxonum Diplomata, apud Ingulfum, et in Monastico Anglicano, quæ annos incarnationis præferunt, quos non a Kalendis Januariis, sed a *Natali Christi* orsos esse, satis declarat Charta Edwardi Confessoris in eodem Monastico, (2) quæ clauditur his verbis—" Acta apud Westmonasterium, V *Kal. Jan. die SS.* " *Innocentium, anno Dominicæ Incarnationis* M.LXVI. *Indictione* III." Hic annus 1066, die 28

(1) Bed. de Rat. Temp. c. 15. (2) Monast. Angl. t. 1, pag. 62.

Decembris, secundum nostram annos ineundi rationem, esset tantum 1065, sed quia, apud Anglos istius ævi, annus initium a Natali ducebat, fuit 1066.—Idem mos, servatus est in Anglia a Normannis, regnante Gulielmo I, uti patet ex variis Chartis in eodem Monastico tom. 1, pag. 43, 53, imo, usque ad sæculum xii, testante Gervasio.(1)

Si autem ad Hibernos ejusdem ævi oculos convertamus, anni initium, apud Tigernachum, et alios, tam in fragmentis metricis, quam in his Annalibus, a *Kal. Jan.* deductum, nec una quidem in contrarium exceptione ullibi extante, inveniemus.—Quod si a Gallis morem hunc Hibernos hausisse dicamus, insurgent ipsi Galli, contrarium asserentes; non enim a Kalendis Januariis, sed vel ab Annunciatione Dominica, die xxv Martii, vel ab ipso die Paschatis, si cum mense Martio, *primo Gallorum mense,* concurrebat, annum Incarnationis, ob reverentiam festi Paschalis, auspicabantur, ita ut novus annus, vel a Paschali Dominica, vel *ab* viii *Kal. Aprilis,* (i. e. a die xxv Martii) quo Christus conceptus fuisse creditur, in cereo Paschali inscriberetur. (2)—Hinc, cum Pascha sit mobile, mobile etiam erat anni initium apud Gallos; in Hibernia autem nunquam, quod sciam, aliter quam ab ipsis Kalendis Januariis, anni initium deductum fuit. Inde annum inchoatum fuisse, saltem a sæculo viii, omnia quæ manent fragmenta metrica, omnia vestigia Monachorum, omnia Chronica demonstrant.—In omnibus Annalibus Hibernicis, annus ubique designatur charactere K, frequenter absque ullo alio charactere, ita ut annus æræ communis non aliter possit designari, quam omnes istos characteres numerando retrogade, donec demum ad unum quemdam perveniatur, qui alios habeat characteres secum sociatos, ex quorum concursu, annus æræ communis possit procul dubio definiri, neque enim ex charactere K solo, aliud intelligitur, quam quod novus annus incipiat, idque a Kalendis Jan. Si duo, tres, aut plures anni designandi sunt, tum duo, tres, aut plures characteres K, in ipso Annalium textu, absque majori, quam inter reliquas literas, spatio interposito, describuntur. Aliquoties litera *J*, vel syllaba *Jan.* pro Januarii, characteri K superadditur, et nonnunquam feria concurrens. Ita in *Tigernachi* Annalibus " K. Jan. fer " iv, *Con-ced-cath,* die xx Octob. feria iii, occidit. [Die 1 Januarii in diem Mercurii incidente, " Rex Con, centum præliorum Heros cognominatus, occubuit die 20 Octobris, die Martis."] Concursus iste feriæ iv ad Kalendas Januarias, et feriæ iii ad diem 20 Octobris, non nisi semel in unoquoque Cyclo Solari, annorum 28, occurrere potest; sed cui Cyclo Solari tribuendus sit, utrum primo, secundo, vel tertio, non exprimitur in Annalibus, idque aliunde, ex contextu ipso, hac methodo eruendum est. Paulo ante Regis *Conni* obitum, *Tigernachus* plura enarrat de Commodo Imperatore Romanorum, quem *Conni* synchronum describit. Atqui, aliunde scimus, Commodum regnasse ab anno Christi 180 ad annum 192, quo obiit, pridie Kalendas Januarii, anno regni exacto 12mo, superque mensibus novem, ac diebus 14, testantibus Xiphilino, Capitolino, Herodiano, et

(1) *Gervasii Dorobernensis* verba notanda sunt " Inter ipsos etiam Chronicæ Scriptores, nonnulla dissentio est; nam " cum omnium unica, et præcipua sit intentio, annos Domini, eorumque continentias, supputatione veraci enarrare, " ipsos Domini annos. diversis modis, et terminis, numerant. Sicque in Ecclesiam Dei multam mendaciorum confusionem inducunt. Quidam enim annos Domini incipiunt computare ab *Annunciatione*; alii a *Nativitate*; quidam a " *Circumcisione*; quidam vero a *Passione*. Cui ergo istorum magis credendum est?..........Hac, ut æstimo, ratione, " inducti sunt omnes fere, qui ante me hujusmodi Chronicas scripserunt, ut *a Natali Dni,* subsequentis anni sumerent " initium. *Prædecessores sequi cupio,* et annos *a Natali Dni.* incipio." *Gerv. Dorob.* inter X. Scriptores, pag. 1337.

(2) Confer *Mabillonii* Opus De Arte Diplomatica cum *Du Cangii* Glossario, et *Hickesii* Thesauro.

Lampridio, apud Petavium, Pagium, Labeum, et saniores chronographos, usque ad Gibbonum.—Ergo, in Tigernachi contextu, agitur de anno quodam, inter annos 180, et 192, ac proinde notæ Chronicæ prædictæ vel omnino falsæ sunt, vel conveniunt anno 184, Cyclo Solis xxv, Lunæ xiv, Literis Dominicalibus ED, Indictione vii, quo Kalendæ Januariæ, ex methodo vetusta ante Kalendarium Gregorianum, in feriam iv inciderunt. (1)—Obitus S. Ibari, nulla alia nota Chronica designatur a Tigernacho, quam "K. K. K. K. K. K. K. S. Ibarus obiit ix Kal. Maii,"(2) annus tamen æræ communis certissime invenitur, numerando retrogade characteres K, donec demum ad quemdam perveniatur, cui feria, dies Lunæ, et annus Cycli, vel Incarnationis apponitur ; et cum S. Patricii obitus ad eodem designetur characteribus " *Kal. Jan. fer.* vi, xvi *Kal. April. fer.* iv," quæ notæ plane indicant annum Incarnationis ccccxciii, sequitur S. Ibarum, cujus obitus ad septimum abinde characterem K memoratur, obiisse anno 500, septimo post obitum S. Patricii.

Ex hac retrogrado numerandi methodo, ficti *Ossiani* somnia rejicienda detego. Synchronos enim faciunt *S. Patricium*, *Ossianum*, *Oscarum*, et *Cucullinum*, quod ab Historica fide alienum est. Tigernachus enim obitum *Concullani* refert ad annum secundum æræ communis, [Codex Bodl. fol. 3, col. 4, Rawlinson No. 488, collatus cum Codice Rawlinson No. 502,] et hic Concullanus est idem *Cucullin*, quem Macphersonus fabulantem introducit cum *Finno mac Cumhail*, (quem, falso nomine, *Fingal* appellat,) qui floruit sæculo iii ; cum *S. Patricio*, qui obiit exeunte sæculo v ; cum *Oissino*, quem *Ossianum* appellat, et S. Patricii coævum, quamvis sæculo iii floruerit; et cum *Lochlanis*, seu Danis, bella gerentem describit, qui tamen in Hibernia ignoti fuere usque ad sæculum ix !—Pudet in talibus ineptiis refellendis immorari.—Parcat tamen benevolus Lector, dum, a severioribus hujus Introductionis Historicæ legibus, paulisper declinans, Tigernachi textum, ex Codice Bodleiano, cum his *Excerptis* concordantem, adduco, non quo fictum Ossianum refellam, sed quo Regula, ad notas Chronicas horum annalium explicandas, allata, majori luce illucescat.

Tigernachus itaque, numeratis Regibus *Eamaniæ*, i. e. Arcis Regiæ Regum Ultoniensium, qui a *Kimboatho* floruerunt usque ad *Concubarum* filium Nessæ, et narrata morte Cleopatræ, quæ evenit ante Christum anno 27, inter alia de regno "*Conaire moir, mc Eterscoil,*" [Conarii magni, filii Eterscoolii,] Regis Hiberniæ, inquit " *Randta Erin hi coic randaib, iar c. orgain Bruidne-da-dergga, for* " *Conaire mor mac Eterscoil, ·i· Concubur mac Nessa, 7 Coirpre Niafer, 7 Tigernac Tedbannac, 7* " *Dedadh mac sin, 7 Aill. mac Niadhach, 7 Medhbh Cruachan a Condachta*—K. *Genemain Concul-* " *lain herois.*—K K K K K K *Virgilius Maro in Brindisi*, lii *etatis sue anno, mortuus est, cujus ossa* " *in Neapolim transvecta sunt, hoc epitaphio, quod ipse ante mortem suam dictaverat, tumulo ejus* " *superposito*, '*Mantua me genuit*,' &c. quæ verba sic ad literam interpretor,—[Divisa est Hibernia " in quinque partes, post primam devastationem Arcis *Bruidne-da-dergga*, contra (Regem) Conarium

(1) Erratitaque Flaherteus, qui, in Ogygia pag. 145, *Conni* obitum refert ad annum 212, quia *Tigernachus* eum obiisse narrat " *die Martis* xx *Octobris.*" Quasi vero non aliter quam eo anno, concursus iste posset evenire !—De *Tigernachi* mente nullus est ambigendi locus, præsertim cum Commodi Imperatoris obitum referat, *post obitum Conni centum Præliorum*, ad annum Mundi IIII.C.XLIII. Codex Bodl. fol. 5, col. 3. Christum enim anno Mundi 3951 natum esse declarat; ergo, ex Tigernachi mente cum veritate Hebraica consentiente, annus Mundi 4143, quo Commodus obiit, erat annus Christi 192, quod cum melioris notæ Chronographis, Petavio, Scaligero, et Usserio, mire concordat. Confer *Prolegomena* infra, No. IV.

(2) Hæc verba descripta sunt ex Codice Flahertano, de quo vide *Journal des Scavans*, t. 6, ann. 1764. Mois Octob. pag. 851, et t. 4, ann. 1764, p. 64. Numeri mendosi sunt in Codice Bodleiano 488.

"magnum, filium Ederscolii, nempe inter Concubarum filium Nessæ, et Carbreum Niafer, et
"Tigernachum Tedbannac, et Dedadhum filium ejus, et Alillum filium Niadhachi, et Medhbham
"Reginam Cruachaniæ (i.e. Arcis Regalis) Connaciæ.—Anno sequente nativitas *Concullani* herois.
"Abinde anno sexto, obiit Virgilius Maro Brundusii, anno ætatis 52," &c.] (1)

Jam vero si hæc ad æram communem reducere studeamus, methodus supra statuta, cardines indicat Chronologicos, non solum quibus Concullani tempora, sed quibus totius narrationis series certissime definiatur. Consentiunt enim omnes docti, *Virgilium*, Sentio Saturnino et Lucretio Cinna Consulibus, anno mundi 3965, ante Christum 19, obiisse, anno ætatis 52. Natus est enim uti recte demonstrat Donatus in Vita Virgilii, anno U. C. 684, Pompeio et Crasso Consulibus, ante Christum 70, anno mundi 3914. Atqui, si characteres K retro numerentur a morte Virgilii, inveniemus octo interesse, usque ad divisionem Hiberniæ in quinque partes, post excidium Arcis *Bruidne da derg*, regnante *Conario* I Rege Hiberniæ, anno ante natum Christum 27, qui annus plane concurrit cum anno mortis Cleopatræ, ultimæ Reginæ Ægyptiorum. Sequitur ergo Concullanum natum esse anno ante Christum natum 26, cum septem characteres K præcedant obitum Virgilii, usque ad nativitatem Concullani.

Hæc omnia, ex sequenti ejusdem Tigernachi contextu, confirmantur.

"Incipit sexta mundi etas, ab incarnatione Xpi usque ad diem Judicii.
"Beda *boat* sequentia habet.—Sexta mundi etas nulla generatione vel serie temporum certa est, sed
"ut etas decrepita, ipsa totius seculi morte consummanda. *Cetna bliadhan tossaich oig tathcair is*
"*hi sein in bliadhan ria gen Cr. Bliand tanaisse hi denoidcedu, hi ro genair.* III.DCCCCLII. K. Ab
"initio mundi U.CXC. juxta lxx Interpr. Secundum vero Hebr. veritatem, III.DCCCCLII.——
"Ab Urbe vero condita anno DCCLII, anno quoque Imperii Cesaris Augusti xlii, anno secundo
"decennovenale, 7 vii feria, Jesus filius Dei, sextam mundi etatem, suo adventu consecravit.
"Kl. Mors *Concullaind* fortissimi Herois Scotor. *la Lugaid mac natricon, ·i· ri Muman, 7 la h'Erc*
"*mac Coirpri Niadfir,* 7 *la tri mac Cu Calattin de Connachtaib.* vii *mbl. a acs in tan ro gab gaisced,*
"xvii *mbliadhan a acs in tan mboi in degaid Tana bo Cuailgne.* xxvii *bl. a acs in tan atbat.* K. ii.
"K. iii. K. v. K. vi. *Anno Imperii Augusti* xlvii, *Herodes moritur.*"

Quæ in his Latine scripta sunt omissis, Hibernica sic ad literam interpretantur. ["Primus annus "incipiens a nova numeratione decennovenale, est annus qui præcedit annum nativitatis Christi. "Annus autem *tanasticus* (i.e. secundus) Cycli decennovennalis, est annus in quo natus est "Christus, anno Mundi 3952.—Anno proximo post natum Christum, mors *Concullani* fortissimi "Herois Scotorum, occisi per Lugad, filium trium Connorum, Regem Momoniæ, et per filium "Erci, filii Carbrei Niafer, et per tres filios Cucallatini de Connachtensibus.—Septem annorum "erat quando accepit bellatoris insignia, (ordine militari initiatus.) ., Septemdecem annorum "quando prædam boum Cualgniæ regionis insecutus est; et annorum 27 quando occubuit.— "Quatuor annis proxime sequentibus, Kalendæ Januariæ inciderunt in ferias 2, 3, 5, 6, quorum "ultimus fuit Augusti 47, quo Herodes obiit."]

---

(1) *Tigernachi* Codices Bodleiani ut supra, Rawlinson No. 488, et No. 502.

Cum his Tigernachi notis Chronicis, conveniunt non solum Annales *Inisfalenses*, infra pag. 1, sed etiam IV *Magistri*, *Codex Cluanensis*, *Flannus* apud O'Duveganum, *Codex Lecanus*, et *Chronicon Scotorum* ad annum 432, apud Flaherteum pag. 128, itemque Codex *Ballimotensis*, a 500 annis exaratus, cujus sæpe meminit Usserius, quemque a Regulo Ballimotense *Mac Donnach*, boum 400 pretio sibi comparavit *Aodh dubh*, i. e. Aod niger O'Donnell, anno 1552. (1) Conveniunt etiam fragmenta vetusta metrica in Bibliotheca Stowense, quæ præterea subjungunt, Concullani ævo, memorabile exarsisse bellum septennale, inter Connaciam et Ultoniam, *Tain-bo-Cuailgne* dictum, in quo *Concullanus*, *Conal Cearnach*, aliique decantati Heroes, dicti "*Curaidhe na Craoibhe ruaidh*,"(2) singulari fama claruere, itemque Hiberniam, paulo ante, in quinque partes divisam fuisse, inter *Concubarum mac Nessa* Regem Ultoniæ, *Carberum Niafer* Regem Lageniæ, *Olillum* Carbrei fratrem, et *Meadhbham* Reginam Connaciæ, *Achaium Abrathruadh* Regem Momoniæ Australis, (Desmond) et *Curoium* filium Darii, Regem Momoniæ Borealis. (Thomond)—Quæ fuerit Tigernachi mens, ex ipso feriarum ordine manifestum est, nam *Concullanum* occisum fuisse narrat anno quo Kalendæ Januariæ inciderunt in feriam primam, et deinde inquit quatuor subsequentes annos inchoasse a Kalendis Januariis incidentibus in ferias 2, 3, 5, et 6, qui, procul dubio, fuere characteres feriales annorum æræ communis 3, 4, 5, et 6. Præterea, *Chronicon Scotorum*, cujus sæpe meminit Flaherteus, inquit ad annum Dni. 432, "Kal. Jan. fer. vi. A morte *Conculaind* herois, " usque ad hunc annum ccccxxxi, Patricius Archieps in Hiberniam venit, atque Scotos baptisare " inchoat, ix anno Theodosii minoris, primo anno Episcopatus Sixti, qui fuit xlv Eps Romane Ec- " clesie, in iv anno *Laeghaire mc Neill*."

Hæc diversorum temporum testimonia, hæ notæ chronicæ, a corporum cælestium motibus confirmatæ, *Concullani* ætatem, tot veritatis characteribus non refragandis insculptam ostendunt, ut ii omnes qui eum cum *Finno*, [vulgo *Fingal*] vel cum *Oscaro*, et *Oissino*, vel, a fortiori, cum *S. Patricio*, aut *Lochlanis* synchronum faciunt, aniles venditare fabulas convincantur.—Quod si objiciatur fabulam etiam eos venditare, qui Concullanum, *septennem*, militari ordine decoratum fuisse proclamant; non nisi admodum caute id objiciendum esse respondeo, *Tigernachus* enim, et omnes antiqui factum asserunt, et temerarii est, quidvis ex libidine vel affirmare, vel negare, præsertim cum morem istum inter Hibernos antiquissimum fuisse, *Froissardi* de quatuor Hiberniæ Regibus narratio ostendat. Richardo enim II, ordinem Militarem, Anglicano more, eis collaturo, responderunt, "se a Patribus suis, diu antea, cum annos nati essent *septem*, creatos fuisse milites, more antiquo." (3)

---

(1) Vide Exemplar Stowense Opusculi cui titulus "*Tables Chronologiques*," par G. Marcel, Amsterdam 1696. Nota marginalis manu D. C. O'Conor, MS. fol. 1, p. 1. Confer etiam ejusdem notam marginalem in Exemplari Stowense Ogygiæ, p. 131, 132, et 282, cum *Lhwydii* Archæologia p. 435.

(2) *Curaidhe na Craoibhe ruaidh.* [Heroes manus rubræ, seu sanguineæ.]—Inter Regni Ultoniensis insignia adhuc eminet manus rubro depicta, et apud familiam *O'Brien*, quorum emblema est "*Lamh laidir an uachdar*," [manus fortis prævalet.] *Aldrovandus*, in opere de *Ornithologia* l. 1, inquit, inter vetustissima Hiberniæ insignia manum fuisse conspicuam. Aliqui Reges Hiberniæ, ut Cathal O'Conor Rex Connaciæ, cognominati erant *Craobh derg*, i. e. manus rubræ. *Gratian. Luc.* pag. 250.

(3) "Je leur demanday se voulontiers ils recevroyent l'ordre de chevalerie, et que le Roy d'Angleterre les vouloit " faire chevaliers, ainsi comme usage et coustume est en France, et en Angleterre, et en autre pais.—Ils respondirent " qu' ils estoyent chevaliers, et que bien leur devoit suffire. Je leur demanday ou ils l'avoyent este? et ils respondi-

Fateor quidem vix credibile videri, Hiberniæ Regnum, sub veterum Scotorum Imperio, tot retro sæculis extitisse. Sed tamen a Conario I, qui regnavit anno Christi I, ad Laogarium, qui regnavit adveniente S. Patricio, anno 432, Reges xxviii de tota Hibernia regnasse, et a S. Patricii adventu, Reges Christianos regnasse numero xlvii, usque ad annum 1022, omnes Catalogi antiqui, omnia Chronica, et fragmenta metrica, uno ore testantur. *Giraldus* ipse inquit, numerum Regum Hiberniæ, qui a primo *Herymone* regnaverunt, usque ad ultimum *Rothericum*, qui eo scribente superstes erat, esse clxxxi, "*quorum* xxxiii, *ab adventu S. Patricii, usque ad Filimidii* Regis tempora, per cccc annos, in Hibernia regnaverunt." (1) Vetustæ traditiones de origine Regum Scotorum Hiberniæ memorantur, duobus ante Nennium sæculis, a *Fiecho* Sleptense, *et Cennfaeludio,* aliisque Scriptoribus metricis sæculi vii, et viii, ab *Oengusio-Colideo,* qui floruit anno 770, a *Nennio, et Samuele* anno 858, a *Maelmurio,* qui eodem seculo exeunte floruit, et a *Marco* Anachoreta, cujus verba, e Nennio descripta, mihi describere licuit ex Codice Vaticano annorum 700. (2) Eadem habet Henr. Huntingdonensis, (3) unde sequitur, non facili negotio spernendam esse Regum Hibernorum seriem, quæ, tot temporum characteribus suffulta, secum ubique consentire dignoscitur, neque enim repudiandæ sunt cujusvis gentis de propria origine traditiones, quæ testimonio vetusto, et tot locorum, temporum, ac personarum adminiculis confirmantur.

Ex dictis constat, acri judicio, et solerti diligentia opus esse, ne unus character K, aut una nota ferialis, vel omittatur, vel addatur. Fieri enim ita poterit, ut totus annorum ordo, tota Chronologica series, erroneis calculis, et foeda rerum gestarum incongruitate deturpetur.—Sic, in Inisfalensium Codice Chandosense ad annum 432, numeri "cccxxxiii a morte *Concullain,* cccxiii a morte *Con-" "cubari mc Nessa"* mendose scripti leguntur pro ccccxxx, et ccccix. Tigernachus enim, narrata morte Concullani ad annum Christi 2, et rebus Romanis inde prosequtis usque ad Tiberium, eo regnante inquit "K. i. Initium Cicli. Ab initio mundi, juxta lxx Interpretes, V.CCXX. Se-" "cundum vero Eb. III.DCCCCLXX. K. ii. Ab incarnatione xx...........K. iiii. K. v. K. vi." "*Concob. mac Nessa,* in viii Tiberii anno quievisse dicitur. K. vii. K. ii. K. iii. K. iiii. xii anno" "Tiberii, Pontius Pilatus in Judeam missus est. K. v. K. vi. K. i. Anno xv Tiberii, &c." (4)

"rent qu' en l'age *de sept ans* ils l'avoyent ete en Irlande, et qu' un Roy fait le fils chevaliers, et si le fils n' a plus "de pere, le plus prochain du sang de son lignage le fait, et comme plus il brisera de lances, tant plus il sera hon-" "noré. Par cest essay sont faits, disoyent ils, les nouveaux chevaliers jeunes en nostre terre, et par especial les" "enfans des Roys." *Froissart* Hist. vol 4, c. 63, pag. 203, a Lyon 1559.

(1) *Girald.* Topogr. Dist. 3, c. 45, p. 745. *Francofurti* 1603. *Felim* iste rex erat Momoniæ anno 838. *Annal. Ulton.* p. 213.

(2) *Codex Vaticanus Bibliothecæ Christinæ No.* 1964.—"Sic mihi peritissimi Scottorum nuntiaverunt, (de eorum" "majoribus)—Ex Ægypto navigaverunt per mare internum -------- pervenerunt ab Africa usque ad Hispaniam," "---- et ibi Gens illorum multiplicata est valde. Postea venerunt ad Hiberniam, *post mille et duos annos,* postquam" "dimersi sunt Aegyptii in mari rubro ---- Bryttones in tertia aetate mundi ad Bryttaniam venerunt. Scotti autem" "in *quarta* obtinuerunt Hyberniam."—Auctorem hunc scripsisse anno 994, ex ipso textu manifestum est. "Saxones," "inquit, a *Gurthigerno* suscepti sunt anno cccxlvii post passionem Christi.—A tempore quo venerunt primo ad Bry-" "tanniam Saxones, usque ad primum Imperii annum Regis Eadmundi DCXLII, *ad hunc in quo scribimus* DCXLVII," "quippe quia iste Imperii quintus antedicti Regis est annus." *Opus ineditum sub nomine Marci Anachoretæ.*

(3) *Scriptores post Bed.* p. 300. *Francofurti* 1601.

(4) *Tigernachi* Codex Bodl. fol. 4, col. 1, ad imum columnæ, collatus cum Codice Bodl. Rawlinson No. 502.

Jam vero ut hæc ad Christi annos reducantur, nihil aliud requiritur, nisi ut statuatur cui anno æræ communis conveniant characteres " K. i. *Initium Cicli.*" Atqui, hi characteres plane indicant annum incipientem a Ciclo Lunare, Kalendis Januariis incidentibus in feriam I, [i.e. in Dominicam,] regnante Tiberio, et cum Tiberius regnaverit ab anno 14 ad ann. 37, et in ista periodo Ciclus lunaris inceperit anno Dni. 19, Kalendis Januariis incidentibus in diem Dominicam, sequitur procul dubio, annum supra indigitatum esse æræ communis 19, et, per consequens, sequentes annos esse æræ communis 20, 21, 22, 23, quibus Kalendæ Januariæ inciderunt in ferias 2, 4, 5, 6, uti ex calculis, cum Tigernacho consentiensibus, manifestum est.

Res Romanas, et Judaicas, deinde enarrat Tigernach, usque ad finem Tiberii, ubi inquit—" K. " *Concubar mac Nessa* obit (secundum alios,) cui successit filius ejus *Canscrid*, qui regnavit in " *Emain* (Regia Ultoniæ) annis iii. K. vii. K. i. K. iii. K. iiii. Tiberius obit. K. v. Caius Caligula " r. an. iiii." (1)——Ex his plane liquet, non alios a Tigernacho hic intelligi æræ communis annos, quam 34, 35, 36, 37, 38, 39, quibus Kalendæ Januariæ inciderunt in ferias 6, 7, 1, 3, 4, 5.—Ergo annus quo *Concobar*, rex Ultoniæ, obiisse dicitur (secundum alios,) est annus æræ communis 34; cumque nulla fiat postea *Concobari* mentio, sequitur ejus obitum vel ad annum xxiii, ut supra, vel ad xxxiv, secundum alios Codices qui sæculo xi extabant, debere referri. Concordat præterea Codex vetustus *Ballimotensis*, (2) in quo Concobari exitus refertur ad eundem annum xxxiv, uti patet ex nota marginale MS. in Exemplari Stowense Ogygiæ p. 282. Hinc, *Kennedius* merito Flaherteum reprehendit, quod Concobari obitum referat ad ann. 47. At dum istam supputationem absurdam arguit, ipse, centies castigandus, veritatis inscium se prodit, quamvis Colganus, qui ante utrumque scripsit, de *Celtchario* Heroe a quo Arx *Rath Celtchair* appellatur, dicat, numerari in vetustis nostris Historiis, inter præcipuos Athletas, qui, *regnante Concobaro filio Nessæ, circa ipsa filii Dei incarnati tempora*, floruere. (3)

Tempora *Carbrei Riada*, et *Finni mc Cumhail*, vulgo *Fingal*, et *Oissini*, vulgo *Ossian*, eadem methodo definiuntur. Tigernachus enim Res Romanas iterum prosequitur, Hibernicas cum iisdem, ordine Chronologico, componens, usque ad regnum *Caracallæ*, quem, *a nomine vestis tunc inventi*, ita cognominatum fuisse declarat, quo regnante inquit, " K. iiii..... *Cath Chindabrad, ria macaib* " *Aillel Uluim, 7 ris na tri Chairpri,* ·i· *ria macaib Conaire mc Mogalma, for Lugaidh mc Con, 7* " *for descirt Er, a torcair Nemed mac Sraibcind, ri Ernand, 7 Dareara Druth Dairinne. Do cher* " *Darcara la h Eogan mac Aill, 7 do chear Nemead la Cairpre Righfhota*........ K. vii. In Erico " quinta editio Divinar. Scribtar. inventa est.... Kl. i.... K. ii..... K. iiii.... K. v. Caracalla " + Edesa 7 Carpasci oc. e. a Parthis, IIII.CLXX. Kl. *Cath Muighe Muccruma dia diardain ria* " *Lugaid mc Con, a torchair Airt ainfar mc Cuind-cet-cath, 7 vii mac Aill. Ul*.... K. vii.... K. ii. " Hippolit. Eps. multor. conditor opusculor. temporum canonem quem scripsit huc usque perduxit, " qui etiam decinovennalem Ciclum reperiens, &c............. K. iii....... K. iiii. M. Aurel. " militari tumultu o. e."—[" Anno quo Kalendæ Jan. inciderunt in feriam iv, gestum est prælium

---

(1) *Tigernachi* Codex Bodl. Rawlinson 488, fol. 4, col. 1, et 2, collatus cum Codice Rawlinson 502.
(2) Vide notam 1 supra pag. xvi, et confer Exemplar Ogygiæ in Biblioth. Stowense not. MS. marg. p. 282.
(3) Vide Colgani not. ad opus Anmchadi, auctoris sæculi ix, qui id asserit Triad. p. 566, et Usher. Primord. p. 739.

"Chindabradense, a filiis Alilli Poetæ, et a tribus *Carbreis*, i. e. a filiis *Conarii* filii Megalamæ, " (Regis Hiberniæ) contra Lugadium filium Conni, et contra Australem Hiberniam, in quo occisus " est Nemead a *Cairbreo Riada*.... Anno sequente, Kalendis Januariis incidentibus in feriam 7, " quinta editio Divinarum Scripturarum inventa est in Jerico. Tribus sequentibus annis, Kal. Jan. "inciderunt in ferias 1, 2, et 4. Anno abinde 4to, Kal. Jan. in feriam v incidentibus, Caracalla " inter Edessam et Carras, a Parthis occisus est, anno M. 4170. Anno sequente Prælium campi " *Muccrumæ* gestum est, die inter duo jejunia, (i. e. die Jovis) a Lugadio filio Conni in quo *Art ain-* "*fear* (Arturus, dictus unicus, Rex Hiberniæ) filius Conni centum præliorum, et septem filii Alilli " Poetæ, occubuere.—Anno sequente, Kalendæ Jan. inciderunt in feriam vii..deinde in feriam ii. " Hippolytus Episcopus, multorum conditor Opusculorum, temporum Canonem quem scripsit, huc " usque perduxit," &c.] (1)

Jamque, his temporum characteribus fideliter ex Tigernacho descriptis, qua methodo ad æram communem revocari possint, quave, viam ad saniorem temporum rationem stabiliendam aperiant, videamus.——Ordior ab iis qui *Conarii* II, Regis Hiberniæ, tempora ignorantes, et de filio ejus *Carbreo* nihil aliud scientes quam pauca quæ a Beda, absque temporum ratione, traduntur, (2) Chronologiam tamen commentitiam substituunt, vanis conjecturis decepti, quæ, si paulo severius ad trutinam revocentur, velut ægri somnia evanescunt.

Imprimis, Antiqui omnes, tam Scriptores metrici, quam Chronographi Hiberni, uno ore, cum *Tigernacho* conveniunt, *Conarium* II, Patrem *Carbrei Riadæ*, Regi *Conno centum Præliorum*, Socero suo, surrogatum fuisse, et *Connum* istum, apud Tuathamross, prope Temoriam, a Tibradio Tirac, Ultoniæ Rege, occisum fuisse, postquam victoriam *Moylenensem* retulisset de Rege Momoniæ *Mogha Nuadhat*, qui eum ad Hiberniam bifariam dividendam paulo antea coegit. (3) Extant usque hodie in Bibliotheca Stowense, fragmenta metrica *Senchani Eigceas*, a Flaherteo sæpius citata, in quibus hujus prælii memoria conservatur.

Aliud Poema vetustissimum cujus titulus est "*Marta magh Tuircadh*," de eodem prælio distichon exhibet Hibernicum, quod Tigernachus e veteri Codice servavit. Ex his testimoniis constat prædictum Momoniæ Regem, alio nomine *Eoghan mor* appellatum, Conno devicto, universam australem Hiberniam, qua *Riedæa* juga, seu *Eskir-rieda*, ab amne Liffio ad *Medrigiæ* peninsulæ vadum, prope Galviam, recta linea porriguntur, ita sibi armis vindicasse, ut Australis Hibernia exinde *Leth-Mogha*, i. e. medietas *Moghæ*, et Aquilonaris *Leth Cuin*, i. e. medietas *Conni*, appellarentur, sed, paulo postea, a Conno, apud *Moylenam* campum in *Fercallia*, victus, et a celebri istius ævi Heroe, *Gollo filio Mornii*, interfectus occubuit.

Jam vero hæc omnia referuntur a Tigernacho ad tempora Commodi Imperatoris, qui, ut dixi, regnavit ab anno Christi 180 ad annum 192. Habemus ergo data certissima quibus ætas *Conarii* II, Patris *Riadæ*, notis Chronicis non refragandis, inconcusse declaratur. *Conarius* enim Regi *Conno* proxime suffectus est anno 184, ut supra indicavi, ergo non potuit *Riada* Hibernorum Coloniam

---

(1) *Tigernachi* Codex Bodl. Rawlinson No. 488, fol. 5, col. 4 ad imum, et fol. 6, col. 1 ad summum, collatus cum Codice No. 502.
(2) *Bedæ* Hist. l. 1, c. 1. Cantabrigiæ 1722, p. 41.
(3) *Tigernachi* Cod. Bodl. fol. 5, col. 3, et supra ex *Tigernacho* p. xii.

in Albaniam deducere ante id tempus, ac proinde errat editor Cantabrigiensis Operum Bedæ, vir alioquin doctissimus, qui Bedæ textui hanc notam apposuit "Quando Scotti primum in Brittaniam "venerint incertum est. Beda tamen eorum introitum *ante Romanorum tempora* ponere videtur. "Certum est nomen *Dalreudini* ex ipsa Hibernia allatum, ubi *Dalriada*, hodie *Rout*, Scotiæ mo-"dernæ proxime adjacet. Hujus populi (Hibernici) sedes in Scotia his regionibus extendebantur, "*Canticra*, *Knapdalia*, *Loarna*, *Ardgathelia*, *Braidalbain*, una cum insulis adjacentibus." (1)

Duo ab eruditissimo viro distinguenda erant.——Aliud est enim inquirere quo tempore Scotti *primo* in Albaniam venerint ex Hibernia, aliud vero quo tempore *Duce Riada*.—Primum quod attinet, alibi indicavi Regem Hiberniæ *Crimthanum*, Agricolæ temporibus, e partibus transmarinis redeuntem, plurima trophæa retulisse. IV *Magistri* inquiunt Regem Hiberniæ *Reachtadhium Righdearg* Albaniam invasisse A. M. 3610.—Eadem perantiqua traditio extat in *Psalterio Casselensi* scripto ante annum 900, et in *O'Duvegani* Codice Dubliniense exarato A. D. 1315, unde recte notat *Buchananus* "non semel Scotorum ex Hibernia in Albaniam transitum Annales "nostros referre." (2) *Eumenius* scripsit "Britannos, *ante J. Cæsaris adventum*, Pictis modo, et *Hi-*"*bernis* assuetos hostibus," et Pinkertonus recte animadvertit, *Scotos* Ammiani non alios fuisse quam *Hibernos* Eumenii, eos enim fœdere eodem cum Pictis sociatos memorat, quo *Hibernos* cum iisdem Pictis sociatos, paucis antea annis scripsit Eumenius, in Panegyrico ad Constantium Chlorum anno 296. (3)

At, aliud est de Scotorum ex Hibernia in Albaniam adventu tractare *Duce Riada*, quod non nisi post Commodi Imperatoris obitum evenisse manifestum est. Usserius *Riadæ* tempora prope attingit, ubi inquit—"Fergusium filium Erci, qui cum gente Dalriada partem Britanniæ tenuit "anno 503, fuisse de semine *Conarii* II, filii Mogalamæ, Regis Hiberniæ, id testante vetusto "authore apud Camdenum, et Genealogiis antiquis Hibernicis, qui Fergusium istum deducunt a "*Conario, qui, circa annum* 215, summum Hiberniæ Principatum tenuit, filio suo *Carbreo Riadæ*, "alias Eochaig Riadæ, Dalriadæ regionis, quæ ab eo nomen accepit, dominio post se relicto."

Hæc omnia manifestiora fiunt, si cum Tigernachi verbis, immediate post prædicta sequentibus, conferantur. Stabilitis enim, ut supra, *Conarii* II temporibus, postea inquit Prælium *Cinfebratense*, in quo *Carbreus Riada* Nemethum interfecit, regnante *Caracalla* gestum fuisse. Atqui *Caracalla* et *Geta*, Severi filii, pari jure ad Imperium evecti fuere, eo ipso anno 211 quo Severus obiit, dum in Caledonios arma moveret, et *Caracalla*, occiso fratre Geta, occisus est ipse inter Edessam et Carras, vi Id. April. anno 217, ergo prælium *Cinfebratense* gestum est a *Carbreo Riada* inter annos 211 et 217, et cum Kalendæ Januariæ non inciderint, regnante Caracalla, in feriam iv, nisi annis 212, et 217, sequitur prælium istud gestum fuisse anno 212, nec multum a chronologica

---

(1) *Bedæ* editio Cantabrig. 1722, l. 1, c. 1, p. 41, *Smith* not. 45, et 48.—Errat pariter auctor *Dissertationis* in 1 vol. Gestarum Academiæ Regiæ Hibernicæ (Antiquities p. 31,) qui *Riadæ* in Britanniam adventum refert ad ann. 150.

(2) Confer *Annotationes* nostras ad sæcul. viii *Annal. Ulton.* pag. 144, cum *Buchanani* Rer. Scot. l. 2, p. 50, *Trajecti* ad Rhen. 1697, et cum Gratiano Lucio p. 63, 71, 115, edit. 1662.

(3) *Eumenii* Panegyr. *Antwerpiæ* 1559, n. xi, et *Neurenbergæ* 1779. Pinkertonii verba sunt hæc——"It is most re-"markable, that Eumenius never mentions the Scots but by the general name of *Hiberni*, and he joins these Hiberni "with the Picts, as Ammianus does the Scotti. The Scotti of Ammianus were infallibly the people of Ireland."—*Pinkerton* Enquiry t. 1, p. 116, Lond. 1786.—Eadem habet *And. du Chesne* Hist. de l'Augleterre fol. p. 173.

veritate abesse *Wardeum*, qui, in vita Romualdi, ex *Annalibus Roscreensibus* asserit, gestum fuisse anno 213, sed errare Flaherteum, et ejus sequaces, qui id referunt mendose ad ann. 237.

Hæc ultra confirmantur ex Tigernacho, dicente "quintam Scripturarum editionem in Jericho "inventam fuisse *post prælium Cinfebratense, adhuc regnante Caracalla*, anno quo Kalendæ Januariæ "inciderunt *in feriam* vii," id enim non potuit eo regnante evenire, nisi anno 214.—*Epiphanius* quidem, et auctor *Compendii* adscripti S. Athanasio, id evenisse inquiunt, anno Caracallæ vii, Christi 217, sed levis hæc diversitas argumento non efficit, etsi enim Tigernachus in anno inventionis Scripturarum erraverit, quod minime constat, tamen cum tota quæstio in eo consistat, quænam fuerit Tigernachi mens quoad annum æræ communis, *quo prælium Cinfebratense gestum est*, inconcussa manent quæ diximus, gestum fuisse regnante Caracalla, ante inventionem quintæ æditionis Scripturarum, anno quo Kalendæ Januariæ inciderunt in feriam iv, ac proinde anno D. 212, idque eo magis, quia annos Caracallæ, ab ista inventione ad obitum, his notis designat, K. vii. K. i. K. ii. K. iv. K. v. quæ notæ plane indicant annos æræ communis 214, 215, 216, 217, 218.

Denique ne ulla, vel minima, possit errandi occasio exoriri, postea subjungit prælium *Muccrumense*, in quo *Art* Rex Hiberniæ occubuit, gestum fuisse anno sequente post obitum Caracallæ, et anno proximo post prælium istud, Kalendas Jan. incidisse in feriam vii, quo anno expleto, et Kalendis Januariis deinde incidentibus in feriam ii, inquit *Lugadium* filium Conni, Arturo Hiberniæ Regi suffectum fuisse, et nonnullis postea annis, Lugadio successisse *Cormacum* dictum *Ulfadha*. Deinde, narratis Rebus Romanis usque ad obitum Eliogabali, et initium M. Aurelii Severi Alexandri, inquit—"Kl. ii. Hippolitus Episcopus, multorum conditor Opusculorum, temporum Canonem "quem scripsit, huc usque perduxit," nempe ad annum primum M. Aurelii.—Jam vero, extat usque hodie *Hippolyti Portuensis* Canon Paschalis vetus, quem, e ruderibus Romæ antiquæ erutum, ego ipse in Vaticana Bibliotheca inspexi, (1) in quo plenilunium Paschale anni primi Imperatoris istius, incidisse dicitur in "*Idus April. fer.* vii," i. e. Paschalis decima quarta incidisse dicitur eo anno, *in diem Sabbati*, et 13 *Aprilis*. Atqui, id evenire non potuit in toto decursu annorum 3000, a Moysis ætate usque ad nostram, alio quam eo anno qui, retrograde numerando, annum hunc 1806, quo scribimus, præcesserit annis 1584, anno nempe æræ communis 222, Cyclo Solis vii, Lunæ xiv, Litera Dominicale F, id non sinente feriarum ordine, et Epactarum Chronologia. (2)

Nulla extat dubitandi causa utrum dierum Hebdomadæ ordo, ad nostra usque tempora, spatio annorum 1584, fuerit integre servatus, cum Hebræi Sabbatum, et Christiani Dominicam, religioso cultu servaverint, et Regum Diplomata, et res gestæ Conciliorum, ubique in feriarum ordine conveniant, nec possent tot millia hominum, linguis, et moribus, regionum distantia, et temporum longinquitate disjuncta, aliter quam natura ipsa docente, et Sole id diurno ortu et occasu dictante, in re tam difficili conspirare.

---

(1) *Nardini* Roma moderna, ubi de Bibliotheca Vaticana.—Extitit anno 1787, ad lævam ingredienti. Quæ de hoc Hippolyto a *Tigernacho* memorantur, sunt, plurima scripsisse opera, et rationem Paschæ, temporumque canones perduxisse usque ad annum *primum* Aurelii, et sexdecim annorum circulum reperisse, et Eusebio, qui super eodem Pascha ciclum composuit annorum xix, occasionem dedisse—Hæc omnia descripsit *Tigernach* ex *Hieron* de Scrip. Eccl in Hippol. Confer *Bianchini* Istoria Univ. Roma 1747, p. 57.

(2) Errant ergo *Baronius*, et alii, qui, *primum Aurelii annum* referunt ad annum æræ com. 224. *Baron.* Annal. p. 248.

Annus obitualis Finni, vulgo FINGAL, *eadem methodo demonstratur.*

Habemus ergo, ex dictis, annum æræ communis 222 pro cardine Chronologico quo Res Hibernicæ, tam anteriores, quam posteriores in ordine narrationis, possunt ad æram nostram certissime revocari, et quo antecedentium Regnorum initia, et subsequentium fines, quibusdam veluti metis, et limitibus constituuntur. Imperare enim orsus est Alexander Mammeæ filius anno 222, ex Canone Hippolyti, et reliquos ejus Imperii annos Historicorum consensus confirmat. Imperavit enim, consentientibus Eutropio, Herodiano, aliisque omnibus, annos solidos 13, obiit ergo anno 236, quo annum 14 inchoavit. Atqui *Tigernachi* chronologia cum his mire consentit. Christum enim anno Mundi 3951 natum asserit, et obitum Alexandri designat notis—" Kl. vi. Alexander, " xxi ab Augusto, regnavit annis xiii, militari tumultu cum matre Mammea occisus. K. vii. " IIII.CLXXXVII," (1) quæ notæ plane indicant annum Christi 236, quo Alexander occisus est, et annum Christi 237 *Mundi* 4187, quibus Kalendæ Januariæ inciderunt in Sabbatum, et Dominicam, ut ex calculis manifestum est.

Sequuntur Res Romanæ, Imperantibus Maximino, Gordianis, et Philippo, adhuc regnante in Hibernia *Cormaco Ulfadha*, et Philippi tempora his verbis accurate designantur, " Kl. vi. *Initium* " *Cicli.*—K. vii. Post tertium Philippi annum, millesimus a conditione Urbis Romae annus expletus. " magnificis ludis celebratus est. K. ii...K. iii....K. iiii...*Cath Crinda Bregh ria Cormac, 7 ria* " *Taidhg mac Cen. mc Aill. Ull. con a trichad righ, 7 con a l. cath mil. 7 con a sluagh dearmidhi* " *arcena, 7 ria Lugadh Lagha mac Mogha Nuadhat for Ulltaib.*" [i. e. Anno quo Kalendæ Jan. " inciderunt in feriam vi, incepit Ciclus lunaris. Anno sequente, Kalendis Januariis in feriam vii " incidentibus, *post tertium Philippi annum*, millesimus U. C. expletus, magnificis ludis celebratus " est. Anno sequente bissextili, Kalendæ Jan. inciderunt in feriam ii, anno proximo in tertiam, " deinde in quartam, quo anno Prælium *Crinna*, in Bregia, gestum est a Cormaco, et a Thadeo filio " Cennei, filii Alilli Olam, cum suis triginta regibus, et cum suis quinquaginta ducibus militiæ, et " cum suo exercitu innumerabile similiter, et cum Lugadio Lagha, filio Moghæ Nuadhat, contra " Ultonienses."] (2)

Flaherteus prælium hoc *Crinnaum* refert ad annum 254. At, ex his Tigernachi verbis, manifestissime constat referendum esse ad annum 251, Philippi enim anno quarto labente, quo Consul ipse tertium, et filius ejus Philippus Cæsar secundum fuere, Ludi sæculares, anno urbis millesimo, Christi 248, circa messis tempus, Romæ celebrati fuere. (3) *Tigernachi* notæ Chronicæ " Kl. vi. *Initium Cicli*" plane indicant annum 247, quo Ciclus lunaris incepit a Kalendis Jan. incidentibus in feriam vi, ergo anni sequentes a Tigernacho designati, fuere 248, 249, 250, 251.

Habemus itaque prælium *Crinnaum*, gestum a *Cormaco* Rege Hiberniæ anno 251, pro alio Cardine Chronologico, quo res nostræ ad veram temporum rationem inconcusse revocantur.—Jamque demum, post tot annos ab obitu *Concullani*, ad *Finni* tempora perventum est. Regnante enim *Cormaco* floruisse, et regnante *Carbreo Lifeuchario* decollatum fuisse, consentiunt omnes antiqui.

---

(1) *Tigernachi* Codex Bodl. Rawlinson No. 488, fol. 6, col. 1,
(2) *Tigernach* ibid. fol. 6, col. 2.
(3) In hoc anno, uti Cardine Chronologico, consentiunt docti. *Petav.* de Doctrina Temporum l. 11, c. 26, p. 187.—Errat *Baronius* ludos istos referens ad ann. 249.

Atqui Tigernachus, rebus nostris ordine supra descripto narratis, totum Cormaci regnum, eadem methodo, tam clare designat, ut non nisi volens in errorem incidere possit. Decii enim et Galli, Volusiani et Æmiliani Imperiis breviter descriptis, Cormaci bella contra Ultonienses, Duce *Finno* gesta, sic terminat ad annum quo Æmilianus occubuit—" *Indarbad Ulad a h'Erind a Manainn la* " *Cormac Ulfada, as da bo Cormac Ul-fada dia ro chuir Ul. a fad.* [Expulsio Ultoniensium ex " Hibernia in Manniam, per Cormacum nepotem Conni centum Præliorum. Ideo Cormac *Ul-fada* " appellatus est, quia abegit Ultonienses longinque."] (1) Deinde, narrato Novati ex Africa Romam adventu, anno ipso quo Valerianus cum Gallieno filio Imperium adepti sunt, qui fuit absque dubio annus Christi 254, et Gothorum in Græciam secunda irruptione memorata, quæ facta est Gallieno solo imperante anno 263, duobus abinde annis Cormaci obitum enarrat dicens " *Cormac* " *h. Cuind-cet-cat docc i Cleiteoch diamairt, iar lcanamhain cnamha brathain in a bragaid, la siad na* " *siabra ro nortadar iar n abrat do Maelcenn Draoi, onar cred Cormac do.* K. iiii. *Cairpre Lifcochair* " regnat annis xxv. [Cormac nepos Conni centum præliorum obiit apud Clette, die Martis, post " adhæsionem ossæ Salamonis in suo gutture, id efficientibus præstigiis spirituum malignorum qui " eum occiderunt, secundum sententiam Malconis Druidæ, quia Cormacus noluit credere in eum. " Anno sequente successit *Carbreus Lifcocar* qui regnavit annis xxv."] (2) Res Romanas inde prosequitur usque ad obitum Gallieni, quem literis Romanis plane designat " *Anno ab incarnatione* cclxviii *Kal. Jan. feria* iv."—Anno sequente, Claudii Imperatoris victoria de Gothis consignata, res Romanas, ad Aureliani usque Imperium attingit, et, hoc imperante, inquit, " K. iiii. *Find* " *k. Baiscne decollatus est oc Ath Brea for Boind.* K. v. Tacitus regnat. [Anno quo Kalendæ " Jan. inciderunt in feriam iv, *Fin* (filius Cumhalli, vulgo *Fingal*) de familia Baiscneorum, decolla- " tus est apud vadum Brea, supra flumen Boin. Anno sequente Kal. Jan. feria v. Tacitus reg- " nare incepit."] (3)

Claudii victoria de Gothis parta est, *Atticiano* et *Orfito* Coss. anno C. 270, quo anno Claudius ipse decessit, teste Trebellio, eique, eodem anno, suffectus est Aurelianus, qui ob victoriam partam de Alemannis &c. libros Sibyllinos adeundos censuit, *tertio Id. Jan.* Anno C. 271, testante Vopisco, et postea, Zenobia debellata, periit anno Imperii *quinto*, Christi ineunte 275.— Eo mortuo interregnum fuit mensium *circiter septem*, testante Victore, et tum a Senatu, vii *Kal. Octobr.* creatus est Tacitus.

Jam vero, cum *Finnus* decollatus fuerit, *regnante Aureliano*, anno quo Kal. Jan. inciderunt in *feriam* iv, et cum Kalendæ istæ in feriam istam non inciderint, nec incidere possent, toto isto regno, ullo alio anno, quam anno Christi 273, uti patet ex calculis, sequitur *Finni* obitum referendum esse ad annum æræ communis 273.

Jocelinus *Finnum* refert ad annum plusquam *centesimum* ante adventum S. Patricii, " *Expletis* " *centum annis.*" (4) Sæculo x, Probus inquit floruisse annum circiter *centesimum* ante Patricium. (5) Concordat auctor longe vetustior Operis de Vita Patricii, quod, ex Codice Biburgense

(1) *Tigernach* ibid. fol. 6, col. 3. (2) *Tigernach* ibid. fol. 6, col. 3.

(3) *Tigernach* ibid. fol. 6, col. 4.

(4) *Jocelini* de Vita S. Patr. Antwerpiæ 1514.—Parisiis 1624, Lovanii in *Triade* 1645, c. 86.

(5) Probus inter Opera *Bedæ* Basileæ 1563, t. 3, col. 334, l. 2, c. 21, et in *Triade* pag. 58.

in Bavaria, descripsit Stephanus Vitus, quodque non semel a Jocelino citatur, (1) itemque auctor vetus Operis Tripartiti laudati ab Usserio, (2) editi a Colgano, (3) cum quibus consentit, ni fallor, Vitæ illius auctor, pariter ab Usserio laudatus, quæ, in Bibliothecis Bodleiana, et Cantabrigiense servata, a Tinmuthense, et Capgravio memoratur.

Atqui, S. Patrcium in extremis Britonum finibus, non procul a castro Dunbritannico natum esse anno Domini 372, consentiunt omnes melioris notæ Chronographi, cum quibus concordat *Usserius* in Indice Chronologico pag. 1087, et in Primordiis pag. 823. Conveniunt ea quæ ex præstantissimo *Mariani Scoti* Codice Cottoniano edidi in Annalium Ultoniensium Appendice, et *Florentius Wigorniensis* in Chronico edito Francofurti anno 1601.—Ergo obiit *Finnus* anno supra designato Christi 273. (4)

Jamque his fideliter ex Tigernacho descriptis, manifeste constat, errare Macphersonum, et omnes qui *Finnum* cum *Concullano* coævum faciunt, eosque pariter errare qui, cum eodem Macphersono, *Finnum* et *Caracallam* synchronos facere non erubescunt, cum tantum distet inter eos, quantum inter Caracallam et Tacitum. (5) De temporis intervallo a prælio *Muccrumio* ad Finni obitum, nullum dubitandi locum relinquit Tigernach, qui non solum Regum Hibernensium, et Imperatorum eo intervallo regnantium, tempora attingit, sed etiam scriptores Ecclesiasticos, suo quemque loco, memorat, Tertullianum, Originem, Julium Africanum, Cornelium Papam, Cyprianum, S. Hippolytum, et alios, qui sæculo iii, pietate, et doctrina illustres, floruere.

---

(1) Tertia Vita in Triade, adscripta Benigno qui sæculo vi floruit, c. 68, pag. 26.

(2) *Usser*. Primord. p. 815, 822.

(3) In Triade part. 2. c. 71, p. 139. Confer libros duos de Vita S. Patricii, a R. Stanihursto, Usserii avunculo, dicatos Alexandro Farnesio, et Antwerpiæ typis Plantinianis editos anno 1587.—"The lives of saints, formerly only considered in a religious view, now begin to be regarded in an historical light by most countries. *Du Chesne*, in his collection of French historians, gave extracts of the old lives of Saints, an example followed in *Boquet's* late celebrated work of the same kind.—Our Antiquists, with all the pride of ignorance, may perhaps affect to despise monuments, which, historically considered, have received the sanction of Montesquieu, and Gibbon."—*Pinkerton* Enquiry, &c. Preface xxxvi. Vide quæ de S. Patricio dicta sunt in *Annal. Ulton*. pag. 156.

(4) Post Tigernachum, et reliquos supra memoratos, *Giraldus, Fordunus, Barbou*, et alii Finnum memorant, sed absque ullo rationabili temporum charactere.

Paucis abhinc annis, *Ritsonus* titulum mihi exhibuit libri *Ersice* scripti, ut aiebat, atque editi Edinburgi anno 1566, in quo *Finnus*, (non tamen ut antiquæ Albaniæ Heros) memoratur, et hoc testimonium prope hesternum alii etiam Albanici scriptores læti producunt, ut *Campbell* in Itinerario "*Tour in Scotland*," Pref. p. vii. &c. At, nullibi invenio in vetustioribus, talem librum unquam editum fuisse. Certe, ex egregio Opere *Amesii* de Arte Typographica, non constat artem libros *Ersice*, vel etiam *Hibernice* edendi tam antiquam esse, quamvis hunc librum memoret ex *Martini* Itinerario, "*Western Islands*," Lond. 1703, p. 127.

Etsi autem liber hic *Finnum* Albaniæ vindicaret, quod minime asserit, non sequitur (ex libro tam recenti) Historicam Tigernachi et veterum Chronographorum narrationem, cum tot temporum rationibus consentaneam, ob tales ineptias, inter fabulas amandandam esse.

(5) Hinc, *Gibbonus* in Historia Romana accurate inquit,—"That the *Caracuil* of Ossian, is the Caracalla of the Roman History, is perhaps the only point of British Antiquities in which Mr. Macpherson and Mr. Whitaker are of the same opinion, and yet the opinion is not without difficulty. In the Caledonian war, the son of Severus was known only by the name of Antoninus, and it may seem strange that the *Highland Bard* should desribe him by a nick-name, invented four years afterwards, scarcely used by the Romans till after the death of that Emperor, and seldom employed by the most ancient Historians." *Gibbon* Decl. et Fall, &c. vol. 1, notes p. xx Lond. 4to, 1776.—Confer Dionis. l. 77, p. 1317, Hist. August. p 89. Aurel. Victor. Euseb. Chron. ad ann. 214.—Vox *Caracalla* usurpata pro veste extat in *Bedæ* Hist. l. 1, c. 7. Cantabrig. 1722, p. 45. Paraphrasis Saxonica ad hunc Bedæ locum inquit—"*Caracalla* vestis Sacerdotalis." ib. pag. 477. Confer Walsingham p. 104, Francofurti 1603.

Extat vetusta genealogica series metrica Regum Albaniæ quæ incipit "*Failte dhuit a Righ Albain*" quam coram Regni Scotiæ Proceribus recitavit Poeta Hibernensis, in coronatione Alexandri III, anno 1249. (1) In ista serie *Riada* ponitur ordine 12mus ante Fergusium filium Erci, qui Hibernorum in Albania regnum restituit anno 503. Sed in Codice Lecano, et aliis vetustis collatis a Kennedio, eadem series acuratius hoc ordine procedit *Carbreus-Riada, Cinta, Felim, Fiachra, Fergus-Ulaidh, Oengus-Fear, Eochoid-Muinreamhair, Erc, Fergus mor mac Eirc.* (2) Atqui si cuique generationi annos 27, ut solet, ex naturæ et experientiæ legibus tribuamus, octo istæ generationes efficient annos 243, retrograde a Fergusio ad Riadam, ac proinde Riadam referent ad annum 260, quod cum rationibus hactenus allatis manifeste concordat. Jam vero *Finnus* (vulgo Fingal) floruit cum Carbreo, Regnante Cormaco Ulfadha, et pater fuit *Oissini*, ac avus *Oscari*, qui pugnavit in prælio *Gaurano*, quod gestum est prope Temoriam, "anno quo Carus occisus est, anno antequam "Dioclesianus ad Imperium pervenit," (3) ac proinde anno 283. (4)

Hæc sunt quæ de nostrorum Annalium notis Chronicis dicenda proposui, non quo fictum Oissinum refellam, sed ad demonstrandum qua ratione annorum ordo, qui raro in his Annalibus ab ortu Christi designatur, possit ad æram communem, methodo supra descripta inconcusse revocari. Quid his responsuri sint fabularum commentatores non quæro, nullum enim antiquum Codicem, nec unum quidem, in medium afferre possunt, neque antiquæ cuipiam auctoritati nituntur.—Ego vero, cum in hanc arenam descenderem, illud imprimis præ oculis habui, ut non meas, sed antiquorum rationes, nuda expositione, et firmissimis potius argumentis, quam arte dicendi defenderem. Veritas enim honesto nititur, nec mendacio indiget, nec oratorum floribus, sed propriis se armis, propria indole, simplicitate, et aperta rerum gestarum expositione, tuetur.

IV.

De VI Ætatibus, quæ in horum Annalium Excerptis explicantur.

Pauca de sex ætatibus, quæ in his Excerptis memorantur, dicenda remanent, ut unde ista depromserint Chronographi Hiberni, et qua ratione ad rectam temporum seriem stabiliendam condu-

(1) Extat edita Latine, sed mendose, a *Forduno* in *Scotichronico* l. x, c. 2, p. 82, et in *Hearni* editione, t. 3, p. 759.
(2) *Kennedy's* Chronolog. Genealog. of the Stuarts, Paris, 1705, p. 103, &c. In exemplari *Stowense* hujus operis, extat hæc nota MS. marginalis characteribus Hibernicis, pag. 115—"*o Eoch-riada go Fergus m. Eirc deic ngluine* "*general. ag an Dubhalt, m. Firbhise,* inclusive. [Ab Eochadio-Riada ad Fergusium filium Erci, *decem* generationes "in libro Dudlei filii Firbisii, *inclusive.*"]——Reges Hiberniæ *ejusdem stirpis*, qui, *eodem intervallo*, linea recta regnavere, et in quorum ordine et nominibus *omnes antiqui uno ore consentiunt*, fuere 1 *Art mac Cuin-cetcat*; 2 *Cormac mac Airt*; 3 *Cairbre mac Cormaic*; 4 *Fiach mac Cairbre*; 5 *Muireadach-Tireach mac Fiach*; 6 *Eochoid Muighmedhoin mac Muireahaich*; 7 *Niall-ix-n-giall. mac Eochoid*; 8 *Laoghaire mac Niall*; 9 *Lughaidh mac Laoghaire*, qui obiit anno 508. Alii quidem Reges eodem intervallo regnavere, agitur autem de *generationibus* filiorum, non de successionibus Regum.
(3) *Tigernachi* Codex Bodl. ibid. fol. 6, col. 4.
(4) Errant ergo omnes qui scribunt gestum fuisse anno 296. *Acts of R. I. A.* t. 1, p. 107.—"The Irish ballad on the "death of Oscar (intitled the battle of *Gabhra, Cath Gabhra*) which Macpherson has described, and quoted, is the "*sole* foundation for the epic poem of Temora, and the *only* poem upon the subject, that has ever been discovered "in the Highlands of Scotland." *Malcolm Laing* note to Ossian's Poems, Ediuburgh 1805, vol. 2, p. 27.—Atqui hoc Poema extat in Bibliotheca Dubliniense, ratione antiquitatis minime comparandum cum vetustis Bardorum fragmentis in Stowense, et in Bodleiano adservatis, et prorsus diversum a Macphersoni jactatis somniis, et inani fabricatione. Vide Acta Academiæ Regiæ Dubliniensis anni 1787. *Antiquities* pag. 107, et p. 118.

cant videamus. Beda primus fuit, ni fallor, qui æram Mundanam quæ Christum præcessit, in sex ætates divisit,—Ab Adam ad Noe, inquit, *prima* est mundi ætas, continens annos juxta Heb. 1656, juxta lxx Interpretes 2242, generationes, juxta utramque edionem, 10.—*Secunda* ætas a Noe ad Abraham, generationes juxta Hebr. complexa 10, annos 292, juxta lxx, annos 1072, generationes vero 11.—*Tertia*, ab Abraham ad David, complectens generationes, juxta utramque auctoritatem, 14, annos 942.—*Quarta*, a David ad transmigrationem Babylonis, annos habens juxta Hebr. 473, juxta lxx, 12 amplius, generationes, juxta utrosque Codices, 17, quas tamen Evangelista Mattheus, certi mysterii gratia, 14 ponit.—*Quinta*, ad adventum Domini, generationibus et ipsa 14, annis 509. *Sexta*, quæ nunc agitur, nulla generationum vel temporum serie certa est.

Eadem habent *Tigernach*, et *Inisfalenses*, unde patet, vel Hibernos a Beda, vel Bedam ab Hibernis Nordanhymbrorum Magistris, vel utrosque a tertio quodam ignoto hanc numerandi methodum derivasse. Certum est Reges Anglos, longe ante Romanos Pontifices, calculum ab Incarnatione assuevisse instituere, id enim fatetur Mabillonius. (1) Certum est annos Incarnationis, ante Bedæ tempora, ab Anglis nunquam adhibitos fuisse vel in Diplomatibus, vel in Chronicis, et Beda ipse Nordanhymbrorum studia ac disciplinas ab Hibernis acceptas, iterum iterumque gloriatur. (2) Spelmannus existimat annos Incarnationis defuisse chartis et privilegiis Anglicis sæculi vii, uti Epistolis S. Gregorii, et Diplomatibus Regum Franciæ, primæ et secundæ stirpis. (3) Usum a Bonifacio ad Gallicanos Episcopos et Historicos introductum fuisse *ex Anglia*, sæculo viii, scribit nitide Mabillonius, qui tamen inquit, in Bonifacii manus nondum eo tempore venisse Bedæ historiam, in qua hæc Epocha primum observari videtur. (4)

Nollem, in re tam obscura, sententiam aliquam meo periculo proferre, sed tamen nodus hic quodammodo explicandus est. Dionysius Exiguus, monachus *Scytha*, in Gallia degens eo sæculo quo Hibernorum frequentissimæ erant in Galliam migrationes, Cyclum ab Incarnatione primus condidit anno 533. (5) Hic Cyclus, Hibernis, tunc in Galliam turmatim migrantibus, (6) ignotus esse non potuit, Cyclum enim Victorii Lemovicensis, qui Dionysium præcessit, sæpe laudat *Columbanus*, et Dionysii Cyclus *annus magnus* appellatur ab Anonymo apud Bedam, (7) quem Hibernensem fuisse, *Studiosi* nomine designatum, nonnulla persuadent. Bedam quidem citat Tigernach, sed Cyclos

---

(1) De re Diplom. l. 2, c. 23. (2) *Bedæ* Hist. l. 3, c. 2, 3, 4, 5, 26, 27, l. 4, c. 26, l. 5, c. 9, et 10.

(3) *Spelman* Concil. edit. 1. tom. 1, p. 125.

(4) De re Diplom. l. 2, c. 23, p. 176.

(5) Epist. Dionys. edita a Petavio de Doctr. Temp. t. 2, l. 12, c. 2, p. 221, et *Mabil.* Annal. t. 1, p. 51. Cassiodorus eum appellat " *Scytham* natione, sed moribus Romanum." Divin. lect. c. 23. Beda eum appellat "*Abbatem Romanæ urbis.*" De Rat. temp. c. 45. Quære ùtrum Scytha an Scotus? " *Scoti* a Scythis jaculandi peritis, qui una cum Scotis com-" muni nomine *Scutten*, i. e. Sagittarii appellantur a Germanis inferioribus." *Lyttleton* in voce Scoti—Hinc, ni fallor, vox Anglica *Shot*. Vide *Lye* Dict. voce *Scotu*.

(6) Vide Annotationes ad Annal. Ulton. p. 128, et a p. 168 ad p. 180.

(7) *Bedæ* Opera tom. 1, p. 256.—" Hanc Epocham *ex Anglia in Galliam* induxit S. Bonifacius, cujus Opera Liptinense " ac Suessionense Concilia coacta fuere, eisque anni Incarnationis præfixi, *Liptinensi* annus DCCXLIII, *Suessionensi* " DCCXLIV. Ante hos Victor Tununensis, in summa annorum quam Chronico suo subjecit, annum desinentis " Chronici a *Nativitate Dni* numerat DLXVII, at in Chronici contextu, a Consulibus calculum petit." *Marianus Scotus* et *Sigebertus* rati Dionysium annos 23 a Christi annis detraxisse, annos computant ab annis Christi, tum secundum Dionysium, tum secundum Evangelicam veritatem, et hanc distinctionem notant *Chron. Saxon*. ad ann. 973, et *Gervasius* in Chronico inter X Script. Lond. 1652, p. 1557.

etiam Hippolyti, Eusebii, Victorii, et Dionysii pariter memorat, et cum Angli usum hunc non receperint a Gallis, sed contra Galli ab ipsis, et Romani eum ignoraverint, sequitur Bedam vel ex Dionysii Exigui Operibus id eruisse, vel a Magistris Hibernis, qui, eo ævo, Galliam, ad Francos literis informandos, frequentabant. (1)

Supra notavi Hibernis antiquis peculiare fuisse, annum Incarnationis a Kalendis Januariis auspicari. Notandum superset eos æram Mundanam accepisse, non secundum versionem lxx Interpretum, sed ex *Hebraica veritate*. Extant in Bibliotheca Stowense tres vetusti Regum Hibernorum Catalogi metrici, Hibernice scripti, in quibus æra Mundana in quinque ætates dividitur, *secundum Hebraicam veritatem*. In vetustis penes Flaherteum Annalibus, annus 1180 his characteribus designatur "Kal. Jan. die Martis Luna prima, Bissextilis annus decennovennalis Cycli, et quin-"quies millesimus centesimus trigesimus unus a constitutione Mundi." *Cocmanus*, in Catalogo Metrico MS. in Bibliotheca Stowense, annum 1072, quo scripsit, sic designat—"Annus Mundi "5024, quo septima lunæ dies, et Kalendæ Januariæ concurrunt, et quo Diarmitius Rex Lageniæ "occubuit." (2) Idem Catalogus, in uno disticho, annos 3952 a creatione ad nativitatem complectitur, eosque, tribus aliis distichis, in quinque partes distribuit, "Ab initio ad Diluvium 1656. "Inde ad Abraham 292. Inde ad David 942. Inde ad captivitatem 473. Inde ad Christum 589." Hæc cum Tigernacho et Inisfalensibus plane conveniunt. "Ab incenso Templo, ad Christi nativi-"tatem, inquit Tigernach, anni sunt 589. A mundi creatione secundum Hebraicam veritatem anni "3952, Kalendis Jan. in Sabbatum cadentibus, anno Tanastico Cycli decennovennalis."

Non diffiteor quosdam Chronographos, quos IV *Magistri* imitantur, lxx Interpretum numerationem prætulisse, annos numerantes 5199 a Creatione ad Christum. Hi autem non solum recentiores sunt, sed res Hibernicas ad captum suum reducentes, Chronologiam artificialem finxerunt, qua antiquitas commentitia stabiliretur, in qua æmuli Reges, quorum singuli aliquamdiu regnavere, nunc victores, nunc victi, tot annos regnasse traduntur, quot ab arrogato titulo ad vitæ terminum transegerunt.

Satius esset cum Tigernacho candide et aperte fateri, "*omnia Monumenta Scotorum usque Kim-"baoth incerta esse*," (3) i. e. usque ad tempora Ptolomei I. Hæc enim Tigernachi sentenia cum Nennii et Marci Anachoretæ testimonio concordat, et ab ipsa Annalium nostrorum serie et indole confirmatur.

In *prima* et *secunda* ætatis intervallis, usque ad Abrahami tempora, silent de Hibernia omnes antiqui—Commentitia quædam traduntur in *tertia*, de *Partholano* nescio quo, primam Coloniam ducente in Hiberniam, et postea de *Nemetho* qui aliam deduxit, circa tempora, ut aiunt, Patriarchæ Jacobi.—His coloniis tertia subsequta est *Firbolgorum*, i. e. Belgarum, qui ex Australi Britannia Hiberniam pervenere. Hi, *primi*, Reges Insulæ Hiberniæ imposuisse traduntur, sed quo tempore, prorsus incertum relinquere me cogunt fabulæ Poetarum, quæ ab iis, quibus per otium licet, videri poterunt apud Flaherteum, et Ketingum. (4)—*Firbolgos* excepere *Tuatha-Dee-Danann*,

(1) Annotationes ad Annales Ulton. pag. 128—ad p. 130.

(2) Obitum Diarmitii istius consignant Annales Ultonienses ad ann. 1073 Idibus Febr. die Martis.

(3) *Tigernachi* Codex Bobl. fol. 1, col. 1.

(4) Hæ Traditiones servantur in fragmentis Metricis *Fiechi, Cennfaeladii, Maelmurii, Flanni, Cocmanni, Eochodii*, et aliorum, qui a sæculo VI ad X scripsere, in Codicibus Hibernicis *Bodleianis* et *Stowensibus*.

Populus *Dedananorum*, (i.e. ni fallor, Damnonii Cornwalliæ,) qui, Belgis in prælio *Moy-tura* devictis, quartam in Hibernia Coloniam, duce quodam *Nuadho*, induxerunt. Denique, post tempora Salomonis, *in quarta mundi ætate*, Scoti ex Hispania in Hiberniam (quinta Colonia) pervenisse, in omnibus nostris Annalibus, et fragmentis metricis, constanti traditione celebrantur. (1)

De quatuor primis Coloniis omnia incerta sunt. Quantum per spissas tot sæculorum tenebras discurrere licet, Britannicas fuisse, et præsertim ex Cornubia deductas, et quidquid certi de Damnoniorum, Belgarum, Menapiorum, et Brigantum Magnæ Britanniæ origine statuatur, id Danannis, Firbolgis, Menapiis, et Brigantibus Hiberniæ commune fuisse existimo.—Belgæ et Damnonii usque ad sæculum tertium in Connacia floruere, ex australibus Hiberniæ partibus antea pulsi a Scotis.—Connaciæ pars quæ nunc *Erros* dicitur, *Erros Damnoniorum* appellatur ab Adamnano, qui scripsit ante Bedam anno 694. (2)

De Scotorum origine aliter sentiendum est. Nulla enim Gens Scotica memoratur in Magna Britannia a Ptolomeo, qui tamen Taxilos memorat, et Creones, Damnios, et Gadenos, aliosque longe minutiores quorum ipsæ periere ruinæ. Scoti in Britannia *primo* memorantur sæculo quarto ab Ammiano. Claudianus satis clare indicat eos ex Hibernia, quam *Jernen* appellat, navibus advectos, Britanniam petiisse, (3) et Hiberniam *solam* antiquitus Scotiam appellatam fuisse, omnes docti fatentur, ut recte notant, et plane demonstrant Usserius et Pinkertonus. (4)

Quid de eorum origine sentiendum sit, quove tempore Hiberniam appulerint, non aliunde quam ex *Fiecho, Cennfaeladio, Cuanaco, Maelmurio, Nennio*, aliisque qui ante sæculum x scripsere, definiri potest, nisi forte ad vanas conjecturas, nullo fundamento innixas, recurramus. Hi autem omnes eorum originem referunt ad gentes Hispanicas, quarum plurimæ, a Carthaginensibus et Romanis exagitatæ, vel inter se male coalescentes, fortunam quamvis tenuem foris, modo cum libertate conjunctam, domesticæ servituti prætulerunt. Hinc origo traditionis Hibernicæ, a Fiecho memoratæ, *Feniusum Fear-saidh* [Phœnicium virum sapientem] inter antiquos Scotorum Duces numerari, qui eorum Majores in Oriente rexit, antequam in Hispaniam ex Africa migrassent. (5) Eadem tradunt *Maelmurius, Nennius*, et *Marcus Anachoreta, Eochoid, Flannus*, aliique Scriptores metrici Hiberni quorum fragmenta in Bibliotheca Stowense servantur, nec ab his scriptis traditionibus diversa invenio ea, quæ *Giraldus* se deduxisse narrat *ex antiquissimis Hibernensium Historiis*, nisi quod, altius res repetens, ab ipso Diluvio, imo ab anno *ante Diluvium*, aut ignorantia, aut invidia ductus, Historiam Hibernicam auspiciari non erubescat. (6)

---

(1) In omnibus prædictis *Annalibus* et *Fragmentis Metricis in Bibliothecis Bodleiana* et *Stowense*.

(2) *Adamnan* de Vita Columbæ l. 1, c. 6, in Triade p. 340, et 374.

(3) Vide Annotationes ad Annal. Ulton. pag. 142. et *Claudiani* de laud. Stilichonis l. 2.

(4) *User.* Primord. p. 722 ad 734. Annot. ad *Annal. Ulton.* p. 150. *Pinkerton's* Enquiry, &c. v. 2, p. 223, &c.

(5) *Fiechi* Sleptensis Poema Hibernicum editum in Triade pag. 3, et laudatum ab *Usserio* Primord. p. 188.—"Novissime venerunt *Scoti* a partibus Hispaniæ ad Hiberniam,......Sic mihi peritissimi Scotorum nunciaverunt, *Scithæ in quarta ætate* Mundi obtinuerunt Hiberniam." Ita *Nennius*, sive Ninius Britannus, qui scripsit anno 858, et ex eo *Marcus Anachoreta*, supra pag. xv, not. 2. Confer Nennii editionem a Bertrammo Hauniæ 1757, c. 6, &c. cum editione Oxon. 1691, c. 6, 7, 8, 9, 10, p. 100.—Longe ante hos, eadem scripsere *Fiech*, et ejus *Scholiastes*, itemque *Scriptores metrici* quorum vetusta fragmenta, Hibernice scripta, adhuc in Bibliothecis prædictis conservantur. Hæc itaque constans est fama, et *scripta traditio*, saltem a sæculo sexto quo scripsit *Fiech*, quem sequuntur *Cuanac* et *Cennfaelad* sæculo vii, Fiechi *Scholiastes* sæculo viii, et *Nennius* ix.

(6) *Giraldi* Topogr. Dist. 3, c. 1, p. 735.

Quæ hactenus de Hibernorum historia primæva, et de æra eorum mundana, ac annos Christi a Kalendis Januariis auspicandi ratione, breviter dicta sunt, eo manifestiora fient, si cum sequente vetusta *Chronologia metrica*, ex duobus Codicibus, *Bodleiana* et *Stowense*, invicem collatis, descripta, conferantur. Codex Stowensis auctorem prodit *Gildam Coemanum*, qui sæculo xi floruit.(1) In ejusdem Codiçis margine, Flaherteus, rerum nostrarum peritissimus, notam hanc propria manu scriptam apposuit—" Habetur hoc poema in *O'Duvegani* libro, (i. e. in Codice MS. exarato ante " annum 1374) folio 174, pagina prima, apud Comitem Clanrickard—*G. Caimhain* hujus Poematis " authorem confirmat Thad. Rody." (2)

Colganus Coemanum passim laudat, et quædam ejus Opuscula, Hibernico idiomate conscripta, in Bibliotheca Hibernorum ordinis S. Francisci Lovanii extitisse inquit anno 1645, quorum I agit de sex mundi ætatibus.—II De adventu Cesaræ et sociorum in Hiberniam.—III De adventu *Partholoni* et sociorum in Hiberniam anno 278, vel, juxta alia exemplaria, 311 post Diluvium, et quomodo ejus posteri possederint Hiberniam usque ad annum a suo adventu trecentesimum, quo immanis mortalitatis clade plerique fuerint extincti.—IV De adventu *Nemethi* et filiorum in Hiberniam, utque eam cum suis posteris possederint spatio 416 annorum.—V De adventu Slangii, Roderici, &c. spatio 33 annorum, usque ad reditum posterorum prædicti Nemethi.—VI De reditu Bresii filii Athalani, aliorumque posterorum Nemethi in Hiberniam, et de Regibus ex his oriundis per annos 197.—VII De adventu Erimonis et Heberi, aliorumque filiorum Milesii Hispanici ex Hispania, de conquestu Hiberniæ per eos, et fuse postea de Regibus Hiberniæ usque ad quartum annum Laogarii Regis, et adventum S. Patricii, quem memorat in eundem annum incidisse. " Ibi finit suam historiam, inquit Colganus, si autem prætereа aliquid scripserit, quod " longe vero simile est, nondum licuit videre....Sunt autem patrio idiomate scripta, uti et aliæ " pleræque antiquitates nostræ gentis, cujus non solum singulæ Provinciæ, sed et nobiliores familiæ " proprios habent Antiquarios, hæreditariis prædiis, et honorariis præmiis conductos, ut suas scribant et conservent Antiquitates." (3)—Hactenus recte, et fideliter; errat autem vir doctus, Gildam hunc cum Gilda Albanico filio *Cauni* confundens, ex similitudine inter voces *Cauni* et *Caemhani*, quamvis enim literæ *mh* apud Hibernos efferantur ut *v* consonans, ac proinde voces istæ videantur eædem, et quamvis Opuscula a Colgano memorata Historiam Hibernicam non producant ultra adventum S. Patricii, quo tempore Gildas Albanicus floruit, attamen, tantum distat inter Gildam istum et Coemanum, quantum inter annos 500 et 1072.

---

(1) Codex Hibernicus in Biblioth. Stowense MS. No. XVI, fol. 139, p. 2.

(2) Ibid.--De eodem *Coemano* agunt *Harrisius*, in additamentis ad Waræi Scriptores, Dublinii 1746, pag. 67. Flaherteus in Epist. ad Linceum Londini 1665, p. 1, et 23, et Ogygia p. 6, et 247, et *Colganus* in Actis p. 198. Keatingus p. 64, 75, 78, 80, &c. His omnibus longe antiquior est Codex *Stowensis* membranaceus No. IV, et *Bodleianus* Laud F. 95, in quibus alia ejusdem poemata servantur, uti etiam Codices *Lecanus, O'Duveganius,* et *hua Congabhla,* citata a Flaherteo p 92, et a Ketingo pref. p. xx. Confer dicenda infra pag. xxx.

(3) *Acta SS.* p. 198. Concordat Camdenus in Hibernia—" Habent, inquit, suos juridicos quos *Brehones* vocant, suos " *Historicos* qui res gestas describunt, *Medicos, Poetas* quos Bardos vocant, et *Citharædos*, et certæ, et singulæ familiæ, scilicet *Brehoni* unius stirpis et nominis, *Historici* alterius, et sic de cæteris, qui suos liberos, sive cognatos, in sua " qualibet Arte erudiunt, et semper successores habent, quibus singulis sua prædia assignata sunt." Confer *Spenseri* View of Irel. Dublin 1633, *editio raro*, p. 51, et *Martin* Western Isles, Lond. 1720, p 104.

Quod si Colgano licuisset opus nunc primo editum videre, nunquam sane in errorem tam manifestum incidisset. Flaherteus, longe accuratior, et re diligentius perspecta, auctorem scripsisse inquit anno 1072, et ipsum hoc Poema, ex Comitis Clanricardiæ Codice sæpius citatum, eo ipso anno scriptum fuisse demonstrat. (1)—Extant et alia Coemani Opuscula, a Flaherteo pariter memorata, inter fragmenta metrica Hibernica, quæ Vir prænobilis Georgius, Marchio de Buckingham, solicitudine nunquam nimium laudanda, et Regiis sumptibus, ac munificentia, in Bibliotheca Stowense conservat. (2)—Cum ergo Gildas hic floruerit sæculo xi, ut infra ex ipso Poemate constabit, sequitur errare omnes, qui eum confundunt vel cum Albanico sæculi vi, cujus vitam ex Bibliotheca Floriacense edidit Mabillonius, (3) vel cum Badonico, cujus obitum notavi in Annalibus Ultoniensibus ad annum 569, vel cum alio Gilda Hibernense sæculi ix, qui colebatur Oostkercæ in Flandria, uti patet ex Balæo, et ex Miræi Fastis Belgicis ad diem 3 Julii, itemque ex Molani Natalibus SS. Belgii, et ex Meieri Historia Flandriæ ad annos 1062, 1065, et 1448.

Gildas non plures uno extitisse, nec alium unquam istius nominis scriptorem floruisse præter Badonicum, a Beda (4) et ab Alcuino (5) memoratum, nimium confidenter asserunt doctissimus Smith in nota ad Bedam, et Nicolsonius in Bibliotheca Anglo Historica, edita Londini anno 1776. (6) Alii, horum auctoritate decepti, in eundem errorem inciderunt, et Badonicum ac Albanicum pene omnes exteri cum Mabillonio confundunt. (7) Sed ab Usserii rationibus non erat levibus de causis discedendum, præsertim ubi rationes exhibet Chronologicas, ex certissimis Regum Hibernorum successionibus deductas, quæ temporum incongruentiam nullatenus conciliandam demonstrant. Omnium erroribus oppono Annales nostros, in quibus *ultra centum Gildas* invenio, pietate et doctrina conspicuos, inter quos eminere videtur Gildas *Coeman*, qui a veteri Scriptore Hibernico sequenti elogio metrico insignitur. (8)

" Gilda Coamhain go ngluinne—ua Gilda saoir Samhthainne,
" Rug geall o Bhardaibh go binn—eidir Albain is Erinn."

---

(1) Epist. ad Lincæum p. 7. Lond. 1665.

(2) Codex Stowensis Hibernicus Membranaceus, MS. No. IV, a pluribus sæculis exaratus, et Codex MS. olim *R. Flahertei*, nunc Stowensis No. XVI. Item Codex Stowens. Membran. No. I.

(3) *Mabillon.* Act. t. 1, p. 138. et apud Bolland. p. 954. (4) *Bedæ* Hist. l. 1, c. 22.

(5) *Alcuini* Epist. l. 2, apud Leland Collect. Lond. 1774, v. 2, p. 399.—Vita Gildæ ab auctore vetusto, apud Leland v. 3, Lond. 1770, p. 368, est Gildæ *Albanici* vita, quam supra memoravi. Partes quæ Badonicum respiciunt recentiores sunt, et interpolatæ, uti patet ex iis quæ narrantur de *fenestris vitreis*, quæ tamen in Insulis Britannicis ignotæ erant usque ad sæculum vii. Vide Annal. Ulton. pag. 137.

(6) *Nicolson's* Eng.-Hist.-Libr. Lond. 1776, pag. 25. *Smith* not. ad Bed. Hist. l. 1, c. 22, p. 58.

(7) *Mabillonii* Annales t. 1, l. 7, n. xix, p. 150.—Tota hæc confusio orta est ex imperitia Scriptoris anonymi de Vita Gildæ, quam, ex Bibliothecæ Floriacensis vetustis Codicibus, edidit primo Jo. a Bosco, c. 12, postea Bolandus p. 954, et demum Mabillonius in Actis t. 1, p. 138, quibus oppono Usserii rationes Chronologicas in Primord. p. 444, et notam ad *Annal. Ulton.* ann. 968.—Vitam *Albanici* scripsere plures, Badonici nemo antiquus. Conferenda est Lobineaui " Hist. de Bretagne," Paris fol. 1707, t. 2, p. 31, et D. Mauricii " *Memoires sur l. Hist. de Bretagne.*" 3 vol. fol. 1745, et " *Hist. de la Bretagne.*" 2 vol. fol. 1750. Pro certo tenendum est, auctorem Floriacensem Vitæ Gildæ scripsisse post annum 1008, et vitam Albanici et Badonici in unum conflasse, cum tamen Albanius obierit anno 512, vel 522, et Badonicus non nisi anno 520 natus est, quidquid asserant qui ejus nativitatem referunt ad ann. 494.

(8) Codex membraneus Hibernicus Stowensis No. IV, fol. ult. lin. ult. itemque Codex Hibernicus No. XVI, fol. 10, v. 3, et 4, et in tertio exemplari ibid. fol. 107, p. 2, v. 1, quorum ambo descripta ex Codice *hua Conghabla*, a Flaherteo collata fuere cum Codice *O'Duveganeo* Comitis Clanrickardi.

" [Gildas Coeman vere candidus—nepos Gildæ nobilis Samthanni,
" Reportavit palmam a Bardis dulciter—et Albaniæ et Hiberniæ."

Adjungo præterea, *Gildæ* nomen non esse vel Britannicum vel Saxonicum, sed pure et exclusive Hibernicum. Aliquando scribitur *Gilla*, alias *Gilda*, in more enim habebant prisci Hiberni, ubi *ll* occurrit, scribere *ld*. Vox ipsa *servum* significat, vel *famulum*, estque adhuc in communi usu per totam Hiberniam. Antiqui nempe, qui erga certos Sanctos devoti erant, filios suos Sancti istius *Gildas* appellabant, i. e. famulos, atque hinc in nostris Annalibus tot invenimus *Gildas-Patricios*, *Gildas Brendanós*, *Gildas-Columbas*, &c. nec a Sanctis solis, sed aliquando ab ipso Deo *Gilla-De*, a Christo *Gilla-Christ*, et a Virgine *Gilla-Muire* nomen accepere, ita ut omnes Gildas origine Hibernos fuisse crediderim. *Albanicum* e parentibus Hibernis ortum indicat Patria *Alcluid*, quæ fuit etiam S. Patricii patria, et eo ævo Arx Hibernorum, uti patet ex *Beda* (Hist. l. 1, c. 1, et 12,) et ex *Adamnano* antiquiore, (de Vita Columbæ l. 1, c. 15,) collatis cum Bollando, et Colgano. (1) Neque ex Hibernorum numero, absque validissimis rationibus, excludendus est Gildas ille sapiens, et querulus, et Badonicus dictus, cujus unicum quod restat Opusculum " De Excidio," conviciis in Britannos refertum, edidit primo Polydorus Virgilius Londini anno 1525, postea alii, et demum *Gale* Oxon. 1691. Etiam hunc, etsi in Britannia natum tradant quidam recentiores, nulla auctoritate suffulti, origine Hibernensem fuisse, prodit nomen *Gildas*, æque ac proderent nomina O' Neil, O'Brian, O'Conor, aliaque Hibernis exclusive propria ; neque parum roboris argumento huic ex ejus in Britannos acri mordacitate accedit, vix enim, si ortu Britannicus fuisset, suos concives tot conviciis impeteret, " Britanni, inquit, nec in bello fortes, nec in pace fideles."

Jamque his expositis, restat ut ad ipsum Poema accedamus—Antiquarum traditionum quæ in primis distichis continentur, fidem in me non recipio, donec ad æram Christianam propius adventum fuerit, præsertim cum Tigernachus accuratissimus asserat, " omnia Monumenta Scotorum incerta esse usque *Kimbooth*," nempe usque ad Regem Hiberniæ qui Eamaniam Ultoniæ Regiam condidit, annis plus minus 300 ante Christum. Hoc solum ex sequenti Poemate astruo, ea quæ hactenus de veteri Hibernorum Historia dicta sunt, cum eorum scriptis traditionibus consentire, et methodum æram Mundanam, et annos Christi a Kalendis Januariis auspicandi, supra a me expositam, eam fuisse quam Hiberni antiqui, ante Tigernachi tempora coluere.

In hac Chronologia metrica edenda, Codicem *Stowensem* utpote præstantiorem elegi, ejusque textum, etsi recentius exaratum, Bodleiano præposui ; utrumque tamen exhibere, operæ pretium existimavi, accurata facta utriusque collatione, et variantibus ad imum paginæ descriptis, quibus pateat, discrepantiam omnem ex amanuensium oscitantia oriri, et tantam non esse ut poematis auctoritati ullatenus officere censenda sit.—Quod si objiciatur vix ullam fidem poemati præstandam esse, cujus antiquissimum textum Bodleianum, a 500 annis exaratum, in nonnullis corruptum esse concedo, respondeo id etiam in Bibliorum MSS. Codicibus evenire, ut amanuensium incuria, antiquissimæ lectiones depravatæ rejiciendæ sint, et recentiores, fatentibus doctis, retinendæ. (2)

---

(1) Colgani Dissert. de S. Patricii patria, in Triade.—Confer Glossarium nostrum Topographicum, unde patet, Hibernos ex illis partibus, crebras irruptiones in Britanniam Romanam isto ævo facere assuevisse, idque ex suis stationibus, quarum una fuit, lingua eorum, *Alcluid*, i. e. Rupes fluminis Cluidii, hodie *Dunbarton*.

(2) Theodori Bezæ Epist. ad Acad. Cantabr. anno 1581, et in Præfat. in N. Test. ann. 1559. *Simon*. Hist. Crit. l. 1, c. 1, p. 13.

Beza inquit de Codice Cantabrigiense "*venerandæ esse vetustatis*," et a mille, et amplius annis exaratum esse, conveniunt omnes. Attamen de hoc ipso Codice idem Beza inquit "tantam repertam esse "dissonantiam, ut *vitandæ quorundam offensioni, asservandam potius quam publicandam existimem*." Ergone antiquorum auctoritati valedicendum est, quia in antiquissimis Codicibus, sententiæ quædam depravatæ leguntur, aut Aristarchi exemplum imitari licebit, qui tantum sibi in Homeri Poemate permisit, ut versus quos vellet, tanquam suppositítios ex Homeri familia rejiciendos esse clamaret? Longe diversam methodum sequuntur doctissimi viri, qui quod in veterum libris ac scriptis, quod in publica moneta, aliisque passim per orbem rebus evenit, id in rebus etiam Hibernensibus evenisse minime mirabuntur. Quod si corrupta esse quædam fateamur, aut manca, et mutila, nonnulla etiam temerario ausu interpolata, non ideo tamen respuenda esse, sed potius diligenter servanda, et variorum Codicum recensione, ad pristinam integritatem restituenda putarem; quod enim in uno Codice deest, extat in alio, et quod in uno corruptum legitur, in alio genuinum invenitur, et sicuti nec libros sacros, nec genuina antiquorum opera, neque monetas omnes rejicimus, quia nonnulla vitiata circumferuntur, ita nec Bardorum veterum Hiberniæ respuenda sunt fragmenta metrica, hactenus inedita, quamvis in nonnullis exemplaribus, disticha quædam, mille annorum injuria, depravata legantur; imo vero, quemadmodum vulnera, et cicatrices heroem ostendunt, et canities senescentem ætatem, et rudera vetusta ædificia ipsa antiquitus extitisse declarant, ita fragmenta hæc metrica, ipsis suis defectibus, stylo, methodo, lingua vetusta, et Codicibus, veram ac genuinam præ se ferre antiquitatem, unanimi doctorum consensu, manifestum fore confido.

Illud præterea notandum est, exemplar Stowense ex Codice *Hua Congabhla* descriptum fuisse, uti patet ex Amanuensis nota, ad calcem adjecta, fol. cxi, pag. 2.---Atqui celebris est inter Hibernos istius codicis jam deperditi memoria, memoratur enim inter præcipuos Hiberniæ Codices a *Ketingo* in Præfatione pag. xxi, et passim in IV *Magistrorum* Annalibus autographis, ac in aliis vetustis Codicibus membranaceis Hibernicis in Bibliotheca Stowense, quorum nonnulli a pluribus sæculis exarati sunt. Deinde, *Codicem Stowensem* contulit ipse Flaherteus cum alio Codice vetusto "*O'Duvegani, O'Kelliorum* Hymaniæ dominorum Antiquarii, exarato *antequam Murchertus O'Kelly*, seu "Mauritius Cluanfertensis Episcopus, ad Tuamensem sedem *anno* 1394 *erectus est*, ac etiamnum, "a multis jam annis, in custodia illustrissimorum *Clannrickardiæ* Comitum conservato, in quo, inter "alia Miscellanea supra citata, *G. Cocmani*, et *G. Modudii* de Regibus Hiberniæ Poemata, et "*Poema Chronologicum, Annalad*, &c. extant."—*Flahert*. Ep. ad Linceum, Lond. 1665, p. 18.--- Jam vero obiit *O'Duveganus* anno 1374, uti patet ex Codice MS. Stowense No. X, in quo ejus Poemata servantur; Codex ergo de quo agitur, a *quingenitis fere annis* exaratus est.

Hinc, accurata facta exemplariorum recensione, totam hanc difficilem quidem, sed necessariam lucubrationem lectoribus ita exponere curavi, ut quamvis textum Stowensem utpote præstantiorem elegerim, variantes tamen Bodleiani textus lectiones, ad imum paginæ exhibuerim; neque his contentus, in notis et observationibus quæ versionem illustrant, rationes, ex indubitatis veterum scriptis, et Annalibus adduxi, quibus, genuina lectione retenta, et spuria rejecta, quæ saniora sunt, ad rectam utriusque Codicis lectionem restituendam, substituere studeamus. Tria itaque in hac nostra hujus Poematis editione, distinguenda sunt.

I. Textus Codicis Stowensis, quem præ cæteris, propter rationes allatas, elegi.

II. Textus Codicis Bodleiani, cujus lectiones variantes ad imum paginæ exhibui.

III. Versio Latina ad literam, cui notas apposui, ex quibus veram Chronologicam temporum rationem ad pristinam integritatem restituendam existimavi—Cætera Lectorum disquisitionibus, et Nobilissimi Viri, cujus patrocinio hæc fragmenta, nunc *primum*, e veteri Lingua Hibernica, Latino donata sunt, arbitrio et benevolentiæ derelinquo.

GILDÆ COEMANI,

POETÆ HIBERNENSIS SÆCULI XI.

Chronologia Metrica Regum Hiberniæ, scripta anno æræ communis

MLXXII.

Nunc primum edita, ex Codice Bodleiano Laud F. 95, fol. 33, a quingentis et amplius annis exarato, testante Waræo, Antiq. Hib. Londini 1654, pag. 92,—itemque ex Codice Flaherteano, nunc *Stowense*, MS. Hibern. No. XVI.

TEXTUS CODICIS STOWENSIS.

GILLAE COEMHAIN, cc.

Annaladh anall uile—o thus bethadh bairbuidhe,
Aisneid fetsa sund sein—cosinn aimsir ndeidhenaigh.
Se bl. l. gnimh nglan—mile ar se chetaibh bliadhnaib, (a)
Rimim aris rus cenail—co dilind o thus domain.
Da chet a do nochat nar—o dilind co h Abram.
O Abram noi cet, ni scit—cethracha a do co David.
*O Daid co brait, ni brec,—*lxx *a tri ceithre chet.*
O brait, co Cr. cain abla—a noi coicced ocht moga. (b)
Tri mile bl. ni brec—Da bl. coicat noi cet,
Co gein mc Maire tall tair—anall o tus tosach domain.

LECTIONES VARIANTES CODICIS BODLEIANI.

(a) Linea hæc mendosa est in Codice Bodleiano, sic

" *Deich c. bl. v. c. cain—a. v. coicat do bliadhnaib*"

" Decies centeni anni *quingenti* placidi—*quinque* et quinquaginta annorum."

Optime autem cum Stowense conveniret sic

"*Deich c. bl. vi. c. cain—a vi coicat do bliadhnaibh*"

" Decies centeni anni *sexcenti* placidi—*sex* et quinquaginta annorum."

i. e. 1656, unde manifestum est errorem esse amanuensis qui bis scripsit v. pro vi.

(b) *Annoi* v *mile octmoga.* i. e. 5089, ubi *mile* ponitur pro *ced.* Codex Stowensis ad Bedam refert in margine, sic *Beda* ·. idque eadem manu qua totus Codex exaratus est. Sed de Beda silent alii Codices omnino.

A do secht mogat (c) *seol nglan,—s. is ar mile bliadan,*
O ghein Criost co mbl. mbaim,—sect maide uate euair.
A cetair ficet, fir damh—7 coic mile bliadan,
Cossin mbliadansi as blad brass—o ro delbad doman drechmass.
Da cet mbl. gossin mbuaid—co mesc tuir noitig Nebruaid. (d)
O dilind s. deic mbliadan,—is derb duit (e) *cia no riagla.*
A do lx soer in brigh—o mesc an tuir co flait Nin,
Bl. ar da ficet sain (f)*—co Abraam cossin athair.*
Sesca bl. cennach mbron—o Abram co Partholon,
Dia ra gaib in Inis find—tri cet (g) *bl. iar n dilind.*
O gein Abraim eol-dam sain—co tarmtecht mara robair.
Da bl. coic cet co cert—dia ro baidedh sluagh Egept.
Isin aimsir sin raidit raind—ro togladtiar tor Conaind.
Agus luidh Sru sair for fecht—do chum na Scithia a h Egept.
Medon flatha Ascathias sain—tarmthecht mara ruaidh ro mair.
Da cet bl. dara eis—deredh flatha Lapades.
Hi flaith Lapadeis leir blad—ruc Uesoges in sluagh.
Agus tainic sluagh as lia—na degaidh assin Scitia.
Isind amsir sin a ne—tossach neirt na cich loiscte. (h)
Isind amsir sin cid ord bind—trebsat Firbolgg Erind.
Oct moga bl. dia eis—ba ri an talman Tutanes,
Is na re ro gabsat tair—Gaedil is na Gaetlaigibh.
Isind aimsir sin ciat ber—rognidh cath maige turedh,
Isin aimsir sin gan goi nga (i)*—ro togladh Troi Troianna.*
Themas be he ainim in rig—boi i comhaimsir do D—d,
Is and luidh in uir in ri—in aimsir duir Darcelli.
Darcellus ba flait na fond—dar triall Solam a thempoll,
Im meadhon flata ind fir find,—tancatar Gaedil in h Erind.
Astiages abb cen fell,—diar airged Jerusalem.
Tiugfhlait Med mait ro molad, (j)*—i comflaitis Nabcodon.*
Darcellus Solam na sleg—i comhaimsiris meic Miled.
ccccc *acht fice dia neis* (k) *—Nabcodon Astiages.*
Sirna ri Temra na Tor,—i comflaitis Nobcodon.

(c) *Octmogat* i.e. 80, mendose pro *sechtmogat* 70, numeri enim 1072 in Codice Stowense, conveniunt cum motibus solis et lunæ, et cum obitu *Diarmitii* filii *Maelnambo*, in Annalibus Tigernachi tum viventis, et cum disticho hujus Poematis penultimo quod vide. Confer not. 1 ad versionem Latinam, infra p. xxxvi.
(d) *neming*, i.e. nullius validitatis, rectius ni fallor quam *noithig*, nobilis.
(e) *fir*, quoad sensum idem est ac *derb*. (f) *Da bl. fichet* [duo anni viginti,] mendosa transpositione.
(g) *Tri c. cetracat.* [340.] (h) *Crich* (regionem) mendose pro *cich* mamillarum.
(i) *cen goi riagla*, et melius, [absque mendacio, vel errore regularum.] (j) *in a mol* mendose.
(k) *V. C. a viii xx*,—amanuensis vitio, quia nempe *a viii*, Hibernice effertur ut vox *acht* [sed.]

And fechta fath ngailc,—cath Mona truim troghaide.
Tricha tri ced o sain illc—co tus flatha Ugainc.
Deiredh flatha Pers blad nglicc,—tossoch fla. mc Pilip.
Triocha (l) *tri cet mbl. mbil,—o flaith aird Alaxandair,*
Co ro genair mc maith Maire,—7 o flait Ugaine.
Secht mblina xl *cain,—o gein Cr. bas Concobhair.*
A do dheug o sin illc, (m)*—co bas crodha Conaire.*
Secht mbl. l. at cet cain—o bhas Conaire ceolaigh,
Isin Bruigin borb a blad,—co torchar Tuathal techtmar.
Da bl. cagad iar sain,—iar marbh in tuirc Tuatail, (n)
Co bas Cuind-cet-cathaigh cain,—isin tulaig i Tuadamair.
A secht trichat iar Cond cruaid,—co cath Mucruimi mong-ruaid,
Itorcratar mor anigal—Chian, Corm. is Eogan. (o)
Secht mbl. l. *at cen cradh,—o cat Mucruime na mal,*
Co torcar Find leo ciar fell—do rennaib tri mc Urgrenn.
Coic bl. xl *cain—iar marbh Find a h Almain,*
Co maidin Duibhchomair carnaig, (p)*—rias na Collaibh cath-calmaib.*
Coic bl. o sein illc,—co discor (q) *Emna-mache.*
Sa cetair xx *at derb lib,* (r)*—co bas Muiridaig-Tirigh.*
O bas Muridhaig Midhe,—oc Daball na n dond bile,
L. *bl. s. bl.—co tuitim Neill noi giallaigh.*
Fiche bl. fora fecht,—o ro scar Niall ria nert,
Co toracht Patraic bairbreg,—do cobhair clann mc Miled.
VIII *mblina l. derb dait* (s)*—o sen co etsecht Patraic.*
O bas Patraic comul ngle,—Tricha bl. bas Brigte.
Fiche bl. iar mbas Brigte,—cia cuire ris nach lan cinnte.
Bas Tuathail maelgairb con grain,—bl ria netsect Chiarain.
Cert fhichet o sen ille—cocath cuile Conaire.
Sin bliadain sin radit raind,—bas Diarmata mc Cerbaill.
Tricha bl. tri blina coir o sen,—dola iarma co bas mheic
Feidhilmthi in Hi,—is co estecht Grigorii.
Fiche bl. iar mbas hu Cuind,—co cath slebe Toadh truim,
And ro marbad mor an chrech,—Maelcoba gal cet clerech.
Bl. ar ficit fil uad,—co maidm catha Raith ro ruaid.

(l) Ambo Codices habent in textu *Sesca*, sed Codex Stowensis habet inter lineas *Triocha* et melius.
(m) *a dho* xx Bodl. *a do* xxx Stowens. in textu, sed inter lineas "*a do dheug,*" et melius, ut patet ex Annalibus.
(n) *Da bl.* xxx ambo Codices, sed melius *Da bl. cagad* in Stowense, inter lineas.
(o) *Art, Cian, Cormac,* is *Eogan* et recte. (p) *Carnaig* in Bodl. et recte. *Calma* perperam in Stowense.
(q) *Coscradh* in Bodl. quod idem est ac *discor.* (r) xxx pro xx.
(s) *con blaid* cum fama, pro *derb dait.*

Eitsecht Mochuda leim nglan (t)—*Bas Failbe-Flann flaith Mumhan.*
Fiche a choic o sin as sgel grind,—cossin mortlaid dar h Erind.
Dia mbat Diarmat Blatmac ban—Fecin agus Aileran.
Coic bl. coicat gnim ngle—co cath narmach n Almaine,
And do rochar Conall mend,—7 Fergal flaith h Erend.
Secht mblina sa deic derbait—anall o marbad Fergail,
Co cath Ucbadh im bit Bran—i torchair Aed md. mc. Colgain.
O cath Ucbadh mor in bett—vii *mblina ni himar brecc,* (u)
Bas Aedh Allain Congail (v)—*and ro bith i Seredmaigh.* (w)
Fice bl. ni blad ban—o do rocair Aedh Allan.
Co bas righ Mide bethaig (x)—*Domhnaill Midhe morcrecaigh.* (y)
XL *is bl. ciat b.—o bas Domnaill droma den,*
Co tabairt Cenandsa cen cat—do Col. c. ceolach. (z)
XL. *bl. s. bliadain—o sein, is reil in riaghail,*
Badhadh Turges marbadh Neill (a)—*is ecc Feidhilmthe for trein.*
XXX *bl. da bl.* (b)—*o bas Neill-caille cliaraig,*
Co tres Mugna mor in cath —i m bit Cormc is Cellach.
Oct mblina iar sin co bas Flaind—dar giall sat Gaoind is Gaill.
Tri blina iar n ecc Flaind fail—bas Neill mc Aeda im slain.
Romarbta malle ra Niall—Concob. Flaithbertach fial.
Maelmithig Maelmaire in mal—7 Aed mac Eochacan.
Fice bl. a coic cen cair—o bas hu Neill noi giallaigh.
Bas Dondcadha Midhe maill—sen-athair mait Maelsechnaill.
Trica bl. tri blina (c)—*o bas ardrig na n Jarla*
Co bas Ragnaill cosin rath—tall i tedmaim na Temrach.
Cert fiche bl. cen brath—co maidme toracht ghlan Temrach.
Cosin cath in glind manma—im bat. cind cnesbana.
Cetre bl. o sen ille—cur cuiredh cath na craibe.
O chath na craibe sa deich—co bas Briain mc Ceneticch.
Noi mbl. iar mbas Briain—ec mc Domhnaill in a diaid,

(t) *ceinnglan* a culpa immunis, pro *leim nglan.*
(u) Ambo Codices habent vii. in textu, sed in Stowense lego v inter lineas.
(v) *cenail* sine dedecore.
(w) *isin cath* [in prælio] pro *and robith.*
(x) *linc-letain* i. e. copia rerum abundantis pro *Mide bethaigh.*
(y) *mor-ecchaig,* i. e. magnus militaribus equis, pro *mor crecaig.*
(z) Deest distichon hoc in Codice Bodleiano.
(a) Codex Bodl. habet *Marbhadh* pro *Badhadh,* et viceversa *badhadh* pro *marbadh,* transpositione manifesta, *Turgesium* enim in lacu *Uair,* in Midia demersum fuisse anno 845, consentiunt Annales *Tigernachi Ultonienses,* et *Giraldus* errat Topogr. Hib. Dist. 3, c. 40, p. 749. Ejus errorem recte notat *Gr. Lucius* p. 305.
(b) Conveniunt ambo Codices in *xxx* in textu, sed Codex *Stowensis* habet *lx* inter lineas, et recte.
(c) Ambo Codices habent *tri.* sed *Stowensis* inter lineas *vi.* et recte.

A do xl *ceim nglan—o soin bas Donnchad Mumhain.*
Da bl. ni brecc in gliaid—o ecc Dondch. mc Briain,
Cath Saxan seol n glaine—i torcar ri lochlainne.
Coic bl. osin ille—cosin mbliansi an osse. (c)
Sechtm. uathad slis. sadal—for enair rath annalad. (d)
A do vii *n deich ar mile—o gein Cr. cia (l. comh.) ro rimhe,*
Cosin mbl. si ciat b.—i torchair Diarmait durgen (e)
A Cr. a grian os gach guirt—Airchis domanmain im curp,
Ni rop seng do tairbert damh—bid airdairc lem.—thaunalad A.
————*As leab. na hua Congabhala do sccriobh.*

(c) *i tainne* quo sumus, pro *anosse* nunc.
(d) " *Sechtmadh uath ard a blad—for Enair, ria in labrad.*"
" Septima luna alta ejus fama—in Januarium, secundum dicta."
(e) *Diarmait Laing nambo* (·i· *mac Mailnambo.*) inter lineas, sed eadem manu, et eodem atramento.

VERSIO LATINA LITERALIS.

Gildas Coemhain cecinit

Annales annalium omnium—ab initio vitæ primævæ,
Annunciabunt sequentia hæc—usque ad tempora ultima.
1656 Sex anni et 50, res perspicua,—mille supra 600 annos,
Numero de ætate primarum generationum—ad Diluvium ab initio mundi.
292 Ducenti duo nonaginta fuere—a Diluvio ad Abrahamum.
942 Ab Abrahamo nongenti, noli omittere—42, usque David.
473 A David ad captivatem, non falsa (cano)—73 quadringenti.
589 A captivitate ad Christum mansuetum hostiam—quingenti octuagintanovem.
3952 Ter mille anni non falsa (cano)—duo anni quinquaginta nongenti,
Ad nativitatem filii Mariæ supra maculam—Annales (sunt) a principio initii mundi.
1072 Duo septuaginta nitidi (perfecti ad unguem)—sunt supra mille anni,
A nato Christo ad annum hunc quo—vii lunæ incepit Januarius. (1)

(1) Novilunium incidit in diem 25 Decembris anno 1071. Recte igitur *septima luna* cum Kal. Jan. concurrere dicitur anno 1072.—Hinc ætas poematis inconcusse refertur ad ann. æræ communis 1072. Confer distichon penult. ubi Coemanus inquit *Diarmitium*, Lageniæ Regem, eo anno interfectum fuisse. Atqui *Diarmitius* iste occubuit, non Idib. Feb. et die Martis, anno 1073, ut scribit Flaherteus in Epist. ad Linc. p. 7, sed " *vii. Id. Febr. die Martis, anno* 1072," uti narrant *Tigernach*, et *Annales Ulton.* æque ac *Coeman*. Concurrunt temporum notæ, nam *vii. Lunæ* concurrit

5024 Viginti quatuor vere mihi—et quinque mille anni,
Usque ad annum hunc famæ inclytæ—a redacto mundo in formam pulchram.
Ducenti anni usque ad moerorem—ad confusionem turris nobilis Nimrodi,
190 A Diluvio, exceptis decem annis—ut declarant tibi ordines regularum.
62 Duo sexaginta prosperi potestate—a confusione turris ad regnum Nini,
41 Annus supra bis viginti inde—ad Abrahamum usque Patriarcam.
19 Sexaginta anni, unum non mutua, (isti cum annis)—ab Abrahamo ad Partholanum,
Qui obtinuit Insulam candidam—300 annis post diluvium (1)
A nato Abrahamo, scientia doctorum hæc—ad transitum maris rubri,
502 Duo anni quingenti accurate—quando demersus est exercitus Ægypti.
In tempore isto, dicunt versus—expugnata fuit turris Conani (2)
Et transivit Sru ab oriente itinerans—a Scithia in Ægyptum,
Medio regiminis Ascadei istud (3)—transitus maris rubri valde periculosi.
200 Ducentis annis postea—finis regni Lampadesii. (4)

---

cum *Kal. Jan.* istius anni, et *vii Id. Febr.* cum *die Martis.*—Habemus ergo *Coemanum* Poematis hujus auctorem, *tempus* quo floruit, et *annum ipsum* quo Poema conscriptum est, quod de nullo alio Poemate Hibernico hactenus edito dici potest. Id ultra confirmatur ex versibus 13, et 14, quibus inquit, annum Mundi 5024, eo anno cum cæteris notis chronicis prædictis concurrisse, quod ex Solis et Lunæ cursu, et ex calculis, manifestum est.

(1) Lege 312, ut indicant numeri a Diluvio in margine. Extat, in Codice vetusto membraneo Stowense No. IV, aliud *Coemani* Poema de Regum Hibernorum successionibus, incipiens a versu—

" *Heriu ard inis na righ—maighean molbthach na mor-gnimh.*"

" Hibernia nobilis insula Regum—domicilium conspicuum celebre magnorum facinorum."

Extant prætcrea in eadem Bibliotheca, in Codice Hibernico No. XVI, duo alia ejusdem Poematis exemplaria Flahertcana, ex Codice vetusto *hua Conghabhla* descripta, et cum *O'Dubhegani* Codice, olim Comitis Clannrickardi collata, uti patet ex folio 4, et fol. 101, itemque collata cum vetusto Codice *Lecano* qui extabat in Bibliotheca Dubliniense anno 1684, uti patet ex Flahertei nota marginale MS. fol. 15 pag. 2.

Jam vero, in hoc poemate, cujus extant et alia vetera exemplaria in Stowense, Partholani adventus refertur ad annum *post Diluvium* 311, uti etiam in ejusdem poematis codice citato a Flaherteo pag. 65, qui anni 311 si adjiciantur anno 1658, quo Diluvium cessavit, efficient annum Mundi 1969, quo advenit Partholanus, secundum Codicem *Cluanensem* citatum a Flaherteo ibidem. Colganus similiter Coemanum citans, juxta exemplaria quæ Lovanii extabant anno 1645, inquit, in istis, ut in Stowense, " Partholani adventum referri ad ann. 278, vel juxta alia exemplaria, 311 *post Diluvium*" p. 198.—Hæc notanda duxi, non ad veritatem *facti* eliciendam, sed tantum ad demonstrandum veterum Codicum cum Stowense consensum. Giraldus etiam Partholani adventum refert ad *ann. post Diluvium* 300. *Girald.* Topogr. Hib. Francofurti 1603. pag. 735. Eædem traditiones eodem modo referuntur anno 858 a *Nennio*, et *Samuele*, edit *Gale*, c. vi, pag. 100, et a vetustioribus *Cennfaeladio, Forcherno, Molmura*, et *Eochodio*, cujus fragmenta, a Ketingo ex Cormaci Psalterio citata p. 28, in Stowense Bibliotheca adservantur.

(2) *Tor-Conainn* vetustissimum est nomen Insulæ septentrionalis Hiberniæ, quæ nunc ab indigenis appellatur *Tor-inis*, Anglice Tory-Island. In hac Insula turrim conditam fuisse a quodam *Conano*, qui inde Hiberniam, tunc a Colonia *Nemedorum* occupatam, infestabant, tradit Coeman in alio poemate " *Eire ard*," et IV *Magistri* in Annalibus.—Extant in Stowense duo vetusta exemplaria Poematis Hibernici " *Togail tuir Conain*," scripti ab *Eochodio*, qui citatur a *Cormaco* Cassellense, defuncto anno 908. Vide Keatingum p. 28. Flaherteus Eochodium appellat "*auctorem perquam* " *vetustum*" p. 65 Poema prædictum " Expugnatio Turris Conani" extat in Codice Stowense No. XI, fol. 44.

(3) " *Ascades* xvi Rex Assyriorum regnavit annis xl ab anno Mosis 72, Mundi 3682"—*Eusebii Chron.* Basileæ 1529 fol. 22, et *Cassiodori* Chron ibid fol. 156.—Eorum autem computatio est lxx Interpretum.

(4) " *Lampades* xxii Rex Assyriorum regnavit annis xxx, paulo ante Deboram in Judæa, ab anno Mundi 3876." *Euseb. Chron.* fol. 29. *Cassiodorus*, ib. fol. 156. De his tacet *Beda*.

Regnante Lampadesio secundum famam—obtinuit Vesoges exercitum,
Et venit exercitus numerosior—post istum ex Scithia. (1)
In tempore isto quo hæc—initium potestatis mamillis incensarum (Amazonum.) (2)
In tempore isto secundum ordinem dulciter cantantium—coluerunt Belgæ Hiberniam.
80 Octuaginta annis postea—fuit rex terræ Tutanes.
In ejus regno obtinuerunt regiones Gaedheli in Gethulia.
In tempore isto uti canunt—gestum est prælium Moytura (campi turris,) (3)
In tempore isto sine mendacio—expugnata est Troja Trojanorum. (4)
Themas erat nomen Regis—qui fuit contemporaneus Davidis.
Et tunc decubuit in peccatum Rex (David)—In tempore ferocis Darcelli. (5)
Darcellus erat rex terræ—ædificante Salomone Templum.

---

(1) De *Vesoge* tacent Eusebius, Cassiodorus, Beda, et alii.—Unde hæc descripserit Coemanus ignoro, nisi forte *Verorem* Regem Ægypti innuat, quem Scythæ vicerunt, uti narrat ex Trogo Justinus.

(2) A *Scytharum* origine orientali, eorum progressum sequitur *Coemanus* occidentem versus; primo Ægyptum, postea Africam. Miror quam accurate. Scytharum enim originem, et res gestas, fabularum licentia ita corrupit, ut in his recensendis, Grotius, et recentiores, etiam docti, in innumeros inciderint errores, Jornandem, Isidorum, Bedam, et Paulum Diaconum creduli sequentes, qui Scythas *ex Scandinavia* ortos, et inde in Asiam migrantes describunt! Justinus e contra eorum *ex Asia* ortum, et cum Ægyptiis de Antiquitate contentionem, et Amazonum regna ab eorum feminis condita declarat, et deinde eorum progressum versus occidentem, et bella in Ægyptios prospera, ac in Europam migrationes confirmat l. 2, c. 1—4, et *Herodotus* l. iv. edit *Wesselingi* Amstelod. 1763, p. 288, &c.—Ante Herodotum Æschylus primus Scytharum Nomadum meminit in Prometheo v. 722. Eorum in Egyptios bella refert Usserius ex Herodoti l. 1, c. 105, ad regnum Josiæ, et annum Mundi 3373. Et quidem Scythas eo anno, i. e. Olympiadis xxxvii anno 2, Palæstinam pervasisse scribit *Eusebius* in Chronico. fol. 50. Scythopolis in Palæstina appellatur " Bethsan quæ est Scy-" tharum urbs." Judic 1, v. 27, edit. lxx. Alia erat Scythopolis urbs Coelesyriæ. Ptol. Geogr. l. 5, c. 15, p. 139. Scytharum ab Oriente ad Occidentem progressum describit Epiphanius libro de Hæres. apud Bryant, Analysis vol. 3. " There was a province in Egypt, and another in Syria styled Scythia; there was also a Scythia in Asia Minor, above " Galatia, where the Amazons were supposed to have resided. The country about Colchis and Iberia, a great part of " Thrace and Moesia, were styled Scythic....The natives of Boetica in Iberia, were related to them." &c. p. 143.

Eadem habet Newtonus—" About, and after the days of Joshua, Greece, and all Europe, was peopled by wander-" ing Cimmerians, and Scythians." Newton's Chronol. Lond. 1785, p. 273.

Iberorum veterum, i. e. Scytharum, ex Africa in Hispaniam transitum, testatus est ex antiquis Varro, ex Varrone Plinius——" In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos, et Persas, et Phœnicas, Celtasque, et Poenos tradit." Plin. l. 3, c. 3. ed. Harduini t. 1, p. 137. Confer Appiani Iberica p. 256, et Diodori Biblioth. l. 5, c. ix, ubi agit de Iberia et Celtiberia, ed. Wesseling Amstelod. 1746, t. 1, p. 345, 347, 360, cum Petiti Dissert. de Amazon. Errant ergo Jornandes, et qui eum sequuntur, Isidorus, Beda, Paulus Diaconus, Grotius, &c. &c. Coemanus autem, in ultima scribens Hibernia, antiquitatibus Patriis adhærens, veritatem assecutus est, quam *Nennius* se ab Hibernis didicisse testatur—" Scythæ, i. e. Scoti, in IV Mundi ætate obtinuerunt Hiberniam. Sic mihi peritissimi Scotorum nunciaverunt." Nen. edit. Gale, c. x, p. 101. Scotorum nomen supra deduxi ab arte Sagittaria qua Scythæ excelluerunt pag. xxiv, n. 5. Eadem postea confirmata inveni a Bocharto in Phaleg. l. 3, c. 13, et a Vossio de Idololat. c. 9. Vide plura de Scotorum origine, in Dissert. de *Relig. Ethnicor. Hibern.* MS. in Stowense. " Hos Scythas Herodotus MS. vocat *Scoto-Scuthas.*" Gale Scriptores x, p. 121.

(3) *Moytura*—Hoc prælium campi turris antiquissimum memoratur a *Flanno*, in Poemate "*Eistig a Eolcha,*" [Audite o docti, &c.] unde patet, gestum fuisse inter Belgas et Damnonios, Belgarum victores, in agro Magionense in Connacia. Exstant quinque Chronica metrica in Stowense, in quibus hoc prælium memoratur.

(4) *Trojanorum*, ad distinctionem Trojæ Græcorum in Græcia magna, quæ Coemani ævo celebris fuit, eam enim a Græcis eripuere Normanni, sub celeberrimo *Rob. Guiscardo*, anno 1022, uti patet ex Leonis Ostiensis l. 2, c. 68.

(5) *Dercilus* rex Assyriorum regnante Davide *Euseb. Chron.* fol. 34, 35. De eo tacent Chronographi Angli.

In medio regni viri candidi—venerunt Gaedeli Hiberniam. (1)
Astiages Rex erat sine errore—tempore eversionis Hierosolymæ.
Optimus Rex Medorum, bonus valde laudatus—coævus ei fuit Nabcodnosar.
Darcellus et Salomon Artium (peritus)—coævi fuere filiis Milesii.
Quingenti demptis xx postea—Nabcodnosar, Astiages. (2)

---

(1) Narrata Scytharum expeditione ad Ægyptum, eorum migrationem ad occidentem, per ora Africæ maritima, refert *Coeman* ad tempora Davidis—In aliis quæ extant *Eochodii*, et *Flanni*, æque ac *Coemani fragmentis* Stowensibus, *Fenius-fear snoidhe* [Phœnius vir sapiens] inter Duces memoratur, qui Scythas duxit ad Ægyptum, et, ab isto Fenio, Hiberni appellantur a Bardis " *tuatha Fene*," [populus Feniorum] ut in *Fiechi* poemate sæculi vi, laudato ab Usserio Primord. p. 818, edito in Triade p. 2, itemque a vetere istius Poematis Scholiaste ib. p. 5, et in *Vita Cadroi* scripta sæc. x, quam ex Membranis Hubertinis in Ardvenna descripsit eruditissimus Fasonius, et a *Giraldo* in Topogr. Dist. 3, c. 7, p. 737. Hæc cum Newtono mire conveniunt.—" The *Phœnicians* and *Syrians* fleeing from David, came under " the conduct of *Phœnix* and other captains, into Crete, *Libya*, &c. With these Phœnicians came *a sort of men skilled* " *in religious mysteries*," p. 10, 11. Lamfinnium *Agnomanii* filium, a Phœnio *decimum* Ducem, Scythas Gethuliam duxisse, scribit Coeman in Poemate " *Eire ard*," et *Agnominis* istius meminit anno 850 Nennius, c. vi, p. 100, c. ix, p. 101, et postea Giraldus Topogr. c. 3, p. 736, " Nemedius Agnomonii filius, natione Scythicus."—Hinc patet, quam temere quidam scripsere, has traditiones non esse sæculo 14to antiquiores! De adventu Gadeliorum vide infra p. xliv.

(2) Herodotus, Ctesias, Eusebius, et cæteri deinceps Historici narrant Imperium Medorum, Astyage a Cyro devicto, transiisse ad Persas Olympiade 55, anno post templum conditum 418, ante C. 559.—*Coeman* autem inquit, " a Templo condito ad Astyagis finem, *anni* 500, *demptis* 20." Quod si pro *acht fiche*, demptis 20, substituamus " acht *da* fiche," demptis xl, vera lectio prope restituetur.——Alia extat ista conciliandi methodus.—Cyri initium referunt quidem ad finem anni 1 Olympiadis 55, Diodorus, Thallus, Castor, Polybius, Phlegon, Jul. Africanus ab Eusebio laudatus Præp. Evang. l. 10, itemque Petavius et Usserius. At *Newtonus* Templum *conditum* refert ad ante C. 1015, *incensum* ante C. 588, et Cyri initium, capta Babylonia, ad 538. Ergo, ex Newtoni sententia, anni a templo condito ad Astyagis finem sunt 477, ac proinde diversitas inter Coemanum et Newtonum est tantum *trium annorum!* Vide *Newton's* Chronol. Lond. 1785, p. 12, 26, 222.—Tertia demum extat, eaque absolutissima hæc conciliandi methodus, si in Coemani textu pro " *ccccc acht fiche*" scribantur " *cccc ocht fiche*" i. e. 428, anni enim 428 præcise intersunt inter Templum conditum et incensum, et anni 480 pertinent ad intervallum a Moyse ad templum conditum, quod intervallum, facile pro altero amanuensis negligentia substituit. Quam accuratæ sint Coemani rationes, patebit ex subjecta tabula, in qua, cum rationibus Scaligeri, Fergusoni, Usserii, Petavii, et Newtoni conferuntur.

	Coeman.	*Scaliger.*	*Ferguson.*	*Usser.*	*Petav.*	*Newton.*
A Creatione ad Diluvium	— 1656 —	1656 —	1656 —	1656 —	1656 —	1656
Inde ad ortum Abrahæ	— 292 —	292 —	292 —	352 —	292 —	292
Inde ad David Regem	— 942 —	940 —	941 —	941 —	981 —	941
Inde ad Captivitatem	— 473 —	471 —	460 —	467 —	466 —	471
Inde ad Christum	— 589 —	589 —	600 —	588 —	589 —	588
A creatione ad C.	3952	3949	3949	4004	3984	3948
A nato Abrahamo ad egressum Moysis	— 502 —	504 —	504 —	505 —	505 —	505
Inde ad Templum conditum	— 480 —	480 —	480 —	480 —	526 —	480
Inde ad Templum incensum	— 428 —	428 —	428 —	427 —	416 —	427
Alexandri victoria Arbelana ant. C.	— 330 —	330 —	330 —	330 —	331 —	331

Hunc Coemani cum Scaligero, Fergusono, &c. in rebus tam spinosis, consensum, notandum duxi, ut quæ supra exposui de æra mundana, ab Hibernis ex ipso fonte Hebraico deducta, eo luculentius manifestentur. Supersunt sex vetusta Hibernica Flanni disticha de quinque ætatibus, quæ eosdem terminos ac Coemani Poema comprehendunt. Ante hos quidem *Eochodius* sæculo ix, in poemate " *Eire oll oirnid Gaoidhil*" lxx Interpretum Chronologiam sequitur, annos designans a Creatione ad Diluvium 2242, a Creatione ad Christum 5199, et Eochodium sequuntur IV *Magistri*, sed *Flan*, *Coeman*, et *Tigernach*, *Hæbraicæ veritati* adhærent.

Sirna rex Temoriæ (civitatis) turrium—erat co-regnans cum Nabcodnosar.
In regno hoc longinquo celebre—prælium atrox Monætrogadii.
Tringinta ter centum inde alii—ad initium Regni Uganii.
Finis regiminis Persarum famæ bellicosæ—initium regni filii Philippi.
3 Triginta ter centum anni boni—a regimine alti Alexandri,
Ad nativitatem filii boni Mariæ—et a regno Uganii. (1)
47 Septem anni quadraginta dilecti—a nato Christo, obitus Concobari. (2)
12 Duo (et) decem inde alii,—ad obitum crudele Conarii. (3)
157 Septem anni quinquaginta (et) centum dilecti—ab obitu Conarii bellicosi,
In (Arce) Brugin elatæ famæ,—ad occisionem Tuathalii benigne accepti. (4)
32 Duo anni (et) xxx postea—post occisionem strenui Tuathalii,
Ad obitum Conni centum præliorum præclari—in campo collis apud Tuathamar. (5)
37 Triginta septem post Connum Heroem—ad prælium Mucrumi capillorum rubrium,
Ubi occisi sunt magni pugnatores—Cian, Cormac, et Eogan. (6)
57 Septem anni quinquaginta absque vexationibus—a prælio Mucrumio heroum,
Ad occisionem *Finni* occisi inique—quod factum a tribus filiis Urgrenii. (7)
45 Quinque anni xl dilecti—post occisionem Finni in (Arce) Almanii,
Ad victoriam Dubhcomarii campi aggeris lapidum—partam a Collais prælio-strenuis. (8)
5 Quinque anni inde alii—ad eversionem Eamaniæ. (9)
24 Et 24 numerate vobis—ad obitum Muredachi Tirac.
Ab obitu Muredachi in Midia—apud Daball (lacum) fuscorum arborum. (10)
49 Quinquaginta anni, dempto anno,—ad obitum Neilli novem obsidum. (11)
27 Viginti anni supra septem—a quo perdidit Niall suam potestatem,
Ad adventum Patricii Doctoris Bregiarum—ad salvandos filios Milesii. (12)

(1) De *Uganii* epocha vide infra pag. xliv, et confer Maelmurii Chronichon Metricum in Codice Stowense No. XVI, fol. 116, ubi Flahertei manu in margine hæc scripta leguntur, "*Maelmurius*, &c.....hujus poematis auctor, &c. juxta "Annales Dungallenses decessit anno 884, egregius Poeta, et in lingua Scotica celebris Historicus, ut testantur versus "ibidem." Is pariter *Uganium* refert ad tempora Alexandri. Vide infra pag. xlvii, xlviii.

(2)	Pro numeris	xlvii,	lege xxxiv;	ut supra p. xvi, et infra p. xlix.	
(3)	Pro - - - -	xii,	- - - xi;	– supra p. xii, et infra p. l.	
(4)	Pro - - - -	clvii,	- - - cxv;	– infra p. l.	Tuathalius enim occisus est anno 160.
(5)	Pro - - - -	xxxii,	- - - xxiv;	– supra p. xi, et infra p. l.	
(6)	Pro - - - -	xxxvii,	- - - xxxiv;	– supra p. xvii, et infra p. l.	Gestum est enim anno 218.
(7)	Pro - - - -	lvii,	- - - lv;	– supra p. xx, et infra p. lii, unde patet *Finnum* occisum fuisse anno 273.	
(8)	Pro - - - -	xlv,	- - - lii;	– infra p. lii.	Prælium enim Dubcomar gestum est anno 325.
(9)	Recte - - -	v,	- - - v;	Eamania enim eversa est anno 330, ut infra p. lii.	
(10)	Pro - - - -	xxiv,	- - - xxvi;	ut infra p. liii.	
(11)	Recte - - -	xlix,	- - - xlix;	– infra p. liii.	
(12)	Recte - - -	xxvii,	- - - xxvii;	– infra p. liii.	

A. C. ad Patricii adventum ccccxxxii.

Hujus emendationis accurata veritas, patet, non solum ex Tigernachi Codice Bodleiano, unde descripta est, verum etiam hinc, quod in anno adventus S. Patricii 432 concurrant omnes, tam antiqui, ab Adamnano, qui ante Bedam, et ab Alcuino qui post Bedam scripsere, quam recentiores usque ad Waræum, Usserium, et Spelmannum, et præterea, omnes intervalli supra ex Tigernacho descripti, efficiunt spatium annorum 432, quo nihil luculentius.

58 Octo annos quinquaginta numera tibi—inde ad obitum Patricii. (1)
30 Ab obitu Patricii, splendidi doni (Dei)—triginta anni ad obitum Brigidæ, (2)
21 Viginti anni post Brigidæ mortem—cui adde unum omnino certum,
Mors Tuathalii calvo-asperi, accurate—anno ante obitum Ciarani. (3)
20 Recte viginti inde alii—usque prælium Cuilconar.
In anno isto canunt disticha,—obitus Diarmitii filii Cervalii. (4)
33 Triginta annos (et) tres annos numera inde—postea ad obitum filii
Felimii in Hyona,—et ad obitum Gregorii. (5)
20 Viginti anni post obitum O'Conni—ad prælium montis Toadh deflendum,
In quo occisus est magnus in prælio—Maelcoba candidus primus (Regum) clericus. (6)
21 Annum supra vigesimum evolve inde—ad victoriam prælii *Rath* valde rubri (sanguinosi.)
(Ad) obitum Moctei simplicis, mundi,—(et) obitum Falbei Flanni Regis Momoniæ. (7)
25 Viginti anni (et) quinque inde, historia accurata—ad mortalitatem per Hiberniam,
De qua obierunt Diarmath (et) Blathmac candidi—Fechin, et Aileran. (8)
55 Quinque anni quinquaginta, res perspicua,—ad prælium mortiferum Almaniæ.
In quo occisi sunt Conall illustris—et Fergal Rex Hiberniæ. (9)
17 Septem anni et decem declarant—Annales a morte Fergalii,
Ad prælium *Ucbadh*, in quo occisus est Bran,—in quo occisus est Aed illustris filius Colgani. (10)
7 A prælio Ucbadh magno in morte,—septem anni non (puta) ut mendacium.

---

(1) Pro lviii, lege lx; ut infra p. liii, obiit enim S. Patricius anno 493.

(2) Recte xxx,—ut infra p. liii.

(3) Recte xxi,—sed pro *anno ante* obitum Ciarani, scribe *quinque annis* ante; obiit enim *Tuathalius* II Rex Hiberniæ anno C. 544, quo ei successit *Diarmitius* I, et Ciaranus obiit anno 549. Annal. Ulton. p. 17, et 19.

(4) Pro xx, lege xxi; prælium enim hoc, in quo occisus est Rex Diarmitius, gestum est anno 565. Annal. Ulton. p. 24, et not. 4, ibid.

(5) Pro xxxiii, lege xxxi; obiit enim Columba non anno 597, ut scribit Beda, et ex eo Usserius, sed 596, uti tradit Hermannus Contractus, consentiens cum Adamnano, qui inquit obiisse *die Sabbati*, ix *Junii*, *media nocte* spectante ad *Dominicam Pentecostes*, l. 3, c. 28, 30, 31. Consentiunt Martyrologia Romanum, Bedæ, Usuardi, Notkeri, et dies festus S. Columbæ ab Hibernis quotannis celebrari solitus. Quæstio quidem oritur utrum nox illa media, diem ix Junii *inchoaverit*, vel *finierit*. Si primum, tunc referenda erit Columbæ mors ad 597. Si secundum, ut *mihi* ex Adamnani contextu videtur, referenda erit cum Hermanno ad 596, id confirmante Tigernacho "Quies Columcill in *nocte Dominicæ Pentecostes*."—Juxta Alexandrinorum, et Dionysii exigui rationes, ad quas solas respicit Tigernachi Chronologia, Dominica Paschalis incidit anno 596 in 22 *Aprilis*, quo mense, *Paschalem solemnitatem* peregit Columba, uti narrat Adamnan ib. c. 27, et Pentecoste incidit in *diem* x *Junii*, inchoatum, more Romano, a media nocte, quæ diei ix finem dedit, confitente Usserio, p. 693.—Gregorii obitum quod attinet, demonstravi, in Annal. Ulton. ann. 605, 607, et 612, obiise anno 604, quamvis Beda id referat ad 605. De Bedæ, et Tigernachi Chronologia, vide infra p. xlvii.

(6) Pro xx, lege xix; Maelcoba enim Rex Hiberniæ regnavit ab anno 612 ad 615. Annal. Ult. p. 39.

(7) Pro xxi, lege xxii; Prælium enim *Rath* gestum est anno 637, quo obiere Mochudæus, alias Carthag Lismorensis, et Falbeus Flann Rex Momoniæ. Annal. Ulton. p. 17, et p. 133.

(8) Pro xxv, lege xxvii; Mortalitas enim hæc incidit, post Solis Eclipsim anni 664, et ea grassante, obiere Reges Hiberniæ *Diarmitius* II, et *Blathmac*, filii Regis Aedi Slanii, anno 665, itemque SS. Fechin, et Aleran Scriptores, &c. Annal. Ulton. p. 56.

(9) Pro lv, lege lviii; Prælium enim *Almhaine* gestum est anno 722, III. Id. Dec. fer. vi. Annal. Ulton. p. 77, not. 5

(10) Pro xvii, lege xvi, Prælium enim *Ucbadh* gestum est anno 738. Annal, Ult. pag. 87, not. 1.

Mors Aedhi Allani, Congalli—(locus) ubi occisus est Seredmaigh. (1)
20 Viginti anni non prosperitate candidi—ab occiso Aedho Allano,
Ad obitum Regis Midiæ hospitalis—Donaldi Midiæ, magni in præliis. (2)
41 Quadraginta et annus, ut canunt,—a morte Donaldi dorsi spatiosi,
Ad oblationem Kellensis primariæ civitatis—Columbæ Ecclesiarum sapienti. (3)
39 Quadraginta annis dempto anno—inde, manifesta est regula,
Demersio Turgesii, occisio Neilli—Et obitus Felimii valde strenui. (4)
32 Triginta anni duo anni—a morte Neilli-Calnei decantati,
Ad prælium Mugna, ingens illud prælium,—in quo occisi sunt Cormac et Ceallach. (5)
8 Octo anni postea ad obitum Flanni—cui obsides dederunt Hiberni et Alienigenæ. (6)
3 Tres anni post obitum Flanni magnifici—mors Neilli filii Aedhi..... (7)
Occisi sunt cum Niallo—Concobar, Flahertac magnificus,
Maelmithig, Maelmarius heros—et Aedh filius Eochacani.
25 Viginti anni (et) quinque absque inequalitate,—a morte progeniei Neilli novi obsidum.
Mors Donchadi Midensis herois,—avi boni Maelsechnalli. (8)
33 Triginta anni tres anni—a morte supremi Regis Ducum.
Ad obitum Ragnalli, prope Arcem—occisi in conflictu Temorense. (9)
20 Accurate viginti anni absque fractura calculi—a victoria fœrace vallis Temoriæ,
Usque prælium Glenmammæ—ubi periere capita cute candida. (10)
5 Quatuor anni inde alii—usque gestum prælium *Craobh* (i. e. Sylvæ cæduæ.) (11)
10 A prælio Craobhii et decem—ad obitum Briani filii Cennetigi. (12)
9 Novem anni post mortem Briani—obitus filii Donaldi post eum. (13)

---

(1) Pro vii lege v; Prælium enim *Scredmaigh* gestum est anno 713. Annal. Ulton. p. 90.

(2) Recte anni xx; Donaldus enim III, Rex Hiberniæ, filius Murchadi, obiit anno 763. Annal. Ulton. p. 99, not. 3

(3) Pro xli lege xliv; Kellensis enim civitas, et Monasterium a Ceallacho Abbate Hiiense constructum anno 804, eo anno in honorem S. Columbæ consecrata fuere. Annal. Ulton. p. 194.

(4) Pro xxxix lege xxxviii; Turgesius enim demersus est anno 845. Annal. Ult. p. 217, not. 1. Errat Flaherteus id referens ad 816, et Usserius id referens ad 848. De Neillo et Felimio vide Annal. Ult. p. 217.

(5) Pro xxxii lege lxiii; Prælium enim *Mugnæ* gestum est anno 908, annis 63 post demersionem Turgesii. Annal. Ult. p. 244, not. 1.

(6) Recte viii; *Flannus* enim Rex Hiberniæ obiit anno 916. Annal. Ult. p. 249, not. 1.

(7) Recte iii; obiit enim *Neil-Glundub*, a genu nigro ita cognominatus, filius Aedhi VI, Rex Hiberniæ, anno 919.—Annal. Ult. p. 252, not. 1. "*Anno Regni sui 3, 17 Kl. Octob. fer. 4.*"

(8) Recte xxv; obiit enim Donnchad filius Flanni Rex Hiberniæ anno 944. Annal. Ulton. p. 266, et not. 2, ib.

(9) Pro xxxiii lege xxxvi; occisus est enim Ragnal, seu Reginaldus filius Amlafi, Danorum Dublinii Dux, anno 980. Annal. Ulton. p. 283, et not. 1.

(10) Pro xx lege xix; gestum est enim prælium hoc anno 999. Annal. Ulton. p. 291. Errat Flaherteus id referens ad 1000.

(11) Accurate IV anni; gestum est enim hoc prælium anno 1003. Annal. Ult. p. 294. Errat Flaherteus id referens ad 1004.

(12) Pro x lege xi; gestum est enim prælium Cloontarfense, in quo cecidit Brianus Boromha, anno 1014. Annal. Ulton. p. 304.

(13) Pro ix lege viii; obiit enim Maelsechnal filius Donaldi anno 1022. Annal. Ulton. p. 313.

42 Duo quadraginta numerationis accuratæ—inde ad obitum Donnchadi Momoniæ. (1)
2 Duobus annis, non falsum, in bellis—ab obitu Donnchadi filii Briani,
Prælium Saxonum, doctrina accurata,—in quo occisus est Rex Lochlinorum. (2)
5 Quinque anni inde aliī ad *annum hunc nunc*—(in quo) septima luna incepit Januarius. (3)
Duo septuaginta supra mille—a nato Christo, ut supra numeravi,
Usque ad annum hunc prædictum—in quo occisus est Diarmitius dilectus,
O Christe! Sol (splendens) supra omnem nostram egestatem—obviam esto meæ animæ et corpori.
Ne repulsa detur mihi—esto misericors mecum. Amen.

Ex libro HUA CONGABHLA *descriptum.*

In hoc Chronico, *Coemanus* Historiam Hiberniæ a profundissima antiquitate auspicatur, et narrato quatuor Coloniarum antiquissimarum adventu, ad Scotos descendit, qui quintam ex Hispania deducentes, Hiberniam, *Scotorum Insulam*, (ita ab Æthico, Claudiano, Isidoro, Orosio, et Beda appellatam,) ad sua usque tempora tenuere. Antiquitatis tam prodigiosæ fidem in me minime recipio. Constat enim Bardos, delibatis exterarum gentium Historiis, post recepta Christianæ fidei rudimenta, propriam dereliquisse Chronologiam, quæ Regum successionibus, ac annuis *Baalim* ignibus, dictis "*Baal-tinne*," ordinata erat, eamque ad normam Orientalium, a quibus suam deducebant originem, accommodasse. His perspectis, cum Tigernacho consentio, "*omnia Scotorum monu*" "*menta* usque ad Alexandri tempora *incerta* esse." (4) Attamen inde non sequitur Colonias quinque a Coemano memoratas, in Hiberniam, ante Alexandri ævum, non pervenisse. Omnes nostri Annales, omnia fragmenta metrica, etsi in annorum supputatione dissentiant, in re tamen ipsa, in numero, ordine, et nominibus Coloniarum conveniunt, nec ulla vetusta auctoritas adversatur. Imo, Belgas, Damnonios, Cangos, Brigantes, Menapios, aliasque e Britannia Colonias in Hiberniam migravisse, scribit Ricardus, eorumque sedes tam in Hibernia, quam in Britannia, describit Ptolomæus, et quamvis antiquitas a Coemano decantata rejicienda sit, tamen, cum *Eblanam*, aliasque *nobiles* Hiberniæ *civitates* recenseant *Ptolomæus*, *Marcianus Heracleota*, et alii, a Tigernachi Annalibus non esse discedendum puto, qui veram Hiberniæ Historiam ab Alexandri ævo auspicantur.

Et quidem Britannicas Insulas "*Albion*, et *Ierne*," Græcis, ante tempora Alexandri, notas fuisse, ex Aristotelis, vel saltem coævi scriptoris, Opusculo "de Mundo," (5) ex Polybio, (6) et ex

(1) Accurate xlii, obiit enim Donnchad Rex Momoniæ anno 1064. Annal. Ult. p. 342.

(2) Accurate, agitur enim dé prælio prope Eboracum, in quo Haraldus Rex Norwegiæ occubuit apud *Stanford-bridge* anno 1066. *Chron. Saxon.* p. 172.—"*vii Kal. Octob. fer. ii.*" Flor. p. 634.

(3) Mirum quam accurate! Vide supra not. 1, pag. 24.

(4) *Tigernachi* Cod. Bodl. *Rawlinson*, 488 fol. 1, col. 1.

(5) "Quo ipso in mari, Insulæ duæ sitæ sunt quam maximæ, quas *Britannicas* appellant, *Albion*, et *Ierne*, iis etiam "majores, quas commemoravimus supra Celtas jacentes, queis tamen ipsis magnitudine, nec *Taprobane* cedit, nec ea "cui *Phebol* nomen est. Illa super Indos posita, hæc ad Arabicum sinum. Sunt etiam non paucæ, sed exiguæ, circa "Britannicas" &c. *Aristot.* Operà ed. Casaub. Lugduni 1590 t. 1, p. 371. Confer de Mirabil. p. 711, ibid. et editionem *Batteauxii* Paris, 1768.

(6) Polyb. Hist. l. 3, ed. Casauboni, Paris 1609, p. 209, "Quærent nonnulli - - - - - - - - - cur de freto ad columnas

scriptore Argonauticarum, quisquis demum ille fuerit, alibi demonstravi, (1) ubi etiam Hiberniam a Phœnicibus, et a Pythio Massiliense, exploratam fuisse, ex ipsis Phœnicum Annalibus, a Festo Avieno citatis, ex Aristotele, Plinio, et indubitatæ fidei vestigiis simul collatis, manifestum esse confido. (2) Marcianus, ex Heraclea Ponti oriundus, Periplum reliquit, quem publici juris fecit Hudsonus, in quo, ex Protagora, et vetustis Geographis Græcis, tradit—" Hiberniæ gentes esse xvi, " Civitates celebres xv, Promontoria insignia v, Insulas vi, Amnes præcipuos xv."—Quamvis igitur antiquitas a Bardis decantata, ut prodigiosa respuenda sit, nullam tamen invenio causam, cur Coloniæ istæ non sint ante Alexandri tempora referendæ. Eorum e Britannia transitum refert quidem Ricardus ad tempora Ostorii, et Agricolæ. At quamvis Corinensis istius auctoritatem jactent, et efferant Whitakerus, Stukeleyus, et alii, tamen non nisi sæculo xiv eum floruisse fatentur, et prædictarum gentium sedes, tam in Hibernia, quam in Britannia, indicat Ptolomæus Alexandrinus ex tabulis veterum Græcorum et Carthaginiensium, quæ, longe antea concinnatæ, et ab Hannonis, et Pythiæ ævo traditæ, Eratostheni, Athenæo, Hipparcho, Polybio, et Scymno-Chio, æque ac Ptolomæo, et Dionysio innotuere. (3)

Quod si rem hanc paulo attentius perpendamus, constabit profecto Hiberniæ situm, et populos, antiquis Græcis accuratius quam Romanis cognitos fuisse, et Strabonem errare, dum Pythium castigare cupit, qui Carthaginiensium vestigia sequens, Insulas Britannicas, tribus et amplius ante Christum sæculis, exploravit. (4)

Præterea, in Coemani fragmentis notandum est, silere eum de Partholani et Nemedorum gestis, et Regibus, non autem de Regibus Belgarum, et Damnoniorum, uti patet ex ejus Poemate " *Gaedhil* " *glase ttaid Gaedhil*," cujus extat vetus exemplar in Stowense. In eodem silentio conveniunt alia fragmenta Bardorum, quorum auctores *Forchernus*, *Cenfaeladius*, *Eochodius*, et *Malmura*, a mille et amplius annis floruere. Jam vero id indicat, hos authores veterum traditionibus nihil aliud adjecisse, præter Chronologiam supposititiam, e sacris libris excerptam, quam pro antiqua substituere conati sunt, ac proinde, dempta portentosa antiquitate, reliqua, sive vera, sive falsa, ad antiquissimos referenda esse Hibernos, quorum artem poeticam memorat sæculo vii Adamnanus, et quorum artem Rhythmicam *Fiechus*, et alii, præcedente sæculo imitavere.

Hi, Belgas *primos* Reges Hiberniæ imposuisse, et postea in *Moyturense* prælio victos, a Damnoniis debellatos fuisse scribunt, quod genuinis Britanniarum antiquitatibus consentaneum agnosco,

---

" Herculis, de externo mari ejusque natura, de *Britannicis Insulis, et stanni confectione*, de auri, argentique metallis in " Hispania, de quibus multa, eaque invicem pugnantia, auctores prodidere, verbum nullum fecerimus. Nos vero hæc " prætermisimus, non eo quidem nomine, quia parum illa pertinere ad Historiam arbitraremur, sed primo, ne interrum- " pere narrationem......deinde quia constituimus non sparsim variis locis, neque obiter meminisse eorum ; sed scorsim, " loco ac tempore ei tractationi destinato." Confer Polybii fragmenta ib. p. 1005.

(1) Dissert. de Relig. Ethnicor. Hibern. MS. in Stowense, et Annot. ad Annal. Ulton. p.140 et seq.

(2) *Gesneri* ed. Argonaut. Orphei, Lipsiæ 1764, v. 1079, p. 156. Confer Stephan Byzant. et Andr. Schotti l. 2. Obs. c. 20, ac Gesneri Prælectiones de Phœnicum Navigat. extra Columnas Herculis, cum Bocharti Phaleg.

Festi Avieni De Oris ed. *Maitaire* Corpus Poetar. Lond. 1713, t. 2, p. 1334, a versu 108, ubi inquit Hiberniam *a priscis* Sacram Insulam appellari, ad v. 119, ubi *Himilconem Poenum* de Insulis Britannicis scribentem citat.

(3) *Dionysius Perieg*, v. 568, inquit " Britannicas Insulas cæteris totius orbis Insulis Græci prætulere." Hinc *Plinius* inquit " Britannia Insula clara Græcis nostrisque monumentis," l. 4, ed. Harduin t. 1, c. 16, p. 222.

(4) Vide Annot. ad Annal. Ulton. pag. 145 et Dissert. de Relig. Ethnicor. &c.

præsertim cum Firbolgos in Hiberniam australem, ex Britannia australi, et Damnonios in Hiberniam borealem, ex Britannia boreali pervenisse, et "*tuahta Dee Danaan*," i. e. populum Damnoniorum fluminis *Dea*, ad distinctionem, ut opinor, Damnoniorum veteris Damnoniæ (hodie Devonshire) appellatos fuisse testantur. Damnonios enim boreales Britanniæ ad *Team* fluvium, et ad *Clothæ* æstuarium, et Hiberniæ Damnonios e regione in Ultonia positos, indicant tabulæ antiquæ Ptolomæi, et Ricardi; (1) et Adamnanus, qui ante Bedam scripsit, regionem Hiberniæ ultra Modam fluvium sitam, "*Irros Domhnon*" appellat, quo nomine usque ad nostra tempora designatur. Prædictas itaque colonias in Hiberniam antiquitus pervenisse manifestum est; sed dum Bardi eorum Imperia per *novem Regum seriem* durasse scribunt, et novem Belgis non nisi 80 annos tribuunt, quamvis novem Damnoniis tribuant 197, istorum annos respuendos, numerum autem, et nomina Regum Scotorum, utpote a mille annis scripta, et probabiliter, ab aliis mille versibus tradita, nec secum ab intrinseco pugnantia, ab Alexandri ævo retinenda esse opinor.

Damnoniorum Hibernensium Historia quæ extat vetustissima, ea est, quam, ante annos mille, versibus tradidere *Malmura*, et *Eochodius*, et ante annos 900, *Flannus* in poemate "*Eistidh a Eolacha gan an*," cujus vetus exemplar membraneum extat in Stowense. (2) Hi, Damnonios præstigiis deditos, saxum "*Lia-fail*," i. e. Saxum fatidicum, quod etiamnum Westmonasterii in coronationis throno inclusum servatur, unde Hibernia *Inisfaliæ* nomen obtinuit, primo intulisse declarant, idque versibus extantibus in Codice "*Leabhar Gabhaltas*," cujus exemplar in Bibliotheca prædicta servatur.

"*Cineadh Scuit saor an fine—munab breg an fhaisdine*
"*Marabh faigid an lia fail—dlighid flaithias do gabhail.*"
"[Gens Scotorum nobilis stirps—ni falsum vaticinium.
"Ubicumque relinquetur saxum fatale—Jus Imperii obtinebunt."]

Saxum hoc fatidicum, ex Hibernia, a Fergusio filio Erici, Albaniam translatum fuisse, annum circiter 503, tradunt tam scriptores Scoti, quam Hiberni, idque narrat ex vita vetusta *B. Comgalli Fordunus* in Scotichron. l. 1, c. 28, ed. Edinburgi 1759, t. 1, p. 25, et l. 2, p. 48, itemque in editione Hearnii Oxon. 1722, p. 45, 46, et 86.

Damnoniorum Rex tertius, *Lugadius*, Ludos *Taltinenses* constituit, quotannis celebrari solitos, diebus 15 ante, et totidem post Kalendas Augusti, quæ, ab ejus nomine *Lugh-nasa*, i. e. Lugadii memoria, appellari dicuntur. Vox *Lughnas* eadem quidem esse *videtur* ac *Lamas* Saxonica.—At diversam esse ipsa Bardorum fragmenta posthac indicabunt.

Sequitur jam quinta colonia, (Scotorum) cujus legitima antiquitas, Regum successione, ad Historiæ leges revocanda est.—Numerus Regum Scotorum qui usque ad sæculum XV regnasse credebantur, traditur in Epistola quam *Dovenaldus O'Neil*, et Hiberniæ Magnates scripserunt ad Johannem XXII anno 1315, his verbis, (3) "Præter Reges *Minoris* Scotiæ, qui omnes de nostra

(1) Stukeley's Richard Lond. 1757, p. 19, et a Bertrammo, Hauniæ 1757, p. 182, not. ibi.
(2) MS. No. IV. fol. 5, et MS. No. XIV, fol. 27.
(3) *Forduni* Scotichron. collat. cum MSS. in Biblioth. Harl. cura *J. Hearne* Oxon 1722, v. 3, p. 908. Item apud Usser. Primord. p. 724.

"*Majore* Scotia originem sumpserunt, linguam nostram in conditiones quodammodo retinentes, (1) "Reges de sanguine nostro 197 in tota Hibernia Insula regnaverunt, i. e. 136 usque ad Legarium "Regem, a quo Ego Donaldus in linea recta,....et in cujus diebus S. Patritius,....et post præ-"dicationem fidei, reges de eodem sanguine, sine interpositione sanguinis alieni, Reges lxi usque ad "annum M.CLXX regnaverunt."—Tribus ante hos sæculis *Cocmanus*, et *Modudius*, quorum Catalogi metrici extant in Bibliotheca Stowense, Reges Ethnicos usque ad Patricii adventum, Laeogario regnante, numerant 136, quorum 118 fuere Scoti, 9 Damnonii, et 9 Belgæ. Conveniunt Poemata Hibernica Cocmani "*Eolchuid Eirionn airde*," (O vos Docti Hiberniæ altæ,) et Flanni "*Righ Teamhra dia teasbain tau*," in Codicibus Stowense No. I, IV, XV, et XVI, itemque Lugadius O'Clery in disceptatione metrica cum Bruodino, cujus exemplaria optima in Stowense servantur, et Camdeus O'Cormac in poemate de præcipuis Hiberniæ Scriptoribus. Notabilis hic in numero Regum consensus, non solum ore, et versibus traditus, sed a mille, et amplius annis *scriptus*, valde me moveret,(2) nisi *Nennius*, anno 858, Scotorum adventum retulisset "post annum post transitum maris rubri 1002." (3) Usserius transitum istud refert ad annum Mundi 2513, ergo, ex Nennio, Scotorum adventus referendus est post annum Mundi 3515, ante C. 489, ante Patricium 921.—Jam vero *de certo* scimus, Reges Hiberniæ Christianos numero 48, regnasse a Patricii anno 432 ad Malachiam II, defunctum anno 1022, spatio annorum 590, quod cuique Regi tribuit annos tantum 12. Consentiunt in numero, nominibus, et ordine Regum Hibernorum a Patricii ævo omnes antiqui, tam scriptores Ecclesiastici exteri, quam Hiberni, tam Bardi quam Annales, eorumque annos, in Annalium Ultoniensium notis, et textu, tam accurate designatos esse confido, ut 12, et non plures Regni annos cuique tribuendos esse, pro re inconcussa tenendum esse fateamur.—Giraldus ipse consentit.—"Ab adventu Patricii, inquit, usque ad Fedlimidii Regis tempora, xxxiii Reges per cccc annos in Hibernia regnaverunt." Fedlimidius iste, cujus tempore idem Giraldus asserit, capite sequente, et recte, (4) Norwegienses, duce Turgesio, Hiberniam expugnasse, rex fuit Momoniæ anno 822, post Patricum 390, ut patet ex Annalibus Ulton. Atqui, si 33 Regibus tribuamus annos 12, spatium inter Patricium et Fedlimidium anni isti exacte complebunt!

Quod si concedamus Reges regnasse 136, quorum 118 erant Scoti, initium Imperii Scotici referendum erit, juxta Bardos, ad annum ante Christum 984.—At si cum Nennio, et Oengusio, et *peritissimis Hibernorum* sæculi viii, Scotorum adventum referamus ad annum ante C. 489, quo tempore Celt-Iberi, a Poenis exagitati, fortunam quamvis tenuem foris, domesticæ servituti præponere cogebantur, tum omnia, juxta Tigernachi mentèm, ad Historiæ antiquæ leges prope collimabunt. *Oengusius* enim Colideus, qui exeunte sæculo viii floruit, *Reges tantum* 58 ante Patricium regnasse testatur, uti ex Codice vetusto *Psalter-na rann* scribit Waræus, (5) quibus si annos regni 12 tribuamus, annos efficient 696, qui retro numerati ab adventu Patricii anno Christi 432, recte conducunt ad tempora Alexandri. Atqui, isto ævo, totum Hispaniæ latus, quod ad septentrionem porrigitur, vari-

(1) Vide quæ de Regum Albaniæ lingua Hibernica dicta sunt in nota ad Annal. Ulton. ann. 1072, p. 313, et ad ann. 1093, p. 356. Ibid.

(2) Giraldus ipse inquit "Reges Scotos regnasse usque ad Patricium cxxxi." Topogr. Dist. 3, c. 16, p. 742.

(3) *Nennius* Gale Oxon. c. ix. p. 101. *Marcus* Anachoreta supra pag. x.

(4) Girald. Topogr. Dist. 3, c. 36, p. 748.

(5) Antiq. Hib. Lond. 1656, c. 2, p. 7. Confer Codicem Hibern. Bodl. Laud F. 95.

arum gentium coloniis, male inter se coalescentibus, occupatum fuisse, Scriptores Hispani optimæ notæ, et omnes docti fatentur, neque ullam aliam vicinam regionem habebant, præter Hiberniam, in quam aut exuberantem populum emitterent, aut rebus adversis, a domestica servitute perfugium nanciscerentur, neque veri-simile est, inquit Bucananus, Hispanos, relicta a tergo Hibernia, terra propiore, et cæli, et soli mitioris, in Albium primum descendisse, sed primum in Hiberniam appulisse, atque inde in Britanniam colonos missos, quod et Scotis contigisse, omnes eorum Annales affirmant, et Beda l. 1 testatur. Ante Bedam Claudianus, Scotos ex Hibernia Britanniam invadentes notat,—" totam cum Scotus *Iernem* movit,"—et iterum—" Scotorum cumulos flevit glaci-" alis *Ierne*,"—quod unicum testimonium sufficeret, etsi alia plurima desiderarentur. (1) Ante Claudianum Æthicus " Hibernia, inquit, a Scotorum gentibus colitur." Ptolomæus Scotorum in Britannia nusquam meminit, neque ullæ eorum sedes ibi in Ricardi tabula, vel in Itinerariis vetustis conspiciuntur, et Hibernia sola *Scotiæ antiquæ* nomine, a melioris notæ Geographis, a Cluverio, D'Anvilleo, et Gibbono designatur. Hæc plane indicant, nostras, de Scotorum origine, et primo in Hiberniam, ac inde in Britanniam adventu, traditiones metricas, Historica esse fide suffultas; sed dum Bardi prodigiosam antiquitatem Majoribus adscribere conarentur, id tantum fingendi licentia effecere, ut quas illustrare debuerant veritates offuscarent, et dum Hiberniam fabulis nobilitare cupiunt, ipsi sibi fidem ita derogant, ut postea, cum ad tempora Historica descendunt, etsi vera dixerint, nimia severitate redarguantur.

Nimiæ huic severitati, quam ipsi sibi meruere, adjicienda est amanuensium negligentia, vel imperitia, et forte recentiorum mala fides, quæ nonnullorum Codicum numeros vitiavit. Quædam Coemani exemplaria Sirnao Regi tribuunt annos cl! Alia annos tantum xxi, ut Stowensia, et Clanrickardiana, itemque Codices Lecanus, et hua Congabhla, quorum meminit Flaherteus, p. 92. Extat in Bibliotheca Stowense Flanni poema incipiens " *Erimhon is Ebir ard*," disticha continens 72, et regum Hiberniæ annos enumerans ab Herimone primo Scotorum Rege, ad Achaium Feidhloch, qui paulo ante C. regnavit. Hoc poema Sirnao tribuit annos " *bis decem et unum*." Idem annorum numerus ei tribuitur in Flanni Synchronismis apud Flaherteum p. 93, et in Stowense eorundem Codice No. 1.—Attamen in libro Migrationum, ab O'Cleryo ex Codice *hua Congabhla* descripto, idem distichon quo Flannus Sirnao tribuit annos *bis decem et unum*, ei tribuit " *ter quin-" quaginta!*" Quod si nimia severitate, et absque debita investigatione, judicium instituere liceret, Flanni fragmenta essent, propter O'Clerii " *ter quinquaginta*," inter aniles fabulas amandanda; at si attentius ad trutinam revocentur, et pro socordia, et desidia, et nimia damnandi libidine, improbus conferendi labor, et diligentia antiqua substituatur, patebit profecto, ni fallor, metrica Bardorum fragmenta posse, plurimorum Codicum collatione, ad pristinam integritatem procul dubio restitui. Hoc saltem certum est, indigne ferendam esse nonnullorum sententiam, *iniquam, ignavam*, et turpi inertia notandam, qui ignoranter respuenda esse omnia clamant, quia quædam vitiata leguntur!

Una extat, eaque certa methodus, qua obscuriora possent ad Historiæ leges quodammodo revo-

(1) Consule Usser. Primord. c. 16.

cari, si in rebus gestis maximi momenti et celebritatis, puta in Epocha conditæ Eamaniæ, vel Adventus Scotorum, vel Institutionis Ludorum Taltinensium, qui Ludi erant Olympici Hiberniæ, Cardines Chronologici constitui possent, certi, et authentici, cum quibus difficiliora quæque conferri possent; et mihi quidem videtur, me unum jam constituisse, veræ historiæ initium referens cum Tigernacho ad tempora Alexandri; in hac enim Epocha statuenda concurrunt, non solum ea quæ supra memoravi de numero Regum 58, quos *Oengusius*, anno 800, regnasse inquit ante adventum Patricii, et de Epocha adventus Scotorum, tradita Nennio a peritissimis Hibernis, ante annum 858, et de annis 12 cuique Regi, Historica fide, assignandis, verum etiam illud accedit, quod *Uganius Magnus* rex Hiberniæ, a Coemano memoratus lineis 45 et 48, in omnibus Catalogis metricis, et Annalibus quos videre licuit, tam in Bodleiano, et Cottoniano, quam in Stowense, regnasse dicitur "Alexandro Phillippi filio Synchronus," idque paulo post conditam Eamaniam a Rege Cimbaoth; et præterea, in omnibus quos videre licuit codicibus, Reges 53 regnasse narrantur, ab isto *Uganio* magno usque ad *Muredac-Tirac*, quo regnante Eamania eversa est, anno æræ com. 330. Jam vero si Regibus 53 annos tribuamus 12, recte conducent ad Ptolomæum primum, Alexandri successorem, quo regnante regnavere *Cimbaoth*, conditor Eamaniæ, et *Uganius*, ut scribunt Tigernach, Flan, Coeman, et omnes, atque ut, expressis verbis, et ordine ab antiquissimis tradita, narrat poema *Coemani* "*Ciombaoth caom, ceud fhlaith Eamhna*," [Cimbaoth mansuetus, primus Rex Eamaniæ,] et *Colmani O'Scsnan* Regum Eamaniæ Catalogus, incipiens a versu "*Eamhuin aluinn aras Uladh*," cujus extat vetus exemplar in Stowense.

His rationibus, undique e variorum scriptorum consensu concurrentibus, qui locorum ac temporum intervallo longe dissiti erant, et ad dispares scopos collimabant, accedit distichon vetus, in Codice Lecano servatum, quod tempus a Cimbaotho ad Concobarum mac Nessa Ultoniæ Regem, his verbis exponit—

"*Ceithre cheud bliaghuin brasa—adfet gach saoi seanchusa,*
"*Fad flaithiosa na bhfear ngaoth—o Chonchobar go Ciombaoth,*"
"Quadringenti anni potentia (Hibernorum) ingentes—Scit quisque peritus Historicus,
"Duratio Imperii virorum fortium—a Concobaro (retro) ad Cimbaoth."

Distichon hoc annos numerat 400, inter Concobari obitum et initium Cimbaothi. Atqui supra demonstravi pag. xvi, Concobarum obiisse anno æræ communis xxxiv, ergo etiam ex hoc disticho sequitur, Eamaniæ initia ad Alexandri tempora referenda esse.

Extat et alia ratio, qua cardo hic chronologicus, concurrente vetustissima scripta traditione confirmatur. Consentiunt et veteres et moderni, quinque-partitam Hiberniæ divisionem (vide supra p. xv,) ab Uganio magno factam, mansisse annis 300, usque ad exitum Regis *Achaii Feidhloch*, qui, anno antequam *Conculandus* heros natus est, (ante C. 26) istam divisionem rescidit, quo tempore Reges 5 Provinciarum fuere, *Fergus-Ledides* Ultoniæ, *Deagus* filius Sednei, et *Tigernach Tedbanach* utriusque Momoniæ, *Rossius* rufus filius Fergusii Lageniæ, et *Fidhic mac Feig*, *Eochoid allat*, *et Finn mac Conraig*, reges tripartitæ Connaciæ. Atqui Conculanus anno ætatis 27, æræ communis 2 occisus est, ut supra demonstravi pag. x, ergo natus est anno ante C. 25, a quo anno si retro numerentur anni 300, perveniemus iterum ad tempora Alexandri, quibus Hibernia in quinque regna ab Uganio divisa est.—De *ipso anno* vix curo, neque est cur nimium scrupulose in rebus tam vetustis investigandis inquiramus, nec exigere poterit æquus rerum æstimator, eandem in his

accuratam annorum seriem, quam in Regum Anglorum historia moderna invenimus. Periit enim peculiaris supputandi norma, quæ inter Hibernos veteres procul dubio extitit, qua, tempora præterita, ex Regum suorum successionibus, ac annuis *Baalim* ignibus, et ludorum Taltinensium solemni celebratione numerare, et Bardorum metris conservare solebant, usque ad tempora S. Columbæ, qui in Concilio habito apud *Dromceat* anno 590, Bardorum mores reformavit. In codicum delectu præterea, maxima cura adhibenda est, et acre judicium, ne a vitiatis apographis in errorem inducamur. At, his non obstantibus, sparsim indubitata veritas, etiam in rebus antiquissimis, ab Alexandri ævo elucet, quæ unanimi, vel saltem plurium Codicum consensu, et traditione vetusta, et acri exemplariorum collatione elicienda est; nec dubito quin doctiores, qui posthac in hoc studiorum curriculo versare poterunt, ita, ingenii acumine, et indefessa diligentia proficient, ut veritatem Chronologicam, in ipsis Regum antiquissimorum *annis* designandis, accurate demonstrare, et inconcusse confirmare valebunt.

Ad sperandum de aliis, valde me movent rationes, et notæ Chronicæ, quibus ego ipse, exigui licet ingenii, eo tamen Codicum vix legibilium collatione profeci, ut in Regum etiam Ethnicorum annis, intervalla chronologica statuerim, quibus series annorum 432, ante S. Patricii adventum, nunc demum ad sanioris criticæ leges revocata, genuinæ antiquitatis indolem exhibet, quæ series, si literarum usus Ethnicis Hibernis ignotus fuisset, nunquam profecto posset, vel secum, vel cum naturæ ordine, aut cum Historiæ legibus conciliari. Inter barbaros enim, quibus literæ ignotæ sunt, nulla est Chronologica series, nulla certa temporum ratio, qua veritas a fabulis secernatur. At in rebus nostris hæc difficillima antiquitatis Historicæ portio ita illucescit, ut nullatenus desperandum censeam, quin quædam in medium proferentur, quibus ætas Hiberniæ florentissima, in vetere disticho memorata, supra p. xlvii, posthac illustrabitur, si modo fervens Hibernorum ingenium, et debita diligentia adhibeatur.

"*Multa renascentur quæ jam cecidere.*"

In ista serie annorum 432, Catalogi metrici, et Annales, numerum exhibent, et nomina, Regum Ethnicorum 28, quibus si 12 annos regni tribuamus, annos efficient a nato C. ad Patricii adventum 436. Atqui omnes antiqui S. Patricium eo ipso tempore Hiberniam advenisse consentiunt. In anno mortis magna quidem est discrepantia, at in anno missionis 432 nulla. Prosper coævus inquit "*Basso et Antiocho Coss.* ad Scotos in Christum credentes, ordinatur a Papa Cælestino Palladius et *primus Episcopus* mittitur" quod satis clare innuit, secundum missum ab eodem. Cælestinus autem obiit iisdem Coss. anno 432. In Prosperi Chronico edito Basileæ 1529, Consules isti referuntur quidem in margine ad annum C. 434; at error est editoris, uti patet ex Fastis Consularibus, et ex eodem Chronico edito ab Andrea Du Chesne; (1) Sigebertus, in Chronico edito a Miræo, de Patricio inquit "*Secundus* mittitur post Palladium anno 432." Eadem habent Marianus Scotus, Matthæus Westmon. et cæteri deinceps Chronographi, qui omnes consentiunt in anno 432, uti et auctor longe antiquior (Hibernensis ni fallor) libelli "De Officiorum Eccl. Origine," quem edidit Spelmanus, "ex Codice MS. vetustissimo, charactere quidem *non plane Saxonico,*

---

(1) Prosperi Chron. Rer. Franciscar. t. 1, p. 205. Confer Fastos editos a Piranesio.

" sed *insueto* magis (i. e. Hibernico,)..scripto circa annum Christi 681, vel 682." (1) Consentiunt Codex vetus *Chromeliæ*, memoratus a Giraldo, (2) Martyrologium Anglo-saxonicum in libro MS. quem Exoniensi Ecclesiæ donavit Leofricus Episcopus anno 1058, (3) Fiechus, et Scholiastes Fiechi sæculis VI, et VIImo, Nennius, et Samuel IXno, Probus inter Opera Bedæ Xmo, Erricus Antisiodorensis in Vita S. Martini, Tigernachus, et Malmesburiensis, æque ac Annales Inisfalenses, Ultonienses, et Martyrologium Romanum, laudatum in Concilio Cloveshoviæ anno 747, a quibus omnibus dissentire, vel temerarii est, et ignorantis, vel insani.—Sunt quidem, qui, falsæ eruditionis specie decepti, scientiæ sibi famam arrogare conantur, et sanioris criticæ gloriam adsciscere, negando S. Patricium aliter unquam extitisse, quam in Hibernorum phantasiis, eodem modo quo Patronus Romæ Mars, Græciæ Minerva! At videant isti quid docti sentiunt de testimonio *Cummiani*, qui ante Adamnanum scripsit, (4) *Adamnani*, qui ante Bedam natum floruit, (5) postea *Bedæ*, et deinde *Alcuini*. (6) Consulant Canones Hibernenses quos, ex duobus vetustissimis Codicibus, Corbeiense, et Parisiense S. Germani, edidit D'Acherius, (7) aliosque quos ex Codice Rotomagense, olim Fiscamense, a nongentis annis exarato, edidit Martene, (8) et quos ex vetustis Codicibus Cottonianis et Cantabrigensibus edidere Waræus, Spelmanus, et alii, de quorum sincera eruditione nemo unquam dubitavit. Consulant inquam ista, et conferant cum Antiphonario Bennchorense annorum mille, (9) et desinant stultitiæ arguere eos, qui, genuinæ antiquitatis studiosi, eximii Apostoli nomen, et exemplum, et laudes æternum manendos, grato animo venerantur.—Benefactorum obliviscantur alii! Sepulchra violent! Ossa, et cineres spargant! At, Hibernorum esto, quousque nomen Hibernum manet, pie, et sancte meminise, a quibus Religionis exordia, et veræ scientiæ rudimenta accepere.—Iis qui *opiniones* suas pro antiquorum testimonio substituunt, sufficiat indicasse, *opinionem* de re aliqua infimum esse scientiæ gradum, *opiniones* sibi fingunt indocti, et pueri. Possunt et Barbari quidquid volunt asserere vel negare. Sed negandi misera est, et ignava jactantia, scientia

---

(1) Spelman Concil. Lond. 1639, t. 1, p. 167—9. Confer Annal. Ulton. Annot. pag. 153. Extat opus hoc MS. in Bibliotheca Cottoniana, et annis ab ejus ævo *nongentis* exaratum fuisse, scribit Usserius in Primordiis p. 343. Vide *Biblioth.-Hibernico-Cotton.* MS. in Stowense.

(2) MS. Colleg. Benedict. Cantabrig. No. 70, apud Usser. Primord. p. 880, et Girald. Topogr. Hib. Dist. 3, c. 16, p. 742. Francofurti 1601.

(3) Confer Usser. Primord. p. 732, 880, cum Hickesii Thesaur. t. 2, p. 185. Jul. A. 10.

(4) Cummiani De Vita Columbæ ed. Mabillonii, in Actis Benedictin. t. 1, p. 361, et in Triade p. 325.

(5) Adamnani Prolog. in Triade p. 336, et in Henr. Canisii Antiq. t. v. Cummiani Epist. ad Segien. in Usserii Sylloge p. 31, 32, et in MS. Cotton. Vitel. A. xii. "*S. Patricius Papa noster.*"

(6) Alcuin. Vit. S. Willibrordi carmine ed. Gale Oxon. "*Patricius, Kieranus, Scotorum gloriæ gentis.—Atque Co-" lumbanus, Comgallus, Adamnanus,—Præclari Patres,*" &c.

(7) D'Acherii Spicileg. Paris 1661, tom. iv, tom. ix, et tom. 13, Paris 1667, e Codice exarato fere a mille annis, anno nempe 884. Item a Stephano Baluzio.

(8) Martene Thesaur. Anecdot. t. iv, Paris 1717, p. 6. Confer etiam t. 3, p. 1547, 1566, 1575, 1591, et 1595, Spelman Concil. t. 1, utriusque editionis; Waræi Opuscula, et Dissert. nostr. de Relig. Ethnicor. Hibern. ubi de anni initio inter Ethnicos, item Martyrolog. Bedæ MS. Cotton. Julius B. vii. " quod Beda certissime conscripsit" inquit Launoius Epist. p. 821, fol. Cantabrigiæ 1689.

(9) Vide Annot. ad Annal. Ulton. p. 156.

muliebris, quæ nec labore indiget, nec studio fulcitur! Multo magis laudandus est qui, veritati consulens, ignorantiam fatetur, quam qui, antiquitates sibi ignotas rejiciendo, ex ipsa sua ignorantia, inanem scientiæ, et sanoris criticæ gloriolam affectat.

Porro, intervalla quibus Coemani Chronicon metricum ad pristinam integritatem restitui, non solum sibi constant, et cum Historiæ legibus collimant, et spatium annorum 432 accurate confirmant, sed præterea conveniunt cum aliis intervallis supra descriptis pag. xiii, &c. usque ad xxv, ubi tempora *Concullani*, *Concubari* Regis Ultoniæ, *Carbræi*, *Finni* vulgo *Fingal*, *Oscari*, et *Oissini* designata leguntur; ita ut ab isto ordine discedere, æque videatur absurdum, ac discedere ab Axiomate "quæ conveniunt uni tertio conveniunt inter se;" neque possent res tam variæ et dissitæ ita collimare, et variis itineribus ad eundem finem pertingere, nisi ex genuino veritatis fonte, re ipsa ab intrinseco id suadente, derivarentur.

Conarius I Rex Hiberniæ periisse dicitur, "in secundo incendio Arcis suæ *Bruidna-da-derga*, "*Imperante Claudio, Kalendis Jan. feria vi.*" Atqui id evenire non potuit eo Imperante nisi anno C. 45, ut patet ex calculis; ergo obiit Conarius I anno xi post obitum Concubari, nam annus qui Tigernacho est 45 nobis est 44, et qui eidem est 34 nobis est 33.—Non ignoro feriarum numeros in Codice Bodleiano sæpe legi vitiatos; concurrunt autem ad eundem annum designandum alii characteres, a quibus nullatenus discedendum est. Tigernachus enim ad annum præcedentem refert adventum S. Petri Romam, et in Eusebii Chronico id ex fastis refertur ad annum Claudii quartum, consentiente Hieronymo in libro de Scriptoribus, et aliis apud Sandinium. (1)

Utrum Petrus anno isto Romam vere advenerit, qui inquirere volunt, conferant Dodwellum cum Tillemontio, Henschenio, utroque Pagio, et Papebrochii Conatu.——Ego hoc solum innuo, Tigernachum, qui Petri Romam adventum refert ad annum ante obitum Conarii, eo ipso, Conarii obitum referre ad annum C. 45.—Præterea, inquit annum proximum post Conarii obitum, fuisse *quartum Claudii*, quo Britanniam invasit. Non quæro jam, cui anno Christi, Claudii expeditio vere conveniat, in hoc enim errare poterat Tigernach, uti et alii, inter quos Battelyus, qui id refert ad ann. C. 47, U. C. 796, (2) quamvis vere inciderit in annum C. 43, U. C. 796, anno Claudii 3, ut in vetere inscriptione apud Muratorium, et in Fastis, (3) quod ultra patet ex Eclipsi Solis quæ Romæ evenit anno Claudii 5, ipsis Kl. Aug. hora ix matutina, qui fuit Christi 45.—Tota itaque quæstio in hoc est, quænam fuerit Tigernachi mens de anno C. conveniente cum quarto Claudii, inde enim pendet intervallum ab obitu Concubari Regis Ultoniæ, ad obitum Conarii I. Atqui mens ejus de quarto Claudii consentiente cum 46 Christi, vel inde patet, quod Christi annos auspicatur ab anno nativitatis *currente* Augusti 42, non ab integro; ergo annus qui ipsi est 46 nobis est 45, ac proinde quartus Claudii est, ex Tigernachi sententia, annus Christi 46, et annus obitualis Conarii, ab eodem designatus, est C. 45, undecimus post obitum Concubari. (4) His notis aliam superadditam invenio. Narrata enim Claudii expeditione, Lugadii Regis Hiberniæ initia refert ad annum deinde quartum, Kal. Jan. fer. v. Viginti septem annos regni ei tribuit, et rebus quibusdam exteris ordine memo-

---

(1) Sandini Hist. Apost. ed. Patavii 1744. (2) Antiquitat. Rutupinæ p. 43.

(3) Coss. Tib. Claudio III L. Vitellio II. Fasti Consulares. Confer Muratorii Thesaur. Inscr. t. 1, p. 304, cum Taciti Annal. Brotier t. iv, p. 390.

(4) Tigernachi Codex Bodl. Rawl. 488, fol. 4, col. 3, l. 3.

ratis, obitum ejusdem Lugadii refert, numeris Romanis, de quibus nulla controversia oriri potest, ad "*annum ab Incarnatione* lxxvii." (1) Atqui si annos regni 27 demas ab anno C. 77, habebis annum C. 50, et si ab istis 50 demas annos 4, intercedentes a 4 Claudii, habebis annum Claudii 4 respondentem anno C. 46, æræ communis 45.

Denique annum Claudii tertium signat Tigernach nota feriale vi, quartum nota vii, quintum nota i, quo anno inquit Marcum scripsisse Evangelium in Italia, (2) sextum nota ii, septimum nota bissextili iv, septimum, quo Lugad regnavit, nota v; quæ notæ procul dubio conveniunt annis C. 45, 46, 47, 48, 49, 50, ut ex calculis ferialibus Calendarii manifestum est; unde patet, Tigernachum deducere initium æræ Christianæ ab anno Nativitatis currente Augusti 42, si enim annum Claudii quartum ab anno Christi integro, Augusti 43, incipiamus, tunc quartus Claudii non erit C. 46 sed 45.—Manifesta est Tigernachi ratio, etiam ex verbis ipsis quibus initium æræ C. describit. (3) Annos enim Augusti supputat a cæde Cæsaris, unde Nativitas C. incidit in annum Periodi Julianæ 4712, duobus annis ante vulgatam æram Dionysii, eodem modo quo Beda eos numerat, non in Historia Ecclesiastica, sed in opere eximio de Ratione temporum. Quæstio quidem oritur, utrum annus iste Periodi Jul. 4712, in computo includendus sit? Scaliger, in Eusebii editione, annum istum excludit, et æram C. orditur ab Augusti 43. Henricus Stephanus, in sua editione Eusebii, annum 42 includit, ut faciunt etiam reliqui fere Chronographi ante Scaligerum. Vir doctus Smith, in notis ad Bedæ opus de sex ætatibus, adeo incertum esse inquit æræ Christianæ initium, ut liberum cuique sit, utrum annum currentem an integrum velit eligere, se autem *currentis* anni computo accedere, non solum quod Bedæ numeris in Chronico melius conveniat, sed etiam quod cum anno Periodi Julianæ coincidat, quo æra Evangelica, et vera insignitur.

His de Conario primo et Lugadio statutis, progreditur Tigernach ad eorum successores, inter quos, post Lugadium, memorat *Crimthanum-nia-nair*, qui e Britannica expeditione, Agricolæ temporibus facta, spolia retulit Romana, (4) et post *annos regni* xiii, numeratos, non ab anno 77 quo obiit Lugadius, sed ab anno inde proximo 78, obiisse narratur *quinto anno ante obitum Domitiani*, quem refert Tigernach ad ann. C. 97. Atqui Vespasianus obiit viii Kal. Julii anno C. 79, et Domitianus xiv Kal. Octob. anno C. 96. Conveniunt itaque ordine chronologico omnia intervalla hactenus memorata, ita ut ab eorum mutuis distantiis, prout a Tigernacho statutis, et a metrica Coemani Chronologia parum dissitis, discedere nequeamus. Flanni rationes mire concordant—"Coævi fuere (inquit) Ptolomæus Lagides et Huganius magnus....Conarius (primus) Tiberii, "Caligulæ, et Claudii Imperatorum regna regnavit. Vespasiano coævi fuere Lugadius, Concobarus, et Crimthanus, quorum primus Lugadius anno quinto Vespasiani decessit. Tito et "Domitiano coævi fuere Crimthanus nianair, Carbreus, &c."

(1) Tigernach ib. fol. 4, col. 4.

(2) Hinc patet Hibernos habuisse Marcum ordine secundum, utpote qui Evangelium scripsit, non *post obitum Petri*, ut scribit Irenæus l. 3 contra Hæres. c. 1, edit. Maurina p. 174, sed ante ejus obitum, quod cum Eusebio convenit, scribente Marcum obiise anno 8 Imperii Neronis, i. e. Christi 62. Hist. l. 11, c. 24.—Textus S. Irenæi aperte pugnat cum iis quæ ex Papia, et ex sexto *Upotoposeon* Clementis Alexandrini, recitat Eusebius, nempe Petrum, auctoritate sua Marci Evangelium ratificasse, quod Tigernachi et Hibernorum auctoritate confirmatur.

(3) Tigernachi Codex Bodl. Rawl. No. 488, fol. 3, col. 4.

(4) Vide Annal. Ulton. pag. 150, et Tigernachi Codex Bodl. Rawl. No. 488, fol. 4, col. 4.

A Crimthani successoribus transit Tigernach ad Tuathalium, quem obiisse inquit, " post annos regni xxx, duobus annis ante obitum Antonini Pii." (1) Consentit Flannus, " *Hadriano Imperante,* " *Elim, Fiachi cæde, factus est Rex Hiberniæ, et post eum Tuathal,*" et paucis postea narratis— " *Antonino Imperante Malius post Tuathalium regnat.*" Consentit et Codex Lecanus apud Flaherteum p. 143—" Antonino mundi Rege, Tuathal, post xxx regni annos, a Malio occisus est," fol. 300, itemque Codex Ballimotensis. (2) Atqui obiit Antoninus anno C. 161, qui fuit Tigernacho 162, ergo obiit Tuathal anno C. 159, qui fuit Tigernacho 160, ac proinde anno 115 post obitum Conarii I.

Ab his descendit Tigernach ad tempora *Conni*, de quo vide supra pag. xi, xii, et postea ad *Conarium* II, filium Mogalamæ, patrem Carbrei Riadæ, deinde ad tempora *Cormaci*, et *Finni*, vulgo *Fingal*, quorum ætates supra designavi pag. xx, xxi, &c. unde manifestissimi erroris arguuntur omnes, qui hactenus de *Finno* somnia sua pro Historia tradidere.

Ex his etiam patet, quam perperam scripserit Flaherteus, " a Tuathalii fine ad finem Conni, annos intercessisse 52, communi omnium consensu," cum non nisi annos xxxii exhibeant omnes Coemani Codices, et ii ipsi emendandi sint, et legendi xxiv. Flannus enim, et Codex Balimotensis, cum Tigernacho consentiunt, " M. Aurelius, et Reges Hiberniæ Feidhlimidh Reachtmhar, Cathaoir mor, et Con-cet-cath coincidere," quod et Flaherteus ipse, eorum auctoritate coactus, fatetur p. 144.

Atqui Aurelius obiit anno C. 180, et Flannus subjungit, Connum, *Commodo Imperante*, in Moylena prælio victorem, eodem Imperante occisum fuisse, ut supra notavi pag. xi, xii.—Iisdem rationibus patet, quantum erraverit Flaherteus in anno prælii *Dubcomarensis*, in quo victores erant tres *Collai*, qui quinquennio postea Eamaniam everterunt. Tigernachus enim prælium *Gauranum*, quod ante Dubcomarense gestum est, et in quo occisus est Oscar filius Oissini, refert ad annum *ante quam Dioclesianus ad Imperium, cum Herculeo Maximiano, eveheretur*, ac proinde ad annum C. 283, ut supra indicavi p. xxiii, unde patet *Oscarum* occisum fuisse anno decimo post obitum *Finni*.—Deinde ad tempora Constantini descendit, quo regnante " Prælium *Dubcomar*, ita dictum a Dub- " comario Druida in isto prælio occiso, gestum fuit anno quo Constantinus, libertate donata Chris- " tianis, *Gothos in Sarmatarum regione delevit.*" (3) Atqui id evenit anno 325, demonstrante Petavio, (4) ergo gestum est Prælium *Dubcomar* anno a Finni obitu 52, Christi 325, ac proinde Eamania Ultoniæ Regia a Collais eversa est anno 330.

Sequuntur res Hibernicæ et Romanæ, a Tigernacho mixtæ, usque ad regnum *Muredachi Tireach*, cujus obitum refert ad annum " postquam Timothei reliquiæ Constantinopolim translatæ sunt," (5) quæ translatio evenit anno C. 356, uti patet ex Idatio apud Petavium, ergo anni 26 intercessere a gesto prælio Dubcomar ad obitum Muredachi.

---

(1) Tigernachi Codex Bodl. Rawl. No. 488. fol. 5, col. 2, lin. 26.

(2) Codicem *Balimotensem* affero ex MSS. notis marginalibus in exemplari Stowense Ogygiæ pag. 139, et 144. Usserius eundem Codicem citat in Primordiis p. 862. Vide quæ de hoc Codice dicta sunt supra p. xiv, et a Llhwydio in Archæol. p. 435, No. 255.

(3) Tigernach ibid. fol. 6, col. 3.

(4) Petav. de Rat. Temp. t. 2, p. 417, ex Cod. liv. De Naviculariis.

(5) Tigernach ibid. fol. 7, col. 4.

Cætera quæ sequuntur usque ad Patricii adventum, cum Coemano conveniunt. Muredacho enim *Coelbadius* successit, cui successit *Eochodius Muigmedon* Muredachi filius, qui Reginam habuit filiam Regis Saxonum, e qua genuit *Niallum magnum*, postea Regem Hiberniæ ab anno 379.—

Errat itaque Usserius ubi inquit, " postremis Constantii temporibus, annis ante Juliani Imperium VIII, regnare cæpisse Niellum illum magnum, quo Hiberniæ Monarchiam obtinente, sex filii Muredi Regis Ultoniæ, in classe non modica, boreales Britanniæ partes occupavere, unde videndum, an non sex istorum fratrum Princeps, *Reuda* ille fuerit, cujus Beda meminit l. 1, c. 1." (1) Errat inquam vir doctus, cum Reudæ tempora Juliani ævum longe præcesserint, et Niallus regnare inceperit non anno viii ante Julianum, sed anno xviii postea. Concordant enim cum vetustissimis Hiberniæ scriptoribus metricis *Tigernachus*, *Coemanus*, et *Modudius*. Usserius in errorem inductus est a Giraldo, et ab auctore incerto Vitæ S. Patricii, quem Giraldus citat, dicente—" Scotos de Hibernia sub " Rege suo *Neill-nai-ghiallach* multum diversas Provincias Britanniæ, regnante *Constantio filio Con-* " *stantini*, vastasse.. Ductus est itaque S. Patricius ad Hiberniam captivus, *primo anno* regni Juliani " Imp. Apostatæ, anno autem *nono* regni *Neill-nai-ghiallach* regis Hiberniæ, qui xxvii annis poten- " ter regnavit, quique Britanniam, et *Angliam*, usque ad mare quod est inter Galliam ad Angliam, " multum devastavit, ibique in bello cecidit." (2) Eandem vitam ex vetere membrano descriptam citat Gratianus Lucius.—At *Angliam* bis exprimit auctor iste, ac proinde vixit exeunte sæculo ix.— Prætera, non sibi constat; in uno enim loco, annos *Nialli* accurate, cum annis Patricii, Theodosii, et Laegarii, ac proinde cum nostris rationibus conciliat. Annum enim 16 ætatis S. Patricii, *quo ductus est ad Hiberniam captivus*, cum *nono* Nialli qui fuit C. 388, accurate conjungit, et ann. Patricii 60, *quo in Hiberniam venit*, cum *quarto* Regis Laegarii, *nono* Theodosii, et Christi 432.— Atqui has rationes accuratas esse, indicant intervalla æqualia annorum 44 ab anno ætatis 16 ad 60, et ab anno Nialli *nono*, Christi 388, ad annum Theodosii *nonum*, Christi 432. Sed si ab anno ejusdem Theodosii *nono*, Christi 432, subducantur anni 44, ut scriptor ille supputat, minime perveniemus ad *primum Juliani*, qui fuit Christi 361; unde patet errasse scriptorem istum, qui Hibernorum excursiones in Britanniam, Imperante Constantio filio Constantini, et regnante in Hibernia Nialli patre *Eochodio Muighmedonio*, factas, cum eorumdem excursionibus, regnante ipso Niallo, simul confusisse.—*Whitakerus* ex Carteo Nialli incursionem maximam in Britanniam recte refert ad annum circiter 395. Hist. of Manchester, vol. 2, p. 267. Colganus consentiens, pervetustum Nialli Epitaphium Hibernicum memorat, extantem suo tempore, et " scriptum ab Amergino, " qui ante circiter mille annos floruit, ut in nostris Annalibus fusius ostendemus, ad ann. 405." Triad. p. 447, col. 1, not. 5.

Hæc ideo præcipue notanda duxi, ut scriptores Angli, in his studiis posthac versaturi, paulo acrius et diligentius inquirant. Res enim Hibernicæ ideo obscuræ latent, et neglectæ, quia quidam e nostris, scribendi genere declamatorio utuntur, pueris potius accomodato, quibus ficta themata præscribi solent, quam studiis gravibus, et severis, quibus Antiquorum gesta e tenebris, et edacitate, ac invidia temporum eripiuntur.

---

(1) Usser. Primord, p. 587. Dubl. ed. 1639, ex Codice vetusto incerti auctoris, et ex Giraldi Topogr. Dist. 3, c. 16, p. 742.. (2) Ibid. et apud Grat. Luc. p. 299. (3) Vide supra pag. xvi.

Animadvertere hic juvat, Regum catalogum, Annalibus Inisfalensibus præfixum, (vide supra p. ix,) valde vitiatum esse, et quamvis sæculo xi scriptum indicat ultimus Rex in isto catalogo memoratus, ab accurato tamen, licet recentiore, Ultoniensium, et Tigernachi catalogo, nullatenus discedendum esse, notæ quas Ultoniensibus apposui, satis superque demonstrant.—Dixi catalogum Inisfalensium sæculo xi descriptum videri, ultimus enim rex ibi memoratus est *Maelsechnall mac Domhnaill*, qui obiit die 2 Sept. anno 1022, testante Tigernacho tum vivente, cujus ipsa verba ex Codice Bodleiano describo.——" Kl. ii. fer. luna xxiv. *Maelsechlain mor mc. m. Dondchada,* " *airdri Er uili 7 tuir congbala cinig, 7 uaisle iartair domhain uile, docg a Cro-inis locho h Aindinn,* " *in xliii anno regni sui*...... Kl. iii. fer. luna v. *xvii decennovennalis circuli, xx vero iii post mille,* " *earcra greine a medon lai, 7 carcra essca sa miss c*......*Oenric ri in domhain i. p. q. Cuanu* " *do gabhail rigi tareisi for in domhain*......Kl. fer. iv. luna xvi. *xviii anno decennovenalis cir. mille-* " *simo vero ac xxiv anno Incarnationis Dominice. Hic annus bissextilis est*.......*Cuan h. Lochan* " *prim senchaid Er. 7 a prim. Ol. domarbad a Tebta.*—[Kalendis Jan. in feriam 2 incidentibus, die " lunæ 24, Maelsechlan magnus, filius filii Donnchadi, (i. e. Malachias 2 filius Donaldi) supremus " Rex Hiberniæ totius, et sustentaculum ordinum et Nobilium occidentalis mundi totius, obiit apud " Croinis, insulam lacus Annin, anno regni 43........Anno sequente Kal. Jan. feria 3, lunæ die 5, " anno Cycli decennovenalis 17, *anno Incarnationis* 1023, Eclipsis Solis hora meridiana, Eclipsis " Lunæ eodem mense, Henricus rex Mundi in pace quievit. Cuana (i. e. Conrad) obtinuit post " eum regnum mundi......Anno sequente Kal. Jan. feria 4, die lunæ 16, anno Cycli decennove- " nalis 18, millesimo vero ac 24 anno incarnationis, anno nempe bissextili......*Cuan O'Lochan* " præcipuus Historicus Hiberniæ, et ejusdem præcipuus Poeta, occisus a Teffiensibus."]—Eadem habent IV *Magistri* ad ann. 1022, et ex alio vetustiore Tigernachi Codice Flaherteus p. 436, his verbis—" Malachias II, 48 Regum Christianorum Hiberniæ ultimus, anno ætatis 73 naturæ " cessit, cujus interitus diem ita signarunt Scoti-chronicon Tigernachi Cluanense, et ex eo Annales " Dungallenses.—Anno decennovenalis Cycli 16, Malachias magnus Rex Hiberniæ, supremum " caput ordinum ac procerum occidentis, apud Croinis, lacus Aiudin insulam, prope Regiam " suam *Dun na Skiath*, in 43 anno regni sui, in iv Nonas Sept. die viz. Dominica, luna 2, præ- " sentibus, ac sibi astantibus, venerabilium SS. Patricii scil. et Columbæ, ac Kiarani hæredibus, " pœnitens in pace pausavit." Postea distichon Hibernicum citat ex eodem Tigernachi Codice

" *Tri cheud port ag an righ—ima topar broit is bidh*
" *Altrom o righ na n duile—a meadhon gach duine dhiobh.*"
" Præbuit e castris vestes victumque trecentis,
" Quarum quæque inopum sedes penetralibus altrix." (1)

Ex hoc disticho patet, Maelsechnallum morientem jussisse, ut 300 pupilli, parentibus orbati, ad gratiam animæ conciliandam, in variis oppidis nutrirentur, et paulo postea obiisse anno 1022, quod pariter ex alio disticho, a IV *Magistris* conservato, manifestum est—

" *Da blihdhain da dheich mile—o ghein Cr. ceann gach righe,*
" *Go h ecc ui Colmain n a gcrech—Maolsechloinn comlan cuimhnech.*"

(1) Extat Distichon hoc, simul cum aliis ex eodem poemate descriptis, etiam in Codice Bodleiano Rawl. 488.

"Duo anni bis decem (et) mille—a nato Christo capite cujusque Regis,
"Ad obitum O'Colmani exercituum—Malsechlanni Ducis memorabilis."

Maelsechnallus itaque procul dubio obiit anno 1022. Non solum enim ordines feriarum, cum lunæ ætate concurrentium, verum et Eclipses solis et lunæ, a Tigernacho memoratæ, et calculis Astronomicis consentientes, id manifestissime confirmant; cumque catalogus Inisfalensis numerum Regum non ultra producat, et cum *Cuanus O'Lochan*, Hiberniæ præcipuus Historicus, et Poeta, anno post Maelsechnalli obitum proximo occisus fuerit, conjectura, non a vero absimili, inducor ut credam, ab eo, cujus quædam extant in Stowense fragmenta, descriptum fuisse catalogum istum, et postea corruptum ab aliis, ita ut Tigernacho, et Ultoniensibus adhærendum sit.

Jamque, cum huic lucubrationi modum imponere suadeat nimia prolixitas, ex his Prolegomenis illud saltem *de certo* constat, *Calmeti* concessiones, quibus, vanæ Incredulorum jactantiæ permittit, Hibernorum, Ægyptiorum, et Sinarum antiquitates, posse ad stupendum annorum numerum, Annalium certitudine numerari, non nisi ex cordis abundantia profluxisse, cum Hiberniæ antiquitates non ultra Alexandri ævum producantur. (1)

Salmasius vetustissimi auctoris meminit, qui Ægyptiorum Dynastias, per tres annorum *myriadas* duravisse dictitabat, myriadas illas exponens, millies decies millia, cum tribus annorum millibus! In secula itidem innumera, Americanorum de origine mundi computum recurrit. Scilicet quia quo ignorantior est gens quævis, eo magis miranda affectat. Docti autem, quo doctiores sunt, eo magis Mosaicæ historiæ veritatem assequuntur.—Si tam antiquum esset genus humanum, quomodo veræ essent quæ hitoriæ certissimæ narrant, de primis liberalium disciplinarum, et artium institutoribus, vel a quibus regiones, et insulæ incoli cæptæ fuerint, vel quomodo evenit quod omnes historiæ omnium gentium, longe antequam ad Diluvium perventum fuerit, fabulis plusquam anilibus involvantur?

Quædam argumenta, et forte speciosa, adduci possent pro antiquitate materiæ chaoticæ, et informis, et Hibernorum ea de re opinio optime a Coemano exprimitur, in Chronologiæ metricæ versu 14, "a redacto, seu potius *formato, mundo in formam pulchram*," uti etiam ex Genes. c. 1, v. 2, sed pro generis humani, ultra 6000 annos existentia non solum nulla extat auctoritas, nullum argumentum, sed nec ullum afferri potest vestigium, aut illatio quævis, vel probabilis conjectura, et quamvis eruditissimus auctor operis Gallici, cui titulus "Antiquitas temporum restituta," ex lxx Interpretibus, aliisque, demonstrare conatur, mundum 1500 annis esse antiquiorem quam Hebraici Codices exponunt, illud tantum efficit, ut Codicum Græcorum numeros vitiatos esse censeamus. Vulgata enim Versio Latina, ex Hebraico fonte ab Hieronymo derivata, et a mille et amplius annis Ecclesiarum Occidentalium usu consecrata, Hebræis Codicibus in annis Patriarcharum numerandis

---

(1) Calmet. Dissert. Prælim. præfixa Historiæ Hebræorum.--Usserii sententiam Vir doctus respicere videtur, ubi inquit eos qui Hiberniam Alexandri ævo ignotam fuisse autumant, illud Orphei in Argonauticis non consideravisse,—"*Par* "*d'ara neson ameiben Jernida.*—Argonauticorum enim Scriptorem, Orpheum Crotoniatum, Pisistrati, et Cyri tem-"poribus claruisse, ex Asclepiada Suidas nos docuit.—Cujusmodi antiquitatis ne ipse quidem P. Romanus, nominis "sui testem proferre poterit auctorem." Primord. p. 724. Confer quæ supra diximus pag.

consentit, et Hebraico textui adhærendum est potius quam Græcæ versioni, quæ ab ipso Amanuense, qui *primus* ex Ptolomæi Codice eam descripsit, vitiari potuit, ut Hæbræorum antiquitatem Ægyptiorum jactatis Dynastiis anteferendam esse demonstraret.

V.

Bardorum Reliquiæ metricæ, quæ in his Prolegomenis memorantur, designatæ secundum ordinem Codicum Stowensium in quibus extant.

CODEX STOWENSIS N°. I.

Codex membranaceus est in IVto mediocri; lingua, et characteribus Hibernicis. Constat foliis 42, quorum quæque pagina duobus columnis divisa est. Desunt folia nonnulla in initio et in fine, unde difficile dictu est quo ævo exaratus fuerit.—In folii 38vi margine hæc ab Avo quondam meo Hibernice scripta leguntur, "*fada o sc. b. an leabhar sin*" [ab antiquo scriptus est liber iste.] Hibernice appellatur "*leabhar Gabhaltas,*" i. e. Liber Expugnationum. A nostris Scriptoribus centies post artem typographicam introductam, et in vetustis Codicibus frequenter antea, memoratur.—Nicolsonus in Bibliotheca Hibernica inquit—"*This is a record upon whose authority we may* "*depend. 'Tis otherwise called the book of conquests.*" (1) Characteres sunt rotundi, nitidi, elegantes Literarum et atramenti talis est uniformitas, et pulchritudo, ut vix cedat arti typographicæ, et atramentum æternitati sacrum videatur. Litera *u* nullibi scribitur forma angulari *v*, sive consonans, sive vocalis, neque unquam duplicatur ut *w*. Litera *i* nullo puncto, nulla aspiratione supra notata designatur. Nullibi extat litera *J* consonans, vel *y*, vel *æ* dipthongus; nec quævis est punctuatio præter punctum simplex. Numeri sunt ubique Romani.

Continent scriptorum sæculi ix, x, et xi, metrica quædam, de primis habitatoribus Hiberniæ, cum Chronicis metricis Eochodii, et Flanni, sequenti ordine, in quo non omnia noto, sed ea tantum quæ in præcedentibus memoravi, vel quæ cum præcedentibus contuli, ut ad veram temporum rationem accurate designandam pervenirem.—Desunt, ut dixi, folia quædam, duo ni fallor, in initio. Numerantur itaque folia in sequenti catalogo, ex ipsa Codicis præsenti conditione, i. e. a primo extante. Paginæ similiter cujusque folii eodem ordine, itemque columnæ; nempe pagina 1 vel 2 istius folii, 1 vel 2 columna istius paginæ.

Folio 1, pag. 2, col. 1. Incipiunt metrica quædam *Eochodii O'Flan,* quæ constant versibus Hibernicis 48, a versu "*Do luid Niul as in Scithia.*"—[Exivit Niul e Scithia.] Extitit antiquitus

---

(1) Nicolson's Ir. Libr. Dubl. 1724, p. 181, 182, "of the Book of *Invasions,*" et p. 187, et in editione Londinense p. 66. Item apud Keatingum p. 45.

(2) Non est confundendus Eochodius hic cum alio ejusdem nominis scriptore sæculi vi. Waræi Script. Hib. Dubl. 1746, p. 22. Sed is est qui floruit anno 880, de quo Nicolsonus p. 68 ibid.

hoc ipsum poema in *Psalterio Casselense,* scripto a Cormaco Rege et Episcopo Momoniæ, qui occisus est in prælio Mugnæ anno 908, et ex isto Psalterio, quod consuluit Gulielmus Malmesburiensis, ut notat Usserius, (1) citatur idem poema a Keatingo. (2)

Folio 4, pag. 2, Col. 1. Incipit aliud ejusdem *Eochodii* poema—" *A caomha chlair Chuinn* " *caoimhsig,*" &c. [O vos nobiles dimidii (Hiberniæ) Conni nobilis] in quo plura narrantur de Partholani adventu, et de primariis fluminibus, et lacubus Hiberniæ. Eochodii nomen vix legi potest in titulo partim exeso, sed diligenter inspicientibus manifestatur, et in ultimo disticho, seu versu 52, i.e penultimo, auctor ipse se Eochodium prodit—

" *Me an tua Flaind fhodhlas fiora—roinn fri Riogha do raoga,*
" *Rob rudh raith gach araidhe—robdar caidhe a caomha.*"
" Ego ille O'Flannus qui pando vera—Dissentiones Regum enarrans,
" Qui narravi historias cujusque fortium—qui fuere venerandi nobilitate."

Hujus Poematis primum distichon citatur in Vocabulario Hibernico voce *Caomha,* (3) et ex Codice dicto "*Psalter-na rann*" a Keatingo, (4) sed propter linguæ, in pluribus locis, obscuritatem, hactenus latuit, et prope periit, sicut et alia metrica vetustissima, quæ utique periissent omnia, nisi Viri unius, nunquam nimium laudandi, munificentia, a temporum edacitate, et oblivione eriperentur. Placuit sequentes versus ex hoc Poemate describere, in gratiam eorum qui de vetusta Hiberniæ topographia scripturi sunt, unde pateat, quænam fuerint præcipuorum lacuum et amnium nomina antiqua, et ex quo fonte derivanda sint—

" *Tri locha aidhble aimnois—7 noi naibhne niommais,*
" *L. Fordremain, l. Luimnig—Findloch iar nuimlib Irruis,*
" *Abann Lifhe, Lui luaidein—diandrechi can Drui denseng,*
" *Derbtais deg airde dilenn—sencais senaibne n Erenn.*
" *Muad, Sligcech, Samaer sluinne—Buas n binn arbladhacb binne*
" *Modorn, Find co n glegalla—Balla ettir Le 7 Elle.*" (5)

" Tres lacus amæni, celebres,—et novem flumina limpida,
" Lacus *Fordreman,* lacus *Luimnig,—Finloch* ad occasum Umaliorum Irrusii,
" Amnis *Lifhe, Lui* amœnus—ut narrat quisque Druida (i. e. sapiens) historicus,
" Qui notat gesta alta (antiqua) Diluvii—(et) Historiam veterum amnium Hiberniæ.
" *Muadius, Sligachus, Samaerius* (sic) dictus—*Buasius* perrennis (fluens) per rura amœna.
" *Modornus, Finnus* valde limpidus—*Banna* inter (regiones) Lee, et Eile."

Hi versus imprimis notandi sunt, non solum quod sint antiquissimi, et ab Eochodio, ut ipse indicat, ex alio quodam longe antiquiore poemate Druidico descripti, sed quia de fluviis *Senano,* et *Bovinda,* de lacu *n Each, Feabhail,* aliisque præcipuis silent, et quia fluvia quæ notant, valde

(1) Usser. Primord. fol. Lond. 1687, p. 454, et 4to Dubl. 1639, p. 874. Nicolson ib. p. 29. Waræi Antiq. Lond. 1656. p. 92. (2) Londini 1703, p. 28.
(3) O'Brien's Irish Dict. voce *Caomha.*
(4) Pag. 26—Codex iste a quingentis annis exaratus est. Waræi Antiq. Hib. Lond. 1656, pag. 92.
(5) In alio Codice *Banna,* et recte, vide Codicem istum infra No. XIV.

adjuvant ad describendos limites antiquissimæ quinque-partitæ divisionis Hiberniæ, quam supra memoravi.(1)—Extat aliud poema vetus, cum hoc conferendum, incipiens a versu—" *Adhaim athair* " *sruith ar sluagh*," in quo lacuum et amnium vetustissimorum Catalogus exhibetur, in hoc tantum discrepans a priore, quod *decem* flumina recenset, quorum unum *Bearbha*, the *Barrow*, deest in poemate Eochodii ;—duo autem exemplaria vetera conveniunt in *novem*.(2)

Hinc patet traditiones antiquas, a mille et amplius annis *scriptas*, quæ ad alias antiquiores pariter scriptas referunt, de maximis fluminibus, et lacubus silere ! Verba secundi poematis sunt

" *Ni uairiodar loch no linn—an Erann ar a cionn,*
" *Acht tri locha ionradh gann—as deich srotha seanabhann.*"

" Non invenerunt (Partholanii) lacum vel amnem—in Hibernia ad eorum adventum,
" Nisi tres lacus infoecundos, parvos,—et decem rivulos, vetustos amnes."

Longo post tempore, alios lacus, et alia flumina erupisse, narrat postea Eochodius, et Giraldus lacus *n'Eachi* originem, ex vetustis incolarum traditionibus describens, inquit " recentioris originis " argumentum esse, quod piscatores aquæ illius, turres Ecclesiasticas, quæ, more patrio, altæ sunt " et arctæ, nec non et rotundæ, sub undis manifeste, sereno tempore, conspiciunt." (3)

Extat in Bibliotheca Stowense Poema Hibernicum Lugadii O'Cleri, in quo, de Hiberniæ antiquitatibus cum Thadæo Bruodino disceptans, vetusti Poetæ *Arnci Finguini* auctoritatem adducit, qui lacuum *n Eachi*, et *Rivii* origines refert ad regnum *Lugadii*, qui Imperante Vespasiano floruit anno C. 77. (4)—Aliud poema cui titulus " *Cath Leine*" [prælium Lenense] id refert ad ortum *Conni* centum præliorum, qui post Lugadium regnavit, ut supra pag. xii. (5)

In his traditionibus, etsi vetustissimis, immorari non est animus; id solum noto, veterem quinque partitam Hiberniæ divisionem, quam *Achaius Feidloch*, et *Conarius* primus restituerunt, (6) quamque Hiberni usque ad Anglorum adventum retinuere, quibusdam veluti limitibus posse Eochodii ope definiri. Ex ejus enim versibus patet, *Galenios*, a portu Colpano, prope ostium fluvii *Bovindæ*, ad *Surii* ostium tendentes, nomen suum Lageniæ reliquisse.(7) Reges quidem Hiberniæ partem Lageniæ, quæ ab ostio Bovindæ ad Lifteum tendit, et alias etiam cæterarum divisionum partes, Regali Patrimonio Midiæ, a Senano fluvio ad mare Orientale tendenti, vindicavere ; sed antiquitus Lagenia a Vadopontis (*Droiched-atha*, hodie Drogheda,) tendebat ad *Bearbham* fluvium, qui e monte Bladma in Lagenia scaturit, et infra urbem *Ross-mc-Triuin*, hodie Ross, cum *Feoro* aquas commiscens, influit in

---

(1) Prolegomena p. xii, xxxix, xlvii.

(2) Hujus Poematis meminit Keatingus p. 27, et 35, ex alio Codice, in quo non plures quam *novem* flumina memorantur, sed pro *Finno* substituitur, *Bearbha*.

(3) Giraldi Topog. Hib. Dist. 2, c. 9, p. 719. (4) Vide supra pag. li.

(5) Confer pag. xi, et xii, cum pag. xvi, xvii, xix, li.—Duo fuere *Lugadii*, quorum primus, *Sriabhderec* dictus, (i. e. rubris circulis in cute notatus,) regnavit post Conarium I, ut supra pag. li, secundus, Lugadius *Mac Con*, Arturo filio Conni centum præliorum successit, ut supra pag. xvii, xix, et xxix.

(6) Vide supra pag. xii, et xxxix, vers. 52, item p. xlvii, et infra p. lxi, et Giraldi Topogr. Hib. Dist. 3, p. 736—7.

(7) Aliud poema a Keatingo citatum p. 10, *Lageniæ* nomen deducit a *Laighin* hasta, quia *Galengii*, hastis armati, ad prælium ducebantur a Duce *Labhradio-Loingseach*, Slangii coævo.—" *O na Laighnibh sin gan oil diobh ro hainmnig* " *headh Laigion.*"—Extat et hoc ipsum poema in Codice Stowense *Dinseanchus*. Ambo conciliantur, utpote unius ejusdemque narrationis partes, quæ mutuo se adjuvant. De quinque divisionibus vide infra p. lxi.

Surium, ubi Lagenia ab Ossoria sæculis mædiis divisa erat. (1) *Surius* itaque, *Feorus*, et *Bearbha*, uno alveo Oceanum influentes apud *Port-Lairghe*, hodie Waterford, Lageniam antiquam a Momonia Australi separabant.—Inde ad *Belach-Conglais* prope Corcagiam, *Desmonia*, i. e. Australis Momonia, et a Belach-Conglais ad *Rosdashailech* prope Limericum, *Tuamonia*, i. e. Aquilonaris Momonia, tendebant.—Connaciæ limites, juxta Connaciæ scriptores, tendebant ab occidentali ostio Sinani ad Drobisium flumen, quod medio pene inter *Sligachum* et *Samerium*, hodie the *Erne*, influit in Mare Germanicum. Limites ejus australes angustiores fuisse clamabant Momonii. Ego autem a vetusti scriptoris Evini auctoritate nequeo discedere, donec meliora in medium afferantur. " Universa " Connacia inquit, a fluvio *Drobhais* usque ad *Murcsc Eogain* juxta *Lumneckum*, (hodie Limerick,) " et a loco qui *Lein-Lara* dicitur, usque ad *Druimsnamha*, (hodie Drumsna,) in regione *Gabhal-* " *Livin*." (2) Quinta divisio, *Ultonia*, tendebat a fluvio *Drobhais* ad ostium Bovindæ. Hiberniæ Reges *sextam* divisionem, in cæterarum medio positam, et Midiam appellatam, sibi in patrimonium vindicavere; ubi, post Conarii I obitum, et Arcis *Bruidneda-derga* excidium, *Temoria* præcipua Hiberniæ Regia habebatur. (3) Talis fuit Hibernorum *Pentarchia* quæ usque ad sæculum XIImum perduravit.

Etsi hæc nimium prolixa videantur, priusquam ad alia hujus Codicis poemata indicanda procedam, operæ pretium habeo, sequentia ex Evino afferre, quibus Eochodii amnes illustrantur.— " Benedictione promeruit Patricius, quod nullus in publicis ludis, et certaminibus, *Oenach Tailtean* " dictis, (4) violento pereat interitu; quod fieret æmula navigatio a *Bertlaciis* occidentalibus ad " *Bertlacios Calrigiæ*; quod aquas *Drobasii* fluminis, et *Bannæ* orientalis reddiderit piscibus fœcun- " das; *Sligeach* fluvium singulis anni mensibus fecerit Salmonibus abundare; quod *Samerius* fluvius, " qui a lacu Ernensi descendit in Oceanum, propter ejus imprecationem, a parte regionis Conalli " abundet, et a parte regionis Carbrei destituatur." (5)

Quæ de flumine *Sligeach* ab Eochodio narrantur, conspicua sunt usque hodie. Ibi enim, singulari quodam lusu naturæ, Salmones recens e salo salientes, singulis diebus turgidi capiuntur, cum in plerisque fluminibus non nisi statis anni temporibus e mari proveniant, ita ut valde notabile fuerit flumen istud veteribus Hibernis, quibus e Salmone vesci tam erat familiare, ut longe plura sint in lingua Hibernica vocabula quæ Salmonem exprimunt, quam in quavis alia, ut *Bradan*, *Eigne*, *Eo*, *Meas*, *Maireun*, *Rae*, *Maighre*, *Orc*, quæ videri poterunt in Vocabulariis. (6) Arx Conarii I, *Bruidne da derga*, in agro Sliguntino prope *magh tuiremh* (campum turris,) non longe a flumine isto sita erat, ut patet ex nota marginali in exemplari Stowense Ogygiæ, p. 273.

Fol. 7, pag. 2, col. 1. Incipit Poema—" *Torinis, Inis an tuir, cathair Conain*"—[Torinis, Insula turris, Arx Conani.] De hac insula, et de poemate isto, quædam dicta sunt obiter in notis ad Chronicon Metricum Coemani, supra pag. xxxvi. Constat lineis 48, quarum quævis, methodo rhythmica Hibernis peculiare, in duas resolvitur lineas, seu in unum distichon, rhythmo in medio lineæ

---

(1) Annal. Ulton. ann 1118, locus ubi confluebant dicebatur " *Comar na dtri n uisgeadh.*"—Hæc ideo noto, quia nequeunt Annales nostri intelligi, nisi Regionum limites accurate definiantur.

(2) Triad. p. 205. Floruit auctor hic ante adventum Danorum in Hiberniam. Triad. p. 169.

(3) Vide infra p. lxi, et supra p. xii et xlvii.

(4) De his ludis vide Annal. Ult. ad ann. 716. 1006, et 1120. (5) Triade p. 167.

(6) Salmonum abundantiam in Hibernia notat Giraldus Topogr. Hib. Dist. 2, c. 40, p. 731.

respondente cum syllaba ultima in fine. (1) Incerti est auctoris, sed vetusti, et, ut ego opinor, *Eochodii.* Nomen auctoris desideratur.

Fol. 8, pag. 2, col. 1. Incipit Poema *Eochodii* "*H Eriu oll ordnitt Gaedil.*"—In cæteris Codicibus in quibus extat hoc Poema, tam in membranaceis, quam in recentioribus, Eochodii nomen inscriptum præ se fert in titulo, et quamvis in hoc desit, Eochodium tamen plane respicit Inscriptio "*In sui Sennchado,*" i.e. sapiens Historicus cecinit.—Constat lineis 72, quarum quævis in duas rhythmicas resolvitur, i.e. in disticha brevia 72, duplicia 36.—In hoc poemate Nemedorum gesta notantur, et eorum expulsio ex Hibernia, post excidium Turris Conani, in Insula *Torinis*, hodie Tory Island.—In hoc eodem Poemate Angleseia appellatur *Moin-Chonaind*, (Terra Conani,) quod quemdam vetustum Navigatorem Africanum indicat, Conani nomine in vetustissimis metricis traditionibus celebrem, qui ex Mona peninsula, et ex Insula Tor-inis, ubi arcem posuit, litora Hibernica infestabat, et a quo istæ regiones Conani nomen accepere. In iisdem traditionibus memoratur gens maritima, *Fomharaig* dicta, quæ ex Africa Colonias deducens, Hiberniam sæpe petiit, et populavit. Hos Carthaginienses fuisse, suadent quæ supra p. xlii, et xliii. (2) Eochodius inquit "*Conanum* filium fuisse *Faebharii*, e gente ista Africana, qui, Nemedis fusis, et Arce *Torinis* condita, "Hibernos coegit ut quotannis, die festo *Samnii*, tributa solverent in loco dicto *Magh Gceidne*, "(Campus compulsionis,) inter ostia amnium *Drobhais* et *Eirne*. Nemedi demum, coactis viribus, "Arcem *Torinis* funditus everterunt. Postea autem *Fomharagii* ex Africa supervenientes, Nemedis "expulsis, late dominabantur, donec a Belgis profligati, Africam redire coacti fuere. Ita Eochodius "in poemate hoc et in alio "*Adam athair Sruth,*" quod supra memoravi.

Fol. 11, pag. 1, col. 1.—Incipit Poema—"*Fir b. bat sunna seal,*" constans lineis 26, quæ resolvuntur pariter in disticha rhythmica 26, ut supra.—Nomen præ se fert *Tanudii* Poetæ, cujus meminit Keatingus p. 41, ubi hoc ipsum Poema a se visum designat.

Tanudius hic non est cum alio confundendus, Abbate, et scriptore Bennchorense Ultoniæ, qui obiit anno 916, ut notant IV *Magistri* ; vel cum Conangio *O'Maolconair* Bardo Connaciæ, qui sæculo xi floruit, ut notant iidem, et ex eis Flaherteus, et Colganus. *Tanudius* noster erat pariter e gente Maolconariorum, et Bardus, sive genealogus metricus Regum Connachtensium; de quo Nicolsonus ait—"*Tanuidc O'Maolconaire, a famous Antiquary and Poet, to whom we are indebted for the* "*best account of the Firbolgian race.*" (3) Hujus opuscula omnino periisse, ex communi opinione existimavi, donec incidere contigit in Codicem hunc, in quo procul dubio extat Poema prædictum ejus nomine insignitum.—*Maolconarii* erant, *jure hæreditario*, Regum Connaciæ Poetæ, sine quorum Genealogia metrica, in Conventione Regni publice recitanda, Regem inaugurare nefas erat.—Hinc, plurimi istius nominis Archipoetæ Connaciæ in Annalibus memorantur.

---

(1) De hac methodo vide quæ infra dicenda sunt pag. lxvii.

(2) Strabo l. 2, c. 104, t. 1, p. 163, inquit Polybium scripsisse librum de Insulis Britannicis, in quo Pythiæ, Dicæarchi, et Eratosthenis errores redarguit ; unde sequitur Insulas has Græcis vetustioribus notas fuisse.—Festus inquit se in Annalibus Carthaginiensium *Himilconis* verba de *Sacra Insula* Ierne, prope Britanniam sita, legisse. Confer Orphei Argonaut. ed. Lipsiæ 1805, v. 1179, p. 217, not. 1186, cum dictis supra p. xlii, xliii, cum Annot. ad Annal. Ult. p. 142, cum *Agathemeri* Geogr. Hudson. t. 2, Oxon. 1703, c. 8, et cum Dissert. *de Relig. Ethnicor.* Hib.

(3) Nicolson Ir. Hist. Libr. Dubl. 1724, p. 187. Keat. p. 118. De Conangio O'Maolconair vid. ib. Præf. p. xvii.

Conangius O'Maolconair Regum Hiberniæ Christianorum Catalogum metricum scripsit, adhuc extantem in Bibliotheca Stowense, et incipientum a versu—

" *Ata sunn forba feasa—fhear n Erionn, gan aincheasa,*
" *Remeas gach righ ro ghabh giall—o Laogaire go laoch Bhrian.*"
" Est hic vera series—virorum fortium Hiberniæ, sine dubio.
" Regnum cujusque Regis qui obtinuit obsides—a Laogario ad heroem Brianum."

Desinit poema hoc in anno ultimo Briani Boromei occisi in prælio Cloontarfense anno 1014. (1) Malachias O'Maolconair Connaciensis, qui poema Hibernicum composuit, de Genealogia præcipuarum familiarum Hiberniæ, memoratur in Triade p. 452.—Neidius O'Maolconair Historicus metricus, pariter Connaciensis, obiit anno 1136, ut notant IV *Magistri* ad annum istum. (2) *Donnchad bacach* (i.e. Claudus) O'Maolconair Regum Connaciæ Catalogum metricum, in eadem Bibliotheca extantem, composuit, incipientem a regno Tordelbaci O'Concobar, (de quo Annal. Ulton. ad ann. 1121, p. 385-6,) et desinentem in regno Tordelbaci alterius O'Concobar filii Aedi Regis Connaciæ anno 1404. " Tulgænius O'Moelchonrius, vir historiarum et legum Hiberniæ scientissimus," memoratur a Gratiano Lucio p. 118.

Horum antiquissimus est *Tanudius*, de quo agimus in præsentiarum. Nicolsonus de hoc ipso Poemate, a quodam Hibernense sibi indicato, inquit—" *This is the best account extant of the Firbolgian* " *race.*"—Exhibet autem Catalogum metricum Regum Belgarum a *Slangio* primo Rege Hiberniæ, quem ut omnium *primum* memorat *Coeman*, in poemate—" *Eire ard Inis na Righ,*" item *Malmuræ* qui obiit anno 887, et *O'Duveganus*, in poemate de Genealogia Regum Hiberniæ a Slangio ad Brianum, incipiente " *Ata sunn seanchas Riogh Erionn.*"—Hi omnes ad alia longe antiquiora Poemata appellant, ita ut hæ traditiones a vetustissimis Hibernorum memoriis, si non ab ipsis exordiis repetendæ sint. Easdem memorat Giraldus, qui Chronico huic metrico Tanudii tam prope accedit, saltem quoad Slangium, ut ex paraphrastica quadam versione Latina ea descripsisse videatur. " Quinque Duces....filii Dela....Hiberniam in quinque portiones æquales inter se diviserunt, " quorum capita in lapide quodam conveniunt apud Mediam, juxta castrum de Kyllari, qui lapis " umbilicus Hiberniæ dicitur, quasi in medio terræ positus, unde et Media pars illa Hiberniæ " vocatur. Quælibet partium illarum suam in Media portiunculam habet, lapidem præfatum con- " tingentem....*Slanius*, primus Hiberniæ Rex, primo quinque portiunculas Mediæ in unum con- " jungens, totam Mediam mensæ Regali appropriavit...Cum igitur ex his fratribus, et eorum suc- " cessoribus novem successerunt Reges, parum tamen, et circiter annos xxx regnaverunt. Slanius " vero in quodam monte apud Mediam tumulatus est." (3)——Ducum nomina eadem habet

(1) Annal. Ulton. ad ann. 1014, et not. ibid.

(2) Itemque Annales Anonymi in Bibl. Harleiana Codex 4787. Catalog. Ayscough No. 43, fol. 96.

(3) Giraldi Topogr. Hib. Dist. 3, c. 4, 5, p. 736, 7.—De quinque divisionum Cantaredis Confer Girraldum ib. cum nota ad Annal. Ulton. ann. 1106, p. 370.—Eadem habent de Slangio IV *Magistri.*—Lapis de quo agitur extitit usque ad tempora Gratiani Lucii supra montem *Usneach*, alias *Coendruim* in *Westmidia*—Lugadius 3 Rex Damnoniorum, qui Ludos Taltenios instituit, obiit apud *Usneach*, et prope istum lapidem sepultus est. *Tanud. Eochoid,* &c. Giraldus inquit *Mediam* appellari quia in medio Hiberniæ. At vox Hibernica *mide* non *Mediam* indicat, et reverentiam, quia nempe Regia erat divisio, ac proinde honorabilissima Hiberniæ, in qua regni Comitia habebantur *Temoriæ,* Ludi *Taltinenses Taltiniæ,* et Druidum Conventio apud *Tlaghta,* uti tradit Poema " *Ollam-fodla.*"—*Usneach* erat Mons Sacer Ethnicorum, et *Midia* divisio sacra. Vide Dissert. de Relig. Ethnicor. &c. MS. in Stowense.

Giraldus quæ Tanudius, qui Belgas in tres partes distinctos fuisse narrat, *Galenios*, *Damnonios*, et *Belgas*. Slangius ipse cum Galeniis, applicuisse dicitur ad ostium fluminis *Inver-Slainge*, prope Promontorium *Carne-Soir*, (Promontorium Aggeris sacri lapidum Orientalis,) (1) et sepultus traditur in tumulo, nunc *Dun-rigia*, (Dunum regale) quod olim *Slangii* appellabatur, idque in Media, uti notat Giraldus, ad Bervæ marginem, inter Catherloch et Leithglinn.

Hæc notanda duxi, ne tumulus iste confundatur cum monte Slangio, in comitatu Dunensi, cui subjacet ad aquilonem portus *Inver-Slainge*, postea Domangardi mons nuncupatus, a Domangardo S. Patricii discipulo, qui in ejus vertice oratorium excitavit. (2) Belgarum dominationi finem imposuit aggressio Damnoniorum "*Tuath-De-Danaan*," qui, Belgis in prælio *Moytura*, prope lacum *Measc* in Connacia, devictis, quartam in Hibernia coloniam stabiliere.—Rex Belgarum ex hoc prælio fugiens, occisus est apud *Traigh-an chairn*, (littus aggeris sacri lapidum,) in agro Sliguntino, ubi ingens opus lapideum etiamnum conspicitur, fluctibus eminens, quod in ejus memoriam a Belgis congestum fuisse videtur. (3)

Fol. 11, p. 2, col. 2. Sequitur jam in hoc Codice Historia Damnoniorum, qui Saxum fatale *Lia-Fail*, a quo Hibernia appellatur *Inis-fail*, in Hiberniam introduxere. Narrantur initia Ludorum Taltinensium a folio 12, p. 1, col. 2. (4) Deinde, ab ejusdem folii pagina 2, col. 2, incipit Poema Eochodii—"*H Eriu con huail con idnaib*," constans lineis 36, quæ resolvuntur, ut antea monui, in disticha 36, et Regum Damnoniorum exhibent Genealogiam.—In eodem poemate, et passim in Eochodii Opusculis, Druidæ memorantur ; unde patet, quam dogmatice Pinkertonus asseruerit, eos omnes errasse, qui Druidas unquam in Hibernia extitisse arbitrati sunt—"They who speak of "Druidism in Ireland are *mere visionaries*, there is not a shadow of authority for Druids in Ire- "land." (5) Docti, qui humanæ scientiæ arctas esse limites intelligunt, modestius se gerunt, nec, nisi omnibus auctoritatibus in medium prolatis, *intellectis*, et mature perpensis, dogmaticas in rebus abstrusis decisiones sibi permissas esse opinantur. (6) Muratorii opus "*De moderamine Ingeniorum*," aliam in disputando methodum, etiam a doctissimis eligendam, et Viro alioquin erudito, et de antiquitatibus Scoticis bene merito, non indignam, proponit.

Fol. 14, pag. 1, col. 1. Sequitur poema breve *Tanudii*, (7) incipiens a versu "*Tuatha-De Da-*" "*nann fo dhiomar*," constans lineis 22, distichis pariter 22, quæ regna, ac tempora Regum Damnoniorum enumerant, usque ad adventum Scotorum.

Fol. 15, pag. 2, col. 1. Incipit Poema—"*Toisig na loingsiu tar ler*," quod "*m. m. Flann*" nomen inscriptum habet, i. e. *Eochodii O'Flan*, qui, longe ante *Marianum*, *Tigernachum*, et alios sæculi XImi scriptores, res Hibernicas quas potuit a Danorum incendiis, et vastationibus, medio sæculo nono eripere conatus est, ab *Eochodio Dallano* sæculi VIti poeta distinguendus.

(1) Promontorim hoc vocatur *hicrm* a Ptolomæo.

(2) Opus Tripart. part. 1, c. 47, in Triad. p. 124, et p. 19, n. 46.—A *Slangio* flumen, et oppidum *Slane*.

(3) Damnonii Connaciam sibi retinuere usque ad tempora Conalli-Cearnach, et *Concullani*, qui *Ferdiam*, ultimum Belgarum Regem, occidit. Tigernach, Flann, Coeman, et ex eis Flabert. p. 175, et 280.

(4) Vide supra p. xliv, et Dissert. de Relig. Ethnicor. Hib.

(5) Enquiry into the Hist. of Scotl. v. 1, p. 16, et 405.

(6) Vide Dissert. de Relig. Ethnicor. Hibern. MS. in Bibliotheca Stowense.

(7) Vide quæ de eo dicta sunt supra. pag. lx.

Constat Poema hoc lineis rhythmicis 36, quæ prima Scotorum prælia indicant et Amarginum, citant Eberi et Erimonis fratrem, quem "*Amargin file na fergaet,*" i. e. Amarginum virorum hastatorum Poetam appellant. (1)—Eædem traditiones referuntur sæculo VIto a *Fiecho*, VIImo a *Cennfaeladið*, IXno a Nennio, et XIImo a Giraldo. In ultimo disticho, æque ac in titulo, *Eochodius* se auctorem prodit, ut patet ex ejusdem paginæ col. 2, linea 18.

Fol. 16, pag. 2, col. 1. In hujus Columnæ margine, Codex vetus Hibernicus jam deperditus citatur, eadem manu qua totus hic Codex exaratus est, sic "*Sl. leib. Eli inn sin annuas, ·i· leab na*" "*nui dri.*" [Pagina libri Elidis ista (quæ) ibi deorsum, i. e. libri O'Driorum.] Idem liber, eodem modo, et eadem manu, citatur in marginibus folii 11, pag. 2, et folii 15, p. 1.—Plura in eodem hoc folio 16 narrantur de *Feniusa-fear-Saoidhe*, vetustissimo Duce Scotorum, et de eorum in Hispaniam adventu, ac inde in Hiberniam (2)

Fol. 17, pag. 1, col. 1. Scotorum victoria de Damnoniis in prælio Taltinense in Midia, ex Amergini Poetæ auctoritate, et ex Chronico quodam, sæculo IXno superstite, narratur. Codex supra memoratus *O'Duir*, iterum citatur in margine paginæ secundæ hujus folii, et in proximo folio 18 eadem de Scotis narratio exhibetur, duobus carminibus, quorum primum incipit a versu "*Sunn*" "*rug Aimirgin in mbreth,*" et constat lineis rhythmicis 40; secundum incipit a linea "*Tascar Mil.*" "*tar muir,*" et constat lineis pariter rhythmicis 10, quæ de Scotorum originibus veteres traditiones exponunt. Auctorum nomina reticentur.

Fol. 20, pag. 2, col. 1.—Incipit *Eochodii* poema "*Hcitsct aos ecna aibind,*" [Audite o gens Intelligentiæ conspicuæ,] constans lineis rhythmicis 156, quæ efficiunt disticha 156.—Auctoris scopus est diversas Hiberniæ expugnationes enumerare. In columna 2, post memoratas colonias Partholani, Nemedi, Belgarum, et Damnoniorum, ad Scotos descendit, quorum adventum refert ad annum mundi quo Kalendæ Januariæ incidere in diem Jovis, et in septimum lunæ, post templum conditum a Salomone; quod plane indicat, veteres Hibernos, simul ac anni Juliani et Kalendarii vetusti rationes percepere, Ethnicorum rationes dereliquisse, et pro annuis ludis Taltinensibus, et die ignis Baal, a quo annum Ethnicum auspicabantur, Juliani Kalendarii rationes substituisse, et antiquam Majorum suorum historiam ad novas istas rationes, in anteriora calculando, accommodasse.—Eochodius ad antiquiora Chronica appellans, quæ sæculo nono extabant, inquit—

"*Seachtmhadh* x *diadardaine—fo frith feachtmad fer Feine,*"
"*Gabsat ai hi talbuind tiri—hi Kl. Mai, hi mis greine.*"
"Septima luna, die inter duo jejunia—appulsit populus *Feniorum*,
"Possesseruntque terras regionis—Kalendis Maii, mense Solis." (3)

Cum Eochodii narratione de Herimone, *primo* Scotorum Hiberniæ Rege, et de ejus adventu ex Hispania, convenit *Oengusius* Colideus, qui ante ann. 800 floruit, in Codice dicto *Psalternarann*, itemque *Nennius*, et *Samuel* anno 858, cæterique deinceps usque ad Giraldum, et longe ante

(1) Hoc poema Eochodio bis adscribit Keatingus p. 98, et 103, et recte, ut patet ex hoc Codice.

(2) Vide quæ de *Fenio* dicta sunt supra pag. xxvi. Ejus meminit *Fiech Sleptensis*, citatus sæculo x a Probo, c. 41, et sæculo vii a Scholiaste anonymo apud Usserium p. 827, in Poemate edito a Colgano ex vetustissimo Hymnorum Codice, de quo vide Elenchum ad Annal. Ulton. p. 192, et infra p. lxx. Confer p. xlii et xliii supra.

(3) Alias "*mi Baul-tinne*" Mensis ignis Solis, dicti *Baal*, unde Ethnici annum auspicabantur.

istos *Fiech* Sleptensis, et ejus Scholiastes, qui sæculis VIto et VIImo floruere. (1)—Eadem tradit, ex pervetusto Ethnico Scriptore Amergino, *Comdeus O'Cormac* in poemate Hibernico de præcipuis Hiberniæ scriptoribus, cæterique Bardi, quorum scripta metrica in Bibliothecis Bodleiana et Stowense servantur.

In hoc Eochodii poemate, Scoti alio nomine *clanna Breoghain* (Brigantes) dicti, nomen suum Midiæ, quæ et *Bregia* in nostris Annalibus appellatur, reliquisse dicuntur, et in ea regione *Temoriam* condidisse, postquam Damnonios in prælio Taltinense profligavere.—Eadem traditio extat scripta ante annum 900 a Cormaco Casselense, qui narrat *Breoganum*, 21mum a *Fenio*, turrim in oris maritimis Gallæciæ Hispanicæ condidisse, qua naves ultra citraque ex Hibernia transeuntes dirigerentur.—Mira est hujus traditionis convenientia cum Æthici Cosmographi loco, qui Pharum altissimum olim extitisse inquit in Regione Brigantum, idque "*ad speculum Britanniæ*," quæ verba valde obscura, et hactenus a Commentatoribus male intellecta, (2) Cormaci ope ad veram interpretationem restituuntur. Consentiunt *Coeman* in poemate "*Canam bunadhus*," MS. in Bibliotheca Stowense No. XVI, item *Flannus*, et, duobus antea sæculis, *Eochodius* in poemate "*Toisigna luing sa*," quod supra memoravi p. lxii.

Plurima antiquissima Hiberniæ *Duna*, plurima fluviorum, lacuum, et montium antiquissima nomina in hoc poemate memorantur; itemque *Eochodius Edgatach* Rex Hiberniæ, quo regnante statutum est, ut, juxta dignitatem suam, singuli vestium coloribus dignoscerentur; et *Sobarchius* Rex, a quo *Dun-Sobairchia*, Arx maritima Ultoniæ, nomen accepit. De hac Arce auctor vetus vitæ tripartitæ, cujus excerpta quædam edidit Usserius, inquit "S. Patricium arcem *Dun Sobhairce* benedixisse, ubi est fons miraculosus *Tipra Phadruic*, i. e. fons Patricii." (3) Hæc porro Druidicæ superstitionis vestigia indicant, ut alibi demonstravi. (4)

Fol. 22, p. 2, col. 1. Incipit Poema incerti auctoris "*Oengus Olmhuc. atbat*,"—constans lineis rhythmicis 14, quæ in disticha 14 resolvuntur.—*Oengus*, Rex *Olmbhucadius* appellatur, ab *oll-bhuadhach*, quod omnium victorem significat, quia, domi, *Heberios*, *Ernaos*, et *Fomorios* Africæ (5) obtrivit, et deinde mare trajiciens, "*viros Albaniæ*, *Belgas*, *Colastios*, et *Longobardos*" superavit. (6) Narrat hoc poema *Oengum* occisum fuisse in prælio Carman, ab *Enna* ejus successore, qui primus scuta argentea fabricari curavit apud *Airgit-ross*, quæ, cum equis et curribus, in suos dono conferre assuetus erat. Hæc indicant talia in usu fuisse, saltem ante quam poema hoc conscriptum fuit, ut fusius alibi demonstravi. (7)

---

(1) In Triade ex *Codice Hymnor.* prædicto p. 2, et 5.—Confer not. 2, supra p. lx, cum p. xxvi, et xxxviii, xlii, xliii, cum *Malmurii* Poemate "*Canan bunadhus na n. Gaedhel*, [Cano originem Gadeliorum] MS. No. XVI in Biblioth. Stowense fol. 116, et cum *Psalterio Casselense* apud Keatingum p. 89.

(2) Gough's Camden. Orosius inquit ab Hercule conditum fuisse. Adv. Pagan. l. 1, p. 17.—Orosii Hercules est Bocharti *Midacritus*, et Hibernorum *Milespaine*, seu *Milesius*. Confer p. xlii, xliii, et not. 2, p. lx, cum Dissert. de Relig. Ethnicor. &c. et cum Annal. Ulton. Annot. p. 140, &c.

(3) Triade p. 146, c. 830. (4) Dissert. de Relig. Ethnicor. Hib. et supra pag. lxii.

(5) Vide supra p. lx.

(6) Prosper ad ann. 379 inquit "Langobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique protinus littore, Scandiaque Insula, magna multitudine," &c. ed. Basileæ 1529, fol. 88.–Horum nonnulli in Britannia boreali sedes habuere.

(7) Annal. Ulton. Annot. pag. 160, &c.

Eodem folio, et pagina eadem, col. 2. Incipit Poema *Eochodii*—" *Dun Sobairchi dian sluag linn,*" constans lineis rhythmicis 36, in quo Regum Kermanni et Sobarchii gesta narrantur.—*Sobarchius* in Aquilonari Hibernia Arcem erexit ; *Kermna* apud *Dun-Cermna* in Australi, quæ postea, ut notat Flaherteus p. 205, *Dun mc Patric,* appellata est. Hinc divisio Hibernorum Australium et Borealium, quam notat Beda l. 3, c. 26, et l. 3, c. 3, p. 105.

Fol. 23, pag. 2, col. 2. Incipit poema *Eochodii* " *A Emain idnach ocbinn,*" constans lineis rhythmycis, seu distichis 104, quibus Eamaniæ initia, et Regum Ultoniensium series, a Kimbaotho primo Eamaniæ Rege, usque ad ejus eversionem comprehenduntur. Brevitatis præscriptæ limites excederem, si in singulis Chronici hujus metrici laudibus immorarem. Illud autem nequeo præterire, non plures in hoc Opusculo numerari Eamaniæ Reges, quam 15 a Kimbaotho ad Concubarum mc Nessa, nec plures 15 a Concubaro ad Fergusium, quo regnante Eamania eversa est anno D. 330 ! Unde sequitur falsa esse quæ de fabulosa Eamaniæ antiquitate, a recentioribus Hibernis, puerili jactantia enarrantur. Memorantur in hoc poemate *Craob-dergii,* et *Craob-ruadii* Ultoniæ, qui, ordine quodam, vel vexilla militare insigniti, ante æræ Christianæ initia claruere. (1)

In ultimo disticho Eochodius se auctorem prodit, folio 24, pag. 2, col. 2, ubi immediate sequitur aliud poema, quod nomina exhibet Regum Eamaniæ a Kimbaotho ad Concubarum, distichis 36, incipientibus a " *Cimbaeth clethi noc n Emna.*"—In hoc poemate extant versus supra descripti pag. xlvii, in quibus duratio Imperii *virorum fortium,* i. e. Regum Eamaniæ, a *Cimbaotho ad Concubarum* sic describitur.——

" *Ceithre c. b. brasa—atfet cech sui senchasa,*
" *Fata flaithcas na bfer ngaeth—o Choncobar co Cimbaoth.*"
" Quadringenti anni potentia celebres—scit quisque sapiens Historicus,
" Duratio Imperii virorum fortium—a Concobaro usque Cimbaoth."

Fol. 25. pag. 2, col. 1. Incipit poema—" *Ugaine uall. amh.*"—constans lineis rhythmicis 28, quibus præfigitur nomen auctoris " *in scanchaid Eochoid,*" [Historicus *Eochodius* cecinit,] qui, præterea, in ultimo disticho se prodit auctorem. Scopus est exponere divisiones 25, in quas Uganius Magnus, paulo ante conditam Eamaniam, Hiberniam divisit, ut supra memoravi p. xlvii, et lxi.

In hujus poematis columna 2, linea 24, Eochodius ex antiquis Chronicis asserit, divisionem Hiberniæ ab Uganio factam, mansisse annis ccc, usque ad caput æræ Christianæ, quo tempore *Achaius Feidhloch,* et postea *Conarius* I, pentarchiam, a 300 annis intermissam, restituere ; unde sequitur Eamaniæ initia referenda esse ad tempora Ptolomæi Lagidis, paulo post obitum Alexandri ; tres enim reges inter *Uganium* et *Kimbaothum,* Eamaniæ conditorem, intercessere. (2)

Fol. 26, pag. 1. col. 2. Incipit poema " *Conaire Caem cliamhuin Cuind.*" Constat poema hoc distichis, i. e. lineis, quæ in disticha resolvuntur 48, in quibus Reguli quinque, qui Conario I coævi fuere, enumerantur.—Conarius appellatur gener Conni centum præliorum, et trium Carbreorum pater, " nempe Carbrei *Musc,* a quo Muscraide regio ; Carbrei *Bascaind,* a quo Corcobascand ; et Carbrei *Righ-fada,* a quo Dal-riada."—Hæc *Riadæ* tempora ut supra statuta confirmant. (3)

(1) Vide supra pag. xiv, not. 2, et Cod. Lecan. Ogyg. p. 106. (2) Vide supra pag. xii.
(3) Vide supra p. xvi. Confer *Nennii* Codicem vetustissimum Hibernicum in O'Duvegani Collectionibus.

Fol. 27, pag. 1, col. 2. Incipit Poema Hibernicum omnium hactenus memoratorum antiquissimum, utpote auctoris *Fortcherni* nomine insignitum, incipiens a versu—

"*Ollaim-fotla fechar Gall—do raind mur n Ollamh,*
"*Cetna ri ruanaid co rath—las an dern Feis Temrath.*"
"Ollam-peritus sapiens Heros Gadeliorum—a quo ædificati muri Doctorum.
"Primus Rex.................. a quo habita Comitia Temoriæ." (1)

Gesta exhibet Regis Hiberniæ celeberrimi *Ollamhi-Fodhlæ*, qui octo generationibus floruit ante conditam Eamaniam.—Non solum IV *Magistri* in Annalibus, sed et liber Invasionum, cujus extat aliud exemplar MS. in Stowense, No. XIV, descriptum ab O'Clerio, ex Codice Dungallense *Hua Conghabla*, et postea descriptum ex O'Clerii Codice anno 1647, inquit "Kimbaothum filium "fuisse *Fintani*, filii *Argetmari*, filii *Siorlami*, filii *Finni*, filii *Brathi*, filii *Labradi*, filii *Carbrei*, filii "*Ollamhi Fodhlæ*"—Porro, Poema hoc Fortcherni, constat lineis rhythmicis 16, in quibus præcipua Ollamhi gesta narrantur, et Comitia instituisse dicitur Temorensia, quæ singulis trienniis, ad sanciendas leges, et ad ludos publice coram tota gente Hibernica celebrandos, tribus diebus ante, et totidem post festum *Samhuin*, circa æstatis finem, magno apparatu, et populorum concursu habebantur. Tradit *Fortchernus* hunc Regem pro scientiarum professoribus locum instituisse, qui *Muir-Ollamhna* dicebatur, et regnasse annis 40, et ab eo *Ultoniam* eo nomine appellatum fuisse declarat. Deinde quosdam Poetas enumerat, qui eo regnante floruere.

De FORTCHERNI *ætate, et de Arte Rhythmica Hibernorum.*

Asserunt Flaherteus et Harrisius, *Fortchernum* Deagæ filium, a quo *Deagadæ* Momoniæ nomen derivant, et *Nedium* filium Adnei, duos celebres Poetas, regnante Concubaro Ultoniæ Rege floruisse Eamaniæ ante annum C. 34, et Forchernum varia poeseos præcepta, et varia carminum genera scripsisse, et librum cui titulus "*Uraiceacht na n eacgios*," (Præcepta Poetarum,) quem, centena carminum genera complectentem, *Kennfeola* filius Olilli, a Tigernacho non semel memoratus, multis postea sæculis interpolavit, anno C. 628.—Subjungunt Fortchernum, Nedium, et Athirneum Concubari prædicti Poetam, inter auhores numerari, qui Legum axiomata "*Breatha nimhe*," i. e. Judicia cælestia, decreverunt.—Ego horum fidem in me non omnino recipio. Illud tamen pro re comperta assero, Artem Poeticam in Hibernia ab antiquo, ante sæculum sextum excultam fuisse, uti patet ex *Adamnano*, id asserente sæculo vii, in libro I de Vita Columbæ c. 42, ubi quædam habet "*De Cronano Poeta*, qui *ex more suæ artis*, cantica modulabiter decantabat." (2) Neque id assero ex solo isto Adamnani loco, vel ex S. Columbæ versibus, quorum nonnulli extant, lingua

(1) Hujus poematis meminit Keatingus p. 10, ex alio vetusto Codice, in quo primi versus ita descripti erant—
"*Ollamh-Fodhla feochair Ghoil—uaidh do h ainmniagh Ulladh,*
"*Jar bhir-feas Teamhrach na dtreabh—as leis ar dtuis do hoirneadh*"
"Ollamh-fodhla sapiens heros Gadheliorum—ab eo nominatur Ultonia,
"Ut testatur Conventio Temoriæ tribuum—ab eo primum instituta."

(2) Adamnani de Vita Columbæ Triade pag. 347.

vetusta Hibernica scripti, in Stowense, et in Bodleiano, sed præsertim ex vetustis ineditis Bardorum reliquiis, quæ a Tigernacho, Eochodio, Malmurio, Cennfaeladio, et *Fortcherno*, quisquis demum ille fuerit, sive Fortchernus sæculi Imi, sive alter sæculi Vti, citata, conservantur. Eodem enim modo quo opera veterum deperdita, in Photii *Bibliotheca*, et in *Eusebii Præparatione* memorata, procul dubio extitere, sic a pari, procul dubio, etiam ista opera Hibernica olim extitisse dicenda sunt.

Qui posthac in his studiis versaturi erunt, consulant saltem opera ista inedita, nec *Fortchernum* Ethnicum penitus rejiciant, donec meliora probentur. (1) *Senchanus*, Connaciæ Poeta, regnante Guario anno 647, et *Cennfaoladius* supra memoratus, Judicia Cælestia e veterum scriptis collegere.

Tres O'Burechani fratres, nempe Farananus Episcopus, Boethgalus judex, et Macltulius Poeta, *Judicia Cælestia* conflarunt anno 742, regnante Rege Momoniæ Cathaldo, Finguinii filio, quorum exemplar illud esse autumo, quod Rhothomagi in Bibliotheca Bigotiana, doctissimi Martene et Durandus in tomo iv Thesauri Anecdotorum notaverunt. (2)

Leges istas ad primos Christianos referendas esse concedo. Ad alias autem vetustiores respiciunt, sine quibus nec comitia Temorensia, nec ludi Taltinenses haberi, nec Regum successiones, quarum ordo usque hodie manet intacta, servari potuerunt; (3) neque scripsisset Probus *Dubthacum*, Poetam ethnicum, Carmina composuisse ante S. Patricii adventum, neque extaret usque hodie poema Hibernicum *Fiechi* ejus discipuli, nisi vera essent ea, quæ de Poetarum ethnicorum *arte* tradidit sæculo VIImo Adamnanus.

Præterea, etsi præfati poematis auctorem, non seniorem, sed juniorem Fortchernum fuisse concedamus, adhuc tamen Ethnicus dicendus esset, æque ac *Dubthach.* Primus enim ex Laogarii Regis Ethnici progenie, prædicantibus Patricio er Lomano, in Christum credidit anno 432, testantibus *Jocelino* c. 52, Evino in Triade p. 129, et ante utrumque, *Tirechano*, cujus excerpta, ex Codice vetusto Cottoniano, edidit Usserius. (4) Hi omnes scribunt id evenisse ipso anno adventus S. Patricii, C. 432,—Ad fidem conversus, scholam instituit, et Monasterium Roscurense, alio nomine *Kill-Fortchern* appellatum usque hodie, ad quod plures educandi confluxerunt, inter quos discipulum habere meruit celeberrimum illum *Finnianum*, Comgalli, Columbæ, Ciarani, Brendani, aliorumque in Schola Cloonardense Magistrum, de quo plura alibi notata sunt. (5) Duo itaque Fortcherni, tam senior quam junior, Ethnicos aliquando fuisse dicendi sunt.

Sunt quidem qui artem rhythmicam ante sæculum XImum ignotam fuisse objicient, (6) unde poemata Hibernica hactenus memorata, post sæculum XImum scripta fuisse sequeretur!—Errant autem toto cælo, neque aliud intellexit, vel sibi proposuit *Muratorius* id asserens, quam artem istam in linguis *modernis* ignotam fuisse, (7) cum in antiquis usitatam, centies ipse testatur.—In re nostra, exterorum auctoritas nulla est, aut saltem pro nihilo habenda; hactenus enim judi-

---

(1) "Nothing is so easy as to tilt with paradox against reputable authorities." Weston. Observ. on the 2d Arundelian Marble, Archæol. v. 14, p. 34.
(2) Martene Thesaur. Anecdot. t. iv, Paris. 1717, p. 1. Vide supra p. xlix. Confer Gratiani Lucii p. 157, 159.
(3) Conveniunt Vitæ SS. scriptæ ante sæculum ix. (4) Primord p. 853.
(5) Ex Antiquissimo Sanctorum Catalogo in Annotat. ad Annal. Ulton. p. 124, et in Primord. p. 913.
(6) Pinkerton's Præf. to Barbour's Bruce, et Critical Review Jan. 1800, p. 22.
(7) Muratori della Poesia Italiana.

cium nullum instituere potuerunt; et artem rhythmicam Hibernis, ab antiquo, ante introductam religionem Christi, familiarem fuisse, patet ex dictis de Poeta Cronano, quem Ethnicum fuisse totus Adamnani contextus declarat. Ab Hibernis artem eandem ad Anglo-saxones dimanasse demonstrat *Aldhelmus*, qui, ab Hibernense Maildulpho educatus, et Latinis literis ab eodem magistro eruditus, *primus* Anglo-saxonum carmina scripsit latina, et librum de Virginitate composuit rhythmice, uti notat Turnerus, qui tamen de ejus Hibernica educatione inique conticescit! Taceo de *Dubhtacho* Archipoeta Regis Laogarii, et Fiechi Sleptensis præceptore, qui anno 432, prædicante Patricio, " Carmina quæ quondam, studio (Druidarum) florente, peregit in laudem falsorum Deorum, " jam, in usum meliorem mentem mutans et linguam, poemata clariora composuit in laudem omnipotentis," ut ex vetustis codicibus scribit sæculo XIImo Jocelinus c. 45. Mitto Conlaum, insignem Connaciæ Judicem, qui ante Patricii adventum, versibus decertavit contra Druidas, "*se-do righne* " *an chombhliocht ris na Draoidhibh.*"—Mitto inquam hos omnes; at quid dicendum de Antiphonario Bennchorense, saltem mille annorum, laudato a Montfauconio, et Muratorio, (1) in quo plura extant rhythmica ab Hibernis sæculi sexti composita? Quid de Fiechi Sleptensis Hymno rhythmico edito a Colgano, ex libro vetustissimo Hymnorum, a mille pariter annis exarato, ut in Epistola ad Vossium, Dissertationi de Symbolis præmissa, scribit Usserius? Quid de rhythmo in laudem Trinitatis a S. Columba scripto, et ad S. Gregorium Romam misso, quem ex præfato Codice editum habemus in Triade p. 473, et in quo illud singulare, illud Hibernis peculiare invenitur, quod rhythmus syllaba in medio lineæ, et sllyaba finali, et pari temporis ratione, inter primam et secundam lineæ divisionem extante, efformatur, ita ut, quamvis Latine scriptus, rhythmi tamen Hibernici œconomiam sectari dicendus sit. (2)

Hoc genus rhythmi, quod *Hibernicum* appellari debet, notavit in Aldhelmi stylo Turnerus.— " I was led to examine Aldhelm, by observing that three lines, which Simeon of Durham quotes from him, *rhyme in the middle.*" (3) Sed quamvis Aldhelmi rhythmi, ab ipso Turnero citati, juxta Hibernorum artem compositi sint, ut patet ex collatione cum Columbani antiquioris rhythmis editis a Lysero, Goldasto, Flemingo, Usserio, et aliis, silet tamen Turnerus de Hibernia unde totius argumenti origo desumenda erat!—" Aldhelmus primus est, inquit, quod sciam, qui voci rhythmo sensum tribuit, quem Angli hodierni tribuunt voci *rhyme.*" (4) At nullum alium sensum tribuunt Hiberni vocibus *rann*, *rimh*, *riomh*, *rinn*, quæ voces æque sunt antiquæ Hibernicæ, ac voces *Grian* Sol, *Carne* Agger-sacer, *Carneach* Sacerdos; et sensus ab Aldhelmo usitatus, eodem modo a voce Hibernica *rimh* derivatur, quo Apollinis cognomen Homericum *Gryneus* Apollo derivatur a vetustiore

(1) Annot. ad Annal. Ulton. p. 156.

(2) The vernacular poetry of a nation more commonly follows ancient rules and forms, than new and difficult modes. Turner ib. p. 177.

(3) Turner ibid. p. 179 et 180, ex Twysdeni Decem Scriptoribus l. 1, p. 112. " Soon after I read a letter from Lullus, " the contemporary of Boniface, who writes to a friend for some of Aldhelm's *prose, metre,* or *rhyme,*" ib. ex magna Biblioth. PP. t. 16, p. 75.

(4) Aldhelm is the earliest instance I know of giving this sense to the Latin term.—Here then is an example of rhyme in an author who lived before the year 700, and he was an Anglo-saxon—whence did he derive it? not from the Arabs, they had not yet reached Europe. I would rather refer it to the popular songs in his own language *or in the language of his neighbours.*" Turner ib. p. 181, 2.

Hibernico, seu Celtico *Grian* Sol, et Sacerdotes Romani vetustissimi, *Carnei* dicti, nomen a voce Hibernica *Carneach* derivaverunt. (1)—Hiberni veteres, simul ac lingua Latina et religione Christi imbuti fuere, id sacrum habuisse videntur, ut novæ religionis præcepta traderent *more patrio*, familiari, auribus populi jucundo, eo nempe modo quo Druidæ sua instituta, et quo Bardi Regum genealogias, et catalogos, et Heroum gesta memoriæ commendare solebant. Turnerus ipse plane indicat unde Artis rhythmicæ Aldhelmi origo petenda est, ubi inquit Columbani antiquioris rhythmos, editos a Goldasto, ejusdem fere generis esse cum iis, quos postea scripsit Aldhelmus, (2) et usus ac scopus istius generis rhythmi inter Hibernos, post religionis Christianæ exordia, plane patet ex iis quæ de *Dubtacho* tradit Jocelinus, (3) et quæ Scriptores Angli tradunt de Aldhelmo, qui, eodem ipso modo quo Poetæ Hiberni, cantilenis suis populorum mores informare, et mansuescere, non sine fructu conatus est. (4)—Aldhelmum a Maildulpho Hiberno eruditum fuisse testatur Beda, (5) qui præterea de Hibernis Anglo-saxonum Magistris inquit—" Multos Nobilium simul et me-" diocrium Anglorum, tempore Episcoporum Finani et Colmani, relicta Insula patria, vel " divinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratia, *Hiberniam* secessisse, qui circumeundo per cellas, " *Magistrorum lectioni operam dare gaudebant* ; quos omnes Scoti libentissime suscipientes, victum " eis quotidianum sine pretio, et Magisterium gratuitum præbere curabant. (6) Aldhelmus ipse in Epistola ad *Eahfridum*, in Patriam *ex Hibernia* reducem, inquit—" Illud nequaquam dissimulo " propalare, ad *doxam onomatis Cyrii*, magnopere inolevisse, quod præconio citra modum rumoris " Scottico in solo degentium, quorum contubernio parumper fretus es, ceu tonitruali quodam boatu " auditus nostri quatiuntur, et per tot tantaque telluris stadia, lectionis opinio Pagis, Provinciisque " divulgata crebrescit. Siquidem tam creber meatus est istinc illincque, navigero æquoreas fre-" tantium calle gurgites, velut quædam contribula apium germanitas, nectar fabre conficientium.. " Eodem modo, residua sagax discipulorum caterva, florigeris hagiographæ ex arvis, non solum artes " *grammaticas*, atque *geometricas*, bis ternasque omissas *Physicæ artis machinas*, quinimo allegor-" icæ potiora, ac tropologicæ disputationis bipertita bis oracula sumentes, carpunt; e quorum cata-" logo tuam proficisci solertiam, præda onustam, fama percrebuit. Cur inquam Hibernia, quo ca-" tervatim istinc lectores classibus advecti confluunt, ineffabili quodam privilegio efferatur ? Quam-" vis enim prædictum *Hiberniæ* rus discentium opulans vernansque pascuosa numerositate Lecto-" rum, quemadmodum poli cardines astriferis micantium ornentur vibraminibus siderum. Ast " tamen Britannia &c." (7)

Hanc Epistolam, scriptam anno 690, et cum 3 aliis exemplaribus collatam, edidit Usserius ex vetustissimo exemplari, quod ante Normannorum adventum exaratum, primo inter MSS. Monas-

---

(1) Dissert. de Relig. Ethnicor. Hib. MS. in Stowense. Ovid Fasti, l. vi. Facciolati voce *Carna*.

(2) " In the year 615 died Columbanus the Irishman.—He was the author of a poem which is in *rhymed* Latin.—" This, though apparently prose, yet, *like Aldhelm's*, has some rhyme interspersed in it." p. 182.

(3) Vide supra p. lxvii. (4) Anglia Sacra t. 2, p. 9.

(5) Bed. l. 5, c. 18, Cantabr. p. 203, not. 9. Malmesb. Vita Aldhelmi MS. Cotton Faust. B. iv, et apud Mabillonium Acta Bened. sæc. iv, p. 726, Gale Londini 1691, et in Whartoni Anglia Sacra, item Leland Collect. Lond. *1774*. t. 2, p. 302.

(6) Bed. Ibid. l. 3, c. 27, p. 136. (7) Usser. Sylloge p. 37.

terii Abendonensis, deinde viri clarissimi Th. Allen Oxoniensis servatum fuit, et nunc in Bodleiana conservatur Digb. 146. Eandem ex Apographo Usseriano edidit Whartonus. (1)

Hæc plane originem indicant, unde Aldhelmi Ars rhythmica desumenda est. Turnerus ipse subjungit, Albinum poematis rhythmici meminisse, scripti a Sedulio Hibernense, qui floruit medio sæculo Vto. (2) Atqui Beda expressis verbis asserit, Aldhelmum carmina scripsisse ad *exemplum Sedulii*, (3) cujus iterum meminit in opere *de Arte metrica*. (4) Hibernensem fuisse asserit Turnerus, demonstrat Usserius, (5) idque etiam ex Martyrologio Tamlactense, ante annos 900 exarato, manifestum est, quidquid, dubitantes, et incerti, asserant Bayle, (6) et Labbé, qui contrariam opinionem nulla vetusta auctoritate fulciri fatentur. Consentiunt in ejus patria indicanda cum Usserio Fabricius, (7) Possevinus, Trithemius, Sixtus Senensis, Bellarminus, et Cave. (8) Quod si nulla extaret vetusta auctoritas unde id posset demonstrari, tamen cum nulla afferri possit in contrarium, et cum talis sit antiqua traditio, idque ex ipso nomine *Sedulii* confirmatur, cur ab his discedendum sit penitus ignoro. Nomen Sedulii est exclusive Hibernicum. Octo Sedulios Hibernos, pietate et doctrina conspicuos, memorant Annales Inisfalenses, IV Magistri, et Tigernach, (9) et rhythmicæ Hibernorum methodo supra descriptæ, nihil propius accedit, quam prædicti senioris Sedulii Hymnus.

"A Solis ortus card*ine*—ad usque terræ limi*tem*,
"Christum canamus princi*pem*—natum Maria Virg*ine*." (10)

Jam vero, cum istius generis nihil inveniri possit antiquior, quam quæ hactenus ex Hibernorum reliquiis protulimus, sequitur Artem rhythmicam quæ sæculis mædiis invaluit, ab Hibernorum carminibus Hibernicis profluxisse, quos Missionarii Latini, turmatim in Hiberniam confluentes, ante Patricii tempora, et postea imitati sunt. Illud saltem manifestum est, toto cælo errare eos, qui *Fortcherni* poemata post sæculum XImum scripta fuisse putarent, qui arhythmica esse comprobantur.

Extat carmen Hibernicum rhythmicum scriptum a Benigno, adhuc vivente Patricio, quod ex Codice Ballimotense et Sliguntino citat Usserius. (11) Aliud ex Codice Hymnorum edidit Colganus. (12) Annales Inisfalenses ad ann. 565, Patricio ipsi adscribunt distichon rhythmicum, cujus venerandam vetustatem ipsa lingua, in nonnullis a vulgari remota, demonstrat. S. Patricii hymnum

---

(1) In Auctorio Histor. Dogmat. Usserii p. 351.
(2) " Albinus quotes a rhymed poem of Sedulius an Irishman who lived in the middle of the 5th century." ib. p. 186. Vide quæ de Albino dicta sunt in Annot. Annal. Ulton. p. 172—179.
(3) Bedæ Hist. l. 4, c. 16, p. 159, et l. 5, c. 19, p. 203.
(4) Bedæ Opera t. 10, p. 27. Confer Biblioth-Hibern-Cotton. Vespasian D. xx.
(5) Primord. p. 771.—776. (6) Bayle Dict. voce *Sedulius*.
(7) Fabrici Biblioth. Latin. Lond. 1703, p. 220. Confer Maittaire Corpus Poetar. Lond. 1713, t. 2, p. 1660.
(8) Confer Wicelii Præfat. ad Carmina Theolog.
(9) Sedulii junioris Hiberni meminit Hepidanus in Annalibus. Du Chesne Rer. Francicar. t. 3.—Nomen *Ceallach* Latini reddidere *Cœlestium*, *Siadul Sedulium*. Coævi fuere Cælestius Pelagianus et Sedulius, ambo Hiberni.
(10) Maittaire Ibid. p. 1672, et inter Opera Alcuini Paris. 1617. Confer Aldi Manutii Epistolam præmissam operibus Juvenci et Sedulii a se editis annis 1502, et 1511, et Biblioth PP. Paris 1589, t. viii.
(11) Primord. p. 862. De hoc Codice vide supra p. xiv. (12) Triade p. 211.

a Montfauconio laudatum, et a Muratorio ex Codice Ambrosiano editum, alibi indicavi. (1)—Evinus inquit *S. Sechnallum* composuisse hymnum idiomate Hibernico, qui vulgo *feth-fiadha*, ab aliis lorica Patricii appellatur, et in summo abinde inter Hibernos habetur pretio. (2) Eadem narrant sæculo Xmo Probus, XIImo Jocelinus.—Adamnanus, Beda antiquior, quædam habet de virtute rythmi in laudem Columbæ eo vivente compositi, de quo plura narrantur in Vita quinta ejusdem Columbæ, quam Magnus O'Donnell edidit anno 1520 in Triade p. 432—444-5. (3) Colganus, in Actis p. 203, auctorem istius hymni *Dallanum* laudans scripsisse, inquit patrio sermone, veterique stylo, diversa Opuscula, quæ sæculis posterioribus, a multis, *etsi veteri idomate versatis*, nequeunt penetrari, et hinc a peritioribus, fusis illustrantur Commentariis, et tanquam rara nostræ priscæ linguæ monumenta, in antiquariorum scholis exponi consueverunt.—Inter ista Opuscula, extare narrat rhythmum prædictum in titulatum "*Ambra Choluim-chille*," cujus servabatur in Bibliotheca Lovaniense exemplar, egregie scriptum, (4) sed paucis, iisque peritissimis, penetrabile. (5) Plura de Dallano narrantur ibidem, ex vetusto exemplari MS. Actorum Synodi Dromcetensis habitæ anno 590, quod extitit Lovaniæ anno 1647. (6) Extitit porro, Usserii tempore, Codex vetustissimus Hymnorum, lingua partim Latina, partim Hibernica scriptus, quem laudibus prosequitur in Epistola ad Vossium, quemque ipsius S. Columbæ manu exaratum fuisse, scribit auctor Vitæ V Columbæ editæ in Triade p. 445, in quo plurimi hymni rhythmici legebantur.

Perpetua itaque fama, de antiquis Poetarum regulis, inter Hibernos permanente, cum nec fucata utantur ad id probandum oratione, nec illecebroso artificio, qualis solet mendacio fidem impetrare, et cum plurima adhuc maneant Bardorum fragmenta, non nisi inepte eorum testimonio de vetustioribus deperditis fides denegari potest. Manebant adhuc patrum memoria, veteræ consuetudines, quibus Poetæ carmina sua coram Regni proceribus citharizantes solebant decantare. Buchananus æque ac Camdenus asserunt, plurima ex vetustioribus institutis adhuc manere; nec quicquam fere in Hibernia nisi in ceremoniis, et in Religionis ritibus, regnante Jacobo I immutatum fuisse testantur. [Rer. Scot. l. 1, p. 55.] Non agitur hic de stolida jactatione vetustatis, cujus nullum manet vestigium.—Codices extant, characterum forma, styli vetustas, linguæ Hibernicæ indoles, Rerum gestarum secum invicem concordantium quasi infinita varietas, et locorum nomina antiqua, cum Chronologicis rerum atque personarum adjunctis, nullum, de veritate Historica, dubitandi locum relinquunt. (7)

Ad Fortchernum unde digressi sumus revertamur. Extant et alia ejusdem fragmenta in Codice Stowense No. III, fol. 7, et in Codice No. VI, fol. 4, in quibus, vetusta methodus rhythmica, qua

(1) Annot. ad Annal. Ulton. pag. 156.

(2) Evinus in vita VIIma, Triade p. 138, 165. Quisquis fuit istius Legendæ Scriptor, ante Danorum adventum sæculo vii floruisse, vel saltem ix, conveniunt omnes. Eadem habent Jocelinus c. 177, ib p. 104, et in Appendice ib. p. 210. Probus ib. p. 60, et vetus auctor vitæ 3tiæ p. 28. Atqui *Sechnal* obiit anno 448.

(3) Adamnan l. 1, c. 1, ib. p. 338.

(4) Quanta cum diligentia Hiberni Codices suos exarare solebant, patet ex Adamnani l. 1, c. 23, Triade p. 344, ubi inquit " Baitheneum petiisse a Columba, ut aliquis de fratribus Psalterium quod scripsit percurrens emendaret, et in toto isto Psalterio non *unam superfluam* literam reperiri, nec aliam deesse, *excepta J. vocali, quæ sola deest.*"

(5) Acta p. 203, 4, not. 12. (6) Triade 375.

(7) Suffragantur Vitæ vetustæ SS. editæ a Goldasto, Mabillonio, et Sirino.

syllabæ in medio et in fine cujusque versus rhythmum fficiunt, ubique notanda est. Sunt qui ex Fortcherni *Uraiceacht*, centena versuum genera olim in Hibernia usitata fuisse pronunciant. At, in omnibus vetustioribus, quamdam invenio uniformitatem, quæ aliter sentiendum esse demonstrat. *Artem* quandam in versibus componendis, a profundissima antiquitate extitisse, ex Adamnani testimonio supra demonstravi. At valde simplicem fuisse, et ex æquali intervallorum distantia, ac consimili terminatione, cantilenam efficiente, confectam, ipsa quæ remanent fragmenta declarant. Vix ulla invenitur linea quæ non possit in duos versus, lineola in medio ducta separari. Hujus rei origo fuisse videtur, quod Bardorum Ars postularet, ut mutuo sibi auxilio essent et vox, et Musica; in continuatione enim nullus est numerus, et cantus fit indistinctus et inefficax, nisi qui mutua temporum ad se invicem ratione notatur. Atqui temporum portiones terminis æqualibus, et vocum symmetria distinguere, rhythmi officium est. Non agitur hic de rhythmo qui exquisita metrorum collocatione conficitur, ex syllabis longis et brevibus, et pede perfecto, sed de rhythmo qui harmoniam quamdam cantui accomodatam, verborum structura efficere solebat, qua animi affectus excitabantur, et aures memoriam adjuvabant. In quovis versu Hibernico vetusto, pausa cantui accomodata, ut plurimum in ipso medio versus distinguitur, qua facta, proxima ejusdem versus periodus incipit, et harmoniam quandam cum præcedente efficiens, eodem fere tempore, et eadem terminatione completur. Hinc unusquisque versus duobus constat temporibus, simili cantilena terminantibus, ac proinde duos versus revera efficit quoad *sonum*.

Hæc est rei summa, quidquid de brevibus et longis scribant Molloius, et alii; (1) nihil enim facit ad syllabæ quantitatem, quot, vel quales consonantes vocalem præcedant, dummodo tempus idem, et sonus finalis, a pausa ad pausam conservetur; et quamvis non semper idem syllabarum numerus, nec semper eadem in finalibus cantilena inveniatur, Ars ipsa, et usus musicorum, augendo vel minuendo tempora, id sibi vindicabat, ut quæ brevia erant producerent, quæ longa abbreviarent. Notandum est quoque, ultimam cujusque pausæ syllabam longam esse; sistitur enim in ea dimensio, ita ut ultimæ, quantumvis brevi, tempus longum necessario tribuendum sit. Non agitur, ut dixi, de acerrima norma Poetarum, sed de ratione *musica*, sub qua sola Poesis Hibernorum respicienda est; non de elegantia, et numerosa concinnitate verborum, sed de arte ista de qua Adamnanus inquit " Alio in tempore S. Columba, cum juxta stagnum *Cei* (hodie Loch Ke in agro Roscomanense,) " prope ostium fluminis, quod Latine *Bos* dicitur, (hodie Boyle) cum fratribus sederet, quidam ad " eos Scoticus poeta devenit, qui cum post aliquam recessisset sermocinationem, fratres ad Sanctum, " cur, inquiunt, a nobis regrediente *Cronano*, aliquod, *ex more suæ artis*, canticum, non postulasti " *modulabiliter* decantari?"—Nonnulla exempla rem hanc illustrabunt. Quatuor Magistri ad ann. 493, annum obitus S. Patricii ex vetusto rhythmo sic recte designant—

" *O genair Chriost, aircam* ait—*ceithre ced fair chaomh noch*ait,
" *Teora bliadhna fair iar soin*—*go bas Phatruic phriom Apst*oil."
" A nato Christo, calculo recte—Quadringenti supra nonaginta,
" Tres anni insuper post istos—usque ad obitum Patricii Primarii Apostoli."

---

(1) In Poetica sic est apposite flexilis lingua Hibernica, ut plusquam *centena carminum genera* liber *Uriccacht* præscribat." *Gratian Luc.* p. 16, *Flahert.* p. 217. *Llhwyd* Archæol. p. 306. *Spenser's* View of Irel. Dubl. 1633, p. 51.

Distichi hujus prima linea, in duos versus divisibilis, exemplum exhibet duorum temporum æqualium, et *soni* similis in terminatione finali utriusque. Secunda, æque divisibilis, temporis tantum æqualitatem præbet, et rhythmus cantoris voce supplendus est. Artificium hoc primus mihi indicavit Vir prænobilis, sub cujus auspiciis, in hoc studiorum curriculo, laboriosa certe, et agresti, nescio an fructuosa diligentia fatigor.

Nihil forte methodum Hibernicam melius exprimit, et modum quo Missionarii sæculi sexti istam methodum versibus Latinis imitati sunt, quam hymnus quem in laudem Brigidæ composuit *Ultanus* Ardbracanensis, qui obiit pridie Nonas Sept. anno 655. (1) De hoc hymno agit Usserius in Primordiis p. 963; eundem ex vetustissimo Codice Monasterii S. Magni Ratisbonæ descripsit Stephanus Vitus, edidit Colganus in Triade p. 542. Extat etiam in Codice Hymnorum sæpe laudato, in quo veteris Scholiastis præfigitur argumentum, notatum pariter ab Usserio.—Incipit autem sic—

"Christus in nostra insul*a*—quæ vocatur Hiberni*a*,
"Ostensus est homini*bus*—maximis mirabili*bus*, &c."

Ultanus hic de Poeta quodam Hibernense sæculi quinti inquit, eundem "*Poetam* fuisse, et *Magum*, (2) et *Astra cæli considerantem*." (3)—Poetæ isti Citharam pulsare, et quidquid celebre in Regum gestis eveniret, id modulando cantare solebant, *juxta regulas* quæ a Coemano, et ab aliis vetustioribus sæpenumero memorantur. De Hibernicis Citharistis Giraldus inquit "In musicis instru-"mentis *præ omni natione* quam vidimus, incomparabiliter est instructa (Hibernica.) Non enim in "his, sicut in Britannicis quibus assueti sumus, instrumentis, tarda, et morosa est modulatio, verum "velox, et præceps, suavis tamen, et jucunda sonoribus. Mirum quod in tanta, tam præcipiti "digitorum rapacitate, musica servatur proportio," &c. (4) Eadem habent Clynnus, et Polydorus. (5) "Hiberni sunt Musices peritissimi; canunt enim *cum voce*, *tum fidibus*, eleganter, sed "vehementi quodam impetu, sic ut mirabile sit, in tanta vocis, linguæque, ac digitorum velocitate, "posse artis numeros serva i, id quod illi ad unguem faciunt."

Longe ante hos, Auctor Vitæ Kierani, MS. apud Usserium, inquit "Regem Momoniæ Oengusium "Citharistas habuisse optimos, qui *dulciter, coram eo, Acta Heroum in carmine citharizantes cane-*"*bant*." (6) Atqui floruit Oengusius anno 489. (7)

---

(1) Vide Annal. Ulton. ad ann. 656, et not. ib. p. 53. Ultanus hic non est confundendus cum alio Hibernense *Ultano*, fratre Fursei, de quo plura narrantur ex Beda l. 3, c. 19, in Annot. ad Annal. Ult. p. 54, not. 2, et p. 185.

(2) Triade p. 527, c. 4, et p. 543, not. 6, 7.

(3) Ibid. c. 8, p. 528.—Poema a S. Canico scriptum lingua Hibernica *anno* 532, citatur ex Chronico Scotorum ab O' Brian, in Vocabulario voce *Ben.* p. 45, *Brendanus* filius *Poetæ Neimii*, seu *Nennii*, obiit anno 565, alter *Brendanus* natus est anno 484. Primord p. 1064, juxta Inisfallenes 479.

(4) Girald. Topogr. Dist. 3, c. 11. Annal. Ult p. 154 et seq. Stanihurst p. 39.

(5) Polydori Virg. Hist. Basileæ 1534, l. 1534, l. 13, p. 219. Clynni Annal. MS. Cotton. et apud Grat. Luc. p. 36. Item Powell's Hist. of Cambria 1584, p. 191.—"No harp has a sound so melting and prolonged as the Irish."—Bacon Sylvæ. Confer Annal. Ult. Annot. p. 153 et seq. "*Æneis utuntur chordis*." Girald. ib.

(6) Vita antiqua S. Kiarani edita ex Tinmuthense a Capgravio Lond. 1526, c. 17, et in Actis Lovanii 1647, p. 460. Confer Adamn. l. 1, c. 3, p. 340. De *Ciarano Clonensi*.

(7) Annal. Ult. p. 8, not. 1. Tigernach, et Inisfal. ad ann. 484, et 709.

Aliud exemplum adducere juvat, ex Catalogo metrico Scriptoris Anonymi, quo nullum vetustiorem Scoto-Britanni producunt. Is, annos designans quibus singuli Albaniæ Reges regnaverunt, de Malcolmo tertio, dicto *ceanmore*, qui eo scribente regnabat anno 1057, inquit—

" *Mal-coluim a nos as* ri—*mac Donnchaidh datha drech*bi
" *A re ni fhidir* neach—*acht an teolach as e*olach."
" Malcolmus nunc est rex—filius Donnchadi coloris vividi in vultu,
" Ejus annos non novit alius—nisi ille sapiens omnium sapientissimus."

Eadem methodus notanda est in disticho supra allato de Coemano p. xxviii, et in Coemani Chronico metrico supra p. xxx, et in Eochodii distichis supra p. lxiii, et lxv.

Minime assero non alia fuisse Rhythmorum genera, imo plura, ab Hibernis usitata, ut patet ex *Fiechi* Hymno, et ex aliis vetustissimis, tam in Codice Hymnorum, quam in pluribus adhuc extantibus in Stowense; sed in omnibus quædam invenitur affinitas; linea enim quævis distinguitur in medio bifariam divisibilis, etiam ubi ultima syllaba rhythmum non efficit *legentibus.*—Plerumqne etiam ubi pausæ, seu periodi, rhythmum non producunt, id faciunt terminationes linearum. Sic in *Fiechi* Sleptensis hymno sæculi sexti—

" *Conda tanic an t Apstal—do faith, gidh gaethe* dene.
" *Pritchais tri fichte bliadhna—croich Crist do thuaithaibh* Fene." (1)
" Donec venit Apostolus—eos (Hibernos) protegens, licet turbinibus vehementibus.
" Prædicans annis ter viginti—crucem Christi populis Feniorum."

His omnibus mature perpensis, desinent profecto, ni fallor, Fortcherni auctoritatem rejicere, ii qui sanioris criticæ laudem sibi arrogant, donec prius concessum fuerit linguæ Hibernicæ intima penetralia rimari; longe enim errant, qui nullam esse diversitatem existimant inter linguam istam, utpote nunc vulgari usu extantem in Hibernia, et eandem scriptam in vetustis Codicibus Bodleianis et Stowensibus. Extat in Bibliotheca Stowense poema rhythmicum ineditum, adscriptum *Olillo-Olam*, qui sæculo Christi tertio floruit; utrum Olilli sit necne, sub judice lis esto; antiquum esse non est dubitandum, cum ex Codice vetusto *Congabhla* descriptum fuerit, qui in Monasterio Dungallense, ante IV Magistrorum tempora, summa cum veneratione servabatur. Atqui, in hujus Poematis margine, hæc confessio, Avi quondam mei manu scripta, notanda est—" *ni maith thuigim an* " *tsean duan so.*"—[non bene intelligo vetus poema hoc.]—Poema autem cui hæc nota marginalis apponitur, idem est " *Cath Mucruimha*" [Prælium Mucromium] cujus meminere Keatingus, Flahertens, et alii, ita tamen, ut eadem qua Avus meus difficultate laborasse dicendi sint.

Id pariter constat et de alio poemate, eidem Olillo adscripto, in Codice Stowense No. XVI, fol. 122; unde non inepte Colganus inquit, Dallani poemata *veteri stylo* scripta fuisse, quæ sæculis posterioribus, a multis, alioquin in veteri patrio idiomate versatis, *nequeunt penetrari.* (2)

---

(1) Ex pluribus exemplis in Bedæ libro de Arte metrica, tom. x operum, patet Monachos istius ævi, Ar em suam poeticam, in pluribus, a vulgari Ethnicorum Hiberniæ arte, non autem a Græcis vel Latinis derivasse, ut de Aldhelmo supra notatum est. *Fiechus* eandem Artem, Christianus effectus, adumbravit. Porro, quid Fiechus voce *Fene* intelligat, antea exposui, Prolegom. p. xv, xxvi, xxxvii, not. 2, et 6, p. lx, lxiii. Timagines, ab Ammiano Marcellino citatus, Celtarum originem refert ad Trojanos.—Celtas cum Gothis confundunt Pelloutier, Keisler, et Mallet.

(2) Vide supra p. lxviii, et Acta SS. p. 203.—" Extat etiam penes me aliud ejusdem Dallani Opusculum rhythmicum

Auctor Vocabularii Hibernici editi Parisiis, inquit ipsam orthographiam antiquam longe diversam esse a præsente. (1)—Errant proinde Flaherteus, Nicolsonus, et alii, qui ex Flaherteo asserunt, linguam Hibernicam tam esse ab omni innovatione immunem, ut quæ antiquissimis temporibus scripta fuere, æque sint intelligibilia, ac si heri exarata fuissent! (2) Inanis jactatio! quasi vero omnia sublunaria non essent in perpetuo fluxu, et nulla magis mutationi obnoxia quam linguæ! Assertio falsa, quæ ad mentem mihi revocat Gratiani Lucii laudes linguæ Hibernicæ, quarum una est, " Matthæum Doningium hominem Germanum, Coloniæ natum, S. R. " Imperii Equitem, sic in linguæ Hibernicæ adita penetrasse, ut Grammaticam Hibernicam condi- " derit, in qua inquit, *Demonem non posse loqui Hibernice;* quendam enim a Demone insessum Romæ, " aliis linguis locutum, at Hibernice loqui *vel noluisse, vel non potuisse*, quia lingua tam sacra ore " tam sordido non debuit profanari!"(3) —Somniant ergo qui, cum recentioris *Oissini* asseclis, in re tam instabili asserunt stabilitatem! Nam quod Hebræa, Græca, et Latina quodammodo perseverant, id a libris est, et a literis, in quibus tamen insignem mutationem temporum vicissitudines invexerunt. Liturgias Græcas Basilii et Chrysostomi, quæ in Ecclesiis Græcis usu antiquo leguntur, vulgus Græcum minime intelligit; nec vulgarem Græcam intelligunt docti, qui antiquam optime penetrarunt. Latinam idem fatum subiisse liquet ex institutionibus Quintiliani, qui Saliorum versus a Numa compositos, a Sacerdotibus non intellectos memorat. (4) Leges XII Tabularum, quas collegit Fulvius Ursinius, quantum Latinus sermo ab antiquo deflexerit, manifeste demonstrant. Polibius articulos fœderis quod Romani cum Carthaginiensibus, post Regum expulsionem pepegere, a doctissimis sui ævi vix potuisse intelligi testatur. Non minor mutatio postea in columna rostrata apparet, quæ tamen non ultra 150 annos ante Ciceronis tempora insculpta fuit a Duillio; (5) nec minor fuisse videtur diversitas inter primævam linguam Latii et linguam Ciceronis, quam inter Latinam et Hibernicam, ut notat Facciolati in libro de ortu et interitu linguarum.—Atqui istæ mutationes ex causis ab intrinseco ortæ sunt, antequam Gothi Italiam subjugarent; quis autem negabit id quod linguis doctissimis evenit, multo magis evenisse Barbaris, quæ, quamdiu regiæ non fuerant, quamdiu a doctis populo derelictæ, quamdiu deerant ingenia qui scriptis conciliarent stabilitatem et honorem, tamdiu instabiles erant, vitiosæ inflexionibus, idiotismis et solecisimis scatentes, ignobiles, et plebeæ. Gens quælibet a peregrinis, vicinisque, quibus cum commercium intercedit, idiomata illis propria adsumit, et cum bona in pejus facile mutentur, et quo deteriora sunt, eo magis in sermone vulgari adhæreant, hinc, consuetudo prava effecit, ut ultimis sæculis, præsertim post adventum Anglorum in Hiberniam, peregrinitas quædam, non modo plebis, sed ingenuorum etiam linguam inquinavit.

" in mortem et funebrem laudem S. Senani, quod vix sine illustrationibus Antiquariorum hodie capi potest."—Acta SS. in Vita *Dallani*. Confer Stanihursti Descr. Hib. apud Hollinshead Chron. p. 12, et iv vetustas Monachor. Regulas de quibus Usser. Primord. p. 919.

(1) O'Brien's Dict. p. 10.

(2) Nicolson Irish. Libr. Pref. Dubl. 1724, p. xi. Flahert. p. 228.

(3) Cambrens. Evers. p. 16.

(4) L. 1, c. 6, p. 66. Varior. Lugd. Bat. 1665. Confer Harles Introd. ad Ling. Lat. Lipsiæ 1794, p. 100, Maffei origines Etruscæ.

(5) Vide Ciacconii Explicationem, Romæ 1608, et in Grævii Thesauro t. 4, p. 1807—31.

Hinc, de fabulis Oissino stolide adscriptis, Colganus, longe ante Macphersoni tempora, inquit, extare in Bibliotheca Lovaniense volumen, in quo S. Patricius, et Coilteus, celebris olim apud Hibernos Athleta, inter se de rebus Hibernicis colloquentes introducuntur, sed commentitium esse, et posterioris ævi, ut *ex ipso stylo* satis liquet; idem judicium profert de alio simile Opere, Oissino pariter adscripto, cujus exemplar extat in Stowense No. XVIII, in quo Oissinus, eodem fere modo, introducitur disceptans de religione cum Patricio! (1) Ambo vitiosam exhibent dicendi rationem, a veterum Bardorum stylo alienam, quam ipsi ingenui, et Ecclesiastici, non a libris, sed a vulgo, a nutricibus, et domesticis, post Anglorum adventum adsçisere coacti fuere.

Attamen, mansere semper priscæ linguæ vestigia plurima, ex Bardorum reliquiis metricis colligenda, quæ, ante Anglorum in Hiberniam adventum scripta, in Bibliotheca Stowense conservantur. Giraldus mole Chronicorum Hiberniæ quæ sæculo XIImo extabant, se obrui dedignatur. (2)

Stanihurstus de Hiberniæ medicis inquit "Hæreditate non eruditione medici evadunt. Lectitant "tamen *pervetustas, et fumosas membranulas, Hibernice scriptas,* quas in mirifice amore habent."(3) Jam vero, quemadmodum medici Hiberni medicinæ regulas ab immemorabili scriptas habebant, sic Poetæ, quorum carmina sunt Historiæ Hibernicæ antiquissimi fontes, olim quidem uberrimi, quamvis nunc deficientes, et turbati, scaturire declinent. Dallanus qui scripsit poema "*Amhra* "*Coll. Cill.*" anno ipso 575, quo Concilium Dromcettense habitum est, inquit. inter causas istius Concilii convocandi unam fuisse, ut Bardorum abusus reformaret. (4) Ante Dallanum Colmanus, qui obiit anno 600, scripsit vitam S. Senani metrice et Hibernice. (5) S. Cannicus Achaboensis, cujus sæpe meminit Adamnanus, natus est anno 527, Patre Lugadeco poeta. (6) Brendanus, S. Finniani Cloonardensis discipulus, Neimi seu Nemandi, alias Luagnei clari poetæ filius, qui Birranum condidit Monasterium, obiit anno 564, vel secundum alios anno 571. (7)

Adamnani ipsius extant quædam rhythmica in IV Magistrorum Annalibus ad ann. 742, et in hoc ipso Codice de quo agimus impræsentiarum, ut infra patebit. S. Cannici poema supra memoratur ex Chronico Scottorum ad ann. 532.—Denique, vetera quæ extant Bardorum fragmenta ad alia longe vetustiora appellant, a quibus enumerandis abstineo.

Harum collatio plane demonstrat, linguam Hibernicam prout eam loquuntur Hiberni, longe esse puriorem ea dicta *Erse,* [i. e. *Irish,*] qua utuntur Scoto Britanni, quamque Hibernicam barbaram esse, in nullo vetere poemate scriptam, et in Vocabularios, et Grammaticas ubique peccantem, non solum hæc poemata, verum et Sacræ Scripturæ versiones Hibernicæ, et Vocabularia Hibernica, ad quæ ipsi Scoto-Britanni cum Llhwydio referre coguntur, manifeste demonstrant.—Hujus diversitatis origo inde petenda est, quod Ecclesastici Hiberni, in Monasteriis, vetera Bardorum fragmenta,

(1) Triade p. 215, not. *Coilteus* floruit cum *Finno* et *Oissino,* regnante *Cormaco filio Arti.*

(2) Giraldi Topogr. Hib. Præf. Prima, p. 693, et Dist. 3, c. 11.

(3) Stanihursti Descr. Hibern. p. 39, Lugd. Bat. 1584. Ego ipse vidi vetustum Codicem in quo Hippocratis præcepta Hibernice versa servabantur.

(4) Acta Synodi istius ex Codice Lovaniense, Triade p. 430, 444. Confer Adamnan l. 1, c. 1, p. 338. Annal. Ult. ann. 574, p. 27. (5) Vide not. 15, in Actis SS. p. 539.

(6) Annal. Ult. ad ann. 526. Usser. Primord p. 957 et 1065, ex vita vetusta MS. S. Cannichi.

(7) Annal. Ult. ad ann. 564, Adamnan de Vita col. 3, c. 3, Usser. ib. p. 1064. Annal. Inisfal. ann. 479

Hibernice scripta, servaverint, quæ in Regum inaugurationibus usque ad Elizabethæ tempora recitabantur, atque ad linguæ istius scriptæ tenorem, suos ad populum sermones, Epistolas, et colloquia assüeti essent accomodare.

Periit pars longe major; nec mirum! Desunt enim volumina in quibus prædia, et possessiones, reditus et agri, aliique Episcopatuum et Monasteriorum proventus, et Monasticæ regulæ scribebantur; neque possunt qui minutissime inquirunt, librum ullum Hibernicum producere typis excusum ante annum 1557! (1)

Hæc de antiquissimo rhythmorum genere, et de Forteherno sufficiant. Ordo jam postulat ut ad Codicem Stowensem redeamus.

Fol. 27, p. 2, col. 1. In hac Codicis columna, quædam breviter narrantur de cruentissimo bello, gesto in Hibernia inter nobiles et Attacottos, qui, nobilibus devictis, et dispersis, late dominati sunt, usque ad regnum *Tuathalii bona-venturæ* filii *Fiachi Findoladh*, qui Imperantibus Hadriano et Antonino Pio regnavit.—His dominantibus, Hibernia fructuum penuria, et omni inopia laborasse narratur, ita ut, restituto Tuathalio, Nobiles undique convenerint, et se, et posteros, jurejurando per Solem, et Lunam, devinxerint, ei et successoribus fidem servare, dummodo eos ab Attacottorum dominatione tueretur; " *do rattar dia agla mora for na h Aithechtuatha nad bui ith, l. blicht, l. mes,* " *l. iasc in uisc, occo ar tis. uin fris na sacrclannuib. Ro gabtar ug. e raith na huile dula aicse 7* " *ne maicse ar firu Er im Righi dia chlaind cen im chosnamh friu co brath.*" Eadem habent IV Magistri in Annalibus ad ann. C. 56.

Atqui, Attacotti nullibi in Britannia memorantur, vel a Tacito, vel a Ptolomæo. Ammianus qui primus eorum meminit in Britannia, non ut incolas, sed ut exteros, cum Scotis, i.e. cum Hibernis, in Britanniam fœderatos describit. " Picti, Saxones, *Scotti et Attacotti*, Britannos ærumnis vexavere continuis."(2) Hæc narrat ad annum 360, postea ad ann. 368 inquit—" Attacotti, bellicosa hominum natio, et Scotti, per diversa vagantes, multa populabantur.(3) Horsleus recte inquit non Britannos fuisse, sed Alienigenas. (4) Attacotti juniores Gallicani, inter auxiliares Palatinos recensentur in Notitia Imperii. (5) Gens nempe bellicosa, eodem modo quo Quadi et Alemani, ad Imperii defensionem conscribebantur. Diversæ lectiones vocis *Attacotti*, quæ in Valesii Notitia Galliarum videri poterunt, (6) manifeste demonstrant gentem hanc Gallis æque ac Britannis fuisse alienam. Eos cum Scottis consociat S. Hieronymus, æque ac Ammianus, (7) unde non immerito *Du Chesneus* inquit—" Ce fut environ le temps de Constantius, que les Scots qui c estoient repandu " dans l'Irlande, et l'avoient appelle de leur nom, commencerent de faire des courses dans la Bre- " tagne, tant qu' en fin ils y jetterent les fondemens du Royaume d' Eccosse....Il y a apparence " qu' entre les soldats que Constans laissa en garnisons dedans les passages des Pyrenees, furent les

---

(1) Ware's Writers p. 97, 8.—Hist. of Attempts to convert the Popish Irish, by Richardson, chaplain to the D. of Ormond, p. 13, et supra p. xvii, not. 4.
(2) Ammianus l. 26, c. 4, ed. Valesii, Paris 1681, p. 452.
(3) Ibid. l. 27, c. 8, p. 494.
(4) " Attacots a people who infested Britain." Britan. Romana. Index p. 73. Lond. 1732.
(5) Pancirolii Notitia p. 139. (6) Valesii Notit. Gal. p. 52.
(7) S. Hieron. Epist. ad Ocean. et Usser. Primord. p. 589.

" *Attacots*, de la meme race des Scots d'Hibernie, qui porterent leurs armes a la solde desRo
" mains vers la decline de l'Empire." (1)

Fol. 29, p. 1, col. 1. (2) Incipit jam poema *Maelmurii* "*Flann for h Erind*, &c."—constans lineis quæ in di ... cha resolvuntur 174. Auctoris nomen præsefert, et ætatem pariter designat—"*am.* "*ro stair. m Maelmura Othna imbroluch Duaine Fl. m. Maelsechlain-Flann for h Erend.* [Prout " historice narravit Malmura Othnensis, in *pectore* (i. e. in contextu) poematis, (scripti) regnante " Flanno filio Maelsechnalli, incipiente *Flann for h Erind.*]—Malmurius ipse non solum tempus quo floruit indicat in poematis fine, verum et periodum annorum 750, intercedentem a regno *Tuathalii* prædicti usque ad regnum *Flanni*, quo vivente se hoc poema scripsisse testatur.

" *Secht cet blin coic deich—o Tuathal ni chelamm*
" *In seised noenach aiges—Fl. finn fremand.*"

Atqui Flannus filius Maslsechnalli regnavit ab anno 879, quo successit *Aodho Finnliatho* Nialli. Calnei Regis filio, defuncto " xii *Kal. Dec. feria* vi," ut habent Tigernach, et Chronicon Scotorum apud Flahert. p. 434, obiitque " viii *Kal. Junii, septima feria, anno regni sui* xxxvii," Incarnationis 916. Præterea obitum Maelmurii referunt IV Magistri ad ann. 884. Annales Ultonienses ad 887, ubi, in nota isti anno apposita, ambo conciliantur. Ergo poema de quo agitur, procul dubio scriptum est ante annum æræ communis 887. Nescio utrum extet in linguis septentrionalibus aliquid præter Ulphilæ versionem Scripturarum, quod ratione antiquitatis possit cum Fiechi Sleptensis, Fortcherni, Cennfaoladii, et Maelmurii fragmentis metricis comparari. Nullus enim eorum qui *Saga* appellantur (the Northern Sagas) est sæculo XImo antiquior.(3) Primus Norwegiæ historicus *Arius Frodi* scripsit sæculo XIImo; *Snorro Sturleson* XIIImo; *Caradocus* scripsit sæculo XIImo, eodem fere tempore quo Chronicon Saxonicum exaratum est, *Nestor*, qui Ruthenorum primus Annales scripsit, floruit post annum 1000. Etsi ergo nihil aliud ex Malmurii rhythmis erui posset, præter ipsam linguam Hibernicam, prout extitit ante annum 887, non parvi quidem momenti in rebus septentrionalibus censendi essent.

Incipit *Malmura* a regno Tuathalii, qui, Rege Attacottorum in prælio *Acaill* prope Temoriam occiso, et pluribus præliis gestis contra Belgas, Damnonios, Galenios, aliosque Regiæ suæ prosapiæ inimicos, Comitia indixit Temorensia, in quibus omnium procerum consensu ad Majorum solium restitutus est. Præliis istis sigillatim enumeratis, Malmura subjungit, Nobiles ab Attacottorum dominatione liberatos, jurejurando se et suos Tuathalio, in Comitiis Temorensibus, obstrinxisse, eodem modo quo eorum Majores Uganio Magno, per Solem, Lunam, Sidera, et cætera visibilia ac invisibilia elementa, se et posteros obstrinxerunt, ut patet ex folio 30, p. 1, col. 2.

---

(1) Du Chesne Hist. d'Anglet p. 146, 173, ex Orosio, Ethico, Claudiano. et Notitia Imperii.

(2) Ex foliorum ordine hactenus designato, hoc esset folium 28. Contigit aatem, dum alios Codices hodie pervolverem, ut in 2dum hujus Codicis folium, e suo loco abreptum, et inter deperdita numeratum, fortuito inciderem, quod, jam restitutum, efficit, ut hoc sit folium 29num, et ut cætera præcedentia, ordine ab hoc retro ducto numeranda sint.

(3) *Arii-Frode Schedæ*, seu libellus de Islandia Hauniæ 1733. " This *Are-Frode* is the oldest of all the Northern Historians." Mallet. Northern Antiq. Lond. 1770, vol. 2, Introd. p. xxi.—Opus Islandicum cui titulus *Edda*, scriptum est sæculo XIImo, pluribus nempe sæculis postquam Islandii ad fidem, Hibernis prædicantibus conversi, Ecclesiam in S. Columbæ honorem condidere. Annal. Ulton. Annot. p. 141, 148. Secunda *Eddæ* pars desinit in anno 1270, *Snorro* obiit anno 1241. Nullus Eddæ codex antiquior est sæculo 14to. Confer Huetii " De l'orgine des Romans," p. 116. Longe errant qui *Eadam* Ethnici cujusdam opus esse existimant.

"*Do luid iar sin do chom Temrach toictech Duine,*
"*Rigda incana iarngabail giall h Er h. uile.*
"*Hite ratha ro gab Tuathal tren fri tobach,*
"*Nem, Talamh, Grian, Esca, Idain-muir, Tir torud,*
"*Cossa, lama, beoil, in thengtha, cluasai, suile,*
"*Eichroith, gaisceith, claidib croda, con an duire.*"
"Profectus est postea Temoriam, præstantissimum Arcem,
"Ad regie ordinandum tributum, post acceptos obsides Hiberniæ totius,
"Hoc est juramentum quo accepit Tuathal fortes sub tutela.
"Cælum, Terram, Solem, Lunam, Insulas maris, Terræ fructus,
"Pedes, manus, ora, linguas, aures, oculos,
"Equos militares, scuta, gladios duros, cum suis catenis." (1)

Tuathalius sic restitutus, Midiam, adempta a singulis Provinciis portione, dicitur dilatasse, et tres solemnes Regni conventiones quotannis habendas ordinasse, quarum una apud *Tlachtga*, in Momoniæ portione habebatur "*oidhche Samhuin,*" nocte Divinitatis *Samhin*, (circa Kal. Nov.) qua, Sol, et Luna, et Dii Gentilitii, ignibus, et Druidum ministerio placabantur; altera habebatur apud *Usneach*, in portione Conaciæ, die ignis Baal, *La Baal tinne*; tertia apud *Talten*, in Ultoniæ portione, *La Lugnasa*, (circa Kal. Augusti;) quarta in Lageniæ portione apud Temoriam.—Quæque ex his loca Provinciarum Regibus, a quibus separata erant, certum debebant solvere panegyrium suarum vectigal.

Porro, Tuathalius primus fuisse dicitur, qui gravissimam mulctam, *boariam* in nostris Annalibus appellatam, alternis annis sibi et posteris solvendam, Lageniæ imposuit, quæ præliis cruentissimis dedit originem usque ad regnum Finnachtæi, a quo S. Molingus ejus remissionem impetravit anno 693. Utrumque impositionis et remissionis annum, tam Codex Cluanensis apud Flaherteum, quam Tigernachi Codex Bodleianus designant. Hujus mulctæ, iisdem fere verbis meminere Annales Inisfalenses, in Excerptis supra pag. ix, eademque narrantur de xl Regum numero a Tuathalio ad Finnachtum his verbis—" xl *rig tra las ro toibged in ciisa, o aimsir Tuathail co h aimsir m. Duncha*
" *m. Aeda Sl. ut dx.*"

"*Cetracha rig dorala—fris ro hicd borama.*
"*O aimsir Tuathail Tlachtga—co h aimsir fir Finsnachta.*"

"*Finnachta, tar hi se ro maith in mborama do Moling Luachair, cu caind na Duaine do rignea*
"*do, iar na tobach co haen baile do l. co madarne.—Ro maith dix. Moling—*"

"*Finnachta f. huib Neill—co fein i morom ra racht.*
"*Isi in barc f. sin tuind—isi in toun f. sin teacht.*"

"*Rochairig tar Adomnan im Fhinnachta a maithim na borome, 7 aip. t fris na ranna sa sis.*"—
[" Quadraginta reges fuere, a quibus irrogatum est vectigal hoc, a tempore Tuathalii, ad tempus filii
" Dunnchadi filii Aedi Slanii ut dixit Poeta—"]

---

(1) In alio Codice Stowense No. XVI, "*con a n Duine*" [cum suis munimentis.]

"Quadraginta Reges regnavere—quibus solutum Boum tributum,
"A tempore Tuathalii dicti *Tlachtensis*—ad tempus herois Finsnechtei."

"Finnachta post hæc condonavit boum tributum Molingo Luachrensi, propter versus quos fecit
"pro eo, postquam collegit istud tributum in unum oppidum pro eo, vel usque (Arcem) Mudarne.
"Optime dixit Moling—

"Finachta regnans de O'Neillis, sibi vindicat boum tributum Lege solvendum!
"Est (tamen vectigal istud Imperatori O'Neillorum, ut) misera scapha supra undas—vel ut unda supra littus."

Lætatus est postea Adamnanus de Finnachtæ condonatione tributi boum, et composuit disticha sequentia.]—

Sequuntur disticha duplicia 26, quæ, secundum methodum supra memoratam, resolvuntur in 52, in quibus, etsi plurima sint præ antiquitate valde obscura, Auctoris tamen Adamnani mansuetudinem, et sanctitatem agnosco, de quo Beda inquit ad ann. 701.—"Quo tempore plurima pars Scottorum "in Hibernia, et nonnulla etiam, de Brittonibus in Britannia, rationabile et Ecclesiasticum Pas-"chalis observantiæ tempus Domino donante suscepit. Siquidem Adamnan, Presbyter, et Abbas "Monachorum (Hibernensium S. Columbæ) qui erant in Insula Hii, cum, legationis gratia missus a "gente sua, (vide Annal. Ulton. ann. 686) venisset ad Aldfridum Regem Anglorum, mutatus mente "est. Erat enim vir bonus, et sapiens, et scientia Scripturarum noblissime instructus....(deinde) "Navigavit Hiberniam, et plurimos eorum ad unitatem reduxit Catholicam....qui cum celebrato "in Hibernia canonico Pascha, ad suam Insulam revertisset,....contigit eum, ante expletum anni "(702) circulum, migrasse de sæculo....scripsit de locis sanctis librum, legentibus multis utilli-"mum..Porrexit autem librum hunc Adamnan Aldfrido Regi....Scriptor quoque ipse multis ab "eo (rege) muneribus donatus, Patriam remissus est. De cujus scriptis aliqua decerpere, ac nostræ "huic historiæ inserere, commodum fore legentibus reor." (1) Eadem fere de Adamnano scribit Ceolfridus Abbas, in Epistola ad *Naiton* Regem Pictorum, quam servavit Beda, (2) ubi pro Bedæ verbis "*navigavit Hiberniam*"—Ceolfridus habet "*reversus ad Scotiam*, multas postea gentis ejusdem turbas, ad Catholicam temporis Paschalis observantiam, sua prædicatione correxit."

Adamnani versus eodem artificio quo cæteri hactenus memorati descripti sunt—

"*Gach ri nach maithionn a chis—as fhada bid a* sgela
"*Mairg do rat an dail do rat—an ti as lag as do as* mela."

"Omnis rex qui non remittit suum tributum—longa erit ejus historia (i.e. tædium et fastidium afferet.)
"Væ Regi ut cæco regnanti!—quo infirmior est quis (populi,) erit ei eo plus mæroris."

Plures ex Adamnani rhythmis Hibernicis, prope respondent Latinis extantibus in Hymno Alphabetico scripto a *Sechnallo*, qui obiit anno 448, ætatis suæ 75, ut ex Annalibus Ultoniensibus notavit Usserius, p. 825. Hymnum istum, simul cum *Prologo*, a vetere quodam Scholiaste Hibernense scripto, (Usser. ib.) edidit ex sæpe laudato Codice Hymnorum Colganus in Triade p. 211, ubi incipit a disticho——

"Audite omnes amantes Deum—sancta merita."

---

(1) Bed. Hist. l. 5, c. 16, et 23. Annal. Ult. p. 64, not. 1. (2) Bed. ib. c. 21.

Hujus hymni strophæ sequuntur ordine alphabetico, usque ad literam *i* vocalem, inclusive; deest autem *j* consonans; pro *k* habetur *c*; desunt *u* vocalis et *u* duplex sive *w*, itemque *v*; ignotæ, vel saltem inusitatæ Hibernis.—Concordat methodus rhythmica S. Columbæ in hymno "*In te Christe*," cujus *Prologus* his verbis editus est ex Codice Hymnorum,—" S. Columba composuit hunc hymnum *cursivo rhythmo*," &c.

" In te Christe credenti*um*—miserearis omni*um*,
" Tu es Deus in sæcul*a*—sæculorum in glori*a*."

Concordat et alius ejusdem hymnus ex eodem Codice editus, cujus *Prologus* est—" S. Columba *cille* composuit hunc hymnum, *stylo rhythmico*, extempore in *Doire-Chalguich*," &c.

" Noli Pater indulg*ere*—Tonitrua cum fulg*ure*,
" Ne frangamur formid*ine*—Hujus atque ured*ine*."

Priusquam ad alia progrediar, lectorem monendum existimo, Codices vetustos longe discrepare, in assignando numero boum, pecorum, porcorum, &c. qui a Lageniensibus solvebantur, et quosdam ita a recentioribus depravatos esse, ut tota hæc mulctæ boariæ historia, inter fabulas amandanda videretur.—Placuit itaque Codicis Stowensis, utpote venerandæ antiquitatis, verba describere, etsi propter literarum obscuritatem, id valde difficile esse, inspicientibus manifeste appareat. "*Is he* " *tra..inciss*, ·i· *t. l. cet bo*, 7 *t. l. cet lonn*, 7 *da choire dec im muncoire numa hiteigtis*, xii *mart*, 7 *l.* " *lanamna for coinnmed leo do g. s. Can hae dib canra bliad. no hicatis do g. s.* (1) [Hæc est narratio tributi, i. e. ter quinquaginta centena boum, et ter quinquaginta vitulorum, duodecim caldaria cum parvis mensuris ex ære solvebant, duodecim vaccas, et quinquaginta servos ad custodiendum cum eis communiter. Vectigal hoc alternis quibusque annis solvebant communiter.]

Porro, hujus tributi exactio, per Regem *Cormacum* facta, his verbis exprimitur fol. 31, p. 1, col. 2. " *Ghid chumal in trichat rig ingen*, 7 xxx *ca ingen im cach n acin do rochratar isin Cloenferta i* " *Temraigh oidhchi Samthna la Dunlang rig Laing. im x n ingena Cormc hi Cuind.*" [Cormacus Rex irrogavit tributum hoc, post Tuathalium, annum circiter 244, " in *cumhal*, i. e. in *eric*, seu " mulctam, propter triginta regias filias, et xxx filias spectantes ad singulas earum, quas occidit " Dunlangius rex Lageniæ, in secessu mirabili prope Temoriam, nocte solemnitatis Divi *Samnii*, " simul cum decem filiabus Cormaci O'Con."] (2)

Hæc verba Dissertationem sibi propriam postularent.—Lectorem refero ad Dissertationem de Religione Ethnicorum Hiberniæ MS. in Stowense, quam sæpius memoravi.

His narratis, sequuntur Imperatorum, et Regum synchronorum Hiberniæ successiones, usque ad sæculum VIIIm. Deinde, folio 34, p. 1, incipit Historia Regum mundi, rhythmis Hibernicis scripta, et *Flanni* auctoris nomine insignita, cui titulus—" *Do fl. siuib in domhuin moir indso sios.*" [De Imperatoribus mundi magni in his sequentibus.] Chronicon hoc metricum, rhythmicum, et Hibernicum, Regum Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum nomina, ordinem, et annos exhibet quibus singuli regnaverunt, usque ad regnum Leonis tertii, i. e. Isaurici, qui

(1) Cod. Stowens. No. 1, fol. 30, p. 2, col. 2, linea ult. &c. Confer Annal. Inisfal. supra p. ix.
(2) Eadem habent *Tigernach*, et IV *Magistri* in regno *Cormaci Ulfadha*, de quo vide Prolegom. supra p. xx, &c.

ad Imperium evectus anno 717, Saracenos Byzantium obsidentes magna clade delevit. Hoc regnante, Romanorum Imperium terminasse inquit Flannus; nempe quia Gregorius 2dus, Romanus Pontifex, Romam, et quidquid Italiæ Græcis reliquum erat, à Græcorum Imperio abstraxit anno 731.

Constat Chronicon hoc lineis 540, quæ in disticha resolvuntur 540, ac proinde in versus simplices 1080.—In disticho penultimo Flannus se auctorem declarat, "*Fland fer leighinn min Mainistrech.*" [Flannus Professor scientiarum parvi Monasterii.]—Hos versus attentissime ab initio perlegi, nec verbum inveni de Hibernia usque ad distichon 504m, fol. 38, p. 2, col. 1, ubi de Theodosii minoris regno inquit—

"*In a dechmaid bliadhain* bind—*Patraic rogh h Erind*,
"*Teothois ted gial glain cot*li—*hi cet bliand Xis*ti."

Ex quibus sequitur, ut alibi monui, S. Patricium Hiberniam advenisse regnante Theodosio minore, primo anno Xisti Pontificis Romani, qui Ecclesiam rexit ab anno 432. (1) Obiit Flannus anno 1053, ut patet ex Tigernacho coævo, et ex nota quam Annalibus Ultoniensibus ad istum annum apposui p. 336, scripsitque in Monasterio parvo *Butense*, de quo agunt Annales Ultonienses ad annos 722, 763, 766, 804, et passim postea.

Fol. 38, p. 2, col. 2. Prædicto Chronico metrico subjunctum distinguo aliud Chronicon prosaicum, cui titulus—"*Comaimserad rig h Erenn, 7 rig na coiged iar creidhm indso.*" [Synchronismi Regum Hiberniæ, et regum Provinciarum Hiberniæ, post introductam fidem, hic.]

Deinde immediate incipit chronicon istud ab his verbis "*Loegaire mc Neill iiii bl. for Er in tam* "*tainic Padric indti.*" [Laegarius filius Nialli quatuor annis de Hibernia regnaverat, tempore adventus Patricii in eam.]—In hujus folii margine, hæc verba, Avi quondam mei manu exarata, leguntur,—"*fada o scribh an labhar sin.*" [Ab antiquo scriptus est liber iste.] (2)

Scriptum fuisse existimo regnante Roderico O'Concobar, non ultimo rege Roderico, sed ejus Avo Arthuri filio, Tordelbaci patre, qui, oculis orbatus anno 1092, ut habent Annales Ultonienses, regnum Connaciæ filio Tordelbaco abdicavit, et "obiit in sua peregrinatione, in sexto anno et vigesimo postquam oculis orbatus est, anno 1118." (3)—Hoc regnante scriptum fuisse, colligo ex ultima linea, in qua *rex Connaciæ* appellatur. Præterea, is ultimus memoratur in Catalogo.

Usserius Chronicon hoc vetus penes se habuisse videtur, ejus enim meminit his verbis— "*Qui lingua Hibernica, tam Monarcharum, et Provincialium Hiberniæ Principum, tum Albaniæ Re-* "*gum synchronismos delineavit, non novitius author.*" (4) Ejusdem meminit Flahertaus p. 427 et 466, itemque Gratianus Lucius, Colganus, et alii.—Inter deperdita numerandum esse existimavi, donec in hunc Codicem contigit incidere, in quo ineditum jacuit, neglectum, et Hibernis ipsis penitus ignotum! Periisset utique præ incuria, nisi illud unius Viri, et quidem Angli, munificentia, ab ædacitate annorum, a sordibus, et ab umbra mortis eripuisset!

Usserius, adjuvante quodam interpete, (5) notavit, hunc Auctorem annos dinumerasse xx a prælio

(1) Prolegom. p. liii, et infra p. lxxxvii.
(2) Cod. Stowens. No. 1, fol. 38, p. 2, col. 2.
(3) Annal. Ult. ad ann. 1092, et 1118, p. 355, et 382.
(4) Primord. p. 1028-9. (5) Primord. p. 867.

Ochano, in quo Rex Hiberniæ *Ailill Molt*, a *Crimthano* Rege Lageniæ occisus, occubuit, ad annum quo sex filii *Erci* exercitum duxerunt, et coloniam Scotorum ex Hibernia Albaniam, a qua colonia Regnum Scoto-Britanicum originem derivavit.—Alios cohibere debuit tanti Viri auctoritas, saltem donec meliora afferre possent, quibus quæ ipsi *gratis* asserunt, sanioris Criticæ regulis dijudicarentur.—Alibi demonstravi (Annal. Ult. p. 150,) Hibernos, Agricolæ ævo, Albaniam invasisse, et quæ ibi de *Crimthani* expeditione adduxi, Codicis hujus Stowensis auctoritate confirmantur, fol. 28, p. 2, col. 2.

Imperii Scotici initia in Albania hujus Codicis ope definiuntur.

Ab hac Epocha, quæ nequit absque hujus Chronici ope accurate definiri, plura pendent, tam Scoto-Britannis quam Hibernis communia, et ad communem historiam illustrandam imprimis necessaria, ita ut gratum opus utrisque me facturum existimem, si verba vetusti Scriptoris, quo nullum æque vetustum Scoti moderni producunt, paulo diligentius cum Tigernacho et aliis conferam, unde Imperii Scotici initia in Britannia, accurata collatione, ad fidem Historicam restituantur.—Verba ex hujus Codicis folio 39, p. 1, col. 1, lin. 7, accurate descripta, hæc sunt.—" *Fichi b. o cath* " *Ocha concachatar clanna Eirc in Albaoin*, ·i· *se mic Eirc mic Eoch Muinreimhair*, ·i· *da Oengus, da* " *Loarn, da Fergus.* Lxxvii *b. o chath Ocha co bas Diarmada mic Fergusa Cerrbeoil. iiii rig for Erinn* " *fris sin*, ·i· *Lug. m. Loegaire, Murchertach m. Erca, Tuathal Maelgarb, Diarmat m. Ferrcer. Coicc* " *rig for Albain friu sin*, ·i· *Fergus mor mc Eirc, Oengus mor mc Eirc, Domongart mc Fergusa,* " *Comgall m. Domongairt, Gabran m. Domongairt.*"—[*Viginti anni* a prælio Ochano donec ierunt filii Erci Albaniam, i. e. sex filii Erci, filii Eochodii capillorum fortium, i. e. duo Oengusii, duo Loarni, duo Fergusii.—Anni 77 a prælio Ochano ad obitum Diarmitii filii Fergusii-Cerbheolii. Quatuor reges (regnaverunt) de Hibernia postea, i. e. Lugad filius Loegarii, Murcertach filius Ercæ, Tuathal *Maelgarb* (calvo-torvus,) [et] Diarmitius filius Ferrceri. Quinque reges de Albania postea, Fergusius magnus filius Erci, Oengus magnus filius Erci, Domangart filius Fergusii, Comgall filius Domangarti, [et] Gabran filius Domangarti.]—

Fergusius de quo hic agitur is est, procul dubio, de quo vetus auctor apud Camdenum inquit—" Fergus *filius Eric* fuit primus qui, de semine *Chonaire*, suscepit regnum Albaniæ, a *Brun-Albain*, " (hodie *Braed-Albain*) ad mare Hiberniæ et *Inch-gall*; (Hebrides;) et inde Reges de semine Fergus " regnaverunt in Brun-Albain, sive Brun-here, usque ad Alpinum filium Eochad." (1)—De eodem Fergusio auctor poematis Hibernici, scripti regnante Malcolmo tertio, annum circiter 1056, (2) inquit——

" *Clanna Eachach in a n di*aidh—*ghabsad Albain iar n airdghi*aidh,
" *Clanna Chonaire an chaomh* fhir—*toghaide na tren Ghaoid*hil,
" *Tri mic Eirc mhic Eachach* mait—*triair fuair bennachtain Pha*draic,
" *Ghabsad Albain ard n*gus—*Loarn, Fergus, is Aon*gus,
" *Deich m bliadhna Loarn ler bladh—i bhflaitheas iarthair Albain,*
" *Tareis Loairn fhel go n*gus—*seacht mbliadhna ficheat Fe*argus."

(1) Camden Britan. ed. Lond. p. 707, et apud Usser. Primord. p. 610.

(2) Vide supra pag. lxxix.

[Filii Eochodii post istos (Pictos)—obtinuerunt Albaniam præ eorum alta potentia,
Filii Conarii amabilis viri,—electi (isti) fortium Hibernorum.
Tres filii Erci, filii Eochodii boni—Tres qui obtinuerunt benedictionem Patricii,
Obtinuerunt Albaniam, alta eorum fama—Loarn, *Fergus*, et Angus.
Decem anni Loarn secundum famam historiæ—in dominio occidentalis Albaniæ.
Post Loarnum regnavit strenue—septem annis et viginti Fergus]

Quæ auctor hic tradit de benedictione Patricii, confirmantur ab *Evino*, in Vita Tripartita, laudata ab Usserio, edita a Colgano, cujus verba sunt—" Post hæc S. Patricius in regionem *Dalaradiæ* " (in Ultonia) regressus, cum coram 12 filiis Erci compareret, Fergusius, Erci junior filius, se per " fratres a paternæ hæreditatis portione conqueritur exclusum ..... Postquam autem vir Dei pro " eo factus est orator, ille patrimonii meliorem partem, nempe ipsum oppidum *Airthir Mugiæ*, cum " adjacente territorio, Deo et S. Patricio obtulit.....S. autem Patricius prædictum Fergusium " benedicens, spiritu inspiratus prophetico," ait—" *Licet hodie sis despectus, et humilis, brevi do-* " *minaberis fratribus, et posteri tui semper inter fratrum posteros Principatum, et distribuendi potes-* " *tatem, obtinebunt*.....Quæ prophetia postea completa est in *Acdano filio Gabhrani*, ex ejus " semine procedente qui manu violente regnum Albaniæ occupavit." (1)—Eadem habet Jocelinus c. 137, apud Usserium.(2) Prophetia autem paulo accuratius ibi quam ab Evino exprimitur. " Licet " hodie videaris humilis et despectus in conspectu fratrum tuorum, eris in brevi Princeps illorum " omnium. De te enim optimi Reges egredientur, qui non solum in terra propria, sed etiam in " longinqua et peregrina principabuntur. Elapso igitur non magno temporis spatio, Fergusius, " juxta viri Dei vaticinium, principatum in tota illa terra obtinuit; semenque illius per multas " generationes in ea regnavit. Ex ejus stirpe processit strenuissimus Aedanus filius Gabrani, qui " Scotiam, quæ dicitur *Albania*, subegit, et alias Insulas, cujus in eis regnat adhuc successiva pos- " teritas."—

Non inquiro jam utrum S. Patricius hanc prophetiam ediderit nec ne, illud solum rogo, quænam fuerit constans, et *scripta* traditio de Fergusii filii Erci origine, Patria, et ævo. Tigernachi de eodem verba accurate descripta hæc sunt.—" K. 1. *Feargus mor mac Earca cum gente Dalriada par-* " *tem Britanniæ tenuit, et ibi moratus est—Eogan-Bel r. ann. i Cruachan*." Hæc autem refert sub tertio charactere K, i. e. sub tertio anno postquam Symmachus Pontifex ad Cathedram Romanam evectus est, ac proinde ad annum 501, Symmachus enim ad Pontificatum Romanum evectus est ut notat Pagius, sexto die ab obitu Anastasii 2di, x. Kal. Decembr. anno 498. Notæ feriales Codicis Bodleiani concordant. (3)

Hactenus res est manifesta, prædictos auctores cum Codice Stowense convenire, narrantes Fergusium, qui cum gente Dâlriadæ (4) Albaniam migravit, fuisse S. Patricio coævum.—Consentiunt

(1) Triade p. 147, col. 2. (2) Primord. p. 610, et in Triade p. 95.

(3) Hæ notæ sunt " *K. v.* Ingens terræ motus Ponticam concussit Provinciam. *Anastasius Papa pausavit K. vi.*— " *K. vii.*— *K. i.*—*Feargus mor*," &c Cod. Bodl. fol. 8, col. 1, in fine. Atqui, hæ notæ, ex Calendarii vetus tirationibus, indicant annos æræ communis 498, 499, 500, 501.

(4) Regio ista a *Riada* Conarii 2di filio nomen accepit, Bed. l. 1, c. 1.—Confer Annal. Ult. ann. 794, not. 2, p. 117, cum Prolegom. supra p. xvi, xviii, xix, xx, xxi.

veteres Genealogiæ Hibernicæ, laudatæ ab Usserio p. 611, quæ Fergusium istum deducunt linea recta a *Conario 2do* rege Hiberniæ, qui filio suo *Carbreo Riadic* regionis Dalriadæ in Ultonia dominium reliquit. (1)—*Ercus* obiit annum circiter 474, ut notat Usserius p. 1117.

Hæc præmittenda duxi, ut Fergusius *Erci* filius, ab alio coævo distingueretur, qui fuit filius *Conallii Gulbanii*, et Avus S. Columbæ. Hunc nonnulli cum *Erci* filio confundentes, Historiam tot ncongruis deturpant Genealogiis, et larvis, patrem substituentes pro filio, et vice versa, ut tota inter fabulas amandanda videretur. Adamnanus Fergusii Avi Columbæ sic meminit—" S. " Columba ex nobilibus fuit oriundus genitoribus, patrem habens Feidlimid *filium Ferguis*." (2) Ejusdem meminit Jocelinus—" Princeps quidam Conallus petiit et impetravit benedictionem a S. " Patricio. Accessit ad sanctum intentione simili frater illius minor natu, *Fergus* nomine, quem " benedixit dicens filium benedictum ex ejus semine nasciturum. Filius enim ejus Fedhlemidius " generabit puerum *Columbam*," &c. (3) Eadem habet Evinus—" In publico conventu reperit " *Conallum* Niello magno Rege natum, Regisque Laogarii fratrem, quem benedixit......et *filium* " *Conalli Fergussium*," &c. (4)—De eodem Conallo, pro-avo Columbæ, Jocelinus alibi inquit, S. Patricium prædixisse, Sanctos ex ejus semine oriundos, quorum prædicatione multæ nationes benedicendæ essent, et scutum ejus tetigisse signo crucis, asserens, quemlibet de stirpe ejus illud bajulantem in bello, nunquam vincendum ab aliquo, " quam Prophetiam evenisse astruunt Historiæ Hibernicæ, et *clamant Cantilenæ*." (5) Eadem habet Evinus. (6)—Duo ergo extitere Fergusii, et duo Conalli; omnes coævi, omnes e stirpe regia. Usserius recte animadvertit Fergusium, S. Columbæ Avum, " ut ex Hibernicis libri Ballimotensis et Sliguntini genealogiis didicimus," (7) filium fuisse *Conallii filii Neilli Neigiallach*, a quo Tirconallia nomen accepit; filium nempe *Conalli Gulbanii*, qui cum suo filio Conallo, fratre majore natu Fergusii, minime confundendus est.

Hos accurate distinguere nos cogit error Scholiastis Jocelini, qui Conallos et Fergusios ita miscet, ut nec pes nec caput uni formæ reddatur, (8) etsi duos Fergusios plane distinguat Jocelinus, filium *Erci* memorans c. 137, et filium *Conalli*, patrem Fedhmidii, c. 89, et 138. (9)

Porro, a recentioribus ipse in errorem inductus, (10) scripsi in Annalibus Ult. ad ann. 503; p. 11, Fergusium filium *Erci*, fratrem fuisse Murcertachi filii *Ercæ*.—At, errorem hunc emendavi ad

---

(1) Vide supra p. xxiii, et confer Annal. Ult. ann. 544, n. 1, ubi tres generationes erronee omittuntur.

(2) Adamnani de Vita Columbæ l. 1, c. 1.

(3) Jocelini c. 89. Triade p. 85.

(4) Evinus parte 2, c. 113, Triade p. 144. Filius erat *Conalli-Gulban, filii Nialli*, et frater *Conalli, filii Conalli-Gulban*.

(5) Jocelin ib. c. 138, p. 95.

(6) In Vita Tripart. 2, c. 95. ib. p. 142.

(7) Primord. p. 689. (8) Apud Messingham Floril. Paris, 1624, p. 61.

(9) Confundit tamen Jocelinus duos Conallos, c. 189, eosque nescivit distinguere Colganus in nota ad locum istum n. 98, p. 113.

(10) Transact. of the R. I. Acad. vol. 1, Antiquities p. 37, et iterum p. 40, ubi *Earca* filia Loarni perperam introducitur pro *Erco* filio Eochodii, patre Fergusii!—Errant præterea, scribentes, *Cumhallum*, Finni patrem, in prælio *Cnuchense*, a Gollo filio Morni interfectum fuisse anno C. 155, et Fergusium *Finni filium*, qui eodem prælio interfuit, Hymnum bellicum *Rosg-catha*, cujus extat exemplar in Bibliotheca Dubliniense, eodem anno composuisse! Hæc nequeunt cum Historia consistere; quomodo enim potuit hymnum componere anno 155, is cujus pater Finnus obiit anno C. 273? Vide supra pag. xx. Confer Acta Acad. Regiæ Hibernicæ vol, 2. Antiq. Contents No. 2, et p. 10, not. d.

ann. 544 ibidem, n. 2, p. 18, u'i *Ercus* filius Eochodii, accurate ab *Erca* filii Loarni separatur.—Denique, Conalli et Fergusii prædicti, diversi fuere a *Conallo filio Comgalli*, Duce Dalriadæ, et a *Fergusio Cerbhealio*, de quibus Annales Ultonienses consulendi sunt. (1)

Errat ergo Giraldus dicens—" *Nello* Hiberniæ Monarchiam obtinente, sex filios *Muredi* Regis " Ultoniæ, in classe non modica Boreales Britanniæ partes occupasse, unde et gens ab iis propa-" gata, specificato vocabulo *Scotica* vocatur, usque hodie &c. (2)—Errat inquam tam in tempore *Nialli* assignando, quam in filiis *Muredachi muinngdearg* Regis Ultoniæ, patris Murchertachi mac *Earca*, scribendis, pro filiis Erci filii *Eochodii muinngreamhair*, quibus ea immigratio in Albaniam procul dubio tribuenda demonstratur.

Veterum consensu quoad Fergusii originem et ætatem exposito, restat ut inquiramus utrum pariter concurrant in anno quo migravit Albaniam.—Tigernachi Codex Bodleianus id refert, ut supra notavi, ad annum C. 501, quo Kalendæ Jan. in feriam 2 inciderunt. At, aliud ejusdem Chronici exemplar apud Flaherteum p. 466, eandem migrationem refert ad annum C. 502, Kal. Jan. feria 3, quæ notæ annum indicant a prælio Ochano XX, ac proinde cum Codice Stowense Synchronorum accurate concordant; Annales enim Ultonienses prælium Ochanum referunt ad ann. 482, æræ com. 483, et quamvis IV *Magistri* primo aspectu dissentire videantur, id referentes ad ann. 478, tamen in re ipsa nulla est disparitas, cum æram communem annis *quinque* plerumque antevertant.

Horum auctoritatem confirmat Bardus *Bec mac De*, qui obiit anno 557, (3) cujus distichon Hibernicum, a Tigernacho pariter citatum, IV *Magistri* producunt. (4)—*Gildas Moduda*, in Catalogo metrico Regum ab anno 431 ad annum 1143, cujus extat exemplar in Bibliotheca Stowense, prælium istud pariter refert ad annum ultimum regni *Alilli-molt*, ac proinde ad ann. 483.—Extitit præterea, anno 1647, Catalogus Regum Hibernorum, authore Anonymo, in Codice O'Maolchonarii, quem penes se habuit Colganus, in quo obitus Alilli eodem modo narratur. (5)—Auctor vetus Vitæ Kierani Sagir (6) inquit—" Crimthanum Lageniæ Regem in gravi bello *Oche*, in regione Midi, occidisse *Ailill Molt* regem Hiberniæ."—*Anmchad* Episcopus Kildarensis, qui Vitam S. Brigidæ scripsit ante annum 980 quo obiit, nostrorum Annalium auctoritatem confirmat, dicens " Illandum " filium Dunlangii, Lageniæ Regem, occidisse Oengusium filium Nadfrachi Regem Momoniæ, cum " uxore sua *Ethnea Huachach*, filia *Crimthani* Regis Lageniæ, qui *Olillum Molt*, *Regem Hiberniæ*, " *juxta Temoriam interfecit*." (7) Id testatur pariter " testis oculatus Dubthach O'Luguir, disci-" pulus S. Patricii, qui isto prælio interfuit, in Opusculo quod de actis ejusdem Crimthani scripsit,

---

(1) Annal. Ult. ad ann. 544, n. 2, 554, 559, n. 1, 560, 561, 662, et 567, n. 2.

(2) Girald. Topogr. Hib. Dist. 3, c. 16, p. 742. Giraldi errorem plurimi sequti sunt.

(3) IV *Mag.* ad ann. 557.—Vita Columbæ edita a Magno O Donnell anno 1520, in Triade p. 400, c. 63. Item Martyrolog. Tamlact. ib. p. 450, not. 59, et alii Codices ibid.

(4) IV *Mag.* ad ann. 478, æræ com. 483, ut notatur in margine ibid. Codex Stowensis No. X.

(5) Triade p. 565, n. 7.

(6) Auctor vetus Vitæ Kierani quam ex Tinmuthense edidit Capgrave Lond. 1526, c. 19, itemque apud Usser. Primord. p. 1099, et apud Colganum p. 460, et 464.

(7) Triade p. 551, c. 12.

"et penes me habeo" inquit Colganus. (1)—Denique convenit Broganus Pius, scriptor sæculi VIti, in Opusculo metrico de gestis Regum Lageniæ, cujus meminit Colganus ibidem. (2)

Habemus itaque consentientes Synchronismos cum Tigernacho, cum Poeta Hibernense qui floruit regnante Malcolmo tertio, cum scriptoribus Ecclesiasticis medii ævi, cum teste oculato Dubthacho, cum coævo *Brogano* Pio, cum Bardo *Beco mac De*, et cum Catalogis *Modudii, Duvegani*, et aliorum, quorum meminisse non vacat.—Ergo ex Codice Stowense Synchronorum, duos statuere licet cardines chronologicos, Prælium Ochanum gestum anno 483, et migrationem filiorum Erci anno 503, quibus res Historicæ Albaniæ et Hiberniæ, quæ sæculo quinto et sexto gesta fuere, ad fidem Historicam revocantur.—Tertium, pro basi tenendum, adjungo, nempe S. Patricium a Cælestino missum fuisse anno 432, ut scribunt Marianus, Sigebertus, et Florentius, æque ac Annales nostri; quamvis enim fateamur, ejus præcursorem Palladium missum non fuisse ante ann. 431, testante Prospero, nec Patricium nisi audita morte Palladii, qui obiit eo anno, omnia tamen facile conciliantur, si Cælestini annos paulo attentius consideremus. Obiit quidem Cælestinus anno 432. At, Baronius, et ex eo Colganus, et alii, scribentes obiisse *die sexto Aprilis*, vel ut scribit Sandinius, "*viii Id. Aprilis*," plane errant, ejus enim Pontificatui annos *novem*, menses *decem*, et quosdam dies tribuunt Catalogi veteres apud Pagium ad ann. 432, et Tillemont. t. 14, cum quibus convenit antiquum Epitaphium apud Gruter p. 1171, n. 5, in quo obiise dicitur "*decimum* dum conderet annum."—Atqui ab anno 431 ad medium mensis Julii anni 432, quo Cælestinus obiit, intercessere menses *septem*, quibus notitia obitus Palladii, a Monachis, Romam eo ævo turmatim confluentibus, facillime poterat enunciari. Adolescentia itaque *Fergusii filii Erci* cum Patricii senectute concordat.

Catalogum exhibui Majorum Fergusii usque ad Conarium 2m in Prolegomenis p. xix. Placuit alium conferre qui in manus incidit postquam prædictum ex Kennedio descripsi. Hunc, paulo diversum, invenire contigit in margine exemplaris Stowensis Ogygiæ p. 468, ex Codice vetusto Dualdi Firbisii descriptum, sequenti ordine—"*Eirc, mac Each Muinreamhair, mic Aonghusa, mic* "*Fergusa Uallaigh, mich Eoch. alias Fiacha Taitmhil, mic Felimh lamhdhoid, mic Cionta, mic Guaire,* "*mic Finntain, mic Cairbre Riogfoda.*"—Desunt *Guarius* et *Fintanus* in Kennedii Codice, extant autem in Flaherteano p. 469, col. 2.—Oportuit, ad fidem meam servandam, horum meminisse, quamvis generationes istæ, ad majorem antiquitatem Carbreo Riadæ tribuendam, a recentioribus confictæ videantur. Ercus enim obiit anno 474, et Carbreus Riada interfuit adolescens prælio Cinfebratensi anno 212, (3) et Coloniam duxit Albaniam, regnante *Cormaco Ulfadha*, paulo post prælium *Crinna*, annum circiter 251.—(4) Atqui si generationes admittamus 10m inter Riadam et Ercum, quamvis ambo inclusivæ sint, experientiæ modum excedent, efficient enim annos 270 inter utrumque. (5) At non plures quam 200 intercessisse, in superioribus demonstratum esse confido. (6)—Monet jam nimia prolixitas ut iterum ad Codicis Stowensis descriptionem revertamur.

---

(1) Ibid p. 565, not. 8. (2) De Brogano vide Annal. Ult. ad ann. 489, p. 8.
(3) Prolegom. p xviii, xix. Conveniunt cum rationibus Chronologicis hic designatis, tempora vastationum Britanniæ per Scotos et Pictos, memorata ab Ammiano, Gilda, et Beda, et tempora adventus Saxonum in Britanniam, ut alibi demonstravi. Dissert. de Relig. Ethnicor. Hibern. (4) Prolegom. p. xx.
(5) Prolegom. p. xxiii, et not. 2, ib. (6) Prolegom. p. xviii ad p. xxiii.

Folio 40, p. 2, col. 1. Terminatis Synchronismis, incipiunt *Flanni Butensis* Chronica metrica quæ Hiberniam Historiam proprie respiciunt. Primum exponit Regum Hibernorum ordinem, et annos ab *Herimone* ad *Eochodium Feidloch*, qui paulo ante C. regnavit. Constat lineis rhythmicis 154, incipientibus a versu " *H Eremon is Ebir ard*," eæque lineæ in totidem disticha resolvuntur. Explicit in Codicis fol. 40, pag. 2, col. 2, his verbis—" Finit de regibus Hiberniæ ab Heremon usque Eoch. F. Incipit nunc ab Eocha usque ad *Laegare mac Neill*." Deinde incipit ejusdem Poematis pars secunda, a versu "*Righ Temrach dia teshann tnu*," quæ constat lineis rhythmicis 74, in totidem disticha pariter resolvendis.—Hac terminata, incipit in ultimo Codicis folio pag. 2, col. 1, ejusdem pars tertia, cui præfigitur titulus—" *Do righaib H. iar cretim in sosis*" [De Regibus Hiberniæ post fidem introductam, i.e. de Regibus Christianis, heic.] Prima linea est " *Righ Teamhra* " *taobhoidhe iar ttain—O flaith Laoghaire leann-ghlain*" ut in Codicis folio ultimo pag. 2. col. 1. At, præter primos 38 versus, in totidem disticha resolvendos, cætera hujus Codicis, excidio nunquam nimium deflendo, periere.

Chronica hæc memorantur hinc inde a Flaherteo. De primo inquit extare poema *incerti auctoris* in Codice Lecano fol. 42, incipiens " *Erimhon is Ebhir ard*," 72 disticha continens, quæ referunt nomina et annos Regum Hiberniæ ab Herimone ad Achaium Feidloch qui regnavit anno Mundi 3922. (1) Secundum memorat p. 151.—Tertium, omnium præstantissimum, utpote Regum Christianorum seriem usque ad sæculum Xmum complectentem, nullibi memoratum invenio. De eo fusius agendum erit, cum ad alium Codicem perventum fuerit, in quo integrum servatur. (2)

CODEX STOWENSIS, No. II.

Codex hic membranaceus est, lingua et characteribus Hibernicis pulchre exaratus, in folio mediocri, cujus quæque pagina in duas columnas, dimidio police separatas, divisa est. Constat foliis xvii, incipientibus ab Historia creationis ex Genesi,—" *In prindcipio fecid D.s celum et* " *terram*."—Litera initialis *I* variis figuris, circulatim inter se contextis, ornata, et miniatis coloribus picta, Draconis caput et ungues exhibet. Quo autem sæculo exaratum fuerit aliorum esto definire.—Narrata ex Genesi rerum humanarum origine, et historia, usque ad dispersionem Babelicam, *Gadeliorum* origo describitur pag. 2, col. 1, lin. 30, ubi nomen *Gaedhil*, quo Hibernenses se ab immemorabili distinguunt, derivatur a Gadhelo filio Niuli, qui fuit filius *Feniusi fear-saidh*, Fenii viri sapientis, et Fenius iste dicitur linea recta descendisse, generatione 16ta inclusive, a " *Rifath* " *Scut otait Scuit*, 7 *ise Rifath Scot tucc tucastar Scotic on tur, ar ba se an secht prim thuisech ro boi* " *ic cumtach in Tuir Neimr. Is follus de sin nach raibe Fenius hi cumtach in tuir mar atb. h.at na* " *Senchaide*," [i. e. a Rifathio-Scot, unde nomen Scoticum, (seu Scythicum) et fuit is Rifath-Scot qui conduxit populum Scithicum a turre, nam fuit is septimus præcipuus dux qui fuit adjuvans in turre ædificanda. Patet hinc non fuisse *Fenium* participem in ædificanda turre, ut narrant *Senchadii*, i. e. Genealogi.]—Hæc, quamvis in pluribus commentitia, Hibernorum tamen de quodam *Fenio* traditiones a *Fiecho* Sleptense, sæculo VIto memoratas exhibent, et recentiorum errores, qui nomen *Scot* ipsis Hibernis ignotum esse inconsulte definiere. (3)

---

(1) Parte 2, p. 92. (2) Codex Stowens. No. XIV. (3) Gough's Camden, vol. 3, p. 470.

Fenii istius memoria, non solum in Hibernorum traditionibus a sæculo VIto scriptis servatur, verum etiam in sacris lapidum ageribus, dictis "*leaba na Feine*," qui non nisi ad Ethnicos referendi sunt. Præterea, traditiones Druidicæ de *Fenio*, qui Hibernorum majores duxit ab Oriente, et a quo milites robustissimi *Fenii* vocabantur, Historicæ veritati longe proprius accedunt, quam Græcorum fabulæ, quæ Phœnicem, oculis a patre orbatum, a Centauro Chirone sanatum describunt, unde Chiro inter sidera situs est!—Phœnix enim Historicus, a nonnullis *Beli* filius appellatus, propter religionem Druidicam cujus Deus præcipuus erat *Baal*, ab aliis filius Neptuni et Libyes, is est qui Colonias maritimas duxit Lybiam, et in maritima Syriæ regione regnans, nomen suum Phœniciæ reliquit, iisque navigatoribus qui ad Insulas tendentes Hesperidas, i. e. Occidentales, Uticam, Hipponem, Leptim, Carthaginem, et urbes innumeras extra Columnas Herculis, in Africa et Hispania condidere. (1)

Idem est de quo agit Coeman in poemate—"*Gaedhil glas ottaid Gaoidhil*," et O'Duveganus in poemate—"*Ata sun Scanchus riogh Erionn*"—Ejusdem meminere Eochodius, Flannus, Malmurius, Scholiastes Fiechi, et Fiechus ipse.—A Monachorum commentis abstineo, quæ pro Druidum traditionibus pia fraude surrogata fuere, et transeo ad primum Poema in Codice Stowense No. 2, cujus auctor incertus, sed antiquus, istas traditiones ita miscuit, et mutavit, profana involvens sacris, ut antiqua a novis nequeant nisi diligentissima investigatione separari.

Incipit hoc poema fol. 1, p. 2, col. 2, a linea—"*Athair caich coimsid imne*," constatque lineis 102, in totidem disticha resolvendis, ac proinde in versus 204. Extat in folio secundo Codicis I aliud ejusdem exemplar antiquius, sed in initio mutilatum, ex cujus collatione patet, ambos Codices esse ejusdem operis exemplaria, libri nempe *Migrationum*, seu *Invasionum*, vel *Debellationum*; sub his enim diversis titulis, unum et idem Opus a Waræo, Colgano, Nicolsono, Keatingo, Flaherteo, et Harrisio citatur.—Porro, ea quæ in initio Codicis I desiderantur extant in Codice II.—Desunt autem folia plurima in fine Codicis II, quorum nonnulla ex Codice I, pariter in fine mutilato, supplentur, et ambo se mutuo adjuvant.—In primi Codicis fol. 3, p. 2, col. 2, extat poema "*Cain raind ro raind*," quod extat pariter in secundo, et in utroque nomen præsefert auctoris antiqui *Fintani*; sed quæ legentibus paulo difficiliora sunt in primo, ope secundi explicantur.—In ejusdem Codicis fol. 4, p. 2, col. 1, extat aliud poema—"*Cetracha trath din tuir thinn*," cujus auctoris nomen non nisi quatuor literis describitur "*Fint*;" in secundo autem scribitur integre "*Fintain*."—Fintanus, nempe, qui, alio nomine *Munnu* dictus, obiit in Monasterio *Tagh-Munnu*, quod ipse condidit sæculo sexto.—Obitum ejus refert Tigernach ad annum 634—"*Quies Fintain ·i· Mundu mc Tul-* "*cain huc xii Kl. Nov.*" (2) Concordant Annales Ultonienses, (3) et IV Magistri ad eundem ann. æræ com. 635. Nonnulla de eodem scribit ante Bedam Adamnanus, in capite 2 libri 1 de Vita Columbæ, cujus titulus est—"*De S. Finteno filio Tailcani*;" omnes vero capitum titulos ab

(1) Vide Periplum Hannonis, et Annal. Ult. p. 133.—"Campus *Feniorum*." Annal. Inisfal. ad ann. 901. Lingua Hibernica ab ipsis Hibernis appellatur *bearla na Feine*, lingua Feniorum. Vide Vocab. Hibern. vocibus *bearla*, *leaba*, *Feinne*, et *Fiann*, et quæ de Fenio dicta sunt suprà p. xxvi, xliii, lx, lxiii, et infra p. xc, et xciv.

(2) Codex Bodl. Rawl. 489, fol. 11, col. 4.

(3) Ad ann. 631, p. 46. Distinguendus est a Fintano cujus vitam edidit Goldastus.—"The life of S. Findan written "by a contemporary, and published by Goldastus, is an authentic monument of the ninth century." Pinkert. Enquiry, &c. vol. 1, p. 319.

†

Adamnano ipso descriptos fuisse docti fatentur.—De eodem Fintano nonnulla edidit Usserius in Primordiis p. 937, Colganus in Triade p. 47, et Waræus in libro de scriptoribus Hiberniæ p. 23.

In hoc IIdo Codice describendo, pluribus opus esse non opinor, cum ea quæ de primo dicta sunt, ad hujus notitiam æque pertineant. Illud tamen caute notandum est, quædam in IIdo extare quæ desunt in primo; in IIdi enim folio 7mo extat incerti auctoris poema, incipiens a versu "*Findaig in senchus diata,*" constans lineis rhythmicis 52, in totidem disticha resolvendis, quæ nullibi extant in primo. In hoc poemate quædam narrantur de Concullando, Conallo-Cearnach, Carbreo Niafar, et de militia antiqua Hibernica, quæ eorum ævo, inchoante nempe æra Christiana, *Fiana-Ere*, i. e. Phenii Hiberniæ, appellata fuit. (1) *Rath-Cruachain* in Comitatu Roscomanense, Regum Connachtensium Regia, et Temoria, Regum Hiberniæ sedes præstantissima, in hoc poemate celebrantur.

CODEX STOWENSIS, No. III.

Sequitur Codex tertius chartaceus filiorum 107, continens Excerpta miscellanea ex variis Codicibus Hibernicis, qui extabant in Connacia ante annum 1727.

Primum folium ordinem exhibet, et annos obituales Abbatum Hiiensium, a Columba Cille, defuncto anno 596, (2) ad Mac Baeithine qui obiit anno 1070.—In secundo folio sequentia notanda sunt,

CIOS RI CONNACHT.	VECTIGALIA REGUM CONNACIÆ.
As Uamhall—100 *mart*, 7 100 *torc*.	Regio *Umhal*—(solvebat) 100 juvencas, 100 porcos.
Gregr.e—100 *Damh*, 700 *Loilgech*.	Regio *Gregraige*—100 boves, 100 vaccas lactarias.
Eadem—60 *muc*, 7 60 *brat*.	Eadem—60 sues, et 60 pænulas.
Conmhaicnid—1200 *brat*, 7 200 *bo*, 760 *torc*.	*Conmacnii*—1200 pænulas, 200 vaccas, et 60 porcos
Na Ciarruide—100 *bo*, 100 *Damh*.	*Ciarradii*—100 vaccas, 100 boves.
Eadem—60 *brat dearg*, 60 *torc*.	Iidem—60 pænulas rubras, 60 porcos.
Luigne—300 *Loilgeach*.	*Lugnii*—300 vaccas lactarias.
Eadem—300 *torc*, 300 *Damh*.	Iidem—300 porcos, 300 boves.
Eadem—300 *brat*.	Iidem—300 pænulas.
Cios na Gcorc—100 *bo*.	Vectigal quod solvebant *Corcii*, 100 vaccas.
350 *caora*, 350 *muc*, 350 *Damh*.	350 pecores, 350 sues, 350 boves.
Na Dealbhna—150 *torc*, 7 150 *Damh*.	*Dealvnii*—150 porcos, et 150 boves.
Ua Maine—60 *brat*, 60 *torc*.	*Hy Mania*—60 pænulas, 50 porcos.
Siol Muired. 7 ui Fiachrach, 7 Breifne gan cios.	Clientela *Muredagi*, et *Hy Fiachrach*, et *Breifne* liberæ erant a tributo.
Siol Muired. cuir a geas a urdail ele, an t iomlan doib sin uile.	Clientela Muredagi, si ponamus stipendia omnia sua, conferebat quantum cæteri omnes simul.

Folio 3, p. 1. Incipit Chronicon Metricum Regum Connaciæ a versu—"*Cruacha Connacht raith go rath,*"—constans lineis 144, quæ totidem disticha efficiunt, juxta methodum expositam, et

(1) Dictis de *Fenio* adde, ex Codice Stowense No. III, p. 175, ubi præcipuæ dotes Monasteriorum Hiberniæ numerantur, Corcagiam ideo laudari, quia "*Berla Feine Erend Corcach,*" i. e. quia ibi lingua Feniorum Hiberniæ colebatur. Vide infra p. xciv. *Fin mac Cumhal*, vulgo *Fingal*, dux erat militiæ dictæ *na Feine*, i. e. Feniorum. Campus *Feniorum* in Australi Hibernia sæpe memoratur in Annalibus, ut in Inisfal. ad ann. 901, in Ulton. ad ann. 816. Confer quæ de *Finno* dicta sunt supra p. xx, &c.

(2) Prolegom. supra pag. xl.

ex Codice Ballimotense, sæpe laudato ab Usserio, (1) descriptæ fuere anno 1727, ut patet ex Amanuensis nota in fine fol. 6.—Auctor incertus est, floruit autem regnante *Tordelbaco magno O'Concobar*, qui regnavit Rex Connaciæ ab anno 1106, Rex Hiberniæ totius ab anno 1136 ad 1156. (2)—De hoc poemate, in quo Regum Connaciæ successiones rhythmice descriptas invenio, posthac fusius agam, cum ad alium Codicem Flaherteanum perventum fuerit antiquiorem, in quo pariter servatur.

Fol. 7, p. 1. Incipit aliud Chronicon Metricum Regum Connaciæ cujus supra memini, (3) ubi de O'Maolconariis agendum erat.—Chronici hujus titulus his verbis in Apographo exhibetur "*Do* "*chuimhniugh Righthe Connacht o Thordelbach O'Chonchabair. Ro cum. Donnch. bacach mac Tan-* "*aidhe ui Maolchonaire an Duain so siosana* ·i· *Donnch. bacach h. Maolchonaire Ollam sil Muiredh.* "*re sencus.* m. e. anno 1404." [De Memoria Regum Connaciæ post Tordelbacum O'Conor, composuit Donnchad claudus, filius Tanadii O'Maolchonrii, poema hoc quod sequitur; nempe Donnchad claudus O'Maolchonrius, Poeta clientelæ Muredagi, (i. e. Poeta O'Concobarorum) ad res historicas servandas; qui obiit anno 1404.] Constat lineis 84, in totidem disticha resolvendis, Regumque Connachtensium successiones a Tordelbaco magno filio Roderici enarrat, ad Tordelbacum filium Aedi, filii Eogani, qui obiit anno 1345. Incipit a versu—" *Eisdigh a Eigsi banbha,*"—et ad Principum Connachtensium seriem accurate designandam, maximi esse momenti, vel ex ipso titulo, multo magis ex contextu, et ab intrinseco manifestum est.

Fol. 9, p. 1. Catalogo isto metrico subjunctum invenio poema Thadei filii Darii, quod pars est controversiæ Historicæ de Nobilitate et rebus gestis, inter Hibernos Australes et Boreales, de antiquitate invicem contendentes, quæ regnante Jacobo I incepit.—Constat lineis 288, in totidem disticha resolvendis, et pulchre exaratis anno 1727-8, idque ab Avo meo, qui plura, et pene omnia exscripsit, quæ in hoc Codice continentur.—Sequuntur alia de eodem argumento a diversis, metrice et Hibernice scripta, usque ad folium 23, ubi incipit Chronicon prosaicum Regum Connaciæ ab adventu Patricii ad annum 1464, quod explicit folio 27, his verbis,—omnis domus in se divisa desolabitur.—" *Nior goir aon Righ a g Connachta on am sin a leith, 7 ainim ui Chonchabair dfha-* "*ghil go coitchenn daibh, ie o nach raibh siad fein geal dacheile do sgrios iad le foirnert agus le haind-* "*ligh eas. ronn. ie maithemnus o dhia go bfagh. i neiric a bpeac............As leabhar chille Ronain* "*ro thairingus sin.*" [Non nominatus est aliquis Rex Connaciæ a tempore isto postea, et nomen *O'Concobari* obtinuerunt communiter eorum successores; nempe quia *non fuere ipsi sibimetipsis fideles, ideo dissipati sunt*, præ potentia iniqua, et iniquis legibus exterorum. Condonet eis Deus in iis quæ peccaverunt.......Ex libro dicto *Killronanense* exscripta sunt hæc, cum approbatione IV Magistrorum.]

Fol. 28. Sequuntur ordines Nobilium Connaciæ, cum loco et officio cujusque relative ad Regem, et deinde hæc verba notanda sunt—" *Agas a se ua Maolchonaire dhlighes slat na Righe do* "*thabhairt in a laimh aga righedh, 7 ni dlighenn duine do mhaithibh Connacht bheith na fhochair ar* "*an Gcairnn as. O'Maolchonaire ag a righ, agus O'Connachtain ag dorseoras. an Chairn. A cach, 7* "*a edach do Chomharba Dachonna, 7 a dhol do dhruim ui Chonchabhair ar an ech sin, 7 uinge dor d*

---

(1) Vide supra p. xiv, lii, et lxx.
(2) Vide supra p. lxi, et lxxxii, et Annal. Ult. p. 355. (3) Pag. lxi.

" *ua Chonnachtain, 7 ta dfhiach air corach an Chairn do dhenamh gach uair reg. a leas, 7 as us. ui*
" *Mhaoilbhrenain bhios o Connachtain ag doirseoras. an Chairn.*" [Et hoc est O'Maolconarii jus, Virgam Regiam dare in ejus manum Regi inaugurato, et nefas est alicui Ducum Connaciæ esse in ejus præsentia supra aggerem sacrum, (*Carne*) nisi O'Malconario prope Regem, et O'Connachtano custodienti ingressum Aggeris sacri.—Ejus (i. e. Regis) equus militaris, et vestimenta (traduntur) Vicario Dachonni, cujus est officium ire ad montem, i. e. Arcem O'Concobari, supra equum istum; et uncia auri O'Connachtano, et ejus officium est inequalitates aggeris sacri lævigare quando inauguratio Regia fit; et est ex testamento O'Maolbrendani quod O'Connachtanus custodit ingressum Aggeris.]

His narratis, sequuntur folio 29, stipendia quæ Rex Connaciæ primariis Ducibus solvere solebat, et deinde folio 30, incipit morum et ordinationum istarum descriptio metrica, cui titulus—" *Gona* " *da-dherb. sin ro raidh an tshaoi shenchadha, ·i· Torna ua Maelchonaire an Duain chumhdaigh so* " *siosana.*" [De istis ordinationibus cecinit sapiens historicus, i. e. *Torna O'Maelchonaire*, poema observandum, seu memoria tenendum, hoc quod sequitur.] Auctor recitavit versus istos anno 1310, ut patet ex contextu, et ex nota in fine. Constat lineis 94, in totidem disticha distinguendis, ac proinde in versus 188. Explicit folio 32, ubi incipit poema recens " *Thadei cæci O'Higgins*," linearum 96, versuum 192; quo expleto, incipit folio 35 Poema quod cecinit prædictus *Torna O'Maolchonair*, pro inauguratione Regis Connaciæ Felimii O'Concobar, anno 1315, ut patet ex titulo "*Torna* " *ua Maolchonaire cc. anno* 1315, *a Righri Connachs. a g Carn-Fraoich iar na chum artus la Binnen* " *in aengtha.*" [Torna O'Maolchnair cecinit hoc poema anno 1315, in Auguratione Regis Connaciæ, apud *Carn-Fraoich*, postquam id composuit ab origine Benignus in ejusdem Regis Unctione.] Incipit a versu—" *Eistigh re senchus nach fuaill*," [Audite historiam quæ non errat.] Constat lineis 52, versibus 104.

Fol. 37. Sequuntur variorum Opuscula metrica de supradicta controversia inter Thadeum filium Darii et alios, et Thadei responsio metrica, qua, pro Australibus contendens, Borealium argumenta refellere conatur, usque ad folium 54. Omnia hæc nitide exarata sunt, et plusquam 2000 versus exhibent lingua Hibernica scriptos, eadem methodo quam supra explicavi.—Sequitur deinde fol. 55 Regum Ultoniensium Catalogus usque ad fol. 58, ubi incipit incerti auctoris poema quod Regum istorum successiones exponit, ab adventu Patricii ad regnum *Eochodii filii Ardgari*, quo regnante concinnatum fuisse patet ex ipso contextu, et ex disticho 150, folio 61.

" *Seiser ar tribh fichit finn-fer—fuarus go h Eoch. an aigh*
" *Anois is ri Each. Eamhna—cli re cleathaibh calma, caigh.*"

[Sex supra sexaginta nobiles viri—obtinuere usque ad Eochodium potentiam supremam,
Qui *nunc est Rex Eamaniæ*—Princeps inter principes, strenuus, justus.]

Atqui regnavit *Eochodius* iste ab anno 987, usque ad prælium *Craobh-Tulcha*, in quo occisus est anno 1004. Poema ergo hoc sæculo decimo exeunte scriptum fuit. Constat lineis 172 in totidem disticha resolvendis. Explicit folio 61.

Fol. 61. Expleto Catalogo metrico Regum Ultoniæ, incipit Regum Lageniæ breve Chronicon ab adventu Patricii usque ad adventum Anglorum, et deinde folio 65, incipit poema vetus de eodem argumento, scriptum ab *O'Dunio*, cujus obitum IV *Magistri* sic consignant ad annum 1160.—
" *Giolla na naomh ua Duinn fer leighinn Innsi Clotran, saoi shencusa, 7 dana, 7 deghfer labhra, ro*

"*fhaidh sein a spirid co a athardha eder chor Aingil. dec xvii. iar sun ochtm. b.ln ar chaogad a aoisi.*" [Gildas, i.e. servus Sanctorum O'Duin, Professor Scientiarum Monasterii Insulæ Clothraniæ, sapiens historicus, et poeta, et optimus orator, reddidit spiritum Patri adoptativo, inter choros Angelorum, die Decemb. 17, post octuagesimum annum ætatis.]—Constat autem poema istud lineis 142, ac proinde versibus 284.—Sequuntur deinde Regum Momoniæ successiones ab *Olillo Olam* qui regnavit sæculo C. tertio, usque ad obitum *Cormaci mc Carthy* occisi anno 1138, ut alibi demonstravi, ubi de IV Evangeliorum Codice Hibernico, eo anno exarato, et in Bibliotheca Harleiana adhuc extante, agendum erat.—Neque tamen desinit in Cormaco Momoniensium Catalogus, sequuntur enim alii quatuor Reguli qui post Cormacum regnaverunt, et deinde, folio 72, incipit Chronicon metricum Regum Momoniæ, a versu—" *Caiseal cathair clann Mogha.*"—[Casselia Arx Regia filiorum Moghæ.] Constat lineis 150, versibus 300, usque ad folium 75 inclusive.—Scripsit auctor O'Duveganus ante annum 1372, quo obiit.

Fol. 76. Expleto Momoniensium Catalogo metrico, incipit *O'Clerii* poema de controversia Historica inter Australes et Boreales Hibernos, " *Eisdigh a Eigsi banbha,*" complectens lineas 132, versus 164, usque ad folium 79, ubi hæc scripta leguntur—" *Diardaoine 8bris xvi ro sgriobh sin* " *anno* M.DCCXXIX, *7 an leabhar uile do scriobhadh, ima sech, la Cathal m. Donnchad m. Cathail* " *oig, m. Cathail, m. Aodha, ·i· O'Conchubhair donn m. Diarmada, m. Cairbre, m. Eog. chaoich, m.* " *Feidhlim ghenchaigh, m. Toirr. oig, m. Aodha, m. Toirrdealb. m. Aodha, ·i· sinsear ui Choncabhair* " *ruaidh, 7 ui Chonchabair duind.*"—[Die inter duo jejunia, i. e. die Veneris, Octobris 16, scriptum est istud anno 1729; et liber totus scriptus est, paucis exceptis, a Cathaldo filio Donnchadi, filii Cathaldi senioris, filii Cathaldi, filii Cathaldi, filii Aedi, i. e. O'Conorii fusci filii Diarmitii, filii Carbrei, filii Eogani cæci, filii Felimii dolosi, vel curvi, filii Tordelbaci junioris, filii Aedi, filii Tordelbaci, filii Aedi, unde origo communis familiarum O'Conor-Roe, et O'Conor Don.]

Recentiora sunt quæ in hoc Codice sequuntur a folio 80, ad folio 88. Exhibent autem Nobilium Connaciæ et Regum Albaniæ genealogias, ex quibus, quamvis nonnulla mendosa sint, plura tamen, non alibi eodem ordine disposita, seligere operæ prætium erit, et suo loco memorare.

Fol. 88. Incipit veteris Anonymi enumeratio Monasteriorum Hiberniæ, in qua dotes præcipuæ quibus singula præcellebant breviter recensentur, ex *Codice Thadæi O'Roduighe*, et cujusque præeminentia recentioribus verbis, pariter Hibernicis, explicatur, a Scholiaste quodam, qui Commentarium inter lineas nitide exaratum adjecit—Sic Imlecense Monasterium appellatur " *Seanchus Er Iomlioch Iabhair,*" et Scholiastis interpretatio est, " *·i· ealadhna mora ann 7 Senchaoifhesa na sen,*" [ideo Monasterium Historicorum, propter doctrinam magnam, et scientiam rerum antiquarum, quæ ibi colebatur.] Monasterium Lothræ verbis his valde notandis designatur, " *Eascaine Er Lothra.*" Monasterium Maledictionum Hiberniæ Lothra.—Scholiastis interpretatio historica est " *tre leigion Temrach la Ruadhain,*" propter Maledictam Temoriam per Ruadanum.—Atqui constat ex Annalium Ultoniensium serie, et notis, et ex Tigernacho, " *ultima* Comitia Temorensia habita fuisse a Diarmitio filio Cerveolii Rege Hiberniæ anno 557," (1) et ex iisdem Ultoniensibus ad annum 564, patet Monachos antiquos Monasterii S. Ruani, profectos Temoriam cum Abbate suo Ruano, Regiam

(1) Annal. Ult. ad ann. 557, p. 21, et not. 5 ad ann. 554, ex quibus corrigendus est *Gough* in *Camden* v. 3, p. 565..

istam regnante Diarmitio malidixisse, unde "*nullus Regum sedit postea Temoriæ,*" sed regni sedes ad alium locum haud procul tamen distantem translata est. Jam antea ex hoc Codice retuli (supra p. xc, not. 1,) Corcagiæ prærogativam, qua cæteris Hiberniæ Scholis præcellebat, fuisse, quod ibi præcipue, lingua *Fenia*, i. e. lingua vetus Scotica, a *Fenio* Duce sic appellata, diligenti Poetarum studio colebatur. Antiquitatem nominis Patronymici *Fenii* produnt sæculo VIto *Fiech* Sleptensis, IXno *Eochodius*, et *Maelmurius*, XIImo *Giraldus*. Extat in Codice Stowense, No. XVI, Maelmurii carmen "*Canam bunadas na n gaoidheal,*" in quo vocis Fenii originem a Fenio Heroe his verbis deducit "*Feni o Fenius adbearta—brigh gan dochta.*" Fenii a Fenio dicuntur (Hiberni)—Res non ignota. Conferenda sunt quæ de hac vetusta traditione, temperate, ut spero, et modeste exposui, ubi de Eochodii, Coemani, et aliorum Reliquiis metricis agendum erat, supra p. xxvi, xxxvii, et xxxviii, cum notis; item p. xliii, xliv, lx, lxiii, lxiv, lxxix, lxxxix, et infra p. xcv. Auctoritati Maelmurii accedit quod Abbas fuerit Monasterii celeberrimi *Fathanensis*, alias *Othnensis*, conditi a *S. Murano* medio sæculo VIImo, in quo præclara antiquitatis monumenta antiquitus servata fuisse, testatur ex Codicibus MSS. jam deperditis Colganus in Actis p. 587.—Inter alia ibi religiose custodita, extitit libellus quem de Actis S. Columbæ S. Muranus patrio Idiomate, et metrice scripsit, itemque *pervetustus Codex Chronicorum* Hiberniæ, in magno prætio ab Antiquariæ rei studiosis semper habitus. Extitit etiam usque ad annum 1645, et instar prætiosissimi thesauri servabatur S. Murani baculus, seu pedum Pastorale *Bachull-Mura*, dictum, gemmis ornatum, et deaurato tegumento obductum, per quod, tanquam falsitatis vindicem valde formidandum, populus, et Proceres, præsertim O'Niallorum familia jurare consueverunt. Muranus enim ex ista familia oriundus erat, quinta generatione ab Eoganio, ut patet ex Sanctilogio vetusto Genealogico c. 2, in quo, æque ac in Psalterio Casselense, *S. Murus* filius fuisse dicitur "*S. Feradaci*, filii *Ronani*, filii *Eoganii Merchrom*, filii *Murcdaci*, filii *Eoganii*, filii *Nialli Noigiallaich.*"—Porro Patronus erat tutelaris O'Niallorum, et in Ecclesia Fathanense, quæ nunc Parochialis est, in peninsula dicta *Iniscoghain*, quinto milliario ad Occidentem a Derrensi civitate sita, ejus festum die 12ma Martii celebrabatur.

Enumeratis Monasteriorum dotibus, enumerantur Triades Hiberniæ, nempe tres loci præcipui ubi ludi publici, et nundinæ celebrabantur; tres Arces antiquissimi; tres montes sacri; tres sacræ speluncæ; tres sylvæ, seu solitudines sacræ Eremitarum; tres viæ publicæ præcipuæ, tria Coemeteria præcipua, tria lapidum monumenta, seu aggeres sacri præcipui, &c.—Recentiora sunt quæ sequuntur, e quibus tamen Excerpta quædam posthac seligere, et suo loco illustrare juvabit.

Folium 98 exhibet *O'Carolani* poema funebre Hibernicum in obitum lectissimæ uxoris Mariæ Maguiriæ, quod ad Citharæ modos, ipso pulsante, composuit, quodque, eo vivente, descripsit Avus meus anno 1734.—Regum Ossoriæ Catalogus ab adventu Patricii, Genealogia Comitum Antrimensium, Oengusii rufi O'Daly metrica quædam de Antiquitatibus Hibernicis, scripta versibus 252, (1) Excerpta quibus titulus "*Comhaimsir Righ Erenn as sen leabhar,*" [Synchronismi Regum Hiberniæ ex vetusto Codice,] et brevis vocum antiquarum Catalogus, quæ aliis recentioribus exponuntur, ea sunt quæ huic Miscellaneorum Codici finem imponunt.

---

(1) Oengusii hujus obitum referunt IV Magistri ad ann. 1350.

CODEX STOWENSIS, No. IV.

Hæc pars est tantum Codicis membranacei valde deflendi, characteribus et lingua Hibernica nitide exarati, cujus titulus his literis in primi folii margine designatur—" *Ac so leb. cl. sp. i. b. p.* " *p. 7 tesb 7 f. ai cod a ress ac Murgius. c. c. 7 leab. Irisi acs. 7 dos, f. Reim. s. t. c. 7 l. d. t. e. ac-* " *lochl.*"—

Quid hæc significant non nisi divinando, idque vix, ac ne vix quidem intelligo; at, ex foliorum contextu plane constare opinor, partem esse libri inter Hibernos celeberrimi cui titulus " *Reim Rioghruidhe*" [Chronicon Regnorum,] cujus meminit Nicolsonus in Bibliotheca. (1)—Recentiores Hiberni scribunt auctorem fuisse Gildam Modudium qui sæculo XIImo floruit, (2) nec video cur ab ista traditione discedere debeamus.—Desunt plurima in initio et in fine, neque potest ætas aliunde quam ex *solis characteribus* definiri, quæ ratio, in Codicibus Hibernicis præsertim, nisi aliæ adminiculæ accedant, valde incerta esse videtur.

Folium Im exhibet partem carminis in initio mutilati, cujus extant lineæ 54, versus 108, qui Scotorum antiquissimos Duces memorant, a *Thato filio Ogomani*, qui fuit octavus a Fenio, usque ad Militem Hispanum qui Scotos duxit Hiberniam.—Sequitur deinde brevis enumeratio quatuor Coloniarum quæ Hiberniam ante Scotorum adventum habitaverunt, in qua auctor inquit se res jam dictas breviter attingere, juxta auctoritatem carminis vetusti " *Firbolg batar sunna sel,*" (3) et alterius carminis incipientis a versu " *Dena me fres nes a me,*" cujus auctor *Coltca* istas traditiones exponit versibus 76.—De Coltca silent scriptores Hibernici, nisi forte is sit, cui inscripsit Alcuinus Epistolam quam edidit Usserius, quique floruit in Hibernia anno 795. (4)

Ludorum Taltinensium initia in folii primi pagina 2da, col. 1, sic enarrantur—" *Taillten inn.* " *Magmoir rig Espaine banrigan Fcrmbolgc, tainic iar cur ind dair for Firu Bolgc sin chet chat sin* " *Muigc Turcd*............*con erbailt hi Tailltin, con ide h ainim rosgleam, 7 con ide a fert fil on* " *forud Tailten iacrtuaid. condentai a cluiche can a. b. 7 aguba chaintc la Lug. bacongesib 7 airmber-* " *taib no gnithi, ·i· coicthighis ria Lugnusad 7 coic. iarom, 7 un. dr. Lugnosad, ·i· aurdach l. sol-* " *lom. Loga, 7 un. Oengus p.t multum tempus dicebat Nassad Loga.*" [Taltenia filia Magmorii Regis Hispaniæ, Regina Regis Belgarum, venit Hiberniam post victos Belgas in prælio isto primo campi Turris, dicti *Moytura*, (5)......et occisa est apud *Taltin*, qui locus nomen istud obtinuit propter ejus monumentum Poetarum ibi, unde habuit Taltenia perennem famam. Construxit ejus Aggerem memorialem, et lugubrem locum plorantium Lugadius (Rex,) et locum vectigalium, et armorum, sive ludorum militarium, i. e. qui celebrabantur duobus septimanis ante, et duobus post festum Lugnasa, atque inde dicitur *Lugnosad*, i. e. festum vel solemnitas Lugadii, et inde Oengus [scriptor vetus] post multum temporis dicebat *Nassad-Loga*, Anniversaria fama Lugadii.] (6)

Narratis Belgarum et Damnoniorum successionibus Regiis, sequitur *Flanni* Butensis carmen—

---

(1) " *The old Book of Reigns, J. Lynch's great guide.*" Nicolson's Irish Hist. Libr. Dubl. 1724, p. 56.
(2) O'Halloran, vol. 2, p. 126.
(3) Vide supra pag. lx, ubi nomen Auctoris *Tanudii*, aliaque de hoc carmine indicantur.
(4) Usser. Sylloge Epist. No. xviii, p. 51, Annal. Ult. p. 131.
(5) Vide supra pag. xxxvii, not. 3.
(6) Vide supra pag lxi, not. 3. Non est confundendus Lugadius hic cum duobus aliis de quibus supra pag. lviii, not. 5. Conier p. xliv.

"*Eitsid a eolcho cen on*," cujus meminere Keatingus, Flaherteus, et alii.(1) Atqui alibi demonstravi Flannum obiisse anno 1056.(2) Extat aliud hujus Carminis exemplar in Codice Stowense No. XIV, in quo *Flanni* auctoris nomen pariter præsignatum invenio; at in Codice isto recentiore mutilatum esse constat, ex eo quod in membranaceo longe antiquiore versus numerentur 164, cum in Codice XIV non plures quam 148 numerandi sint.

Plura de hoc carmine loco oportuno dicenda erunt, sufficiat interim annotasse, Druidas, Cytharistas, et Poetas antiquos Hiberniæ, non semel in hoc carmine memorari.

Fol. 2, p. 1, col. 2. Incipit carmen—" *Eitsid in seneas sluaga*," constans versibus 100, Auctoris incerti, sed antiqui, ut patet ex stylo. Hoc carmen Damnoniorum fabulosam historiam attingit, in qua describenda, non est cur impræsentiarum immoremur.

Fol. 2, p. 2, col. 2. In hac columna, Scoti, qui cum Militis Hispani filiis venerunt Hiberniam, appellantur " *Clann na Fened*," filii Feniorum, et *clan na Scot*, filii Scitharum; idque repetite.—Deinde sequuntur nomina Ducum, et portiones Hiberniæ, quas sibi vindicaverunt, et carmen vetus versuum 48, in quo rerum istarum memoria traditur, incipiens fol. 3, p. 1, col. 1, a versu—

" *Se mc Miled miad nor*dain—*gabsat Er is Al*bain.
" *Leo do ruachtatar hille File—Coem, is Cruitire.*"

[Sex filii Milesii gloria Gubernantium—obtinuerunt Hiberniam et Albaniam.
Ii secum duxerunt multos poetas—Duces, et Cytharistas.]

Huic carmini subjungitur narratio prosaica de adventu Scotorum, et aliud carmen incipiens—" *Jarel Ossar na clainde*," versuum 36, in quo prima Scotorum prælia inter se, et cum incolis, jejune narrantur, usque ad obitum Regis *Tigernmasii*, qui Scyphos aureos, et argenteos, a fabro *Ucadano Cualannense*, apud *Fothart*, in Liffei amnis margine orientali, confici primus curavit, et in campo adorationis *Moy-sleuct*, in Brefnia, cum pluribus aliis occubuit, dum, die festo *Samhin*, Idolo *Crom-cruach* immolarent—" *Atbat himmaigh-slecht, 7 iii cethramna fer n Er imme, aidche Samna " saindriudh hic adra do Chrum-chroich daig, ba hessen ri h Idal h. 7 int. nas. aen cetramad fer h. As " do na slectanaib sin abberar mag slecht.—Do rat sen r. h. do Eoch etgudach m. Daire doimtigh do " sil Lug. m. Itha. Is aicc sen do ro nait h ilbrechta in etaighib h. i. acndath in etaigib mogad. a do " in etaighib aithech, a tri in etaig amus, 7 octigcr, a iv in et. brug, a v in et. flath-tuath, a vi in et " Oll, 7 Fil, a vii in etaig rig 7 rigan, am as b. t. in Sench.*" [Occisus est in campo stragis et tres quaternarii populi Hibernici cum eo, *nocte Samnii*, solemnitatis Druidici, dum adorationem præstarent *Crom-Chroichio* ignibus.(3) Id erat Regium Idolum Hiberniæ, et................propter stragem istam appellatur campus stragis. Obtigit regnum Hiberniæ postea Eochodio dicto *edgatach*, i. e. vestium, filio *Darii-doimtig*, de stirpe Lugadii filii Ithi. Is fuit qui statuit legem *ilbreachta*, i. e. multicolorum, in vestibus Hibernicis, i. e. ut unus esset color in amictibus plebei; duo in amictibus gregarii militis; tres in amictibus præfecti militum, et juvenis nobilis; quatuor in amictibus burgorum præpositi, dicti *Braigin*; quinque in amictibus Dynastæ; sex in amictibus Doctoris et Poetæ; septem in amictibus Regis et Reginæ, ut docet vetus Historicus his versibus, &c.] (4)

---

(1) Keat. p. 47, Flahert. p. 80.
(2) Annal. Ult. ad ann. 1056, not. 2, p. 336.
(3) De festo *Samnii* vide supra p. lx, lxvi, lxxix, et Dissert. de Relig. Ethnicor. Hibern. MS in Biblioth. Stowense
(4) Vide supra p. lxiv. Hinc origo multicolorum in vestibus Scotorum Albaniæ usque hodie.

Deinde sequitur carmen vetus versuum 56, in quo, ad memoriæ subsidium, hæ ordinationes, et prælia eodem regnante gesta explicantur. Incipit a versu "*Tigernmus mac Foll. aird.*"—

In eodem folio extat aliud carmen de Tigernmasii successoribus, *Achaio Edgatach*, *Kermano*, *Sobarchio*, et *Achaio-Foebarglas*, qui bis "*Eochu Foebur na Fene,*" i. e. Rex Feniorum appellatur, Eo regnante septem campi sylvis obsiti, hominum commorationi accommodati fuere. (1)

"*Ro slechta leis co scimne—vii muighi certa cuibdhe,*
"*Mag-Smethran la h. Failge—m. n Aidne, m. Luirg luing,*
"*Mag Lemna, 7 mag n Inair—m. Fubna find in forud.*"

Eochodio successit *Fiacha Labraid*, qui *Ernaos* e Belgarum stirpe delevit. Hoc regnante lacus et flumen *Erne* erupisse dicuntur, quos ab *Erdinis* utriusque Brefniæ et Feramanachæ nomen obtinuisse, scribit Waræus in Antiquitatibus p. 48. Fiacho successit *Eochodius Momo*, a quo Momoniæ nomen, et deinde *Aengus Olmuccaid* filius Fiachi Labradii, de cujus præliis, in Hibernia et Albania victoriose gestis, extat carmen "*Oengus olmucc. amra,*" constans lineis 16, versibus 32, in quibus Oengusii prælia etiam contra Longobardos memorantur. (2) Huic successere *Enna airgtech*, et alii quinque, quorum nomina et tempora indicantur folio 4, p. 1, col. 1. *Munimon*, post Oengusium quintus, primus fuisse dicitur qui procerum colla aureis torquibus exornavit, "*Is lais ro tindscanta munce* "*oir ar tus in h. fo braigtib daine, ·i· muine moene.*" [Is fuit qui torques aureas primus in Hibernia ordinavit indui circa colla hominum, i. e. collis monilia.] (3)

Munimonio successit *Faldergod*, de quo hæc narrantur, "*Is leis ro hairnecht failge oir im doite,* "*co tor la Sirna m. n Dein ut alii d-t, l. is la Ollaim Fotla m. Fiach. f. do roch. hi cath Temr. 7* "*quod v. ius.*" [Is fuit qui instituit annulos aureos indui circa digitos, et occisus est a *Sirna* filio Deinii, ut alii dicunt, vel ab *Ollamo-fotla*, filio *Fiachi Foeburii*, in prælio Temorense, quod verius est.]

Hæc narrat Auctor hic vetus ex vetusto carmine "*Ethrel m. Jaircoil fatha,*" linearum 24, versuum 48, de Regibus Hiberniæ ab *Ethriulo* usque *Sirnam*, qui septimus fuit ab *Ollamo-Fotla* quem supra memoravi; quæ quamvis mihi quidem prorsus obscura, et incerta videantur, ea tamen ex hoc Codice excerpere, editoris munus, et officium esse arbitratus sum; neque penitus flocci facienda existimo, cum aperte indicant *Maelmurium*, *Eochodium*, aliosque, qui Regum Ethnicorum Catalogos ex antiquis Codicibus sæculo IXno tradidere, annulos, et monilia aurea a Regibus Hibernis, antiqua consuetudine usitata memorasse, unde ea quæ de Metallorum usu, in Annalium Ultoniensium Annotationibus dicta sunt, p. 160, et quæ Nennius scribit "Reges Hiberniæ Margaritis in auribus suis usos," aperte confirmantur. Neque prorsus despicienda est ista antiquiorum Hiberniæ Regum series, ante sæculum nonum scripta, ab immemorabili tradita, et longa sæculorum veneratione consecrata, cum alia posthac in lucem prodire poterunt, quibus, quæ nunc male cohærentia, et mutilata apparent, veluti vetusti Ædificii rudera, Doctorum industria ad pristinam integritatem restituantur.

---

(1) Vide dicta de *Feniis* supra p. xcvi, lin. 12, p. xciv, xc, lxxxix, et not. ibi, p. lxxiv, not. 1, et p. lxiii.

(2) "Longobardi ex Insula Scandia, Iborea et Aione ducibus, egressi, Vandalos primum vicerunt anno C. 379. Ita Prosper ad ann. C. 379. Vide supra pag. lxiv.

(3) Confer *Pococke* Irish Antiq. in Achæologia vol. 2, p. 32, &c.

Fol. 4, p. 1, col. 2. Sequitur reliquorum Regum Catalogus, usque ad Eamaniam conditam a *primo Eamaniæ Rege Cimbaetho*, de quo Tigernachi verba notanda sunt—" Omnia Monumenta Scotorum *usque Cimbaeth* incerta erant."(1) Regum numerum, nomina, et ordinem Catalogus hic exhibet, non ut in recentiore Catalogo Bruodini apud Flaherteum p. 249, sed ut in vetustis Catalogis metricis, et in carminibus—" *Ollam-Fotla feochair Gal*," (2) " *Sirna saeglach saer in flaith*," (3) " *Cath Mona-Trogaide*," (4) aliisque supra memoratis, ad quæ Chronici hujus prosaico-metrici Auctor non raro appellat.—*Ollam-Fotla* primus Comitia Temorensia instituisse dicitur, " *Is lais cetnad Fes Temra*," (5) et Reges 33 a *Cimbaetho* ad Christum natum, de tota Hibernia regnasse narrantur.

Conveniunt cum hoc Codice IV Magistri, Flaherteus, Gratianus, imo et Coeman in carmine " *H Eriu ard Inis na Righ*," et Modudius de Ardbrecan, qui paulo post Coemanum floruit anno 1143, ut patet ex ejus carmine " *Eire og Inis na naomh*," itemque Eochoid O'Floinn in carmine " *Eire oll oirnid Gaoidhil*." Huic tamen Regum numero fidem præstare vetat, vel saltem vetare videtur, ejusdem Eochodii metricus Regum Eamaniæ Catalogus a Cimbaetho ad Christum, qui non plures exhibet quam 15*m Eamaniæ Reges*, qui eodem temporis intervallo floruere quo 33 *Reges Hiberniæ !* (6) Nescio quidem quomodo hæc concilianda sint, præsertim cum supra demonstraverim ex Tigernacho, et ex naturæ cursu, (7) Eamaniæ initia esse ad Ptolomæi primi Ægyptii tempora referenda; sed nullatenus ultra, quidquid contra asserant Flaherteus, Keatingus, et alii recentiores ; imo non ultra annum 200 ante Christum, si Eamanensium Catalogum, ab ipso Eochodio ex antiquis Codicibus metrice concinnatum, ab omni labe immunem esse concedamus, quem *irrefragabilem* esse scribit Flaherteus in Epistola ad Linceum p. 16.—Ego quidem *irrefragabilem* esse nec nego nec assero ; Eamaniæ enim Reguli, loco munitissimo septentrionali regnantes, forte non fuere iisdem casibus obnoxii quibus Reges Insulæ totius, qui a propriæ familiæ æmulis, et a quatuor Regibus Provincialibus, hostibus domesticis et externis, exagitati, partim vinculis, partim exilio, et partim immatura morte in prælio periere. Hoc autem pro certo teneo, non plures quam 12 *annos* cuique totius Hiberniæ Regi tribuendos esse, ut supra demonstravi ; (8) et quamvis ex incerto Eamanensium Catalogo nulla illatio *certa* erui posse videatur, quæ labefactare valeat fidem Catalogi prædicti Regum Hiberniæ 33 a Cimbaetho ad Christum, tamen cum plures æmuli de summo Principatu decertaverint, quorum singuli tot annos regnasse dicuntur quot ab arrogato titulo transegerunt, non secus ac si totidem annos alter alteri successisset, refugit animus quo minus a rationibus annorum 12, jam supra allatis, discedendum esse censeam, vel 33 Reges eo intervallo regnasse asseram, donec certiora et magis explorata innotescant.

Uganius Magnus, a Cimbaetho tertius, regnasse dicitur, Rex Hiberniæ, et *Albaniæ*, usque ad mare *n Ict*, *et Torrain*, i. e. ad mare *Ictium*, et Turrium. (9)—Mare nempe quod Britanniam a Gallia disterminat, Hibernice vocatur *Ictium*, ut in Poemate sæculi VIti scripto a Fiecho Sleptense, in

---

(1) Confer quæ supra dicta sunt p. xxv, xxix, xlvii, et lxv. (2) Vide supra p. lxi, et lxvi.
(3) Vide supra p. xlvi. (4) Vide supra p. xxxix, versu 2.
(5) Codex hic No. IV, fol. 4, p. 1, col. 2, lin. 16. Vide supra p. lxvi.
(6) Carmen " *Ciombhaoth cleithi*." in Codice Stowense No. xviii, de quo p. xlvii, et lxv.
(7) Vide supra p. xlv. (8) Ibid. et seq. (9) Codex hic No. IV, fol. 4, p. 2, col. 2, lin. 35.

Legendis Vitarum Albei et Declani, item a Coemano, et ab aliis Hibernis qui ante sæculum XIImum floruere. Hinc J. Cæsaris Portus Ictius; et hinc etiam, ni fallor, nomen *Armorica*, i. e. *ar muir Ict*, ultra vel supra mare Ictium; quamvis nomen istud paulo aliter interpretatum inveniam ad calcem Itinerarii Hierosolymitani editi a P. Pithæo.(1)—Mare *Torrain* non aliud est quam Tyrrhenum.

Achaius Feidhloch Rex Hiberniæ, a Cimbaetho 29nus, is est qui Pentarchiam ab Uganii ævo intermissam restituit. Nuadus Nivæus, tertius ab isto Achaio, a Cimbaetho 32dus, inchoante æra Christiana regnavit, cui successit Conarius Imus, quo tempore Provinciarum Reges erant *Concobar mac Nessa*, *Carbre Niadfer*, *Tigernach Tetbaill*, *Curi mac Daire*, et *Alill mac Niadach*.

Conario primo successit *Lugadius Raibinderg*, et deinde *Crimthan nia Niar*, de quo dicitur—"*Isse do chuaid ann Es. tra a Dun-Cremthaind re nair bansidaighe com bai caicthigis ar mis and,* "*co tuc scoto imda, ·i· imon Carpat n oir, 7 imon fitchill n oir, 7 imon cetaigh Crimtand con erbailt iar* "*tiachtain aniuig a cind caithigis ar miss.*" [Is fuit qui abiit in expeditionem exteram ab Arce Crimthani, propter dedecus muliebris infamiæ; et fuit duobus septimanis ultra mensem ibi; et abstulit res pretiosas plurimas; i. e. pretiosum currum auro celatum; pretiosum alveum lusorium auro celatum; et pretiosum stragulum dictum Crimthani; et occisus est post reditum, duobus septimanis post mensem.] (2)

His ita narratis, sequitur Regum Catalogus usque ad S. Patricii adventum anno 432, quem a IV Magistrorum ordine, numero, et nominibus in nihilo diversum invenio, nisi in eo quod, inter Lugadium et Crimthanum, IV Magistri regnum memorant *Concobari Abratroi* filii Finni Poetæ, quem Tigernachus, et Codex hic Stowensis penitus omittunt. Sed hæc diversitas facile conciliatur, omnes enim qui Concobarum istum in Regum Album admittunt, paucis tantum mensibus regnasse, nec linea recta a Regali stirpe originem traxisse fatentur.

Unum de hoc Regum Ethnicorum Catalogo notandum superest, in quo supra declarando p. xlviii, præ nimia festinatione me errasse dolendum est. Conveniunt quidem omnes Catalogi, ut ibi notavi, in numero, ordine, et nominibus Regum Ethnicorum 28, vel 29, ab ineunte æra Christiana ad adventum Patricii.—At Regibus istis *sigillatim* sumptis annos assignans 12m, summam annorum 436 posui pro summa annorum 350, qui verus est calculus, et toto fere sæculo brevior quam tempora S. Patricii, Historica fide suffulta, requirunt.—Vel ergo plures quam 12*m anni* singulis tribuendi sunt, nempe 15½, ad complendam periodum annorum 432, vel plures quam 29 Reges in ista periodo regnasse dicendi sunt, ut anni non plures quam 12m cuique Regi assignentur.

Atqui a vetustis Catalogis discedere nefas est; et regum Christianorum anni, ut supra accurate numerati, non plures quam 12m annos singulis Ethnicis tribuendos esse declarant, nisi forte asseramus Reges Ethnicos potentiores fuisse, et floruisse diutius quam Christiani, quod incredibile videtur.

Quomodo huic difficultati occurrendum sit ignoro, Reges enim Ethnici 33 numerantur ex Tigernacho, et ex vetustis Catalogis, a tempore Ptolomæi Lagidis, ante C. 323, usque ad Christum, et non plures quam 29 inde usque ad adventum Patricii, spatio annorum 432! Attamen, *de certo* scimus Reges Christianos numero 48 regnasse ab adventu Patricii, spatio annorum 590,

---

(1) "Veteres Galli *arc-more* ante mare dicunt, unde *Aremorica*."

(2) Confer Annal. Ulton. p. 150, ubi Agricolæ Synchronus fuisse demonstratur.

usque ad obitum Malachiæ IIdi anno 1022.(1)—Litem dirimant alii. Ego res nostras, utpote in antiquis Codicibus expositas, fideli narratione colligere, et secum conferre ita proposui, ut ab hoc officio discedere vix mihi licere existimem; non agitur enim de cujusvis recentioris opinione, sed de rebus antiquis prout ab antiquissimis exponuntur.—Priusquam autem ad alia progrediar, operæ pretium puto, notam sequentem, Avi mei manu exaratam, ex Flahertei Ogygia in Bibliotheca Stowense servata describere p.108, ut viri in rebus nostris peritissimi conjectura, minime contemnenda, cum antiquorum rationibus conferatur—" *Do thaobh Righe Eamhna ni airbhenn Tigernach " Ruadraighe, Breasal, Conghal-clairingneach, na Fas. na-Fath.—Cuir. an tughdar so* 127 *b. sios " dhibh sin i n Emain.—Fag a muich iad mur fhagus Tigernach, 7 cuirf. sin, do reir moide an leabhar " so, clad. toighe na h Emhna* 226 *bl. ria Cr.* 7 *fagh. sin timcheall* 14 *bl. ag an righ aon ar a ele " dona* 15 *rig righ airbhes Eoch ua Floinn for Eamain go h aimsir Conchobhair m Nessa. Tabartar fo " der gurbe tabhairt na gceithre righ fhuas a steach an sa Reimrioghrc go h iomarcach dhenus* 400 *" bl. othos Righe Chiombaoth go crioch Righe Chonchabair m. Nessa.*" [Quod attinet Reges Eamaniæ, non numerat Tigernach Rodericum, Bresallum, Congallum claudum, aut Fachtnam procerum. Assignat auctor hic (Flaherteus) annos 127 istis quatuor in Eamania.—Omitte autem istos, ut eos omittit Tigernach, et sic habebimus, secundum computum libri hujus, ædificationem Eamaniæ 226 annis ante Christum, idque relinquit annos circiter 14 singulis quindecim Regibus Eamaniæ, quos enumerat Eochodius O'Floinn, a Cimbaetho ad Concobarum filium Nessæ.—Notandum est quatuor prædictos Reges, a Tigernacho omissos, et in librum *Reimrioghraidhe* introductos, efficere, ut 400 anni numerentur ab initio regni *Cimbaethi* ad finem Regni *Concobari* filii Nessæ.] (2)

Hujus conjecturæ rationes et merita perpendant docti; ego antiquorum de Eamaniæ origine traditiones, ex Tigernacho, et aliis, id ad tempora Ptolomæi Lagidis referentibus, jam antea produxi; a quibus discedere me vetat Regum totius Hiberniæ numerus 33 a Cimbaetho ad Christum, et Regum Christianorum Catalogus fide dignus, qui non plures quam *duodecim* Regni annos singulis Regibus tribuendos esse demonstrat.—Quod si objiciatur non plures numerari quam 28 Reges Ethnicos, spatio annorum 432, a nato Christo ad adventum Patricii, quorum singuli ad spatium istud complendum exigunt annos circiter $15\frac{1}{2}$; respondeo, id quidem ita se habere, sed incertum esse quot *interregna* in ista periodo contigerint, et numeros annorum quibus singuli regnaverunt, in Codicibus ita variare, et amanuensium incuria ita esse mendosos, ut nihil aliud statuendum videatur, nisi quod ex variis intervallis, secum invicem collatis, supra statutum est in notis ad Coemani carmen Chronologicum p.xxxix, et infra p. ciii. Adjungo, apud Hibernos olim, Regiæ dignitatis argumentum fuisse, si Provinciarum Reges, et ditionum Reguli, aut eorum Legati, Regis supremi tecta subirent, obsides traderent, et ab eo muneribus et honore afficerentur. At alia erat Regum classis, et conditio, sub quorum ditionem major Regni pars nunquam concessit, qui proinde in vetustis Catalogis omittuntur, unde fit, ut simul perpensa mendorum in numeris apographis frequentia, ne unius quidem Codicis vestigiis, in *singulorum* Regum temporibus ante *Cormaci* tempora enumerandis, insistere possimus, idque unum efficiendum manet, quod supra effectum esse confido,

(1) Supra p. xlv.—Ab *Egberto* Rege Saxonum defuncto anno 838, Reges Angliæ 20 regnavere usque ad Willelmum I defunctum anno 1087, spatio annorum 243; quod singulis relinquit annos plus minus 12.

(2) Vide supra p. xlv.—Non video cur isti quatuor Eamaniæ Reges, ex vetusto hoc Codice Stowense restituti, rejiciendi sint, præsertim cum Reges *Eamaniæ* 19, Regum *Hiberniæ* numero 33 propius accedant, quam 15.

ut eum intervallorum numerum ex Tigernacho, Coemano, et aliis simul concurrentibus eligamus, qui ad celebriora Periodi istius intervalla complenda, et ad Regum ac Regulorum synchronismos chronologica serie assequendos, accommodata esse demonstrantur.

Regum Ethnicorum Catalogus, ex hoc Codice No. IV.

Porro, Regum ordo a nato Christo ad Patricii adventum in Codice hoc No. IV tam accurate exhibetur, (dempta mendosa *singulorum* Regum Chronologia,) ut operæ pretium existimem hanc Codicis partem, a vetustis Catalogis metricis ubique suffultam, Lectorum oculis subjicere, et mea qualecumque auctoritate confirmare.

Fol. 5, col. 1 et 2. *Conarius* primus regnavit a nato Christo usque quo occisus est incendio, in Arce sua *Bruidinda derga.*—II *Lugad Raibnderg.*—III *Cremthand mac Lugaid.*—IV *Coirpre Codadcenn*, ab aliis dictus *Cairbre Caithcheann.*—V *Feradach Fechtnach mac Cremthaind*, ab aliis *Fearadach fionn Feachtnach mac Crimthaind.*—VI *Fiatach find.*—VII *Fiacha Findalaidh m. Feradaich.*—VIII *Elim mac Condrach.*—IX *Tuathal Teachtmar mac Fiacha Findalaidh.*—X *Mal find mac Rochraidhe.*—XI *Feidhlimidh Rechtadh mac Tuathail techmuir mc Fiach findalaidh.*—XII *Cathair h. Cormaic*, ab aliis *Cathaoir mor.*—XIII *Con-cet Cathach*, [Con centum præliorum,] *mac Feidhlimidh.*—XIV *Conaire mac Mogha-lama cliamain Cuind.*—XV *Art mac Cuind c. c. co torcair la Lug. m. Luig. a cath Mucruma*, [Art filius Conni regnavit, donec a Lugadio Mac Con, ex Lugadii filii Ithi semine oriundo, occisus est in prælio Mucrumio]—XVI *Lugad mac Con.*—XVII *Fergus Duibdhedach co torcair la Cormac m. Airt a cath Crinda.* [Fergus niger vestibus regnavit donec occisus est a Cormaco filio Arti in prælio Crinna.]—XVIII *Cormac mac Airt*, alias *Cormac Ulfadha.*—XIX *Eocho Gundat*, ab aliis *Eochoid Gonnat*, [Eochodius discolor,] *mac Fiach, m. Ferguis.*—XX *Cairpre Liffeochair mac Cormaic m. Airt.*—XXI *Ro gabsad na Fothaidh r. c. aen bl. co torcair Fothaid cairptech iarsin las in Foth. n airgtech, 7 do rochairsidhe iarsin i cath Ollarba.* [Obtinuere Fothadii Regnum Hiberniæ uno anno, donec occisus est Fothadius curruum a Fothadio dicto argenteo, et occisus est iste postea in prælio Ollarba.]—XXII *Fiacha Sraibtine m. Cairpre Lifeachair co torcair las na Collaib i cath Dubcomair.* [Fiachus Srabtenius filius Carbrei Liffecarii regnavit donec occisus est a Collais in prælio Dubcomar.]—XXIII *Colla uais co ro nindorb Muiredhach.* [Colla senior regnavit donec pulsus est in exilium a Muredacho.]—XXIV *Muiredhach Tireach m. Fiach Sraibtine co torcair la mac Crunbadhraidhe.*—XXV *Coelbad mac Cruind.*—XXVI *Eocho Muidmedoin mac Muiredhaich Tireach.*—XXVII *Crimthan mor mac Fidhaigh.*—XXVIII *Niall Naighiallach r. n Er 7 iarthair domhain fri re xxvii bl. co rod marb Eocho m. Enda Cendsil.* [Niallus novi-obsidum, filius Achaii Mogmedonii, filii Muredachi Tirii Regis Connaciæ, filii Fiachi Srabtenii, Rex Hiberniæ et occidentalis mundi pro tempore, annis 27 regnavit, donec occisus est ab Eochodio filio Endei Censelachi.]—XXIX *Dathi mac Fiachrach co ro loisc tene gelan a sleb Elpa, con idh do aimseraib 7 do aighedh na Righ sa anuas ro chan Gilla Caeman an Aircedol sa sias H Eriu ard.* [Dathias filius Fiachrachi regnavit, donec, ictu fulminis combustus, interiit apud Montes Alpios. (1) Porro, de temporibus et Regnis Regum istorum cecinit Gildas Coeman carmen hoc historicum quod sequitur,—*H Eriu ard*, &c.]—Sequitur deinde carmen

(1) Vide quæ de Attacottis Hibernis dicta sunt supra p. lxxvii, et S Hieronymi l. contra Jovinian. et ad Ocean. Ep. 83, ubi inquit se Attacottos, gentem barbaram ex Insulis Britannicis, his temporibus, in Gallia militantes conspexisse, &c.

Coemani de Regum Ethnicorum Hiberniæ successionibus, usque ad S. Patricii adventum, lineis 300, versibus 600, quod alibi memoravi. (1)—Hujus carminis ultima disticha ex hoc Codice descripta hæc sunt—

"*Fichi bl. for a seacht do Niall—mar aen ria ro neart,*
"*Ni dolb, os muir nelach—romarb Eocha Cennselach—*
"*Ceithre v mbl. sa tri—ro giall. do neart Nathi.*
"*Ic sliab Elpa napa anarmnan—ro loisc soiged garb gelan.*
"*VII rig dec se xx rig—ria tiachtain Patraic co fir,*
"*O ta Slang n gal n grinn—isselin ri ro gab Erinn.*
"*Els. ard gabais Laegaire—linmur iv bl. bladh brigmar,*
"*Ria Patraic m breithech nam benn—ba ri sretach saer Erinn.*"

Erin Ard, &c.

[Viginti anni supra septem Niallo,—quo nemo antea potentior.
Non falsa hæc. Ultra mare in præliis—occidit eum Eochodius Censelach.
Quater quinque annis et tribus—obsides dati sunt potentiæ Nathii,
Apud montes Alpios, *Napa* dictos,—combussit eum sagitta dira fulminis.
Septemdecem Reges, sexies viginti,—ante Patricium vere,
A tempore Slangii (Regis) Alienigenarum albicomarum—est numerus regnantium de Hibernia.(2)
Supremum dominium obtinuit Laegaire—spatio quatuor annorum fama insignium, potentia ingentium,
Ante Patricium Judicium declarantem in collibus.—Isti fuere Reges vectigalia habentes, Nobiles Hiberniæ.]

Huic disticho postremo subnectitur aliud veteris scholiastis distichon de auctore Coemano, quod supra produxi pag. xxviii; et sic Codex hic quartus, vel potius pars Codicis celeberrimi *Reimrigraidhe*, præclaro exitu terminatur. Desunt quidem, ut dixi, plurima folia tam in fine quam in initio; at ideo præclaram esse assero terminationem hanc, quia hoc poema Coemani, compositum ante ann. 1072, omnibus numeris absolutum, et nitide exaratum, in hoc Codice, melius quam in quovis alio quod hactenus videre contigit plene et perfecte servatur.

In hoc Carmine, æque ac in cæteris Opusculis metricis, Coemanus prope convenit cum IV *Magistris*, cum *Tigernacho*, et cum Opere *Reim Rigraidhe*, in numero, ordine, et nominibus Regum Ethnicorum a Cimbaetho usque ad tempora Patricii. Neque dubito quin eadem Regum series Giraldo innotuerit, uti patet ex ejus Topographia, quæ, quamvis sit misere jejuna, et Anilibus fabulis referta, traditiones tamen istas ita attingit, ut de earum in pluribus convenientia ambigere nequeamus.

Differt quidem a Flanno, a Coemanno, et a IV Magistris Tigernach, qui *Concobarum Abratroum* omittit, et e Regum Albo pariter excludit *Cairbreum Cathceann*, et *Fiatachum Fionn*, asserens Feradachum Crimthano Patri successisse annis xxiii, et Fiatachum Regem fuisse Eamaniæ, i. e. Ultoniæ, non vero Hiberniæ totius.—At Coemanus paulo antiquior est Tigernacho, et Flannus

(1) Supra p. lxi. (2) Vide supra p. xlv, et seq.

qui Coemano antiquior est, inquit "Vespasiano coævi fuere *Lughad-Sriabhndearg*, *Conchobhar* "*Abratho*, et *Crimthan Nia-nair;* quorum primus Lugadius anno quinto Vespasiani decessit.— "Tito et Domitiano coævi *Crimthan Nia-nair*, *Cairbre Caithceann*, et *Feradach*.—Trajano Impe-"rante *Fiatach*, et *Fiach Finnola* Reges Hiberniæ, et post eum *Tuathalius* eodem Imperante reg-"navit."

Rationem discrepantiæ, quatenus Concobarum respicit, supra exposui.(1) Carbreum omittit Tigernach, quia non jure hæreditario, sed per fas, et nefas, Attacottorum insolentia ad regnum evectus, eorum rebellione quinque annis impie regnavit, uti patet ex antiquo Carmine Hibernico "*Aibhinn sin Ere ard*," unde cognomine *Chaith-ceann* (astuti capitis) insignitus est. (2)—Hinc Tigernachus novum hominem, ab antiquis Hiberniæ Regibus alienum, e Regum catalogo rejiciendum censuit, et Feradacho quinque Carbrei annos tribuens, hunc e Regum albo eliminavit.—De *Fiatachi Finni* omissione major est difficultas, Codex enim Ballimotensis convenit cum Tigernacho, uti patet ex nota marginale in exemplari Stowense Flahertei p. 142. Facile confundi poterant duo simul regnantes, quorum unus Rex Ultoniæ *Fiatach Fionn*, alter Rex Hiberniæ *Feradach Fionn* dicebatur.

Priusquam huic Codicis IVti descriptioni finem imponam, ipsa rei gravitas suadet, a proposito alienum esse tacere, omnes Catalogos, et Codices convenire, non solum in numero, nominibus, et ordine Regum Ethnicorum a tempore *Finni mac Cumhal*, vulgo Fingal, verum etiam, in annis *singulorum* Regum spatio annorum circiter 200 ante adventum S. Patricii! Idque præsertim a Regno Cormaci *Ulfada*, qui rerum gestarum laude prædecessores omnes superasse narratur. Catalogum istum, qui procul dubio absque ope literarum servari non poterat, sequenti ordine ex Coemani carmine descriptum, Doctorum arbitrio derelinquo—

CORMAC ULFADHA *mac Airt mc Cuin-cet-cath* regnavit a prælio *Crinna*, (3) xl
EOCHOID GUNNAD *mac Fiach mac Feargusa Duibdedach*. (Hunc omittit Tigernach.) i
CARBRE LIFEOCHAIR *mac Cormaic Ulfadha mc Airt*, *mc Cuind cet-cath* xvi

Huic quidem Tigernachus in Codice Bodleiano fol. 6, col. 3, tribuit annos xxv, ut supra notavi p. xxi, et auctor Operis *Reimrigraidhe* in hoc Codice No. IV, fol. 5, p. 1, col. 2, ei tribuit annos xxvi.—Consentiunt autem prope cum Coemano IV Magistri, et Flaherteus, ei tribuentes annos xvii. Ejus obitum refert Tigernach ad ann. 285, anno nempe uno ante quam Diocletianus Maximianum Herculeum ex Cæsare Augustum creavit, qui fuit procul dubio annus æræ com. 286, Cal. Aprilis, ut scribit Idatius, quo tempore Carausius, Britannia occupata, Purpuram sibi arrogavit. (4) Carbreo regnante *Fin mac Cubhal*, vulgo *Fingal* decollatus est, ut supra demonstravi pag. xx, et gestum est prælium *Gabhranum* prope Temoriam, in quo Carbreus, signis cum Moighcorbo collatis, et singulari certamine cum *Osgaro* filio *Oissini* congressus, Osgarum occidit. Ipse paulo postea a filio Kirbi, in eodem prælio, occisus est anno 285, unde corrigendi sunt numeri 283, quibus, propter Codicis Bodleiani menda, duobus annis erratum est supra p. xxiii, et lii.

---

(1) Supra p. xcix. (2) Vide dicta de *Attacottis* supra p. lxxvii, et ci, et Annal. Ult. p. 152.
(3) Confer Carmen "*Righ Teamhra*" supra p. lxxxviii, cum O'Duvegani Carmine Distichorum 183, quod incipit "*Teamhair na riogh Rath Chormaic*," in O'Duvegani Codice fol. 175, apud Flahert. p. 326, et supra p. xx. Vide etiam quæ de Cormaci scriptis habent *IV Magistri* ad ann. 266, et *Cuan O'Lochan* qui obiit anno 1024, in Codice Stowense No. viii, saltem a 500 annis exarato. (4) Bed. l. 1, c. 6, ed. Cantab. 1722, p. 45.

Duo Fothadii æquali potestate regnavere, anno post Carbreum i

Conveniunt IV Magistri, Gratianus, et auctor operis *Reimrigraidhe* ibidem. Fothadios consulto omittit Tigernach.—Flaherteus omissionis causam recte notat pag. 342. Quamvis enim duo Fothadii, filii Regis Lugadii Maccon, Carbreo æquali potestate successerint, tamen quia singuli, ut explicat Coemanus in Carmine "*A Eolcha Earion airde*," non successive aut alternatim imperarunt, scriptores antiqui, Oligarchiam a Monarchia distinguentes, eos e numero Monarcharum excluserunt. Tres tantum Monarchas de Lugadii filii Ithi progenie antiqui recensent, Achaium Edgatach, Achaium Optach, et Lugadium Maccon, ut notat *O'Duinnius* in Carmine "*Aoibhin sin a Eire ard*" (1)

"*Tri righ chloinne Luigdheach luaidh—Lugh m. Con, cloidhemh ruaidh,*
"*Eoch. Optach, reil a rath—7 Eoch, Ed dhathac.*"

Tres fuere Reges progeniei Lugadii celeris—Lugad Maccon, dictus gladii sanguinei,
Eochodius mortiferus, legitimum ejus Imperium,—et Eochodius indumentorum varii coloris. (2)

Fratrum junior a seniore occisus est. Senior intra vertentem annum a Baisgneis, (3) in Ollarbai prælio apud Moilinne, in Crutheniorum, i. e. Pictorum Hiberniæ regione, eversus, Cailtei pugilis manu, animam fratricido temeratam profudit. (4)

Fiach Sraibtene *mac Coirpri Lifecochair* xxxvii

Eundem annorum numerum ei tribuunt Tigernachus, et IV Magistri. Flaherteus tamen ex Codice Lecano triginta tantum ei adscribit p. 155, et 358.

Colla-Uas *mac Eochoid Doimhlen mc Coirpri Lifeochair* iv

Regnavit a prælio *Dubcomario*, in quo decessor Fiachus occubuit. Prælium istud apud *Crioch-rois* in Bregia, locum Taltinæ finitimum, a tribus fratribus Collais, contra patruum Fiachum gestum, a Dubcomaro Fiachi Druide ibi interempto nomen accepit. (5)—IV Magistri scribunt prælium istud gestum fuisse anno Christi 322. Consentit Tigernachi Codex Bodleianus fol. 7, p. 2, col. 1, si numerum spectes characterum K; sed si Imperatorum synchronismos spectes, prout ab eodem designatos ibidem, annus est 325 vel 326, ut supra notavi p. xxxix, vers. 60, not. 8, et p. lii.—In quatuor annis Collao tribuendis conveniunt omnes Codices, Auctores, et Catalogi.

Muredach Tireach *mac Fiacha Sraibtene* xxx

Conveniunt in annis xxx cum Coemanno, auctor libri *Reimrigraidhe*, in Codice hoc No. IV, item IV Magistri, et Tigernach. Hoc regnante, tres *Collai*, ab Albanico exilio redeuntes, cum Rege Muredacho gratiam inierunt, et Ultoniis in prælio de *Carn-eacha-leth-derg* penitus devictis, Eamaniam everterunt. Deinde Rudriciorum Ultoniæ Regum stirpe ultra Glennrigiam et lacum n Each, in hodiernam Tironiam abacta, amplam ditionem, *Airgiall* et *Oirgiall* Hibernice dictam, Anglice *Uriel* et *Oriel*, hodiernæ Louthiæ, Ardmachæ, et Monachaniæ Comitatuum partem majorem complectentem, sibi et posteris vindicaverunt.

Caolbadh *mac Cruinbharaidhe, mac Eochach Cobha, mac Fiacha Araide* i

---

(1) In Codice Stowense, No. XIV, fol. 23. Obiit *O'Duinnius* anno 1160, ut supra p. xcii. Confer Flahert. p. 342.
(2) De lege colorum vide p. xcvi. (3) i. e. a clientela *Finni mc Cumhail*, ut supra p. xxi et lxxvi, et Flahert. p. 338.
(4) De *Calteo* Pugile vide supra p. lxxvi not. 1. (5) Vide supra pag. xxiii, xxxix, et lii.

Consentiunt in uno anno omnes Codices, Auctores, et Catalogi.—Rudriciorum e domo postremus fuit Rex Hiberniæ, et Muredachi Tirii cæde apud Port-righ, in Daballi Orgialliæ lacus margine, ad regnum evectus est, ut narrat Tigernach, anno postquam Reliquiæ Timothei Apostoli Constantinopolim invectæ sunt. Atqui id evenit Constantio Aug. VIII et Juliano Cæsare Consulibus A. D. 356, ut patet ex Idatio, ergo ex Synchronorum ordine, in Tigernachi Codice Bodleiano fol. 7, Muredach a Caolbadio occisus est A. D. 357.—Id præterea ex ordine characterum K confirmatur; narrat enim Kalendas Januarias eo anno incidisse in feriam IVtam, anno præcedente in feriam IIdam, anno altero in Imam, et anno quo Caolbadius interiit, nempe proximo post obitum Muredachi, Kalendas Jan. in feriam quintam incidisse declarat.—Jam vero Bissextilium rationes obstant, quominus intra 28 annorum spatium, idem feriarum ordo aliter evenire possit, quam annis æræ communis 355, 356, 357, 358; ergo Caolbadii finis, et successoris Eochodii initia, ad annos Christi 357 et 358, ex probatissimorum fide, referenda sunt. Tigernachi cum Coemano consensus, ex intervallorum unius, cum literis ferialibus alterius collatione, tam manifeste eruitur, ut anni ab utroque designati, canones efficiant, et cardines Chronicos, a quibus discedere nos vetant Solis et Lunæ motus, qui, nullo vetusto auctore repugnante, istum intervallorum et feriarum ordinem turbare, nefas esse declarant; et quidem Coemanus *Muredacho* tribuit annos xxx, *Caolbadio* i, *Eochodio* viii, *Crimthano* xiii, *Niallo* xxvii, *Dathio* xxiii, *Laegario* usque ad S. Patricii adventum iv, et adventum istud refert ad annum Christi 432.—Neque hoc solum me movet, verum etiam illud valde notandum, quod in Carmine "*Annalad anal uile,*" Coemanus ipse periodum ab Eamania eversa ad S. Patricii adventum ita distinguit—

Ab Eamania eversa ad obitum *Muredachi* anni sunt xxiv
Inde ad obitum *Nialli naoi n giallach* xlix
Inde ad adventum S. Patricii anni sunt......................................xxvii

Quod si ab hac numerandi ratione, paululum deflexisse contigerit supra p. xxxix, duorum annorum disparitas ignoscenda est, et venia danda antiquitati, atque erroribus amanuensium, quibus difficile fuit, quin tot characterum abbreviationibus implicati, specie recti deciperentur; neque Historicæ veritati officere censenda est parva ista disparitas, a qua nec ipsi oculatissimi in rebus tam vetustis immunes esse possunt.

EOCHOID *Muigmhedon mac Muiredaich Tireach* regnat annis viii

Consentiunt cum Coemani carmine, non solum opus *Reimhrighraide* in hoc eodem Codice Stowense No. IV, verum et Tigernachi Codex Bodleianus, fol. 7, p. 2, col. 2, itemque IV Magistri, et alii omnes.—Atqui temerarii est, et vix sani hominis, quidvis ex libidine vel affirmare vel negare, et sine recta ratione scriptoribus antiquis fidem demere.

Eochodius ex Carinna, Saxonum Regis filia, Niallum magnum genuit, O'Niallorum Satorem, ut scribunt auctores metrici Flan, Coeman, IV Magistri, &c. (1) Atqui Saxones eo ævo, cum Scotis et Pictis sociatos, Britanniam Romanam vastare assuevisse, asserunt Scriptores ipsi Romani,

(1) IV Magistr. Annal. ad ann. 357. De Saxonis confer Bed. l. 1, c. 6, ad ann. 286. Saxo Grammaticus inquit, "*Thoriam* et *Beram* Saxones apud Hiberniam Piraticum munus edidisse anno 330."

Ammianus l. 20, 26, et 27, et Claudianus de laud. Stilichonis l. 2; et quibus communis fuit belli societas, iisdem connubia fuisse, et commercia non infrequentia credendum est.

Illius effectum curis ne bella timerem
Scotica, nec *Pictum* tremerem, nec litore toto
Prospicerem dubiis venturum *Saxona* ventis.

Et iterum— Maduerunt *Saxone* fuso
Orcades, incaluit *Pictorum* sanguine Thule,
Scotorum cumulos flevit glacialis *Ierne*. (1)

Hæc confirmantur ex *Notitia Imperii*, scripta sæculo quinto, unde constat Scotos Auxiliarios a Constantini ævo conscriptos fuisse, ut supra de Attacottis notatum est, et *Comitem litoris Saxonici* institutum fuisse ante ann. 286, ut, " per tractum Belgicæ et Armoricæ, pacandum mare," ab infestantibus Saxonis custodiret.(2)—Inter eos qui Attilæ castra secuti sunt, Scoti numerantur a Sidonio,

Gepida trux sequitur *Scotum* Burgundio cogit. (3)

Sirmundus quidem notat in quibusdam Codicibus pro Scotum legi *Scerum*; hanc autem castigationem, Sirmundo penitus indignam, docti rejiciendam definiere. (4)

CRIMTHAN *mac Feradaig*, alias Crimthanus IIdus, regnat annis xiii

Conveniunt in annis 13 omnes Codices, et Scriptores, tam Metrici, quam Prosaici.

NIALL *mor naoi n giallach mac Eochoid Muighmhedoin*, i. e. Niallus magnus *novi-obsidum* dictus, Regis Eochodii, ex *Carinna* Saxonica, filius, regnat annis xxvii

Consentiunt in annis 27 omnes.—Vide quæ de Niallo dicta sunt supra p. liii et lxxxv.

Nialli anno *nono* S. Patricius ductus est captivus Hiberniam, anno C. 388, ut scribit Florentius Wigorniensis, consentiens cum antiquo scriptore apud Usserium pag. 827 et 873, cujus verba hæc sunt—" Causa primæ peregrinationis, atque adventus Patricii in Scotiam hæc erat, Scottiensis ex-" ercitus classiario more conducta, stipataque multitudine navium, cum frequenter transnavigasset " in Britanniam, multos inde ducebat captivos, et hoc solite faciens, casus tulit ut ipse Patricius " cum sorore sua (Lupita) inter alios captivos duceretur in Scotiam," &c. Eadem habent Auctor Operis Tripartiti ibidem, Jocelinus c. 13, Fiechanus Scholiastes, Fiechus, quatenus inquit S. Patricium fuisse tum annorum 16m, (5) S. Patricius ipse, vel saltem Auctor Confessionis quæ ipsi a tota antiquitate tribuitur, id pariter affirmat, (6) et Marianus in Chronico ad ann. 491.

His temporibus Religionem Christianam in Hiberniam introductam fuisse, patet ex historia Cælestii Scoti, quem Pelagii *Armigerum* appellat Orosius, in Apologia contra Pelagium p. 612. S. Hieronymus in Proœmio libri 3 in Hieremiam Pelagium canem mutum appellat, Cælestium autem

(1) Pangyr. de 4to Honorii Consulatu, v. 33. Confer quæ de *Attacottis* dicta sunt supra p. lxxvii, lxxxvii, ci, ciii.

(2) Eutrop. l. 9. Oros. l. 7, c. 25. Bed. l. 1, c. 6. " Carausius ad observanda litora quæ *Franci* et *Saxones* infestabant." Confer Genebrier Hist. de Carausius prouvee par les Medailles. a Paris 1740, p. 228.

(3) Si Ionii Panegyr. quem Soceri Avito Augusto dicavit—ubi Hunnici exercitus copias enumerat. apud Mataire Corp. Poetar. t. 2, p. 1428, lin. 321. " The bands of Attacots which Jerom had seen in Gaul, were afterwards stationed in Italy and Illyricum." Notitia S. viii, xxxix, xl, apud Gibbon. t. 2, c. 25, p. 530, not. 116.

(4) Usser. Primord p. 584 et 1081. (5) Vide supra pag. xlviii et liii.

(6) Opuscula edita a Waræo, Lond. 1656, p. 11, habet " annos *quindecim*," sed in initio Epistolæ, " Annorum eram " tunc *fere sedecim*. Deum verum ignorabam, et Hiberione in captivitate adductus sum cum tot millibus hominum, " secundum merita nostra, quia a Deo recessimus." Ibid p. 1.

canem *Scoticum*, et *Cerberum*, " Ipseque (Pelagius) mutus latrat per Alpinum canem, grandem " et corpulentum, et qui calcibus magis possit sævire quam dentibus. Habet enim progeniem Sco- " ticæ gentis de Britannorum vicinia." (1) Adversarios despicere suetus, eum ut *Scotorum pulte* prægravatum, uno loco contemptui habere videtur, alio autem *Magistrum* appellat, et *totius exercitus* Pelagiani ductorem, (2) eodem fere modo quo S. Augustinus *acerrimi ingenii* virum asserere non dedignatur. (3) Et quidem argumenta quibus suas doctrinas tueri conatus est, in S. Augustini libro de Peccato Originali servata, ingenii acumen, et dialecticam argutiam luculenter ostendunt.— Suaresius ex Mario Mercatore inquit, Pelagium Romæ Scholam rexisse, ubi Cælestium discipulum habuit, et paulo postea propugnatorem. (4) Ambo nempe ex Britannicis Insulis oriundi, exeunte Sæculo IVto Romam profecti sunt, quo tempore frequens erat non solum militum Scotorum in Romanam militiam conscriptio, (5) verum et frequentissima Monachorum Occidentalium cum Orientalibus commercia, et Romam atque Hierosolymam peregrinationes, ita ut, testante S. Hieronymo, " sub *una Æstate* didicerit Britannia, quod Ægyptus et Parthus noverant Vere." (6)

De Christi fide prædicata Hibernis regnante NIALLO MAGNO, *ante adventum S. Patricii.*

Jamque, quoniam eo oratio progressa est, pauca de fidei in Hibernia exordiis, ordine chronologico delibanda esse, ipsa occasio persuadet. Imprimis itaque, longe ante Nialli regnum, Christi fidem *Insulis Britannicis* denunciatam fuisse scribit Nicephorus. (7) Pomponiam Plautii uxorem Britannam, cujus meminit Tacitus ut "*Superstitionis externæ ream*," Christianam fuisse indicant Lipsius, Rhenanus, Rickius, Ernestus, et Brotier. (8) Claudiam Rufinam, cujus S. Paulus meminit, Britannam fuisse scribit Martialis. (9) Lucium, Regem Britannum, fidem suscepisse annum circiter 176, demonstrant ex Gilda, Orosio, et Beda, Usserius, et Rudborne, (10) et " Britannorum *inac-* " *cessa Romanis loca* Christo subdita" fuisse, asserit Tertullianus, in libro Adversus Judæos c. 7, scripto annum circiter 201.

Atqui hæc indicant a veritate non esse aliena quæ Gildas scribit, " Religionem ab Incolis tepide " susceptam, apud quosdam tamen integre, usque ad persecutionem Dioclesiani, in qua Albanus et " alii plurimi periere," annum circiter 303. (11)—Tres Episcopi Britanni, cum Sacerdote et Diacono,

---

(1) Vide supra p. xviii, xxii, xxvi, xlvi. Scotorum primus meminit Porphyrius Philosophus anno 286, in S. Hieron. Epist. ad Ctesiphont. Vide Holstenii Dissert. de Script. Porphyrii. Romæ 8vo. 1630. De canibus *Scotticis* Romam ad ludos asportatis, vide Symmachi Epist. l. 2, ep. 76. Confer Gibboni Charta Geogr. Imperii Occid. in *Scotia*.

(2) S. Hieron. ibid. Confer Annal. Ult. ann. 756, n. 2, p. 97, et ann. 777, p. 107.

(3) S. Aug. l. 2, contra 2 Epist. Pelag. c. 3, et l. de Pec. Orig. c. 12.

(4) Suarez Dissert. de Orig. Hexapl. et Octapl. (5) Supra p. lxxvii, ci, ciii, cvi, n. 3, et Annal. Ult. p. 152.

(6) Hieron. Epist. 30 ad Oceanum, et 17 ad Marcellam, et Præf. in iv Comment. Jerem.

(7) Niceph. Hist. l. 2, c. 40. Concordat Orig. Homil. 4 in Ezechiel, et Homil. 6 in c. 1 Lucæ, item Theodoret l. 9.

(8) Brotier ad Taciti Annal. l. 13, c. 32, t. 2, p. 121. Rapin. Hist. fol. p. 14, not. 1.

(9) Timoth. iv. 21. Martial l. 2, Epigr. 54, et l. 4, Epigr. 13.

(10) Bed l. 1, c. 4. Exemplar Cotton. Nennii apud Usser. p. 34. Martyrol. Bedæ et Adonis ad viii Kal. Jun. et eorum Chronica, et Chron. Saxon. et Notker ad viii Kal. Jun.

(11) Bed. Hist. l. 1, c. 7, et Martyrol. x Kal. Jul. Venant. Fort. de Virgin. l. 7, carm. 3. Corp. Poetar. t. 2, p. 1739.

Concilii primi Arelatensis Decretis subscripsere anno 314. (1) Ecclesias *Britannicas* cum reliquis totius orbis Ecclesiis in Concilii Niceni fide consensisse, scribit Constantinus Imperator in epistola ad universas Ecclesias scripta anno 325. (2) In Concilio Sardicense, habito anno 347, quosdam interfuisse *Britanniarum* Episcopos, scribit S. Athanasius, (3) et confirmat Hilarius Pictaviensis in libro de Synodis, quem, in Phrygia exul, Occidentalibus et *Britanniarum* Episcopis dicavit anno 358. (4) Ariminensi etiam Synodo Episcopos *Britanniæ* interfuisse anno 359, narrat Sulpitius Severus l. 2do Historiæ, et *Britanniæ* Ecclesias ab Arianismo immunes fuisse, scribunt, una cum Athanasio, Episcopi Catholici Orientales, literis ad Jovianum datis anno 363. S. Chrysostomus in Demonstratione quod Christus sit Deus, " *Britannicæ Insulæ*, inquit, virtutem verbi senserunt, sunt " enim etiam illic fundatæ Ecclesiæ, erecta Altaria."

Hæc sunt perexigua quæ manent fidei vestigia *certa* in Insulis Britannicis, usque ad tempora Pelagii, et Cælestii; et fateor quidem, ante Nialli Regis tempora, nihil ex Antiquis, de fide Christi in Hibernia, constare, nisi ex allato testimonio Chrysostomi. At, his ita se habentibus, difficile fuit, quin ante S. Patricii ævum, fidei rudimenta ad Hiberniam e Britannia pervenirent. Scotorum enim irruptiones plurimas, in Britanniam Romanam sæculo IVto factas, memorant ipsi Romani æque ac Hibernici Annales. (5)—Tres ingentes indicat Ammianus ad annos 343, 360, et 364, et quartam ad annos 368 et 369, regnantibus in Hibernia *Eochodio Muighmhedon*, et *Crimthano* 2do.

Anno nempe Crimthani tertio, Christi 369, Theodosius Hispanus Comes, Theodosii senioris Augusti pater, *Pictos* et *Scotos*, in Britanniam Romanam fœderatos, et *Lundinium* vastantes, domuit, et terras ab eis recuperatas, linea inter Clotham et Bodotriam æstuaria ducta, *Valentiam* vocavit. (6) Hinc Claudianus in Panegyrico de tertio Consulatu Honorii, Carm. 7, v. 55—

Scotumque vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas. (7)

Quintam Scotorum in Britanniam irruptionem, regnante Niallo magno factam, notant Scriptores Romani, quo tempore Maximus, arrepta Purpura, Pictos et Scotos superavit anno C. 382. (8)

Sextam notant ad annum sequentem 383, quo Maximus militares Britanniæ copias, quæ nunquam postea redierunt, abduxit, et Britannia, ut scribit Gildas, " duabus primum gentibus transma- " rinis vehementer sævis, Scottorum a *Circio*, (9) Pictorum ab Aquilone calcabilis, multos stupet " gemitque annos."—Hanc *primam* appellat Gildas, non simpliciter, ut patet ex aliis prioribus,

---

(1) Labbe Concil. t. 1, p. 1430.

(2) Constantini Epist. apud Labbe t. 2, p. 263. Euseb. in Vita Const. l. 3, c. 18. Socrat. l. 1, c. 6, l. 5, c. 21, et Theodoret l. 1, c. 10, l. 8, c. 25.—Desinit Eusebii Chronicon in anno hoc. (3) Athanas. Opera Græco-Lat. t. 1, p. 560.

(4) Hilarii famam inter Britannos indicat tempus *Hilary-term*, *Hilary-point* prope *Holyhead* in Angleseia, et Venant. Fort. l. 5, v. 219, 230, l. 7, v. 18, l. 9, v. 20, Epigr. l. 6, Epigr. 7, et l. 8, Epigr. 1.

(5) Vide supra p. xviii, lxxvii, lxxxvii, ci, ciii, cvi, Annal. Ult. Annot. p. 151, et Ammian. l 20, not. b, p. 233.

(6) Symmac l. x, Epist. 22 ad Theodos. Aug. Hinc Latinus Pacatus Drepanius in Panegyr. ad Theodos. Aug. inquit—" *Reductum ad paludes suas Scotum loquar?*" Confer Rapin l. 1, p. 22-3 cum Ammiano.

(7) Eadem est incursio quam notat Ammianus l 27, c. 8, l. 28, c. 3, et Claudian in IV Cons. Honor. v. 33, supra p. cvi.

(8) Tiro Prosper, alias Gennadius in Chronico, ed. Scaliger. p. 49, quem sequitur Sigebertus in Chron. ad ann. 384.

(9) " *a Circio*," i. e. ab Occidente, ut, eadem ex Gilda referens, interpretatur Fabius Ethelwerdus, et Florentius ad ann. 388. Item *Du Cange* in Glossario; Venant. in Vita Martini, l. 2, v. 76; et Matth West. ad ann. 417, p. 81.—Confer Plin l. 2, c. 47, ed. Harduin t. 1, p. 97, not. 11, et *Facciolati* Lexicon.

memoratis ab Ammiano, sed quia prima fuit trium *calcationum*, quæ dirissimæ erant, ut in verbis proxime sequentibus Gildas ipse declarat. De eadem calcatione Mattheus Westm. inquit—" Cum " igitur tanta calamitas Maximo nunciaretur, misit Gratianum cum duabus legionibus, qui hostes " in *Hyberniam* fugaverunt." Matth. West. Francofurti 1601, p. 76.

Atqui difficile fuit quin, tot annorum spatio, tot hominum millibus ex Hibernia in Britanniam migrantibus, fides Christiana, in Britannicis Ecclesiis ab origine culta, non esset Hibernis ante Patricii tempora denunciata, ut Jocelinus, et longe ante Jocelinum Prosper Aquitanicus, et Patricius ipse testatur. (1)—Quod si nullum de hac re testimonium afferri posset, præter ea quæ de Cælestii Patria dicta sunt, ea quidem per se sola sufficerent, nam nullos in Britannia Scotos novit Ptolomæus, nec ullos memorat Ammianus, nisi eos quos, cum Pictis fœderatos, Eumenius *Hibernos* appellat, quosque ex Hibernia, *propria Scotorum patria*, in Britanniam Duce Riada migrasse narrat Beda, et Claudianus amplissimo testimonio confirmat. Quos enim *Pictos* et *Hibernos* Britanniæ hostes memorat Eumenius, (2) *Pictos* et *Scotos* appellat Ammianus, et de iisdem Scotis Claudianus inquit,— Totam cum Scotus *Iernen*,

Movit, et infesto spumavit remige Tethys. (3)

Scotorum cumulos flevit glacialis *Ierne*. (4)

Ex Scotis qui Britanniam migraverunt, S. Patricium oriundum fuisse, plurima persuadent. Antiquissimi enim, qui eum Britonem, utpote in Britannia natum, appellant, *Hibernensem* fuisse, et nomine *Suc-cat* a parentibus imposito baptizatum testantur; quod non solum Sigebertus, et Florentius, Jocelino priores, (5) sed et carmen vetus Hibernicum sæculi sexti, a Fiecho Slebhtiense compositum confirmat.—Fiechi quidem vetus scholiastes nomen *Suc-cat*, lingua Britannica, fortem bello significare inquit; at *Britannica* in textum mendose irrepsisse pro Hibernica, res ipsa declarat, cum voces istæ sint plane Hibernicæ, et passim in Codicibus nostris inveniantur.—Deinde, oppidum vetus *Alcluith*, hodie Dunbarton, juxta quod S. Patricius natus est, Arx fuit Hibernica, eo ævo munitissima, et nomine Hibernico designata, uti narrat Beda, et Beda antiquior Adamnanus. (6) Arcem istam in Hibernorum regione Albanica, dicta *Dalriada*, sitam fuisse, plane patet ex vetustissimis Scriptoribus invicem collatis, et cum Beda consentientibus, qui Scotorum Albaniæ limites Australes a Britonum limitibus Borealibus, flumine Cluido interluente, divisos fuisse testatur. (7) Et quidem ibi terminatum fuisse vallum quod Scotos a Romanis discludebat, consentiunt Horsleus, Camdenus, Usserius, et Roy; et extremam Romanorum Provinciam, *quarto fere ante natum Patricium anno*, a Scotis et Pictis recuperatam, Theodosius Comes, limite inter æstuaria producto munivit. (8)

Ista gessit Theodosius anno 369, et Patricius Christianis Parentibus natus est, regnante in Hibernia Crimthano, ut ex vetustis codicibus, nullo vetusto auctore repugnante, scribit Florentius in Chro-

(1) Prosperi Chron. ad ann. 431. Bed. l. 1, c. 13. Opuscula Patricii edita a Waræo, ex Codice Cottoniano annorum 800. Lond. 1656. Commercia inter Britannias et Gallias frequentia cantat Venantius in Vita S. Martini l. 3, c. 1, v. 5. (2) Eumen. Panegyr. ad Const. Cæsar. anno 291, supra p. xviii et xlvi.

(3) Claud. de Laud. Stilich. l. 2, v. 251. Confer Gervas. in x Scriptor. p. 1635.

(4) Claud. de 4to Honorii Cons. lin. 33.

(5) Sigeberti Chron. ad ann. 394. Mattheus Floril. ad eundem ann. et ad ann. 491, " S. Patricius cum esset *natione* " *Hibernensis*." Hibernensem fuisse scribit Baronius ad ann. 431 et 491.

(6) Vide Glossar. nostr. Topogr. voce *Alcluith*. (7) Bed. l. 1, c. 1. Huntingdon p. 308, et supra p. xviii.

(8) Vide supra p. cviii. Ammian l. 28, c. 3. edit. Vales. p, 524. Claudiani *Ierne* est ubique Hybernia. l. 2, de Cons. Stilich. v. et not. 251, p. 363, et v. et not. 33, p. 113. ed. Delphin 1677. Symmac. Ep. 22, l. 10.

nico ad annum 372. (1) Conveniunt in Parentibus Christianis ipse Patricius, et discipulus Fiech, et Probus, et Anglosaxonicum Exoniensis Ecclesiæ Martyrologium, et duo alii vetusti Scriptores in Codicibus Bodleianis, et Cantabrigiensibus, apud Usserium p. 822, et Fiechi Scholiastes, et Jocelinus, qui omnes *Conchessam*, S. Patricii matrem, S. Martini Turonensis sororem, vel sororis filiam, et Presbyterum *Calpurn*, filium *Foditi* Diaconi, S. Patricii patrem fuisse scripsere. (2) Manifesta fidei ante suum adventum propagatæ vestigia, S. Patricium in Connacia invenisse, tradit Jocelinus, "Altare mirandi operis, habens in quatuor angulis quatuor calices vitreos in specu subterraneo."(3) Fidem in Hiberniam ante sua tempora invectam fuisse, scribit Patricius ipse. (4)—Et quidem Pelagium *Monachum* fuisse, et *Britannum*, pluries narrat S. Augustinus; (5) colubrem *sermone Britannum* Prosper; (6) *Britonem* Beda; (7) et Gennadius de Cælestio inquit,—" Antequam Pelagianum dogma incurreret, imo adhuc adolescens, scripsit ad Parentes suos *de Monasterio* Epistolas, in modum libellorum tres." (8)

Ex his sequitur tam literarum, quam fidei rudimenta, et Monachorum instituta, Hibernis nota fuisse, dimidio saltem sæculo, antequam vel Nynias Pictis Australibus,(9) vel Palladius aut Patricius Hibernis mitterentur. Prosper coævus de Palladii missione scribens, " Ad Scotos in *Christum credentes*, primum Episcopum missum fuisse" inquit, anno 431; unde etsi nullum Episcopum ante annum istum Hibernis prædicasse concedamus, plures tamen Hibernos eo ævo fide Christi imbutos extitisse patet, e quorum cætu fuere Cælestius et socii, quos Imperatores Honorius, Theodosius, et Constantius, et Papa Cælestinus ex tota Italia expulerunt, antequam vel Palladius, vel Patricius ab eodem Cælestino in Hiberniam mitterentur. (10) Cælestium ex Italia pulsum Britanniam redisse scribit Baronius, et alii apud Norrisium, (11) idque ex Prosperi libro contra Collatorem c. 4, ubi, cum illum a Cælestino ex Italia pulsum dixisset, ejusdem Pontificis gesta contra Pelagianos prosecutus, subjungit, "nec segniore cura ab hoc eodem morbo *Britannias* liberavit, quando quosdam " inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, et ordinato " *Scotis* Episcopo, dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram (i. e. " Insulam Hiberniam) Christianam."—Idem, in Chronico ad annum 429, inquit—" Agricola Pelagianus, Severiani Episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ, dogmatis sui insinuatione corrupit, " sed ad actionem Palladii Diaconi, Papa Celestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice " sua mittit, et deturbatis Hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit."—Denique ad annum

---

(1) Conveniunt rationes omnium veterum, qui Sexagenarium fuisse scribunt anno adventus 432, et captivum factum fuisse anno *ætatis* 16, Nialli Regis Hiberniæ *nono*, qui fuit Christi 388. Confer Florent. ad ann. ist.

(2) Florent. Wigorn. ad ann. 372. Hibernice—" *Succat mac Calpuirnd mic Otidhe*," ut in Fiechi Carmine Hibern. Triad. p. 1,—" Ante baptismum vocabatur *Maun*." Nen. c. 56, p. 113.—" In baptismo *Suchat*, a S. Martino *Magonius*, a Cælestino *Patricius*." Sigebert ad ann. 432.

(3) Jocelin c. 107. Vide quæ de Vitreis Calicibus dicta sunt Annal. Ult. Annot. p. 167-8.

(4) Opuscula p. 20. Se pervenisse ait ad partes Hiberniæ " ubi nemo Ultra pervenerat qui baptizaret."

(5) S. Aug. De Hæres c. 88, De Gest. Synodi Palæstinæ c. 35. Vide Testimonia Chrysostomi, Isidori, Orosii, Photii, apud Garnerium not. ad Mar. Mercat. et apud Norris. Hist. Pelag.

(6) Prosper de Ingrat. c. 1, et iterum c. 34, item in Chron. ad ann. 413.

(7) Bed. Hist. l. 1, c. 10, et in chron. ad ann. 411. *Britannicum* Orosius Apol. p. 598.

(8) Gennad. de Vir. illustr. c. 44.

(9) Bed. Hist. l. 3, c. 4.

(10) Apud Norris. Oper. t. 1, p. 137, 139, 197, et 217. " Cælestium magis ac magis ex urbe pelli mandamus." Constant. Imp. Præfecto Volusiano.

(11) Ibid p. 304.

ab hoc alterum de Palladio adjicit—" Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a Papa Cælestino " Palladius, et primus Episcopus mittitur."—Accedit Bedæ narratio de Germani et Lupi primo adventu in Britanniam anno C. 429, cum qua concordat testis oculatus Constantius in Vita Germani.(1)

Dum hæc paulo attentius perpenderem, et veteres atque recentiores æqua lance conferre curarem, tota quæstio de ipsis fidei Christianæ in Hibernia exordiis, a duobus secum consentientibus ita pendere visa est, ut id primo Arianis debeatur, secundo Pelagianis. *Arianis* quidem, quia, fervente ista controversia, ansam præbere SS. Hilario Pictaviensi, et Martino Turonensi, ut Scotos quosdam, in exercitibus Romanis in Gallia militantes, S. Martino pariter militanti notos, et a suis Monachis ad fidem conversos, mitterent Hiberniam ante natum Patricium anno 372. *Pelagianis* postea, quia, fervente eorum controversia, ansam præbere Papæ Cælestino ut Palladium et Patricium Episcopos mitteret, ad eos *Scotos in Christum credentes*, quos S. Martini Monachi converterunt.

Britanniam ab Arianis infectam fuisse, annum circiter 378, narrat Beda ex Gilda, et ex utroque Usserius. (2) Atqui nihil magis consonum, quam acerrimos Arianorum impugnatores, Hilarium et Martinum,(3) quosdam misisse Monachos, qui veterem doctrinam vel intactam servarent, vel corruptam ad pristinam integritatem revocare conarentur.—Hinc origo monasteriorum Britanniæ et Hiberniæ, in quibus Pelagius et Cælestius prima fidei rudimenta didicere. Monachorum enim instituta in Occidente ignota fuere, ut scribit S. Hieronymus, antequam a S. Athanasio, et ab Eusebio Vercellense, ex Ægypto et Syria, in Italiam introducta pervenissent. (4) S. Martinus Turonensis primus fuit qui Monachismum ex Italia, et ex Insulis Tyrrheni Maris, invexit in Galliam, anno 361.(5)—Atqui inde in Britannicas Insulas primitus invectum fuisse, omnia vestigia de Nynia, Pictorum Australium primo Apostolo, et de S. Patricii Parentibus manifeste confirmant. Sulpitius Severus, testis oculatus, de S. Martini Monachis inquit, " plures ex his postea *Episcopos* vidimus. Quæ enim esset Civitas aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet Sacerdotem ?" (6) Postea disciplinam brevi ita amplificatam subjungit, ut ad Martini exequias *duo millia* Monachorum convenerint anno 401. (7) Atqui horum nonnullos Britannos fuisse, plane indicant quæ de *Nynia*, Australium Pictorum Apostolo, narrat Beda, et quæ de Patricio, et de Patricii Parentibus omnes antiqui cum Fiecho, Tirechano, Ultano, Sigeberto, Florentio, et Mariano Scoto scripsere.—Tanta fuit Martini et Hilarii in Insulis Britannicis celebritas, ut anni tempora statuta, Montes, Promontoria, et Ecclesiæ vetustissimæ eorum nominibus honestarentur.(8) " Nynias sedem Episcopatus (Candidam-" casam) *S. Martini nomine insignem* condidit," referente Beda, annum circiter 412. (9)—Erat, eodem referente, " prope civitatem Cantii Ecclesia, *in honorem S. Martini* antiquitus facta, dum

---

(1) Bed. l. 1, c. 17. Const. l. 1, c. 19. Concilium Gallicanum, a quo Germanus, Lupus, et Socii, in Britanniam adversus Pelagianos missi fuere, habitum est circa Autumnum anni 429, Coss. Florentio et Dionysio, ut patet ex Prosperi Chronico. Id etiam ex vetustissima Vita Lupi erudite collegit Baronius, et Norris. Oper. t. 1, p. 305.

(2) Bed. l. 1, c. 8. Primord. p. 197. (3) Venant. Carmen de Vita S. Mart. Corp. Poetar. t. 2, p. 1697.

(4) S. Hieron. scribens de Marcella in Epist. 16 ad Principiam; S. Ambros. Epist. 82; S. August. de Morib. Eccl c. 33; Confess. l. 8, c. 6; Mabillon Annal. t. 1; et Norris. ibid.

(5) " Mediolani sibi Monasterium (primo) statuit. . . . Inde ad Insulam *Gallinariam* secessit . . . nec multo post, " Hilario ab exilio redeunte, (anno 360,) haud longe sibi ab oppido (Pictaviæ) Monasterium collocavit." Sulp. de Vita Martini, Paris 1571, fol. 192. Hoc primum fuisse Galliarum Monasterium conveniunt omnes cum Mabillonio.

(6) Ib. fol. 194. (7) Ib. fol. 210. (8) Vide supra p. cviii. (9) Bed. Hist. l. 3, c. 4.

"*adhuc Romani Britanniam incolerent* in qua Augustinus et socii primo convenire, psallere, orare, "Missas facere, et baptizare solebant."(1)—Annos *a transitu* S. Martini putabant non raro Anglo-saxones æque ac Galli. (2)—Jam vero ætas Martini senilis convenit cum Patricii juventute; prima enim ejus captivitas, ut supra monui, referenda est, regnante in Hibernia *Niallo magno*, ad annum C. 388; et S. Martinus, annos natus 17, in militiam adscriptus est anno 332, ut recte scribit Sulpicius c. 1; extat enim rescriptum de Veteranorum filiis conscribendis datum "*Coss. Pacatiano et Hilariano*." Cod. Theod. l. 7, tit. 22.—Secundam captivitatem, a Patricio ipso pariter memoratam, refert Usserius ad annum 397. Atqui Rex Hiberniæ *Niallus* Britanniam cum classe infestavit annis 393 et 396. Anno enim regni 14to, "Coss. *Theodosio III et Abundantio*, Scotos a "Circio, et Pictos ab Aquilone vastavisse Insulam Britanniam," narrant Florentius et Marianus Scotus, et classis Hibernicæ ad Britanniam annum circiter 396 appulsæ, meminit Claudianus in libro 2do de laudibus Stilichonis.— Totam cum Scotus *Iernen*,
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.

Itaque e Britannia expulsi anno 393, rediere anno 396.(3) At iterum a Stilichone repulsi, Hiberniam redire coacti sunt anno 397, ut scribit idem Claudianus libro 2 in Eutropium, et in Epithalamio Paladii et Celerinæ, æque ac in Carmine de Bello Getico, quem supra memoravi.(4) Tum Stilicho, vallo inter æstuaria restituto, Britanniam adversus Scotorum et Pictorum incursiones, Legione ad limites relicta, munivit.—Hac Nialli expeditione, quæ ad ann. 396 et 397 referenda est, S. Patricium secunda captivitate in Hiberniam ductum fuisse, omnes suadent temporum rationes, omnia indicant vestigia, et sua ipsius verba in Confessione, licet non parum depravata, demonstrant. (5) Ejusdem captivitatis, "*quam senis decies diebus pertulerat*," meminit Maccuthenus apud Usserium p. 834, æque ac Probus, Evinus, Jocelinus, et alia Vita vetusta quæ extitit in Bibliotheca Societatis Jesu Ingolstadii, apud Usserium p.1093.—Mire conveniunt quæ de prima Patricii servitute narrantur, durasse enim annis *septem* scribunt omnes.—"Gentilis enim ille "populus (inquit Evinus, Triade p.120) solebat servos *septimo servitutis anno* manumissos libertate "donare." Eadem habet Jocelinus c.16. Atqui anni *septem* numerati ab anno captivitatis 388, efficiunt annum 395, quo Britanniam rediit, et unus huic adjunctus, efficit annum 396, quo iterum captus est, ut ipse in Confessione testatur.

His ita secum consentientibus, nescire me fateor, qua temporum vel locorum ratione vetamur, cum vetustis scriptoribus asserere, S. Patricium cum Avunculo suo Martino xl *diebus* commorasse Turonis anno 401, præsertim cum Sanctus iste non nisi *tertio Id. Novemb.* anni 402 obiise demonstratur. (6) S. Patricium S. Martini discipulum fuisse, scribit Mabillonius Annalium l. 1,

---

(1) Bed. ib. l. 1, c. 27. Confer eruditam Dissert. F. Chiffleti, "De S. Martini Turonensis temporum ratione," cum Petavio de doctrina temporum l. 11, c. 47, p. 206, et Sever. Sulpic. Varior. p. 492.

(2) Chifflet ibid. Memoires de Trevoux ann. 1765. Chron. Saxon. p. 103, lin. 25; 106, lin. 21; 109, lin. 16; 121, lin. 24; et passim postea. "Ninia obiit apud Candidam Casam anno 432, quo S. Patricius Hiberniam intravit." Smith in not. 28 ad Bed. l. 3, c. 4, p. 106. (3) Socrates, l. 7, c. 12. Zosim. l. 4.

(4) Vide supra p. cvi et cix, et quæ de Niallo dicta sunt p. xlv, liii, lxxxv, ciii.

(5) Opuscula edita a Waræo, Lond. 1656, p. 8, lin. penult. in Exemplari præstantissimo Stowense, in quo notæ marginales ipsius Waræi manu scriptæ, notandæ sunt. Confer Usser. p. 827, et seq. cum Mariano ad ann. 395.

(6) Confer Memoires de Trevoux, ann. 1765, p. 1238, 1269, cum Sever. Varior. Elzivir 1665, p. 492, not. 2.

c. xi, p. 6; et iterum l. viii, c. 3, p. 207, " Monasticos ritus in Gallia, primum quidem in S. Mar- " tini majori Monasterio, tum in Lirinensi didicit."

Romam adeuntem anno 402, Monachos Hibernos, Albeum, et socios, Cælestii coævos, obvios habuisse quid vetat? Id narrant Vitæ vetustæ Albei, Declani, Ibari, Ciarani, et aliorum istius ævi, editæ a Capgravio et Bollando. Id " *antiquissima Carmina Hibernica, in libro Ballimotense, et in Actis S. Patricii laudata,*" confirmant.(1) Fateor quidem a nostris Annalibus Ibari obitum referri ad annum 500, et Albei ad 527. Declanus etiam in ejus Legenda decessisse fertur post Albeum, et Ciaranus valde senex, a S. Finniano Cloonardense sacras literas didicisse narratur; ita ut horum in Hibernia labores, *non ante S. Patricii adventum*, sed ad tempora paulo recentiora referri debere, Waræus sua auctoritate statuendum esse censeret, idque præsertim, quia Auctor vetus Vitæ Ibari narrat discipulum fuisse Mocthei Lowthensis, qui fuit S. Patricii discipulus, (2) et Albei Legenda narrat eum a Roma rediisse anno quo David Mænevensis natus est, qui fuit æræ communis 460.

At, Legendarum numeros non esse ab omni macula immunes plurima persuadent, et Albei reditum a Roma Hiberniam consignant Wareus, Usserius, et Harrisius ad ann. 412. (3)—Fidem Annalium nostrorum quod attinet, ab Ultoniensium rationibus discedere nequeo; et quidem, perpensa Monachorum sæculi quinti longævitate, quorum plures ad annum usque 130 vitam produxere, et consideratis eorum itineribus Romam atque Hierosolymam repetite factis, nihil obstat quominus S. Patricius Monachos istos obvios habuerit in Italia inter annos 401 et 432. Plurimi S. Martini discipuli eodem tempore Romam et Hierosolymam petiere, ut Eros et Lazarus, quorum opera Pelagius et Cælestius in Synodum Diospolitanam in Palæstina acciti fuere anno 415. (4) Monachorum veterum longævitatem notant omnes, quotquot de eorum moribus scripsere.

Hibernos præsertim valde longævos fuisse scribit Mabillonius.(5) Columbanus in carmine ad Fedolium edito a Goldasto et aliis,(6) de se ipso inquit, " Nunc ad *Olympiadis tersenæ* venimus annos," unde sequitur annum *nonagesimum* tum attigisse, quo tempore carmen istud composuit. " Neque hoc insolens apud Scotos, inquit Mabillonius, ut ex S. Galli ætate liquet, et ex ætate S. Cummiani Episcopi."—Cummianus iste annos natus *amplius nonagintaquinque*, tempore Luitprandi Regis, in Bobiense Monasterio vitam absolvit, ut patet ex alibi dictis, ubi ejus sepulcrum ab isto Longobardorum Rege ornatum, adhuc in Italia extans indicavi.(7)

Plures Monachos Hibernos ad annum ætatis 130 pervenisse, narrant Annales nostri. (8) Celebris est in oppido Sliguntino in Connacia memoria Eleonoræ O'Conor Comitissæ Desmoniæ, quam ad annum ætatis 140m pervenisse, scribunt Walterus Raleigh, et Baconus.(9) Bucananus Lauren-

(1) Verba sunt ipsius Usserii, (Primord. p. 790,) cujus tempore Regula Monastica Albei Hibernice scripta extabat. Annal. Ult. ad ann. 756, p 97, not. 2. De Codice Ballimotense vide supra p. xiv. Albeum hunc *Imlecensem* nonnulli confundunt cum Albeo Senchuense qui obiit anno 515. (2) Annal. Ult. ann. 537, et Adamnan. Præf. ad Vit. Col.
(3) Ware's Bishops, p. 491. Usser. Primord. p. 1094.
(4) ".Eros Vir Sanctus B. Martini discipulus." Prosper ad ann. 412.—" Coepiscopi nostri Galli, Eros et Lazarus." S. Aug. De Gest. Pelag. p. 77. (5) " Scotti diutius vivunt." Mabil. Annal. t. 1, p. 753.
(6) Goldast. Parenetici Veteres. Mabil. ib. l. xi, c. 17, p. 308.
(7) Annal. Ult. Annot. p. 176 et 182, et Mabil. Annal. t. 2, l. xx, c. 54, p. 67. Ughelli Ital. Sacr. t. 4.
(8) Annal. IV Magistr. ad ann. 554, 656.
(9) Ralegh Hist l. 1, c. 5, § 5, p. 166. Walpole's Inquiry into the age of the long-lived C. of Desmond; et Pote's Account of Windsor Castle. Lodge's Peerage.

ti cujusdam Scoti meminit, qui suo ævo uxorem duxit post annum ætatis 100m, et eundem in naviculo, et sævissimo mari, piscatum prodiisse scribit, anno ætatis 140.(1) Plinius de longævitate agens, exempla hæc adducit recentissimi census, quem, intra quadriennium, Imperatores Cæsares Vespasiani Censores egerunt, "120 annos Parmæ tres edidere; Brixelli unus 125; Parmæ duo 130; "Placentiæ unus 131; Faventiæ una mulier 135; Bononiæ L. Terentius Marci filius 150; Arimini "M. Aponius 150; Tertulla 137. Circa Placentiam in collibus oppidum est Veleiacitum, in quo "110 annos sex detulere, quatuor 120, unus 140. Ac ne pluribus moremur in re confessa, in "regione Italiæ octava, centenum annorum censi sunt homines 54; centenum denum homines 14; "centenum vicenum quinum homines duo; centenum tricenum homines quatuor; centenum tri- "cenum quinum, aut septenum totidem; centenum quadragenum homines tres." (2) Ejusdem lustri meminere Censorinus et Suetonius.(3) S. Maclovius S. Brendani discipulus, a quo civitas *S. Maloe* nomen obtinuit, obiisse fertur anno ætatis 133. (4) Centena alia proferri possent, si per tempus liceret; non quibus mihi vel aliis persuadeam nullum in manuscriptorum numeris mendum irrepsisse, sed ne forte, ad censuras proni, dum emunctæ naris nos esse credimus, et aliis perspicaciores, vitia effugere conantibus, in contraria currere contingat.—Ciaranus quidem in ejus Legenda tribus sæculis vixisse narratur! At, nullatenus in animo est Legendas, etsi veteres, anilibus fabulis refertas, obtrudere vel laudare.(5) Quid enim verum atque decens curo et rogo. Sed quoniam nonnulla in iisdem *in confesso* vera sunt, alia dubia, temperate potius cum vetustis codicibus conferenda, quam absque ulla investigatione, vel labore, pigra et cæca oscitantia rejicienda existimarem.

Potuit Ciaranus, qui exeunte sæculo IVto natus est, et vixit toto Vto, et parte VIti, tria sæcula vidisse, etsi vitam non protulerit ultra annum 520. Difficultatem in eo sitam esse fateor, quod frequentaverit Scholam Finniani Cloonardensis, ut narrant antiqui apud Capgravium et Bollandum. Conciliantur autem omnes si Scholam istam ineunte sæculo sexto inchoatam asseramus. Antiqui enim qui Ciaranum Scholam istam frequentasse narrant, valde senem tum fuisse declarant. Recentiores quidem Finniani Scholam inchoatam referunt ad ann. 540. Sed auctor vetus Vitæ Ciarani junioris inquit, *puerum* eandem Scholam frequentasse, quod et vita antiqua Finniani ipsius apud Usserium et Capgravium testatur. Atqui Ciaranus junior obiit anno 549, ac proinde non puer, sed vir maturus Scholam istam adiisset, si non ante annum 540 inchoata fuisset, quod plane repugnat. Præterea S. Columba *juvenis* eandem Scholam frequentavit, (6) et Columba natus est anno 522. (7) Brendanus Findlogæ filius, cujus nativitas incidit in annum 484, in eadem Schola eruditus est. (8) Denique Scholam Cloonardensem anno 520 jam institutam fuisse, alibi indicavi, (9) et utriusque

---

(1) Bucanan Rer. Scot. l. 1, p. 37. Lond. 1690. (2) Plin Hist. Nat. l. 7, c. 49. Harduini t. 1, p. 40.

(3) Censorin. de Die Natali c. 18, p. 100. Varior. Lugd. Bat. 1767. Sueton. in Vespasiano c. 8 et 61, et nummi antiqui apud Gruter. Confer Phlegonis Tralliani opus de Longævis cum "Sir W. Temple's Essay on Health and long Life."

(4) Gallia Christ. t. 1, et Vita Machuti ex Libro Bili Levitæ, apud Leland Collect. vol. 2, p. 430. Obiit anno 565, vel 570.—De Brendano Birrense diverso a Cluanfertense Findlogæ filio, vide Annal. Ult. Annot. p. 125, et Inisfal. ad ann. 479. Confer Usser. p. 955 et 1064 cum Adamnani l. 3, c. 3 et 15.

(5) Vide quæ de Vitis SS. dicta sunt ex Gibbono et Montesquieuio, Annal. Ult. Annot. p. 192.

(6) Annal. Ult. Annot. a p. 124 ad 132.

(7) Columba natus est anno 522. Confer not. 5 supra p. xl, cum Beda l. 3, c. 4, et Adamnan. l. 3, c. 5.

(8) Annal. Ult. Annot. a p. 124 ad 132. (9) Ibid.

Ciarani nomina desunt in pervetusto Catalogo Sanctorum Hiberniæ 2·*li ordinis*, qui ab anno 540 floruere, (1) quod argumento est ambos ad *primum* Sanctorum ordinem spectare, et ante annum istum obiisse, ut et Annales Hibernici declarant.

Ex his omnibus sequitur, plurima posse in rebus Hibernicis studio et diligentia conciliari, quæ nimia damnandi libido inter fabulas amandavit; nec minus timendum esse ne cæca arrogantia quæ vera sunt rejiciamus, quam ne cæca superstitione quæ falsa sunt et spuria recipere contingat. In rebus obscuris secernendis studiorum subsidio opus est; nec enim rectus ordo, nec ratio ulla Chronologica, absque Scientiarum adminiculo subsistere potest. Huc refero Codicum Manuscriptorum Collationes, quæ ad veteres Auctores emendandos valde conferunt, et in quibus Historici Hiberni parum hactenus insudarunt, quamvis sit potissimum studium cui impendere debeant ad Reipublicæ literariæ emolumentum.

Gildæ Vastationes conciliantur.

Una adhuc manet, eaque non levis difficultas, quæ, ad prædictas temporum rationes cum vetustissimi Gildæ testimonio conciliandas, indiget ut paulo diligentius ad trutinam revocetur. Dixi primam Gildæ Vastationem referendam esse ad annum 388. Beda autem istam Vastationem referre videtur ad annum 410.(2) At, a doctissimi viri auctoritate in hac re discedendum esse, tria certissima persuadent.—1mo. Quod Bedæ rationes pendeant ab *unico* Gildæ testimonio, cujus ipsa verba adducit. Atqui Gildas in animo non habuit chronologiam texere, sed tantum vitia et infortunia Britonum perstringere, ac proinde plura miscet, quæ, temporum ratione disjuncta, studio et labore legentium separanda sunt.—2do. Gildæ verba ipsa, a Beda producta, primam istam vastationem referunt ad annum quo Maximus, abductis e Britannia copiis, occisus est, et Ricardus in libro de Situ Britanniæ, et Ado Viennensis cum Gilda concordant.(3)—3tio. Maximus occisus est Aquileiæ anno C. 388.(4)

Primam vastationem *multis annis* durasse, narrant Gildas, Beda, Ordericus, et alii omnes. (5) Ethelwerdus eorum auctoritates sic explicat—" Picti ab Aquilonali plaga, et Scoti ab Occidentali " contra eos (Britannos) cum exercitu, vastantes eorum possessiones; et sic per *multa annorum* " *spatia* innumerabili eos miseria afflixerunt." Auctor Glossæ adjectæ Codici Cantabrigiensi Gildæ adjungit " Quia Scotti tunc temporis in Hibernia habitabant, et Picti in Scotia i. e. ab Aquilone."(6)

Matthæus Westmonasteriensis duas vastationes distinguit, quarum una evenit paulo post Maximi discessum anno 283, " quæ calamitas cum Maximo nunciaretur, misit Gratianum Senatorem cum duabus legionibus, qui hostes in Hyberniam fugaverunt." Altera post Maximi obitum evenit, quam Gildas *primam dirissimam*, Matthæus *dirissimam ac diutinam* appellaverunt.

Falluntur ergo omnes qui, ad *primam* reprimendam, subsidia a Romanis *paulo post Maximi necem* missa fuisse opinantur.(7) Obstant enim Gildæ et Bedæ auctoritates, quæ *diuturnam* fuisse

(1) Catalogum istum edidit ex vetustis Codicibus exteris Sirinus in Collectan. Sacr. et ex duobus Britannicis postea Usser. p. 914.

(2) Gildas c. xi. Bed. Chron. ed. Smith p. 25, et Hist. l. 1, c. 12, p. 49. Orderic. ib. l. 1, p. 358. Matth. West. Flores Francofurti 1601, p. 76.

(3) Ricardi Corinensis l. 2, c. 1, et Ado in Chron. in Biblioth. PP. tom. 7, p. 353.

(4) Petav. De Doctr. Temp. l. 13, ad ann. 388, p. 431.

(5) Orderici Vital. Hist. l. 1. edit. Andr. Du Chesne Paris. fol. 1619, p. 358.

(6) MS. apud Usser. p. 593.

(7) Smith Appendix V ad Bed. p. 672.

ostendunt. Ordericus plane narrat durasse usque ad annum xivm Theodosii, quo S. Hieronymus librum *De Illustribus Ecclesiæ Viris* absolvit.(1) Atqui Theodosius imperare incepit anno 379, et Hieronymus, absoluto supplemento quod Chronico Eusebii adjecit, quodque perduxit ad annum 378, "*Coss. Valente Aug. vi, et Valentiniano Aug. ii,*" librum de Scriptoribus perduxit ad annum 392, quo librum istum Dextro Præfecto Prætorii dicavit, "*Coss. Arcadio Aug. ii, et Rufino.*" (2) Ergo nulla subsidia in Britanniam missa fuere ante annum 393, quo iteratam Scotorum vastationem factam in superioribus annotavi, ac proinde nihil ex Scriptoribus Romanis adduci potest, quo rationes Chronicæ, hactenus ex nostris Annalibus allatæ, possint vel infirmæ vel invalidæ demonstrari.

Narrata prima vastatione c. xi, Gildas ad primam liberationem in sequente descendit, eamque factam inquit, *Legione una missa a Romanis.* Eadem a Beda, ex Gilda, et quidem Gildæ verbis, narrantur. Itaque prima vastatio duravit usque quo Legio ista pervenit. Atqui nullibi apparet istam, vel aliam quamlibet, missam fuisse ante annum 393. *Chrysanthus* quidem *Britanniarum Vicarius*, exeunte Theodosii Imperio, *res Britannicas magna cum laude administrasse* dicitur, annum circiter 393, quo Theodosius Honorium ad Imperium sibi associavit. (3) At, hæc nihil aliud ostendunt, nisi aliquid a Chrysantho splendide gestum fuisse ante obitum Theodosii, annum circiter 395. Gildas Scotorum invasiones e locis transmarinis *anniversarias* fuisse scribit, (4) unde sequitur expulsos licet a Chrysantho anno 393, quod prorsus incertum est, nisi est falsum, rediisse anno 394; aliud enim est paulisper repellere, aliud penitus expellere et debellare.

Præterea, *Vicarii* officium civile erat, neque exercitum ei ducere licuit, (5) et quamvis concedamus id impedire non potuisse, quominus, rebus Imperii difficilimis, eo meliori quo possit modo Reipublicæ saluti consuleret, inde tamen non sequitur Legionem istam missam fuisse ante obitum Theodosii anno 395. Imo vero a Stilichone missam fuisse, patet ex Claudiani libro 2 de laudibus Stilichonis, ac proinde non antequàm Occidentalis Imperii Gubernacula, moriente Theodosio suscepit. Sub Honorio enim Augusto, Theodosii successore in Occidente, Claudianus Britanniam ita canentem introducit—" Illius (i. e. Stilichonis) effectum curis, ne bella timerem *Scotica*, ne *Pictum* " tremerem, &c."(6)

Narrata prima liberatione, res Britannicas prosperas fuisse scribit Gildas, donec Legione ista revocata, priores inimici iterum rediere. Atqui Legio ista revocata fuit a Stilichone ad oppugnandum Attilam anno 403, (7) et iteratam Hibernicam Britanniæ invasionem designant Annales Hibernici ad annum æræ communis 405. (8) Iidem Annales, et omnes Regum Hibernorum Catalogi antiqui, tam metrici quam prosaici, qui etiam ad vetustiora monumenta appellant, tradunt Regem Hiberniæ

(1) Orderic. ibid. (2) Isti Consules consentiunt cum anno 391, ex Fastis apud Petav. Doctr. Temp. t. 2, p. 433.
(3) Socrat. l. 7, c. 12. Horsley p. 74.—Theodosius obiit anno 395 ex Fastis.
(4) Gildas c. xiii. " Ardgathelia ita dicitur, quasi margo Scotorum, sive Hibernensium. Ibi enim semper Hibernenses applicare solebant ad dampna facienda Britannis."—Descr. vet. Albaniæ ex Codice Colbertino apud Innes Crit. Ess. vol. 2, Appendix p. 768, 771, et Nennius ed. Bertram p. 102, c. 2, et p. 142. Item Annal. Ult. Annot. p. 151-2.
(5) Notit. Imper. ed. Labbei Sect. xix, Le Beau.
(6) Claudian ib. et in libro 2 in Eutropium qui Consulatum gessit anno 399, item de Bello Get. et in Epithal. Palladii et Celerinæ.
(7) " Venit et extremis Legio prætenta Britannis—Quæ Scoto dat frœna truci."
(8) Eandem incursionem notavit Usserius ex Annalibus Hibernicis dictis Connaciæ, ad eund. ann. 405.

Niallum magnum, dictum "*naoi n giallach*," occisum fuisse in expeditione transmarina ad litus maris *Ictii*, *anno regni* 27, qui fuit Christi 405-6, et Ordericus 2dam vastationem refert factam "*mox* " ut discessere Romani." Atqui *mox* non sinit ut ultra annum differatur, ac proinde cum Annalibus Hibernicis 2dam vastationem referre cogimur ad annos 404, 5, et 6. Denique id indicat rebellio qua Romani milites (remissi procul dubio a Stilichone post prælium Polentianum) primo Marcum, postea Gratianum Municipem, et demum Constantinum, uno eodemque anno 406, sibi Imperatores in Britannia constituere. Gildas enim, narrata 2da vastatione capite 13tio, 2dam liberationem sic narrat capite 14to, " Itemque (1) mittuntur queruli Legati.... At Romani, commoti tantæ historia " tragoediæ, *accelerantes*, æmulorum agmina propere trans maria fugaverunt, quia *anniversarias* " avide prædas, nullo obsistente, trans maria exaggerabant."

Ex his sequitur errare Usserium, et ejus imitatores, qui *primam* a Gilda memoratam vastationem referunt ad annum Christi 422, et *secundam* ad 425.(2) A Blondo in errorem inductus, doctissimus vir tempora parum accurate distinguit. Ordericus utramque vastationem plane refert ad antequam Bonifacius primus ad Romanæ sedis Pontificatum eveheretur.(3) Atqui Bonifacius ad Pontificatum evectus est, " *Honorio xii, Theodosio viii Coss*," i. e. anno C. 418, quo Solis defectio facta est, " *xiv Kal. Aug. fer vi, hora viii*," referente Chronico Alexandrino, (4) et tabulæ astronomicæ indicant Eclipsim istam incidisse in annum 418, die Aug. 19, feria 6, hora 12, 25′ 52″ a media nocte, Romæ digit 11½, cujus et Idatius et Marcellinus in Chronicis suis pariter meminere.

Hæc sunt quæ de S. Patricii ortu, et primis itineribus, et de fidei in Hibernia ante ejus adventum initiis dicenda proposui, ut Annalium nostrorum auctoritas, conciliatis inter se temporum rationibus, Gildæ et aliorum veterum testimoniis simul collatis, vindicaretur. Omnia conciliare quæ auctores Hibernici de viro venerando scripsere non est animus, cum plura fabulosa falsaque sint, et plura quæ falsa demonstrari nequeunt, vera tamen ostendere humani ingenii vires excedat.—Cardines quosdem Chronicos indicasse sufficiat, quibus positis, principaloria collimant, et veterum testimonia, *in rebus præcipuis*, secum constare dignoscuntur. Sic, cum Florentio ortum Patricii refero ad annum 372. *Primam* captivitatem, qua a classe Hibernica Hiberniam ductus est, refero cum Auctoribus Vitæ 2dæ, 3tiæ, et 4tæ in Triade, cum Vita Tripartita apud Usserium, cum Florentio, et Mariano, et cum Patricii ipsius Confessione, ad annum *ætatis* 16m, Nialli Regis Hiberniæ *nonum*, Christi 388. Liberationem ejus, *septimo* servitutis anno, cum iisdem refero ad annum 395.(5)

Secundam captivitatem, qua iterum a classe Hibernica ductus est Hiberniam, *sexaginta dierum* fuisse refero cum Maccutheno, a qua *post duos menses* liberatum fuisse, scribit author vitæ tertiæ in Triade, c. 18. Deinde, quæ minora sunt et incerta prætermittens, in Galliam transiise, et cum S. Martino 40 diebus commorasse, et inde Romam profecisse anno 402, omnium Chronographorum consensu declaravi.

(1) Mihi videtur in textu *it'dem* legendum. Agitur enim de Legatione 2da.
(2) Primord p. 1096, ex Blondo, Sabellico, et recentioribus.
(3) Ordericus ibid p. 358-9.
(4) Alias Chron. Paschale in Scriptoribus Byzant. cura C. du Fresne t. 4. Venet. 1729, p. 247. Confer L'Art de V. les Dates, t. 1, p. 231.
(5) Confer quæ de Veritate Missionis S. Patricii dicta sunt p. xlix.

Itineribus *septennio* continuatis, " Gallias atque Italiam, et Insulas quæ sunt in mari Tyrrheno," perlustrasse, ipse in Confessione sua testatur; itemque Tirechanus, qui Confessionis verba adducit apud Usserium p. 835, et Ultanus, qui totum peregrinationum spatium, xxx annorum fuisse confirmat, usque ad annum 432.—Quod si *septem* primos peregrinationum annos addamus anno 402, ad annum perveniemus Christi 409, annum antequam Roma ab Alarico capta est, et si istis 409 alios *novem* addamus, perveniemus ad annum 418, quo S. Germanus ad Episcopatum evectus est.

Atqui S. Patricium, antequam S. Germanum proficisceret, *annos novem* in quadam Insula egisse, scribunt Probus, et Auctor Vitæ tertiæ in Triade, et vetus auctor Vitæ MS. in Bibliotheca Ingolstadense apud Usserium p. 835, et Tirechanus ibidem. Fiechus rem eandem asserit, quatenus innuit eum in maris Tyrrheni Insulis mansisse, priusquam ad Germanum transiret. (1)

Do faidh tar Ealpa uile—de mhuir, ba hamhra reatha.
Con idh fargaibh la German—an deas an deisciort Leatha,
An innsibh mhara Torrian—ainis indibh ad rimhe,
Leghais canoin la Geraman—is eadh ad fiadhad line.

Profectus est trans Alpes omnes—trans maria, felix expeditio!
Et sic mansit cum Germano—in Australi parte Latii,
In Insulis maris Tyrrheni—mansit uti memoro.
Legit Canones cum Germano—uti testantur acta.

Jam vero Insulas Tyrrheni maris Monachis refertas fuisse ante annum 400, scribit S. Hieronymus, de Fabiola dicens—" Peragrabat insulas, et totum Etruscum mare, Volscorumque Provinciam, et " reconditos curvorum litorum Sinus, in quibus Monachorum consistunt Chori." (2) Undenam vero hæc inter Hieronymum et Fiechum mira rerum et temporum convenientia? Uterque convenit cum Rutilio, et Sulpicio Severo, et Patricius ipse se " Gallias, atque Italiam, et Insulas Tyrrheni maris perlustrasse" testatur, quo tempore floruit ejus condiscipulus Sulpicius, idem a quo Britannos et Hibernos Canonem suum Paschalem annorum 84 derivasse scribit Alcuinus.(3) Id a Sulpicio acceptum refertur ad annum 410, quo, Roma ab Alarico capta, et cessante cum Ecclesia Alexandrina Romanorum commercio, (4) *Paschalis centum annorum laterculus* primum conscriptus est, in quo, licet a librariis pessime accepto, Cycli Hibernici annorum 84 vestigia non obsura deprehenduntur. Iste enim laterculus, a Bucherio ex antiquissimis Codicibus editus, a vetere Latinorum Cyclo annorum 84 eodem modo distabat, quo Cyclus Hibernicus; in hoc nempe, quod non a 16ta Luna ad 22dam, sed a 14ta ad 20m Paschales Dominicas numeraret. (5)

---

(1) Ex pervetusto Codice Hymnorum, de quo vide supra p. lxviii. *Tamarensem* Insulam eam appellat Auctor Vitæ 3tiæ, Triade p. 23, c. 22, *Arelanensem* Tirechanus apud Usser. p.835. Vita MS. in Biblioth. Ingolstadii, " In *Tamurensi* Insula annos *novem*." Ibid.—Fuit ista, ni fallor, *Camaria*, haud procul ab Arelatensi Metropoli ad ostia Rhodani, vel forte *Capraria*, de cujus Monachis scribit Rutilius Ethnicus l. 1, Itiner. Confer Ughellii Ital. Sacr. t. 4, cum Annal. Ult. ad annos 745, 766, 771, 777, 779, 805, et p. 156, et Holstenii Præf. ad Regulas Antiq. Monast.—Lirinense Monasterium conditum est anno 400. Norris Oper. t. 1, p. 897.

(2) Hieron. ad Ocean. Ep. 30.

(3) Alcuin Epist. ad Geruntium Cornubiæ Ducem inter Bonifacianas No. 44. S. Paulinus Nolanus inquit Sulpicium seipso juniorem [illegible] anno 392. Epist. 11, n. 6.

(4) Concilium Nicænum præscripsit ut Romani ab Alexandrinis rationes Paschales derivarent, et aliis Ecclesiis traderent.

(5) Bucher Comment. in Canonem Pasch. Victorii c. 14, p. 252, et 259.

Extat quidem *Cummiani Alti* Epistola ad Segienum Abbatem Hiiensem, scripta anno 634, in qua Hibernos redarguens, qui Anatolii auctoritate numerationem suam Paschalem prædictam defendebant, inquit—" ad veram Paschæ rationem nunquam pervenire eos, qui Cyclum (Hibernicum) an-" rum 84 observant, cujus *auctorem*, *locum*, et *tempus* incertum declarat, diversumque ab eo fuisse " quem S. Patricius Papa noster tulit, et fecit, in quo a 14ta usque in 22dam regulariter, et Æquinoc-" tium a 12ma Kal. April. observatur."(1)

At, quamvis hæc veritatem Missionis S. Patricii ostendant, ut alibi indicavi, (2) alium tamen Cyclum, a vetere Hibernico Sulpicii Severi diversum, a S. Patricio in Hiberniam introductum fuisse minime demonstrant. Mabillonius quidem scribit S. Patricium ordinasse ut more Romano Hiberni capillos tonderent, et Pascha celebrarent. (3)

Id autem a doctissimo viro descriptum est ex Codice Canonum Patricii, Auxilii, et Issernini, cujus vetustissima exemplaria, memorata in Bibliotheca nostra Hibernico-Cottoniana, Canones istos S. Patricii nomine editos fuisse indicant sæculo VIImo vel VIIIvo, ut novi ritus eo facilius ejus auctoritate introducerentur. (4) Cummianus, bonus vir, confundit passim ea quæ Romæ *suo tempore* observata videbat anno 634, cum antiqua traditione Apostolorum, quamvis Alexandrinum calculum, ab eo laudatum, non modo post Marci, sed etiam post Dionysii Alexandrini Episcopi tempora, in Alexandrinam ipsam Ecclesiam introductum, et non nisi *sexto sæculo* a Romanis receptum fuisse constet. Habemus itaque Cyclum veterem Hibernorum, a Sulpicio Severo S. Patricii condiscipulo inventum, et ad Hibernos ab eodem fonte derivatum, unde et Christianæ Religionis exordia derivanda esse demonstravi.

Sanctos enim Hibernos tam *primi* ordinis, ab initio usque ad annum 540, quam *secundi*, ab anno 540 ad annum 700, Pascha celebrasse eodem ipso modo quo Britones, illustre S. Columbæ exemplum satis superque demonstrat, (5) et vetustissimus sanctorum utriusque ordinis Catalogus, editus a Sirino et Usserio, id expressis verbis, et amplo testimonio confirmat. (6) Æddius quidem, testis coævus, statum controversiæ in Synodo Pharense propositæ anno 664, ita explicat in Vita Wilfridi, —" Utrum more Brittonum, et Scottorum, et omnis Aquilonalis Britanniæ, a 14ta luna, Dominica " die veniente, usque ad 22dam Pascha agendum, an more Romano a 15ta ad 21mam." At, error in numeris irrepsit, cum pro 22 reponendi sunt 20, ut non modo Wilfridi ipsius verba, (7) verum etiam res ipsa per se luculenter ostendit. Hoc ut clare pateat, placuit rem paulo altius repetere, et breviter ac dilucide explicare.

Status Controversiæ Paschalis inter Hibernos et Romanos.

In festo Paschali rite observando, imprimis necessarium habebant antiqui, ut *die Dominica* perageretur, quæ primum plenilunium post vernum Æquinoctium, i. e. diem lunæ 14tam sequebatur. Itaque duobus Cyclis opus erat, quorum unus Dominicam proderet, alter plenulium, seu lunam

(1) Sylloge Vet. Epist. No. XI.
(2) Supra p. xlviii, xlix, et Annal Ult. Annot. p. 155-6.
(3) Mabil. Annal. t. 1, l. 8, c. 3, p. 207. Waræi Opusc. p. 43.
(4) Canones istos edidit Spelman t. 1, Concil.
(5) Bed. l. 3, c. 25.
(6) Collectanea Sacra.
(7) Bed. l. 3, c. 25; item l. 2, c. 2 et 4; et l. 3, c. 17. Ubi in Beda quoque pro xxi lege xx.

14tam post Æquinoctium. Ecclesia Alexandrina ad id efficiendum Cyclo Metonico annorum 19, vel ante imperium Diocletiani, utebatur, ut patet ex Eusebio l. 7, c. 32. Hac enim periodo putabant Solis et Lunæ motus iterum in concordiam redire, ab eodem loco, seu die mensis, unde anno 19no præcedente progressi erant.

Et quidem Anni Solares 19 efficiunt dies 6939, horas 18; et Anni *Lunares* 19, quorum septem erant embolimi,(1) dies efficiunt pariter 6939, horas 16, 32′, 27″, 18‴, ita ut, ad Solare tempus assequendum desit hora 1, 27′, 32″, 42‴, quæ differentia facit, ut post annos 304, lunationes anticipent horis 23.

At, etsi hæc ita prope conveniant spatio annorum 304, non tamen idem feriarum ordo ab eodem capite, singulis Cyclis 19 revertentibus, instaurabatur. Hinc aliud systema excogitaverunt Latini, quo non modo Solis et Lunæ cursus ad idem caput redirent, sed etiam in easdem ferias inciderent, idque Cyclo annorum 84, ex tribus Solaribus Cyclis conflato, quibus absolutis, eædem feriæ cum iisdem Lunationibus procul dubio recurrunt.

Latinos sæculi quarti Dominicas Paschales, istius Cycli ope ita designasse constat, ut ejus initium ab anno C. 382 dinumerandum rediret. Prosper enim in Chronico ad annum istum inquit—" Antonio et Syagrio Coss. Finis Cycli quarti, et exordium quinti."—Idem de primo monuit ad annum 298, " Incipit Cyclus Paschalis, qui annis constat 84, et post annos 84 ad eandem legem revertitur." (2)

In eo itaque conveniebant cum Romanis Hiberni, quod ambo Cyclo utebantur annorum 84; sed non inde sequitur eandem fuisse utriusque gentis in praxi methodum, nam et Judæi ab antiquo festivitatem Paschalem Cyclo annorum 84 designabant, æque ac Romani.—Diversitas in eo erat, quod Romani istius ævi, et ævi sequentis, quo Patricius Hiberniam pervenit, Dominicas Paschales observabant, ætate Lunæ numerata, non a 15ta ad 21mam lunationem, ut postea recepto Cyclo Alexandrino, sæculo sexto, sed a 16ta ad 22dam.(3)—Cyclus hic Lunaris annorum 84, Solarem totidem annorum periodum, *die una*, et horis *ferme septem* excedit. Annus enim Lunaris *simplex* est dierum 354, hor. 8, 48′, 38″, 10‴, uti indicat Keplerus, et annus *embolimus* Lunaris est dierum 383, hor. 21, 32′, 41″, 20‴. Atqui, diviso Cyclo Lunare 84 in sex minores annorum 14, in quolibet eorum anni sunt novem *simplices*, dierum 3189, h. 7, 17′, 43″, 30‴, et quinque *embolimi*, dierum 1919, h. 11, 43′, 26″, 40‴, et omnes simul continent dies 5108, h. 19, 1′, 10″, 10‴, qui numerus sexies ductus dat, in

(1) Embolismus est superexcrescentia Anni Solaris supra Lunarem, vulgo *Saltus Lunæ*.—Bucherius ex Fastis Anonymi, et aliis vetustis Laterculis Cycli 84, primum Cycli annum embolimum constituit, postremum simplicem p. 430. Anni embolimi continent dies 384, exceptis annis ejusdem Cycli 36 et 60, qui, unius diei exhæresim passi, continent dies 383. Anni simplices sunt dierum 354, exceptis annis 12, 24, 48, et 72, qui ob Lunæ saltum manent dierum 353. Hinc, in toto Cyclo Lunare 84, numerantur dies 30,660, tot nempe quot continent anni Solares Juliani, demptis diebus Bissextilibus 21, qui in Cyclis in numerum non veniunt.

(2) Prosperi Chron. ed. Andr. du Chesne Script. Franc. t. 1, p. 201, et in Labbei Bibl. MSS. t. 1, p. 26, et 47.

(3) Innocentius I in Epist. 14ta ad Aurelium, Dominicam Paschalem anni 414 designat, quo novilunium Paschale incidit die 7 Martii, h. 2, 21′ post meridiem, unde Luna 16ta incæpit labente die 22 Martii Dominica. Epist. Decretal t. 1, part 2, p. 62. ed. Romæ 1591, et Victor Aquitan apud Petav. de Doctr. Temp.—Bucherius hunc Latinorum Cyclum tot Patrum Latinorum testimoniis illustrat, ut de ejus ordine et methodo *a luna 16ta ad 22dam* nullus dubitandi locus occurrat.

annis 84 lunaribus, dies 30,652, h. 18, 7′, 1″, et cum sexta, seu postrema divisio, sextum mensem *embolimum* contineat dierum 29, h. 12, 44′, 3″, 10‴, efficit ista sexta divisio ut integer Lunaris periodus annorum 84, contineat dies 30,682, h. 6, 51′, 4″, 10‴. At Anni Solares Juliani 84 continent dies 30,681, ergo Lunaris periodus Solarem excedit die 1, h. 6, 51′, 4″, 10‴. Hinc, *bidui* inter Latinos et Ægyptios differentia, quam Cyrillus in Cyclorum suorum prologo designat. "Lunam quam "illi (Latini) 3tiam, vel 16tam, vel 23tiam impropriè nuncupant, hanc S. Theophilus 1mam, vel "14tam, vel 21mam, cœlo demonstrante, confirmavit."(1) Hanc differentiam notavit Cyrillus in ea periodo annorum 84, quam Prosper *quintum* Cyclum appellat. In integro enim Prosperi Chronico quod edidit Labbeus,(2) ad Consulatum Fausti et Galli, Imperante Diocletiano, qui nostræ æræ annus est 298, ait—"Finis Cycli tertii, quartique principium," et rursus ad Consulatum Antonii et Syagrii anno 382, "Finis Cycli quarti, et exordium quinti."

Latini hunc Cyclum adhibentes, Solis Lunæque cursus, ac feriarum ordinem ad idem caput redire arbitrabantur. Et quidem quod ad ferias attinet, rem plane consecuti sunt; unde in Fastis Anonymi, primus cujusque novi Cycli annus a die Saturni exorditur.(3) Ita ad annum C. 214, a quo Prosper *tertium* Cyclum dinumerat, incipit Cyclus a die Saturni; eaque periodo annorum 84 evoluta, ad annum 298, iterum dies Saturni primo anno apponitur, intermediis Kalendarum Januarii feriis et lunationibus ita ad eandem legem recurrentibus, ut initium cujusque Cycli a die *Saturni*, et lunatione *prima*, exhaustis in præcedente periodo Epactis omnibus, deduci animadvertamus.

Porro, differentia major erat inter rationes Solares et Alexandrinas. Præter enim dictum numerum dierum 30,682, continebant etiam *horas paulo plusquam* 13, ac proinde Solarem periodum annorum 84 excedebant die uno, et horis paulo amplius 13. Præcipua autem inter Latinos et Ægyptios disparitas in eo erat, quod Latini terminos Paschales biduo diversos statuebant, neomeniam citimam Paschalem a die 5to Martii extendentes, spatio dierum 29, ad diem 3tium Aprilis. Alexandrini vero citimam ab 8vo Martii numerantes, tardissimam in diem 5tum Aprilis proferre assueti erant. Latini limitem mensis Paschalis sistebant in die Aprilis 23. Alexandrini in die Aprilis 25. Hæc est *bidui* discrepantia quam Sulpicius in sua emendatione designavit.

Ut hæc dilucide innotescant, sciendum est, in veteri Lege statutum fuisse, ut mense primo anni Ecclesiastici, dicto *Nisan*, et die 14to mensis istius Lunaris, i. e. die plenilunii *ad vesperam*, Phase Domini, et *die* 15*ta*, incipiente a Solis occasu diei 14tæ, Solemnitas Azimorum celebraretur; die nempe Anniversario quo Israel ex Ægypto eductus est. (4)—Hanc temporis Paschalis rationem Christus suo exemplo confirmavit. Ad 2dam enim Vesperam Lunæ 14tæ, tunc in feriam 5tam incidentis, Pascha cum Discipulis incipiens celebrare, *die* 15*ta* in feriam 6tam incidente verus Agnus immolatus est.(5) Cum autem non nisi tertia die resurrexerit, Apostolica traditione statutum

(1) Apud Bucher p. 483-4. (2) Labbe Biblioth. MSS. t. 1.

(3) Hos Fastos ex Codice vetustissimo Cæsareo edidit Norrisius Oper. t. 2, p. 595. Eos autem descripsit Auctor vetus Anonymus anno C. 354, currente Cyclo illo quem Prosper *quartum* appellat, quamvis fuerit revera primus. Id autem a Prospero *proleptice* dicitur, ut ad Epochæ Christianæ initium, Cycli istius usum accedere efficeret.

(4) Levit. xxiii. Exod. xii. Numb. xxviii. Christus crucifixus est paulo post *horam 6tam*, (Johan. xix, 14,) i. e. paulo post meridiem, et obiit paulo post *horam 9nam*, (Matth. xxvii, 46, 50,) i. e. 3tiam post meridiem, qua Agni Legalis oblatio fiebat. Exod. xii. Eadem 6ta die qua passus est Christus, Pascha fuit commune cum Christo et Judæis.

(5) Matth. xxvi, Marc. xiv, Luc. xii, concordante Johanne, uti demonstrat Baronius ann 34, n. x, p. 37.

est, Lunam 14tam primi mensis ad vesperam ita expectari debere, ut *una Sabbati*, alias *prima Sabbati*, i. e. die Dominica, Pascha Christianorum fieret; et quia dies hebdomadæ non pari passu cum Luna procurrunt, insuper statutum est, ut, adveniente Luna 14ta, Dominica proxima in aliquo sequentium septem dierum usque ad 21mam expectaretur, neque cum Judæis ante Æquinoctium celebrandum esse, (1) neque alium quam 21mum Martii pro die Æquinoctii habendum. Luna itaque 14ta, illucescens vel ipso Æquinoctii die, vel proxime postea, erat Luna Paschalis, et Dominica proxima pro Dominica Paschali habebatur.

At, variare poterat luna 14ta variis annis a die 21mo Martii ad diem 18vum Aprilis. Si enim neomenia incidisset in diem Martii 8vum, tum luna 14ta incideret in ipsum Æquinoctii diem 21mum, qui si esset dies Sabbati, dies subsequens esset Dominica Paschalis citima quæ posset evenire, si enim esset Dominica, tum Dominica subsequens expectanda esset. Quod si neomenia Martii incidisset in diem 7mum mensis, tum luna 14ta incideret ante Equinoctium, die 20mo, et non esset luna Paschalis, sed subsequens luna expectanda esset, cujus Novilunium incideret in diem 5tum Aprilis, spatio dierum 29 a novilunio præcedente, et luna 14ta Paschalis tum incideret in diem 18vum Aprilis, qui si esset Dominica, non posset Pascha celebrari usque ad Dominicam sequentem, i. e. diem 25tum Aprilis, quæ tardissima erat meta Paschalis, juxta Cyclum Victorii et Dionysii, quem Latini sæculo septimo receperunt, ut patet ex Beda, qui inquit "initium mensis Paschalis ab 8vo Martii ad 5tum Aprilis esse desumendum,"(2) quod notare debuit Sirinus.(3) Antea enim limitem mensis Paschalis statuebant Romani in die Aprilis 23, neomeniam Martii *biduo* inchoantes ante Ægyptios, ut constat ex laterculis Victorii, in quibus dies Paschalis anni 387 " 14ta Kal. Maii *Luna 16ta*" designatur.

Eo anno S. Ambrosius, Ægyptios secutus, Pascha celebravit Mediolani *vii Kal. Maii*, i. e. die Aprilis 24to; Latini autem *xiv Kal. Maii*, i. e. die Aprilis 18vo, ut colligitur ex Laterculo vetusto Paschali centum annorum, quod terminavit anno 411, in quo duo Paschata signantur, *xiv Kal. Maii juxta Latinos; vii Kal. Maii juxta Ægyptios*.(4) Judæi eo anno Pascha egerunt, testante Ambrosio, die 20 Martii, qui fuit dies Sabbati, et 14ta luna mensis Nisan, juxta Calendarium Judaicum Hileli. Latini autem Pascha celebrare abhorrebant, ante Dominicam primam post plenilunium quod vel in die Æquinoctii, vel proxime postea illucescebat, ac proinde Pascha celebrarunt ut supra, die 18vo Aprilis, et quamvis anno isto luna 14ta Martii incidisset, juxta Alexandrinos, in Dominicam, et diem Aprilis 18vum, juxta Romanos tamen ætas lunæ 16ta habebatur, cum Neomeniam Martii *biduo* inchoarent ante Ægyptios.

Sulpicius itaque cum vidisset a Romanis *lunam 16tam* numerari, quæ Alexandrinis erat tantum 14ta, Romanum errorem emendandum censuit, ita ut non amplius a 16ta ad 22dam lunam, sed a 14ta ad 20mam Dominicæ Paschales numerarentur.

---

(1) Canones Apostol. Can. 8; Lequien Dissert. Damascenicæ, Dissert. 6; et Calmet ad Evang. Matth.
(2) Bed. De Rat. Temp. c. 49. (3) Collectanea Sacra p. 120.
(4) Apud Bucher, c. 14, p. 252—259, Comment. in Canon. Pasch. Victorii. Confer S. Ambros. Epist. Latinorum Pascha nunquam excessit diem Aprilis 23tium ante annum 455, quo Leo I, pacis studio Ægyptios secutus, Pascha celebravit die Aprilis 24, id ægre ferente Prospero, ut in fine Chronici quod integrum edidit Labbe Biblioth. MSS. t. 1. Confer Leonis Epist. ad Marcian. Aug. et Bed. de Rat. T. c. 44.

Ex his sequitur graviter errare eos, qui, cum Tolando, Macphersono, et aliis, (1) Hibernos non a Romanis, sed a Quartodecimanis Asiaticis fidei rudimenta, et Paschæ ritum accepisse imperitissime tradidere. Quartodecimani enim Pascha celebrabant cum Judæis, quocumque die luna 14ta incidebat; Hiberni vero "non, ut quidam falso existimant, 14ta luna in qualibet feria cum Judæis, sed "die *Dominica* semper, a luna 14ta ad 20mam." (2)

Quis primus Sulpicii emendationem in Hiberniam introduxit, utrum *Docus* qui obiit anno 474, juxta Annales Ultoniæ, vel alter *Docus* Brito S. Patricii discipulus, qui erat S. Canici Magister, ut sentit Sirinus p. 128, jam non vacat inquirere. Sufficiat indicasse Hibernos et Britannos ante istam emendationem cum Romanis convenisse, non solum in Cyclo annorum 84, verum etiam in Dominica Paschale celebranda juxta Decretum Nicænum, ut testatur ipse Constantinus Augustus in Epistola ad Universas Ecclesias quam edidit Labbe. (3)

Mansit in Hibernia Sulpicii methodus usque ad Sæculum VIImum, quo "Gentes Scotorum qui "in Australibus Hiberniæ partibus morabantur, ad admonitionem Apostolicæ sedis Antistitis (Ho-"norii) Romanos ritus receperunt."(4)

Jam vero Cummianus de novo isto ordine ad Segienum scribens, inquit—"Ego, primo anno "quo Cyclus *annorum* 532 a nostris celebrari orsus est, non suscepi, sed silui. Anno deinde "emenso, successores nostrorum Patrum *Ailbei* Episcopi, *Querani* Coloniensis, (i. e. Ciarani de "Cloonmacnois,) Brendani, Nessani, Lugidi, consului . . . . At illi, congregati in campo *Lene*, "sanxerunt ut meliora probata, a successoribus Apostolorum delata sumeremus . . . . Misimus "itaque quos novimus sapientes, et ad urbem Romam aliqui ex eis venientes, tertio anno ad nos "usque pervenerunt, et in uno hospitio cum Græco, et Hebræo, Scytha, et Ægyptiaco, in Ecclesia "S. Petri simul in Pascha, in quo *mense integro* disjuncti sumus, fuerunt, et ante Sancta sic testati "sunt . . . . et nos in Reliquiis SS. Martyrum, et Scripturis quas attulerunt, probavimus inesse "virtutem Dei. Vidimus oculis nostris puellam cæcam omnino ad has reliquias oculos aperien-"tem."(5)

Habita est Synodus ista anno 630,(6) quo Hiberni, juxta Cyclum annorum 84, Paschalem Dominicam Kalendis Aprilibus, i. e. *integra hebdomada* ante tempus in Cyclo Decennovenale Alexandrino, a Romanis jam recepto, statutum, celebrarunt. Anno enim proximo 631, quatuor hebdomadum inter utrumque calculum discrepantia intercessit, Hibernis Pascha celebrantibus die Aprilis 21, Romanis die Martii 24, quæ fuit *mensis integri* disparitas memorata a Cummiano.

---

(1) Toland Nazaren. Twisden Rise of the Monastic State, p. 36. Macpherson Crit. Ess. Dublin 1768, p. 331.

(2) Bed. l. 3, c. 4. Confer c. 2 et 19, et l. 3, c. 3, 17, et 25, ubi S. Columbæ Regulam a S. Wilfrido oppugnatam describit. Ritum Hibernicum *tribus tomis* jam deperditis explicuit S. Columbanus. Collect. Sacr. p. 121.

(3) Labbe Concil. t. 4. Euseb. de Vita Const. et in Hist. l. 5, c. 22.

(4) Bed. l. 2, c. 19, cum l. 3, c. 3 et 25. Septentrionales Hiberni eosdem ritus receperunt prædicante Adamnano anno 701. Hiienses vero non nisi anno 716. Bed. l. 5, c. 22, et Annal. Ult. ad ann. 716.

(5) Epist. ad Segienum Hiiensem edita ab Usserio in Sylloge, p. 32—4. Confer quæ de aliis Hibernorum Cyclis dicta sunt supra pag. xxiv-v. Sulpicius veterem Cyclum Latinum annorum 84 non rejecit, sed retinuit et emendavit. "Pascha a 14ta usque ad 20mam lunam observabant, quæ computatio 84 *annorum Circulo* continetur." Bed. l. 2, c. 2. Ceolfrid Epist. ad Naitanum Regem Pictorum, apud Bed. l. 5, c. 22.

(6) Collect. Sacr. p. 126. Lasreanus Abbas Leighlenensis cui 1500 suberant novum ordinem in ista Synodo propugnavit. Ib. p. 125.

Ex dictis sequitur recentem fuisse apud Romanos ipsos consuetudinem qua a luna 15ta ad 21mam Pascha celebrabant, cum antea celebrarent a 16ta ad 22dam, neque unquam prioribus quinque sæculis, luna 15ta in Dominicam incidente, Pascha peregerunt; imo vero quoties luna ista cum Dominica concurrebat, toties solemnia in subsequentem Dominicam et lunam 22dam prorogare assueti erant, " quia, si die Dominica luna 15ta solemnitas resurrectionis ageretur, Sabbato luna 14ta " Christi in sepulcro positi memoria celebranda esset, et feria 6ta luna 13tia, Passio Domini occur- " reret, qua lunæ ætate constat Christi crucifixionem non adhuc contigisse." (1)

Cyclus annorum 532, ab Hibernis Sæculo VIImo receptus, is est quem Victorius pertexuit anno 457, quemque Dionysius exiguus postea emendavit anno 525. (2) Ad Cyclum hunc texendum Victorius Cyclum Latinum annorum 84, et Alexandrinum annorum 19 ita composuit, ut medius inter utrumque incederet, et primus effecit, ne Latini uno prius mense quam Orientales Pascha celebrarent. Haud tamen neomenias singulas ad eosdem dies cum Alexandrinis adstrinxit, sed omnem de *mense* Paschali discordiam extinguens, veteres de *die* contentiones durare reliquit. Cum enim, juxta Latinos, *Lunam* 15*tam* a Paschali solemnio excluserit quoties ea in Dominicam incidebat, hinc Pascha toties designavit una hebdomada tardius quam Alexandrini. Rursus cum metam neomeniis Paschalibus statuerit die 3tio Aprilis, biduo citra Alexandrinos, Pascha quandoque octiduo citius Alexandrinis indixit. (3) Denique neomeniam citimam Paschalem in die 7mo Martii collocavit biduo ultra limen Latinum, et uno die citra Alexandrinum. Emendatio tamen erat valde utilis, Multiplicatis enim juxta Victorii methodum Cyclis Lunaribus, i. e. Alexandrinis 19 per Solares Cyclos 28, ac itidem his Solaribus per 19 Lunares iteratis, omnes varietates Lunæ 14tæ, quæ ex Lunari Cyclo dependent, et diversitates feriarum in diversos dies incidentium, quæ ex Solari proveniunt, utroque Cyclo sic invicem multiplicato, eodem ordine prope recurrunt.

At quamvis jam minora essent inter Latinos et Ægyptios dissidia, cum tamen ista plurimis displacerent, Dionysius Exiguus, anno a condito Cyclo Victorii 68, qui fuit Christi 523. Victorii Cyclum, ubique a Latinis laudatum, ad Alexandrinorum Canones facili negotio transduxit, initio mensis Paschalis uno die promoto, ac tardissima neomenia a die 3tio ad 5tum Aprilis translata, et Luna 15ta intra Paschalia solemnia admissa, quod Latini antea abhorrebant. Hac emendatione recepta, omnis deinceps usus vetusti Cycli annorum 84 penitus abrogatus cessavit.

Verum, quamvis utraque Ecclesia ita conciliata fuerit, uterque tamen Cyclus tam Latinus annorum 84, quam Dionysianus annorum 532, contrario invicem vitio, a cœlestibus Lunæ motibus aberrans, neomenias Paschales erroneis characteribus designabat. Latinus enim novilunia vera prævertebat, quæ post annos 84 inferius descendebant uno die, hor. 6, 51′, 4″, Cyclus vero Dionysii eadem morabatur, quippe quæ post annos 532 citius contingerent die uno, hor. 16, 51′, 15″, 8‴, quam lunaris anticipationis notitiam boni illi viri ignorabant, quamvis idem vitium olim Hipparchus in Calippi periodo annorum 76 prænotasset, quæ periodus septies ducta format Victorii Cyclum

(1) Victor in Prologo et in Canone.
(2) Mabillon De Arte Diplom. l. 2, c. 23, p. 176. Bed. l. 3, c. 4. Annal. Ult. ad ann. 654 not. et Annal. Inisfal. ad ann. 458. Item Prolegom supra. p. xxiv et lxxx, et Norris. Oper. t. 2.
(3) Gennad Vir. Illustr. c. 48. Isidor. l. 6, c. 17. Bed. de Rat. Temp. c. vulgo 45, revera 47, et c. 49, revera 51, Item Hist. ed. Cantab. p. 28, De Sex Ætat.

annorum 532. Hic Dionysii Cyclus, pluribus sæculis a Latinis servatus, non modo Æquinoctium a die 21 Martii ad diem 10mum retraxerat, verum etiam neomenias ultra quatriduum præcipitavit, et quamvis error popularis ipsis jam oculis appareret, nulla methodus inventa est usque ad Pontificatum Gregorii XIII, qua Æquinoctio sedes ita immobilis assignaretur, ut una simul, novilunia intra suos dies retinerentur, donec id demum Pontificante Gregorio XIII, Aloysius Lilius Epactarum 30 inventione perfecit.

Veteres Hibernos Victoriano Cyclo usos fuisse, colligit Petavius ex vetusto auctore Hibernense librorum *De Mirabilibus S. Scripturæ*, qui rejecti sunt in Appendicem tomi tertii Operum S. Augustini. Is enim in libri 2di capite 4to scribit, " Semper post *quingentos triginta duos annos*, Sole, " ut in principio, et Luna per omnia convenientibus, nullis subvenientibus impedimentis, in id unde " cœperant redire ostendemus." Rursus ait Diluvium contigisse anno 114 quinti Cycli ab Orbe condito, i. e. anno Mundi 2242. Petavius, supputans annos 2240 ex eodem auctore, errat in Calculis. (1) At inde ad octavum Abrahæ annum recte colligit annos 950.—Idem Auctor Hibernensis de decimo Cyclo ait, " Nonagesimo secundo anno post passionem Salvatoris, *Alia* et *Sparsa* Consu- " libus peractis cursibus, consummatur. Post quem undecimus a Consulatu Paterni et Torquati, " ad *nostra usque tempora decurrens, extremo anno*, Hiberniensium moriente *Manichæo*, (2) inter " cæteros Sapientes peragitur, et duodecimus *nunc tertium annum* agens, ad futurorum scientiam se " præstans, a nobis qualem finem habiturus sit ignoratur."

Petavii verba de vetusto hoc Auctore Hibernense notanda sunt, et ex dictis corrigenda. "Ad Di- " luvium Cyclos absolutos *quatuor* numerat, cum anno 114 de *quinto*, qui sunt *anni* 2240. Hunc " vero ultimum terminat anno post Diluvium 418. Sextus desinit in annum octavum ætatis " Abraami. Ita fient ab orbe condito ad Abraamum anni 3192, a Diluvio 1052. *Septimus* desinit " in annum ab exitu Israelitarum 35. *Octavus* in annum Asa 31. *Nonus* in annum ab instaura- " tione Templi 108. *Decimus* in annum 92 post Passionem Christi, *Alia et Sparsa Coss.* quibus " successerunt Paternus et Torquatus, quorum Consulatus *anno primo, Cycli undecimi* dedit exor- " dium. Hunc autem desinit Auctor ille in morte *Manichæi Hibernensis*, unius e Sapientibus. " Duodecimi porro Cycli *anno tertio* ista scribebat.—Paternus et Torquatus Coss. a Cassiodoro, et " ante a Victorio Aquitano, in Fastis MSS ponuntur anno U. C. 876, quos Fasti Capitolini et Onu- " phrius vocant Pætinum et Apronianum. Congruunt iidem in annum C. 123. At anno superi- " ore in Fastis omnibus leguntur *Coss. Aviola et Pansa.* Sed in Membranis Victorini *Aulia et Parsa.* " Quare Auctor libri de Mirabil. vitiosum Codicem Victorini nactus est. Qui cum *anno tertio* 12mi " Cycli Victorini vel Dionysii scriberet, is est annus Mundi 5855, a Passione 627. Si igitur de annis " Mundi 5855 detrahas annos 627, reliquus est annus Mundi 5228, quo passus est Christus. Inde " porro detractis 30, restat annus 5198, vel 5199, quo natus est, ex veteri putatione (LXX Inter- " pretum) quam Martyrologium Romanum sequitur."

Hæc auctor anonymus Hibernensis procul dubio ex Victorii Cyclo deduxit, in cujus *Prologo* anni numerantur ab Orbe condito ad diluvium 2242, et inde ad Abrahami natalem 942. In *Cyclo*

(1) Petav. De Doctr. Temp. t. 2, l. 9, c. 2, p. 2, 3.
(2) Auctor idem Anonymus in Præfatione, pro *Manichæo* scribit *Manchinanum.* Sed pro utroque scribendum esse *Manchenium* alibi indicavi. Annal. Ulton. ad ann. 651, not. 6, p. 50, 51.

quidem Victorius annum 92dum a Passione Domini signat Consulatu *Aviolæ* et *Pansæ*, quibus, proximo anno, apponit *Paternum* et *Torquatum*, qui Consules erronee ex Chronico Prosperi descripti fuere. Petavius enim ostendit priores Consules in alio Codice MS. Victorii legi—" *Aulia* et *Parsa*;" unde vir doctissimus recte existimat Anonymum Hibernensem Victorii Calculos secutum fuisse, quamvis initium primæ periodi aliunde deduxerit, nempe ab Orbe condito.—Victorius scribit Kalendas Januarias incidisse *die Dominico* anno 93tio a Passione Domini, et annum fuisse Bissextilem, Pascha vero designat ibidem Kalendis Aprilibus. Atqui hi Characteres certissime indicant annum Christi 120, Cyclo Solis 17, Literis Dominicalibus A G, et cum Anonymus noster Cyclum *undecimum* annorum 532 inchoet anno isto, sequitur Cyclum eundem exiisse anno 651, quo *Manichæi*, i.e. Manchenii Sapientis, in Hibernia obitum designat.(1)

At quamvis auctor is Hibernus Cyclum Victorii laudaverit, non inde sequitur vetustiores Hibernos Cyclo isto usos fuisse ante Synodum *Lenensem*. Ex dictis enim constat Anonymum scripsisse Opus *De Mirabilibus* anno Christi 654, qui erat annus tertius Cycli 12mi Victorii. Columbanus autem, ut alibi probavi, Cyclum Victorii penitus et indignans rejecit.— " Confiteor, inquit, conscientiæ meæ secreta, quod plus credo traditioni Patriæ meæ, juxta " Do.... (lege Docum) et calculum 84 annorum, et Anatolium, ab Eusebio Ecclesiasticæ " Historiæ authore Episcopo, et Sancto Catalogi Scriptore Hieronymo laudatum, Pascha celebrare, " quam juxta Victorium nuper dubie scribentem, et ubi necesse erat nihil definientem, ut ipse in " suo testatus est Prologo, qui post tempora D. Martini (Turonensis,) et D. Hieronymi, et Papæ " Damasi, post centum et tres annos,(2) sub Hilario scripsit."(3)—Minime quidem mirandum est Columbanum studuisse suam Paschæ rationem Anatolii Patrocinio tueri. Anatolius enim Alexandrinus, narrante Hieronymo, " sub Probo et Caro Imperatoribus floruit, (anno 283) miræ doctri- " næ vir in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica; cujus inge- " nii magnitudinem de Volumine quod super Pascha composuit, et decem libris de Arithmeticæ " institutionibus intelligere possumus."(4) At alieno sensu ab Hibernis intellectum fuisse Anatolium, demonstravit Wilfridus in Synodo Pharensi, (5) et Ceolfridus in Epistola ad Naitanum Regem Pictorum, et aliter a Columbano Anatolium de Vernali Æquinoctio scripsisse, Beda in speciali hac de re edito tractatu demonstravit, quod pariter a Petavio in animadversionibus Epiphanianis, et in libro 6to de Doctrina Temporum explicatum est.

Recepto itaque novo ordine Dionysiano, Hiberni eodem usi sunt, usque ad tempora reformati Calendarii anno 1582, ac proinde omnes quæ in nostris Annalibus memorantur Lunationes et notæ Chronicæ feriarum, et Eclipses Solis et Lunæ, juxta istius ordinis leges, et methodum explicandæ sunt, et emendandæ.—Vetus Cyclus annorum 84 talis erat, ut in singulis suis revolutionibus,

---

(1) Annal. Ulton. Annot. pag. 181.
(2) Lege 133 *annos*, juxta emendationem in Annal. Ulton. Annot. p. 181.
(3) S. Columbani Epist. 2da ad Patres, &c. Collect. Sacr. p. 115.
(4) Ita Tigernach ex S. Hieronymi Catalogo Scriptor. Item Euseb. Hist. l. 7, c. ult. et Bed. Hist. l. 3, c. 25. et in Tract. de Æquinoct. Oper. t. 1.
(5) Apud Bed. l. 3, c. 25, ad ann. 664, et Spelman Concil. t. 1, p. 40. Item Baron. Annal. t. 8, ad eund. ann.

Lunationes tardius recurrerent quam cœlestes, die 1, horis 6, 51′, 4″. Sic Dionysianus talis erat ut, post annos 532, Lunationes citius contingerent die 1, horis 16, 51′, 15″, 8‴. Ad veras itaque Lunationes in nostris Annalibus indicandas, non alia opus est methodo diversa ab ea qua Lillius et Clavius in reformando Calendario usi sunt. Non enim alio anno utuntur quam Juliano dierum 365, et horarum 6, et Annales Ultonienses, quorum Chronicas rationes ubique secutus sum, annos æræ communis numeris Romanis ita designant, ut de ratione temporum ambigere nequeamus. In prima quidem parte, usque ad annum 1014, Æram communem uno anno antevertunt, ita ut annus qui illis est 663 nobis sit 664; in reliquis autem post annum 1014 cum æra ista accuratissime conveniunt.(1)

Annalium Inisfalensium Notæ Chronicæ.

Paulo aliter autem de Inisfalensibus loquendum est. Cum enim æra communis non nisi raro numeris Romanis apponatur, et annus dignosci nequeat aliter quam numerando notas Chronicas *Kl*, donec demum ad annum quemdam perveniatur numeris Romanis designatum,(2) evenire potest, ut una vel altera *Kl* omissa, aut adjuncta ab amanuense, annorum ordo vitietur. Cum enim ad novi anni initium designandum sola nota Chronica sit *Kl*, ista omissa, novus annus cum præcedente confunditur, et totus annorum ordo perturbatur.

Sic, in Inisfalensibus ordo annorum, ubi numeris Romanis designantur, diversus est ab ordine notarum *Kl*, quæ ubique fere erroneæ sunt. Conveniunt quidem usque ad annum 447. Ibi vero sequitur nota *Kl* superflua, quæ annorum ordinem turbat, et efficit ut uno anno æram communem præcedant, unde fit ut prælium campi *Femin*, quod anno 447 gestum est, designetur ad annum 448, et *S. Secundini* obitus ad annum 449 pro 448, et Concilium Chalcedonense ad annum 452 pro 451, et initium regni regis Hiberniæ *Ailli Molt* ad annum 465 pro 464. Alia nota superflua efficit, ut Prælium *Ardcoranense*, quod gestum est anno 465 referatur ad annum 467, et eadem duorum annorum excrescentia sequitur usque ad annum 472, quo, notis superfluis omissis, "Secunda præda "Saxonum de Hibernia" suo loco consignata invenitur. Sed paulo postea desunt notæ chronicæ sex. Obitus enim *Conalli Crimthann*, qui referendus est ad annum 481, erronee refertur ad annum 475, et hiatus iste notarum sex, efficit ut sex anni sequentibus adjiciendi sint, quibus annus æræ communis accurate assequatur. In sequentibus annis desunt plures notæ *Kl* ab Amanuensibus omissæ, ita ut 16m et 17m desiderentur.—At hi errores ex ipsis Annalibus ab intrinseco castigantur, simul ac ad annum perventum fuerit 618, quod non solo charactere *Kl* designatur, sed etiam Eclipsi Solis, quæ in Annalibus Ultoniensibus recte refertur ad annum æræ communis 625, ut in nota ad imum paginæ declaravi.(3) Inisfalenses iterum ab intrinseco castigantur ad annum qui ex notis chronicis *Kl* est annus 850, at ex Eclipsi Solis ibi designata, est annus æræ communis 865; unde sequitur deesse notas *Kl* numero 15, (4) et obitum Kennethi filii Alpini Regis Albaniæ, qui,

---

(1) Errat Colganus asserens non ultra annum 1000 ita anticipare Ultonienses. Majori errore Waræus asserit annum unum superaddi debere *secundæ parti* Ultoniensium, æque ac *primæ*. Vide Annal. Ult. not. ad ann. 1014.

(2) Juxta methodum supra descriptum p. x, xi, &c.

(3) Inisfal. p. 12. (4) Ib. p. 30.

juxta notas *Kl* refertur ad 843, eo ipso referri ad annum Christi 358, juxta regulas quas in Prolegomenis explicavi.(1) Desunt deinde anni 15m usque ad annum 879 inclusive, et postea 16m, et 17m, qui notarum defectus, ex diligenti Inisfalensium cum Ultoniensibus collatione, et ex notis ad imum paginæ appositis, manifeste patebit.

De Æra Mundana Annalium Hiberniæ.

MUNDI annos supputant Annales Hibernici, vel juxta LXX Interpretes, vel juxta Hebræos. In Æra LXX Interpretum recensenda, primus Christi annus inchoatur anno Mundi 5199, ita tamen a *IV Magistris*, ut annus subsequens 5200 sit pro *primo* Christi numerandus, quem tamen alii habent pro secundo.—De anno Mundano Nativitatis Christi opiniones varias 132 recenset Vallemontius, et 92 cæteris præstantiores indicant tabulæ chronologicæ in Bibliis editis a Du Hamel. Principibus Viris Petavio et Usserio adhærendum est, qui in annum ab orbe condito 4000 ortum Christi contigisse opinantur, anno tertio Olympiadis 193, U. C. 748, et anno quarto completo ante æram communem; ita ut annus qui nunc evolvitur 1806 sit revera ab ortu Domini 1810, qui error corrigi jam nequit, quin veterum monumentorum perturbatio consequatur. Æra itaque communis inchoatur a Natali Christi anno U. C. 753, Periodi Julianæ 4713, die Decembris 25, anno a reformato Calendario a Julio Cæsare 46, uti patet ex Solis defectu anni Julianæ reformationis 90, qui fuit quintus Claudii, et æræ communis 45, itemque ex Eclipsi anni ejusdem reformationis 104, qui fuit Neronis quintus, U. C. 812, et æræ communis 59.(2) Sed cum annus civilis Julianus incipiat a Kalendis Januariis, ab iisdem etiam annorum Christi initium deductum est, omissis 7m diebus Decembris, ita ut a Kalendis Januariis, non anni Urbis 753, sed 754, periodi Julianæ 4714, Cyclo Lunæ ii exeunte, Solis x, Litera Dominicale B, Indictione 4ta, Olympiadis 194 anno 4to ante sex menses inchoato, Epochæ vulgaris initium civile derivetur, sic ut numerari inceperit Olympias 195 diebus æstivis istius anni, et nos, octiduo post natalem epocham istam inchoantes, æram Dionysii uno anno prævertamus, cum, juxta Dionysium, Natalis contigerit die 25 Decembris, anno U. C. 754, *C. Cæsare Augusti T. et L. Æmilio Coss.* qua die annus 2dus Vulgaris Epochæ *a Nativitate*, qua passim utimur, incipit numerari.

Petavius quidem inquit Dionysium Incarnationem ac Natalem eodem anno statuisse quo vulgo ponuntur, ita tamen ut nos uno fere minus anno numeremus, quia ille Epocham Christi init ab Incarnatione, nos vero a Kalendis Jan. anni proxime sequentis, octiduo post Natalem. Idem doctissimus vir æram hodiernam a Beda propagatam, et pro Dionysiana venditatam fuisse suspicatur. (3)

---

(1) Prolegom. p. xi et xix.

(2) Vide Prolegom. p. l, li, lii, liii.—Piranesii Lapides Capitolini Romæ 1761. p. 35. Freret. Mem. de l'Acad. t. xxi, ann. 1754, p 27. Obiit J. Cæsar anno 2do editionis suæ, et 44to ante annum quo natus ponitur Christus. Augustus obiit anno Julianæ editionis 59, qui fuit Christi 14tus. Ergo primus Christi est Julianus 46, U. C. Varronianum 754, i. e. Palu[illegible] eo anno putari cœpere. De Cæsaris Reformatione vide Plin. l. 2, c. 1[illegible], et l. 1[illegible], c. 25. J. Cæsar Æquinoctium posuit in die 25 Martii, et quatuor anni Cardines in Ariete, Libra, Capricorno, et Cancro. Eandem anni formam produnt veteres Kalendaria in lapidibus sculpta apud Gruter, in quibus legitur Mense Martio "*[illegible] Kal. April* "*Æquinoctium.*" Mense Ju[illegible] "*[illegible]ii Kal. Jul. Solstitium Æstiv.*" Mense Sept. "*viii Kal. Octob. Æquinoct.*" Mense Decemb. "*[illegible] Kal. [illegible]eron.*" Gruter Inscr. p. 138, et Bed. de Rat. Temp. c. 28.

(3) Petav. Doctr. Temp. t. 2, l. 12, c. 1, p. 220.

At Beda æram Christi, non a Natali, sed ab Incarnatione, i. e. a *die 25 Martii*, auspicatur; ac proinde Natale juxta Bedam incidit in diem 25 Decembris, *exeunte anno primo æræ vulgaris;* ita ut computus vulgaris a Nativitate, Bedæ computum uno anno præcedat, quia annum quem vulgo a *Natali* numeramus, Beda *ab Incarnatione* deducit. " Annus, inquit, in quo Dominus in-" carnari dignatus est, est *secundus* Cycli Decennovenalis, habens lunam 14tam Paschalem *octavo* " *Kal. April.*" (1) Atqui hi sunt Nicæni characteres anni primi æræ vulgaris a Natali, qui præcessit *octiduo* Kalendas Januarias Periodi Julianæ 4715. Novilunium enim Nicænum, a Dionysio observatum, convenit ximo Martii, ac proinde 14ta Paschalis convenit 25to Martii, i. e. viiivo *Kal. April*, unde Pascha incidit eo anno in diem Martii 27mum, qui erat VI *Kalendar. April.* Luna 16ta.

Præterea Dionysius Cyclum suum ita orsus est ab anno C. 532, ut si retro annos retexas, primus incæperit ab anno Juliano qui æram communem præcessit. Hinc Marianus et Tigernachus, ad annum Mundi juxta Hebræos 4193, notant ex mente Dionysii, Christum natum esse *anno 2do Cycli magni*, i. e. Cycli annorum 532.(2) Vox enim *Tanasticus*, qua annum istum notat Tigernachus nihil aliud significat quam *secundus*.

Sic IV Magistri ad ann. 1103, habent "*Tanaiste Ab Cluana mc nois*." Secundus, seu proximus Abbati Cluanæ mc nois; item ad annum 1135, et passim alibi.—In rebus civilibus *Tanast* est secundus honore post Regem. Lex Brehonum quæ *Tanastica* dicitur, ea est qua Regii nominis ac sanguinis senior, secundus post Regem, ad Regale fastigium post Regis obitum evehebatur, quæ lex *Dlighe Tanaiste*, i. e. Lex Secundi, appellata erat.—IV Magistri ad annum 908 habent "*Cummus-cach Tanaiste Leth Cathail*," Cumuscach Tanastus Lecailensis; atqui Annales Ultonienses ad annum 912 eundem appellant "*filium Regis Leth-Cathail*," i. e. secundum Regi, et futurum successorem.(3) Vocis etymon quod attinet, *Tan* est Regio, unde Britannia, et aliæ regiones quæ a primævis Celtis nomina accepere, et *aiste*, senior. Ergo *Tan-aiste* est Regionis senior.

Beda ipse inquit " Dionysium, in primo suo circulo, 532um annum Incarnationis in capite po-" nendo, docuisse *2dum sui circuli annum* ipsum esse quo incarnationis Mysterium cæpit. Præce-" pitque ut ad inveniendum quotus sit annus Cycli Decennovenalis, ad annos Christi *unitatem ad-" damus*, significans illo incarnato, unum annum Circuli jam fuisse completum."

De Tigernachi mente quoad vocem *Tanaist*, omne dubium tollunt Annales Ultoniæ, qui ejus verba "*Cath Tanaiste Graine*," in Codice Bodleiano fol. 8, col. 1, sic explicant ad ann. 496, " Prælium *secundum* Granairet."

---

(1) Bed. de Rat. Temp. c. 45. Item supra p. x ad xxiv,. et li.

(2) Vide supra pag. x, xi, xiii, xix, xxiv. Confer Coemani Poema, supra p. xxxviii.—Anni Cycli istius incipiunt a Luna Paschali, et ad alterius anni Lunam Paschalem continuantur. Ergo quilibet annus Cycli *duobus Julianis* partim respondet. Annus enim primus init die 17 Aprilis, *Aureo No. XIX*, anno C. 531, et desinit Nonis Aprilis, *Aureo No. I*, anno C. 532. Dionysius enim *Primo Paschati* a se designato, *iii Idus Aprilis*, ex Luna 14ta in Nonas Apriles incidente, annum adposuit ab Incarnatione 532, non *priorem* partem anni primi Cycli sui cum anno 531 concurrentem indicans, ut falso scribit Petavius, sed *postremam*, quæ Nonis Aprilis terminabatur, *Aureo No. I*, a cujus anni Paschate suam Periodum annorum 532 inchoasse, Lapis Ravennas a Norrisio editus plane demonstrat. Cyclus enim 2dus, in diagrammate scalptus, inchoatur *viii Idus*, i. e. die 6 Aprilis, anno 532, *Aureo No. I*, et exitum habet anno 533, *Aureo No. II, viii Kal. Aprilis*, i. e. die 25 Martii. Atqui si ab anno 533, secundo Cycli istius, regredias per annos 532, eris ad annum *primum* ab Incarnatione, Periodi Julianæ 4714, U. C. 754, Cyclo Lunæ ii, Solis x, quo, juxta Dionysium, Incarnatio contigit die 25 Martii. Nos autem *octiduo post Natalem* Æram nostram inchoantes, Æram Dionysii uno anno prævertimus, cum juxta illum Natale contigerit die 25 Dec. U. C. 754, *C. Cæsare Augusti T. et L. Æmilio Paulo Coss.*" qua die annus 2dus a Nativitate Æræ nostræ vulgaris incipit numerari.

(3) Confer Vocab. Hibern. vocibus *Tanaist* et *Anaigim*. Item Tigernachi Contin. ad ann. 1138, et Flahert. p. 58.

† t

Methodus facilis qua Annalium Notæ Chronicæ restituuntur.

Jam vero ad inveniendum quo die Kalendæ Januariæ quovis anno inciderint, spatio saltem annorum 310 a nato Christo, sufficit ut sciamus quo die inciderint quovis anno currente in spatio isto. In Cyclo enim Solari annorum 28, literæ feriales eodem ordine recurrunt, quo inciderunt quovis 28vo anno præcedente, ac proinde si inciderunt, uti refert Tigernachus, *feria* vii*ma* anno primo æræ communis, necesse est similiter inciderint annis 29, 57, 85, 113, 141, 169, 197, 225, 253, 281. Atqui revera res ita se habet, et cum Antiqui minutas Solis et Lunæ discrepantias ignoraverint, eandem methodum absque ulla emendatione secuti sunt usque ad annum 1582, ita ut Kalendæ Januariæ, ex eorum putatione, inciderint in *feriam* vii*mam* annis 309, 337, 365, 393, 421, 449, et sic deinceps.—Si ergo Kalendæ Januariæ inciderint ut supra in Sabbatum, anno primo æræ communis, sequitur incidisse anno 2do. in feriam 1mam, i. e. Dominicam, 3tio in diem Lunæ, quarto Bissextile in diem Martis, quinto in diem Jovis, dies enim una semper post Bissextilem omittitur, septimo in Sabbatum, et sic de cæteris. Septem enim dies hebdomadæ per totidem literas A, B, C, &c. notatæ efficiunt, ut a quacumque feria annus incipiat, in eadem feria, vel litera feriale, terminetur, id efficiente die ultima anni Juliani dierum 365. Si nullus esset annus Bissextilis, revolutio hebdomadica viim dierum, viim annis ita absolveretur, ut iterum anni ab eadem feria inciperent; at Bissextilis non in eandem feriam desinit unde incæpit, ut anni communes, sed in sequentem, unde fit ut revolutio ista viim feriarum, non septem annis, sed spatio quater septem, i. e. spatio annorum 28 explicatur, et talis est, ut cum ad annum perveneris 28um, initium cujusque Cycli ordinandum sit iisdem feriis et literis quo primi, dies enim mensis iterum redeunt ad eosdem dies hebdomadæ, spatio ad minus annorum 310.

Duravit hæc Calendarii forma usque ad annum 1582, quo, observata annua Æquinoctiarum præcessione, minutarum 11, et secundarum 12, quæ singulis quadrienniis evadit minutarum 44, et secundarum 48, et efficit ut, post annos 128, Æquinoctia uno die præcedant, expunctis diebus 10m, quibus a Concilio Nicæno præcesserunt, statutum est, ut non annus quisque centesimus esset Bissextilis, sed ut in quadringentis, tres centesimi essent communes, ne Æquinoctia in posterum a die Martii 21ma dimoverentur.

Hæc omnia præmittenda erant, id exigente amanuensium Hibernorum imperitia, qui Codicum numeros, et notas chronicas, fæda mendositate corruperunt; atque utinam hæc potius ad meam diligentiam exhibendam, quam ad rei veritatem assereretur; laborem enim improbum exigunt numeri isti, plane corrupti, ut ad pristinam integritatem restituantur, et quantum in iis emendandis laboraverim, quanto studio, quam acri diligentia, jactitare non sinit modestia, nec ipsa patitur prudentia, ne in quibusdam locis difficillimis, in vanum laborasse, et oleum et operam perdidisse contemnar. Hoc igitur unum, doctorum venia, asserere liceat, Ignorantiæ inimicum alienæ, inimicissimum meæ, paratum me esse corrigi a quocumque, cum ignorare non sit vitium animi sed conditio naturæ.

In difficultatum ambagibus, illud saltem pro certo tenendum est, Regulas extare ad istas difficultates tollendas, quibus, etsi non omnino tollantur, pro parte tamen majori ita diminui possunt, ut Cardines etiam Chronologicos statuamus, quibus tota Historia Hibernica, a sæculo primo Christi ad nostra usque tempora, possit, juxta methodum in Benedictinorum Opere "*l'Art de Verifier les Dates*" stabilitam, Historica fide definiri. Cum enim Cyclus Solaris annorum 28 ordiatur ab anno Bissextili 10mo ante ortum Christi, si cuilibet æræ communis anno Juliano addas novem, et collectam summam dividas annis 28, quotiens dabit tot integros Cyclos Solares quot ab initio decurrerunt, et residuus indicabit annum Cycli currentis.

Jam vero, ut in Solari Cyclo annorum 28, feriæ recurrunt, sic in Lunari annorum 19, Neomeniæ ad eundem diem redeunt spatio annorum 310, etsi non ad eandem horam, minor est enim Cyclus hic, hora 1, 27′, 32″, 41‴, quam anni 19 Solares, seu Tropici, quæ diversitas diem efficit spatio annorum 310, unde antecessio lunaris circiter quatridui inventa est a Concilio Nicæno ad annum 1582, quo fasti a Gregorio XIImo castigati fuere.—At, cum antiqui minutas has differentias ignoraverint, Neomenias semper in Calendario iisdem diebus mensis cujusque anni 19ni describebant, quibus anno 19no præcedente; ita initio facto a quovis anno, puta ab eo qui Neomenias exhibebat diebus 23 Januarii, 21 Febr. 23 Martii, &c. iis diebus apponebant notam auream I, et cum observaverint cujusque anni Neomenias, xim circiter diebus in singulis mensibus antegredere, ac incidere anno sequente in diem Januarii 12m, Februarii 10m, Martii 12m, &c. his diebus apponere solebant numerum aureum II, et sic deinceps usque ad annum 19m, quo expleto, ad eundem ordinem dierum hebdomadæ, et lunæ, et mensis, redire assueti erant, ita ut numeri aurei designarent non solum annum Cycli, sed etiam ferias quibus Novilunia fieri existimabantur.

Si ergo cum Tigernacho ponamus annum Christi *primum* fuisse Cycli 19nalis *secundum*, sequitur Christi 18vum fuisse Cycli ejusdem ultimum, numero aureo 19 notandum; et si cum eodem Tigernacho ponamus Kalendas Jan. anni primi Christi incidisse in Sabbatum, sequitur easdem Kalendas incidisse in Sabbatum anno Christi 18, cum is fuerit ultimus Cycli Lunaris, et 27mus Solaris.—Hinc, si anno cuilibet, puta currenti 1806, unum addamus, et summam dividamus per 19, quotiens 99 tot Cylos a nato Christo defluxisse indicabit, et residuus 1805 annum unum deesse indicabit ad Cyclum currentem complendum, cujus ultimus annus erit proinde 1807; ex quibus omnibus sequitur, annum primum Christi recte notatum esse a Tigernacho, *Cyclo Lunæ* 2, *Solis* 10, et Concullanum Heroem, [vulgo *Cucullin*,] prædam Cualgniam in hodierno Comitatu Lowthense insectasse, ut idem narrat, anno *ante natum Christum* 8vo, et occisum fuisse, regnante in Hibernia Conario Imo, *anno Christi* 2, Solis Cyclo 11, Cyclo Lunæ 3, Kalendis Jan. in feriam primam incidentibus, Litera A, Lunæ ætate 24, (1) quæ notæ cardinem efficiunt, unde notæ annorum sequentium in nostris Annalibus emendantur. Ex iisdem principiis sequitur, veritatem Historicam Catalogi Regum Ethnicorum, qui ab anno Christo primo, usque ad S. Patricii adventum in Hibernia regnaverunt, spatio annorum 432, quem Catalogum exhibent Scriptores Metrici, passim a Tigernacho memorati, ab intrinseco confirmari. Scriptores enim isti non solum in eorum ordine, numero, et nominibus, cum Tigernacho, Coemanno, et IV Magistris conveniunt, verum etiam cum seipsis, idque in variis intervallis, et rationibus chronologicis quas supra exposui; nec ullatenus credibile est, consensum tam singularem posse, aliunde quam ex scriptis Bardorum Ethnicorum Hiberniæ Catalogis, ante sæculum quartum concinnatis, et a sæculo primo traditis, ulla fingendi arte excogitari.

His principiis, quæ per se plurimum valent, ad varias tollendas difficultates, adjungatur æra mundana Tigernachi, Coemani, et IV Magistrorum, quam alibi explicavi. (2) Cum ista Hiberno-

(1) Vide supra Prolegom. p. xii, xiii, xiv, xv. Litera Dominicalis anni *primi* æræ communis fuit B. Atqui septem literæ retrograde numerantur, sequitur ergo literam Sabbati, i. e. feriæ septimæ istius anni, fuisse A, et literam *Dominicalem* anni sequentis fuisse A, literam Sabbati G.

(2) Vide supra p. x ad xiii, p. xxiii ad xxxviii, p. cxix, et p. cxxviii ad cxxxix.

rum æra convenit Beda in Opere de sex Ætatibus,(1) unde æræ istius notas pro cardinibus statuendas esse puto, quibus annorum sequentium numeri ad annos Christi communes restituantur.

Non agitur de *vero anno* Nativitatis, in quo definiendo, toto quadriennio ante communem æram Natale anticipandum esse Dekerius probavit, et Bucherius, Henschenius, Petavius, et Usserius, sua auctoritate confirmarunt, ita tamen ut in superiorem annum Natale retrahendum esse censuerint; unde, *si rei veritatem* spectes, natus est Dominus die Dec. 25, U. C. 749, (non 752, ut habent Beda et Tigernach, nec 753, ut habet æra communis,) *Augusto xii L. Cornelio Coss*, anno Juliano exeunte xli, Olympiadis 193 anno iv. (2)

De Æræ Communis usu in Hibernia.

Æræ communis usum Hibernis ignotum fuisse ante annum 1020, Waræus, Colganus, Flaherteus, aliique, eorum auctoritate decepti, tradidere. Ex hac sententia sequeretur omnia Bardorum fragmenta metrica, quæ extant, tam in Bodleiano quam in Stowense, in quibus æra communis hinc inde memoratur, posteriora esse anno 1020!—In rebus autem obscuris, quarum principia sæculorum barbarie pene obruta latebant, satius erat caute incedere, quam ex conjecturis, nulla auctoritate suffultis, quæ in partes sæpe contrarias deducuntur, divinando definire.

Æra communis a Dionysio inventa fuit vel anno 533 ut scribit Mabillonius,(3) vel anno 523 ut refert Norrisius,(4) vel, ut ex Dionysio ipso colligitur, anno 525. Inquit enim se Cyclum suum ordiri ab anno Dioclesiani 248, qui fuit Christi 532, et scribere de calculo isto, anno quo *sex adhuc anni supererant* ad complendum Cyclum Cyrilli, qui terminavit anno Dioclesiani 247, Christi 531.

Binæ tantum extant Dionysii Epistolæ Paschales, quarum unam ad Petronium scripsit anno Christi 525, Indictione tertia, Consule Probo, cujus meminit Beda.(5) Alteram misit ad Bonifacium ac Bonum, cujus pariter fragmenta conservat.(6) Petavius de hac 2da inquit—" eodem " anno Juliano, posterior hæc scripta est, quo prior." (7) At Dionysius in hac posteriori ait— " Indictio quippe quarta est, et lunaris circulus ximus, decennovenalis Cyclus xivtus." Atqui hæ notæ procul dubio conveniunt anno 526.

Habemus ergo Periodum annorum fere 500, a quo æra communis instituta fuit, usque ad annum 1020, quo intervallo frequentissima erant cum Saxonis, Gallis, et Italis, Monachorum et Merca-

---

(1) Non tamen ubique, nec secum semper constat ipse Beda, Reges enim Romæ regnasse inquit *annis* 243, et apulsis Regibus ad J. Cæsaris Imperium Olympiade 183 annos numerat 464, et Christum natum inquit, *anno Augusti* 42, U.C. 752. Atqui Augusti annos numerat a cæde J. Cæsaris, (qui anno suæ emendationis 2do occisus est, U.C. 710,) anno Imperii sui 4to; ergo si anni Regum fuerunt 243, annus Christi nati est et Romæ 751.—Præterea, anni singulis Regibus a Beda tributi efficiunt annos tantum 241, et Eusebius inquit Reges Romæ regnasse annis 240, vel, juxta quosdam, annis 243.—At, in anno Augusti 42 consentiente cum Christi primo, et cum Romæ 752, consentiunt sequentes Imperatorum anni juxta Bedam, ita ut de Bedæ mente ambigere esset insanire. Sola quæstio restat utrum annus Augusti 42 in calculo includendus sit. Vide supra p. li. (2) Supra p. cxxviii. (3) Supra p. xxiv.
(4) Supra p. cxxiv. Norris. Op. t. 2, p. 723. Petavius id refert ad 526 Doct. Temp. l. 12, c. 3, t. 2, p. 231, et l. 13, p. 435. (5) De Rat. Temp. c. 45. (6) Ib. c. 40 et 43.
(7) In not. ad eand. t. 2, p. 892.

torum Hiberniæ commercia, ut alibi declaravi.(1) Valde itaque inverisimile videtur, toto isto annorum et sæculorum decursu, æram communem Mercatoribus et Monachis Hiberniæ fuisse ignotam. A Gregorio enim magno usurpata fuit anno 593, (2) annis circiter tribus ante missionem S. Augustini,(3) et quamvis ex Historicis primus Beda æram communem observasse videatur, cum tamen eam in Galliam ex Anglia induxerit S. Bonifacius, cujus opera Liptinense et Suessionense Concilia coacta fuere, eisque anni Incarnationis præfixi, (primo annus 743, secundo 744,)(4) omnino incredibile est, Hibernicis Scriptoribus, Bedam ubique memorantibus, inusitatam fuisse Epocham, quæ centies a Beda usurpatur. Ante Bedam Victor Episcopus Tununensis, in summa annorum quam Chronico suo subjecit, annum desinentis Chronici numerat "*Dlxvii a Nativitate Dni nostri J. "Christi, secundum carnem.*"—Extat Epistola *Claudii* Scoti Presbyteri ad Justum Abbatem, quæ incipit "*Anno octingintesimo decimo quinto Incarnationis*," &c.(5) Præterea, æra ista Johanni *Erigenæ*, æque ac Claudio, procul dubio innotuit anno 858.(6) Quod si id ex ejus Operibus non constaret, ut clare constat, quid tamen aliud de tanto viro præsumendum esset, de quo Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Carolum Calvum inquit,(7) " Mirandum quomodo vir ille Barbarus, qui (in Hi-" bernia) in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius lin-" guæ dictione longinquus, talia intellectu capere, in aliamque linguam (e Græco) transferre voluerit."

Sane, qui Saxonis et Gallis, ad Hiberniæ Scholas adventantibus, " victum quotidianum, *libros*, " *et Magisterium gratuitum* dare solebant sæculo viimo," (8) non adeo rudes erant, et ignavi, ut de eorum successoribus sæculo viiiro, ixno, et xmo, liceat, absque validissimis rationibus, asserere, quod æræ communis usum ignoraverint usque ad sæculum undecimum!

Flahertcus ipse fatetur, diversa Disticha Chronologica, Hibernice scripta, in nostris Annalibus reperiri, in quibus æra communis cum æra mundana copulata memoratur. Atqui horum quædam scripta fuere sæculis viiiro et ixno.(9)—Fatetur etiam *Dubdalethcum*, Chronographum Hibernensem, Synchronum fuisse *Mugronii* Abbatis Hiiensis, cujus mortem memorat ad annum 978, " Versibus " compegit *annos 978 a Christo nato* ad mortem Mugronii Abbatis Hiiensis, ad prælium Temorense, " et ad mortem Donaldi O'Neil Regis Hiberniæ."(10)—Porro, Chronicon istud Dubdalethci memoratur a Tigernacho et a IV Magistris ad annum 978, et ejus obitus refertur ad 1064.

Duo Disticha antiqua Hibernica, a IV Magistris servata, obitum *Aedi Finliathi* Regis Hiberniæ referunt ad annum mundi Eusebianum 6075, cum quo consociant *annum Christi* 876.

Flahertcus inquit se æræ vulgaris annum 1004 recte signatum invenisse, in Poemate Hibernico vetusto de interitu Aedi O'Neil anno 1003; sed una hirundo, inquit, non facit Ver.(11) At, si cum

(1) Vide Annal. Ulton. Annot. p. 127 ad 147, 153, 176, 179.
(2) S. Greg. Epist. l. 12. "*Datum vii Kal. Junii. Anno ab Incarnatione Dni Dxciii, Indict. ii.*"
(3) Bed. l. 1, c. 23, 24, et Usser. in Indice Chronol. p. 1150, 1152, et 1154, quæ conferenda cum Stephani versione Anglica Bedæ, ubi Augustini adventum refert ad 598, in nota p. 70, uti et Annales Ulton. ad ann. 597, p. 35, not. 2.
(4) Vide supra p. x ad xiii.
(5) Syllog. Epist. Vet. p. 53.
(6) Annal. Ult. Annot. p. 171.
(7) Edidit Usserius. Sylloge, Dubl. 1632, p. 63. Vide quæ de Johanno Scoto edidit Antonius Arnaldus in Opere eximio cui titulus, "*Perpetuite de la Foi.*" t. 1, l. 12.
(8) Bed. l. 3, c. 27, et l. 7. Annal. Ult. p. 124, 127, &c.
(9) Vide Annal. Ult. ad ann. 501, 516, 532, 575, 594, p. 33, IV Magistr. Annal. ad ann. 432, 478, 507, 517, 655, 733, 878, &c.
(10) Ogyg. p. 41.
(11) Ibid.

isto Poemate alia Stowensia et Bodleiana conferre potuisset, hirundines plurimas, ipso sæculo ximo pro antiquis habitas, et a Tigernacho memoratas, eandem æræ communis cantilenam decantantes invenire lætaret, a quibus aliam sibi opinionem efformare cogeretur.

In Codice MS. Tigernachi Bodleiano, a quingentis saltem annis exarato Rawlinson 502, cui titulus "Annales ab Urbe condita usque ad initium Imperii Antonini Pii," folio 2, col. 4, linea 20, hæc habentur—"Incipit quinta ætas Mundi quæ continet annos 589, ut Poeta ait—

"*O docrad inphopu*il—*co gein Fiadat Feid*il,
"*Coicc cet is mbliadh*hin—*lxxx co deimh*in,
"*O Adam con gena*in—*ocn mac Maire mi*ni,
"*It da blina lix* ni—*cet is tri m*ili."

A captivitate populi—ad ortum Fiadati Feidelii,
Quingenti et novem anni—octuaginta vere.
Ab Adam ad nativitatem—unigeniti filii Mariæ mitis,
Sunt duo anni quinquaginta—centum et ter mille. (i. e. 3952.)

Hæc tanquam Antiqua exhibet Tigernachus sæculo undecimo, eodem modo quo S. Patricii obitum refert ad annum C. 493, auctoritatem adducens *antiqui Poetæ* id. asserentis, iisdem versibus quæ etiam a IV Magistris eodem fine adducuntur.(1)—Præterea, Casleus 22 specimina exhibet chartarum Regum Anglosaxonum, quarum nonnulla extant in Bibliotheca Stowense, in quibus anni ab Incarnatione memorantur ab anno 680 ad annum 962. (2) In Codice Stowense *Dinseanchusa* a quingentis saltem annis exarato, extat Poema "*Eistidh a Laigniu.*"—Audite o Lagenii.—Ab intrinseco autem constat, Poema hoc compositum fuisse regnante Diarmitio filio Malnambi Lageniæ Rege, qui fuit gener *Briani Boiromh* occisi in prælio Cloontarfense anno 1014, et qui occisus fuit in prælio *Odhbhæ* anno 1072, ut alibi demonstravi.(3) Atqui Poematis istius auctor, annum adventus S. Patricii ex alio Poemate antiquiore memorat his verbis—

"*Ceithre xx it cuig c.* cain—*fuil uaidh ni bregab bli*ain,
"*O Charmain fo chisu* ceact—*co h airmgen Isu Iarndaend*echt.
"*Da blian xxx at cccc* cet,—*o gen Cr. ni saebin*set,
"*Go Crimthan as Carman* chucht—*co Padraicc n adbul ndedr*ucht."

Octuaginta quingenti dilecti—sunt sine mendacio anni,
A Wexfordia sub tributi potestate—ad natum Jesum post incarnatum.
Duo anni triginta quadringenti,—a nato Christo non prava divisio ista,
Ad Crimthanum Wexfordiæ Imperantem—ad Patricium Apostolum divinum potentia.

Qui alia et antiquiora cupit exempla, adeat Annales, consulat etiam quæ supra in his Prolegomenis dicta sunt, a pag. x ad xix, a p. xxiii ad xxv, a p. xxxv ad xxxvii, p. lxxxix, et seq. Videat vetera disticha in IV Magistrorum Annalibus ad annos 903, 920, 924, 928, 941, 942, 945, 954, 972, et 978; et ex his omnibus patebit, usum æræ vulgaris, etsi non semper accurate intellectum, ab Hibernicis tamen Scriptoribus etiam Metricis usurpatum fuisse, longe ante annum 1020, quod unum demonstrandum suscepi.

---

(1) IV Magistr. Annal. ad ann 432.
(2) Casl. Catal. MSS. Bibl. Reg. Vide tamen quæ supra dicta sunt pag. x et xxiii.
(3) Supra p. xxxv, not. 1.

De Annalium nostrorum Utilitate, Antiquitate, Auctoritate.

Quanquam de Veterum Annalium utilitate argumentum instituere supervacaneum videatur, tamen, cum nostrorum stylus sit plane barbarus, et macilentia tam jejuna lectoribus fastidium creare possit, eorumque animos et oculos a rebus nostris avertere, juvat de hujus operis instituto et utilitate pauca notare, quæ promulsidis locum obtineant, qua pateat vinum non omnino vile esse, sed vendibile, etsi non poculis aureis apponatur.

Imprimis itaque de Stylo notandum est, hos Annales rerum gestarum seriem, nude, et aperte, quamvis barbaro sermone declarare. Atqui in Annalibus nemo quærit elegantiam, omnes veritatem; et si quis modo Historias, maxime Monasteriorum, Episcopatuum, Ecclesiarum, Urbium, immo et familiarum Hiberniæ scribere aggrediatur, *omnino necesse est*, si fidem sibi haberi velit, ut auctoritate horum Annalium, utpote vetustissimorum, sua dicta confirmat, quod absque illis, rerum quæ narrantur fides, procul dubio vacillare censeatur. Annales enim isti unici sunt testes rerum in Hibernia gestarum spatio annorum mille ante sæculum 12mum, et quidem omni exceptione majores, cum Hibernorum vitia et ferocitatem ubique exhibeant, et temporum rationes, mirum in modum a recentioribus turbatas, et dubiis Scriptorum verbis obscuratas, ita in promtu ponant, ut controversias tollant, nec amplius in pluribus disputatione egeamus, præsertim cum plura in eis indicanda sint, quæ certam reddunt fidem monumentorum veterum, ex quibus Tigernachus, et Annalium Ultoniensium, et Inisfalensium auctores, narrationes suas Hibernicas contexerunt.—Ostendunt nempe, celebriora Veterum Monasteria Amanuensem sibi proprium habuisse Monachum, *Scribam* appellatum, cujus officium erat quæcumque notabilia, quæcumque sæva, crudelia, et in placidos Monachorum mores repugnantia contingebant, ea in Codice ad id destinato describere, et ad exemplum, ac odium, conservare, ne temporum labilitate perirent.

Hinc Annalium Hibernorum, prout nunc extant, originem petendam esse, demonstrant tot prælia Hibernorum inter se, tot res gestæ quæ non alibi prostant, Regum et Regulorum nomina, clientelæ, successiones, Principatuum termini, Episcoporum, Abbatum, Scribarum, Bardorum, et Doctorum tempora, quæ singulatim suo loco enarrantur, idque tot locorum, temporum, et personarum adminiculis, ut nullum de veritate narrationis ambigendi locum relinquant. In hoc enim, ut in aliis, veritas a falsitate discernitur, quod solitarium nihil amat, sed multiplici varietate rerum inter se concordantium, secum constare, et cum veterum testimoniis ubique consentire inveniatur. Plurima in his Annalibus leguntur quæ non solum alibi non extant, sed quæ septimo ineunte sæculo, et octavo, et nono, scripta fuisse fatendum est. Non solum enim quo anno, et quo mense res gestas fuisse memorant, sed etiam ad *diem* descendunt, et ad *horam* diei, idque tam accurate, ut aliquando ipse Beda, aliique post Bedam chronographi, eorum auctoritate in rebus etiam chronologicis castigantur.

Sic Eclipsim anni 664 "*ipsis Kalendis Maiis, hora nona,*" contigisse narrant. Beda vero "*quinto Nonas Maii, hora circiter decima.*" Chronicon Saxonicum sequitur Bedam, et Florentius cum utroque concordat. Textum Bedæ depravatum esse cogitavit Petavius.(1) At ne id sentia-

---

(1) Petav. De Doct. Temp. l. 8, t. 1, p. 543.—Confer Bed. Hist. l. 3, c. 27, cum Chronico Saxon. A. D. 664, p. 40, et cum Flor. Wigorn. p. 561, et cum Codice Bodl. Tigernachi, Rawlinson 488, fol. 2, columna 4ta versus finem.

mus vetat eadem narratio ab eodem Beda in aliis Operibus sæpe iterata. Sic in libro de Temporibus, "Eclipsis Solis facta est Indictione viima, *quinto Nonas Maii,*" et iterum in Chronico, "Facta est "Eclipsis Solis quam nostra ætas meminit, quasi *decima hora diei, quinto Nonas Maii.*"

Itaque non casu, non vitio Scribarum, sed ex animo, et expressis verbis, in tribus diversis Operibus asserit, istud Solis deliquium *die 3tio Maii* evenisse, hora circiter *decima*, anno 664.

Vir nempe eruditus, intelligens non nisi Novilunio Eclipsim Solis posse evenire, diem Novilunii mensis Maii anni 664 ex Cyclo Dionysii indagavit, et cum Numerus Aureus XIX Novilunium die 3tio Maii indicaret, eo die, et non alio, Eclipsim evenire posse arbitratus est. Ignorabat enim annis 19 vertentibus non fieri præcisam æquationem motuum Solis et Lunæ, et differentiam horæ 1, 27′, 32″, 42‴, qua Luna pristinam epocham antevertit, penitus nesciens, erroneis calculis ductus, erravit. Non sic Annalium nostrorum Auctores, qui, Chronicis antiquis Monasteriorum Iberniæ adhærentes, suas narrationes eodem ordine descripserunt, quo descriptæ erant in voluminibus quæ a Tigernacho "*Monumenta Scotorum*" appellantur, et de quibus Nennius sæculo nono inquit, "Ego "autem coacervavi omne quod inveni de Britannia, tam de Annalibus Romanorum, quam de Cro- "nacis SS. Patrum, et de *Scriptis Scotorum.*"(1)

Eclipsis Lunæ qua Drusus tumultuantes Pannoniæ legiones, post mortem Augusti placavit, nullum dubium relinquit de *ipso die* adventus Julii Cæsaris in Britanniam.(2) At, si ista demonstratio tanti valet, quamvis Cæsar, in rebus Astronomicis non modice peritus, narrationem suam Corporum cœlestium motui quodammodo accommodare poterat, a fortiori valet in rebus Hibernicis, cum non aliunde quam ex ipso eventu, in vetustis Chronicis memorato, Eclipsim anni 664 tam accurate referre potuerint veteres Hiberni, qui non satis scientia Astronomica imbuti erant, ut plane patet ex Epistola de duabus Eclipsibus quam ad Carolum Calvum scripsit *Dungal* Hibernensis Doctor sæculi 8vi. (3)

Annalium Inisfalensium Continuator ad annum 1444, satis superque declarat, Scientiam Astronomicam, etiam ævo isto, Hibernis ita fuisse incertam, ut vix, ac ne vix quidem diem Paschæ designare potuissent.—"Hoc anno, inquit, magna controversia inter clerum Hiberniæ exorta est de "die Paschæ, nam Dominica Septuagesimæ incidit in diem 2m Februarii, et Quadragesima in "diem 23tiam ejusdem mensis, et dies Paschæ in diem sextum Aprilis, quod erroneum esse mani- "festum est."(4) Non aliunde ergo quam ex Monumentis vetustis, iisque eo fere tempore quo Eclipsis ista evenit exaratis, Annalium nostrorum Scriptores istam narrationem descripserunt. Cum enim nostris temporibus longe propiores, diem Paschæ ex regulis Astronomicis definire ignorarent,

---

(1) Nennius ed. Gale in xvm Script. Oxon. 1691, p. 94. Tigernachi Codex Bodl. ibid. fol. 1, col. 1.

(2) Cæsar ipse Comment. l. 4, et Dio l. 39, asserunt primum ejus in Britanniam adventum evenisse, *Pompeio et Crasso Coss.* i. e. U. C. 699. Atqui Eclipsis quæ evenit anno obitus Augusti, ex tabulis Astr. referenda est ad ann. æræ com. 14, et annus obitualis Augusti erat ex Fastibus U. C. 767, ergo annus quo Cæsar Britanniam venit fuit ante C. 55, ante obitum Augusti 68. Atqui J. Cæsar ait se advenisse *exigua parte æstatis reliqua,* et lunam plenam fuisse *4ta nocte* post ejus adventum, *appropinquante æquinoctio,* quæ omnia concurrunt cum *die 30 Augusti* post mediam noctem Ant. C. 55. Ergo Cæsar advenit *die 26to* anni istius. Philos. Trans. t. xvii, p. 495, item abridged, vol. 3, p. 412.

(3) Apud D'Acheri in Spicilegio t. x, Paris 1771. Confer Annal. Ult. Annot. p. 175, et *Diction. Hist. a Caen,* 1789, cum Morerii Dict. voce *Dungel,*

(4) Contin. Annal. Inisfal. MS. Cod. Clarend. in Bibl. Harleian. No. LXVIII. Catal. Ayscough No. 4799.

multo minus poterant *horam* Eclipsis anni 664, ulla arte patefacere. Attamen nullus extat auctor, quod sciam, in quo Eclipsis anni istius tam accurate quam in nostris Annalibus recensetur.—G. Mercator, qui Eclipsim istam a Beda *visam* asserit, ejus auctoritate adeo innixus est, ut exinde, tanquam a fundamento, novæ hypotheseos structuram chronologicam efformaverit, a *die tertio* Maii anni 664. (1) At Beda nullibi a se visam asserit. Imo vero novem ante eum natum annis evenisse, ex ejus narratione manifestum est. Inquit enim *se 59num ætatis annum egisse* anno Domini 731.(2)

Quid his responsuri sint qui Annales nostros parvi faciunt, ipsi viderint. Dicentne antiquos Hibernos ipsam *horam* Eclipsis anni 664, regulis astronomicis indagare potuisse, melius quam Beda *diem?* Id ut asserant, per me licet; et quidem non diffiteor Cycli Dionysiani errorem non fuisse Tigernacho penitus ignotum. Alius enim istius ævi scriptor Hibernensis Marianus, in Chronico ad annum 1082, quo idem ipse XIXni Cycli annus decurrebat, diserte asserit " Primam Paschalem " Lunam *iv Non.* April. apparuisse, cum *secundo Nonas* esse deberet." (3)

Matthæus de Mariano inquit " Chronicon suum perduxisse ad annum 1082, multum laborans ut " *errorem* de anno Domini corrigeret," et tam Sigebertus quam Marianus, Matthæus, Gervasius, et alii ex Historicis Anglo Normannis qui eos secuti sunt, calculum Dionysianum non penitus probarunt, rati Dionysium a Christi annis detraxisse annos xxiii, ut alibi indicavi.(4) Hinc Marianus in Chronico annos computat ab annis Christi, tum secundum Dionysium, tum secundum *Evangelicam veritatem*, uti et paulo postea Urbanus 2dus Pontifex, qui Rescriptum pro Cœnobio S. Michaelis ad Mosam sic terminat—" Data Laterani, vii Kal. April, anno ab Incarnatione, *secundum Dionysium*, MXCVIII, " secundum vero *certiorem* Evangelii probationem MCXXI, Indictione vi, Epacta xv, currente iv."(5)

At, etsi errorem perspexerint Hiberni, cum tamen, veritatem errori contrariam non perspexerint, quam nemo intellexit usque ad reformatum Calendarium anno 1582, sequitur non nisi ex vetustis Hibernorum Chronicis, potuisse eos Eclipsim anni 664 tam accurate enarrare.

Neque uno tantum, sed pluribus in locis, Bedæ errores nostrorum Annalium ope et auctoritate corrigendi sunt. Asserit Beda S.Columbam, in gratiam prædicatæ fidei, Hyonam a Pictis accepisse. Tigernachus autem, et Ultonienses, et IV Magistri acceptam referunt *Conallo filio Comgalli*, S. Columbæ consanguineo, Regi nempe Hibernorum qui sedes sibi in Albania Occidentali, ex Hibernia profecti, statuerunt. (6)

His quidem Beda antiquior est, sed antiquior est etiam respectu Eclipsis anni 664, et tamen ex Hibernorum Annalibus corrigendus. A pari, quamvis in re hac enarranda, Beda Annalibus nostris antiquior sit, eorum tamen auctoritate corrigendus est.

Et quidem, ut alia taceam, si situm Insulæ Hyonæ attentius consideremus, a Britonum et Pictorum finibus remotum, et Albanicis Hibernorum sedibus proximum, eo certè inclinabit animus a studiis partium alienus, ut Annalium auctoritati majorem fidem adhibendam esse censeat, quam Bedæ, qui nec erat testis oculatus, nec coævus, nec linguam noverat Hibernicam, nec satis sibi constat, cum

(1) Mercatoris Demonstr. Temp. c. 1.
(2) Bed. Hist. l. 5, c. ult. i. e. 24, et in Elencho de seipso, et Annal. Ult. ad ann. 653.
(3) Deberet nempe juxta Aureum Numerum XIX, in vulgato Calendario appositum, sed erronee.
(4) Florent. ad ann. 1028, p. 229, supra p. x. Item Gervas. Dorobernensis in Chron.
(5) Apud Mabil. Diplom. l. 2, c. 25.
(6) Annal. Ult. ad ann. 573, et Annot. ib. p. 123, 143, et supra p. xl, not. §.

† ¶

Pictos non adhuc ad fidem conversos fuisse indicat anno 562, quo Columba Hiiense Monasterium ædificavit. Insuper *Brudæus* Pictorum rex, cui Beda donationem tribuit, Paganus erat, et *S. Columbæ hostis*, testante Adamnano, S. Columbæ Successore, qui Beda antiquior est, (1) itemque Cummiano Albo, teste oculato, qui præterea inquit, Columbam ex Hibernia recto itinere Hyonam enavigasse, cum tamen non nisi post Pictos ejus prædicatione conversos, Hyonæ donationem factam fuisse, ex Bedæ narratione sequererur.—" Venit Britanniam Columba, regnante Pictis Bridio filio " Meilochon, Rege potentissimo, ixno anno regni ejus, gentemque verbo et exemplo ad fidem Christi " convertit. *Unde et præfatam Insulam Hii ab eis*, in possessionem Monasterii condendi, accepit."(2)

Hunc Bedæ errorem solito suo acumine notavit Mabillonius—" Non satis sibi constat Beda, cum " ait Scottos in Britanniam advenientes, ad maris sinus partem Septentrionalem sibi locum patriæ " fecisse l. 1, c. 1; et tamen Hiiensem Insulam a *Pictis* S. Columbæ donatam fuisse l. 3, c. 4. Hæc " enim Insula sita erat in regione Scotorum, teste Adamnano, qui Beda paulo antiquior, et locorum " magis gnarus habendus est." (3) Et quidem rationi absonum esse patet, Hibernos, bella cruenta contra Pictos, ab ineunte sæculo 6to, in ipsa interiori Britannia gerentes, in citerioribus tamen Insulis, eosdem Pictos quietem capere, et absolute dominari paterentur! Sed neque unquam fuisse tempus existimo, quo Insulæ Occidentales Pictorum Imperio subjacebant; quamvis Pinkertonus nimium incaute id asserat.(4) Alibi enim indicavi non solum Hiberniam, verum et Manniam, et Insulas, quarto exeunte sæculo, Hibernorum Imperio paruisse, (5) et *Monumenta Scotorum*, ad quæ Annalistæ Hiberni appellant, non solum Beda, verum etiam Adamnano antiquiora fuere, ut patet non solum ex dictis de Eclipsi anni 664, verum etiam ex eo quod, inter alia monumenta a Tigernacho, et in Annalibus Ultoniæ citata, extitere Opera *Finni mc Cumhal*, *Oissini*, *Oilill Olum*, *Cormaci mc Con*, *Dubthachi*, *Fiechi*, *Benigni*, *Liadoci*, *Cannici*, *Columbæ*, *Dallani*, *Ultani*, *Aedi* Regis, *Cœnfaeladii*, *Cuanachi*, *Becci* filii *Dea*, qui obiit anno 626, et aliorum.

Plurimos etiam Poetas Chronographos memorant, qui ante octavum sæculum floruere, ut in Tigernachi Codice folio 15, columna 1, linea 34, ad annum 748—" *Ruaman mac Colmain* Poeta optimus quievit."—Denique Adamnanus prælium *Moinmoire* gestum fuisse narrat, agente S. Columbæ in Hyona, eodem anno quo ex Hibernia *primo* in Britanniam navigavit, i. e. exeunte anno 562, ineunte anno 563, quod tamen a Beda refertur ad annum 565. (6)

Atque hic observandum puto, non solum in Hiiensis Monasterii origine, sed etiam in Columbæ Chronologia Bedam a nostris Annalibus castigandum esse, itemque Hermannum Contractum, Florentium, Fabium Ethelredum, Hen. Huntingdonensem, Chronicon Saxonicum, (7) Mabillonium, (8) et alios, qui Bedæ auctoritate decepti fuere. Columbæ enim obitum refert Beda ad

---

(1) Adamn. Vita Col. l. 1, c. 37, p. 347, l. 2, c. 35, p. 358, IV Magistri ann. 572, Ulton. ann. 623 et 703, Cummiani Vita Col. c. vi, Triad. p. 326, et c. xi ib. (2) Bed. Hist. l. 3, c. 4, ed. Cantab. p. 106.

(3) Mabillon. Annal. l. 3, n. 8, p. 210, et l. 9, c. 19, p. 250.

(4) " The kingdom of Dalriada *certainly* never extended over the Hebrides, for our Chronicles mark it as reaching " from *Drum Alban* on the East, usque *ad* mare Hiberniæ, et *ad* Inch Gall on the West. Now *ad* is not *supra*." Pinkerton's Enquiry vol 2, p. 97, not. a.!—Romani tamen Scriptores inquiunt Imperii limites *ad* Britanniam protensos. Sic Imperium Hibernicum ad *Insulas Ebudas*, ad *Manniam*, Albaniamque, sæculo ivto protensum fuisse, Seldenus fatetur, et lingua Hibernica, in iisdem Insulis etiam abinde usitata, demonstrat. Vide plura in Annalibus Ult. p. 132.

(5) Annal. Ult. Annot. p. 143. Præterea Ptolemus Ebudas refert ad mare Hibernicum, Ωκεανος Ιυερνικος.

(6) Bed. l. 3, c. 4. (7) Oxon. 1692, p. 21. (8) Mabil. Annal. l. 8, n. 8, p. 210.

annum 597.(1) Annales autem nostri ad ann.596—" Kl. iv. Quies *Coluim cille* in *nocte Dominica* " *Pentecostes* iv Id. Junii, anno peregrinationis sue xxx, etatis vero lxxvii."(2)

Adamnani verba plane indicant Bedam a nostris Annalibus corrigendum esse. Inquit enim " Columbam, *mense Maio*, post *Paschalem Solemnitatem*, nuper *Aprili* peracta mense, paucis trans- " actis diebus, *die Sabbati*, ad vespertinalem *Dominicæ noctis* Missam, ingressum Ecclesiam, et " media nocte, pulsata personante clocca,(3) juxta altare, flexis in oratione genibus, exhalasse spiri- " tum."(4) Eadem habet Cummianus testis oculatus, cujus Opusculum de Vita Columbæ ab Adamnano laudatum l. 3, c. 5, ex antiquo Codice edidit Mabillonius. (5) Cum ergo dies obitus inciderit in ixnum Junii, sequitur Bedam a Tigernacho castigandum esse, ut ex subjecta tabella patebit.

A. D.	*Cycl. Sol.*	*Cyc. Lun.*	*Kl. J*	*Lit.*	*Non. Jun.*	*Pascha*	*Pent.*
591	XII	III	2	G	Sab.	Apr. 15	Jun. 3
592	XIII	IV	3	F E	Lun.	Apr. 6	Mart. 25
593	XIV	V	5	D	Mart.	Mart. 29	Maii 17
594	XV	VI	6	C	Merc.	Apr. 11	Maii 30
595	XVI	VII	7	B	Jov.	Apr. 3	Maii 22
596	XVII	VIII	1	A G	Sab.	Apr. 22	Jun. 10···
597	XVIII	IX	3	F	Dom.	Apr. 14	Jun. 2
598	XIX	X	4	E	Lun.	Mart. 30	Maii 18
599	XX	XI	5	D	Mart.	Apr. 19	Jun. 7
600	XXI	XII	6	C B	Jov.	Apr. 10	Maii 29
601	XXII	XIII	1	A	Ven.	Mart. 26	Maii 14
602	XXIII	XIV	2	G	Sab.	Apr. 15	Jun. 3
603	XXIV	XV	3	F	Dom.	Apr. 7	Maii 26
604	XXV	XVI	4	E D	Mart.	Mart. 22	Maii 10
605	XXVI	XVII	6	C	Merc.	Apr. 11	Maii 30
606	XXVII	XVIII	7	B	Jov.	Apr. 3	Maii 22

Ergo Columba natus est anno 519, obiitque anno 596; ac proinde in Albaniam ex Hibernia navigavit *primum* anno 562, et S. Scripturæ Codices, ab eo in *Britannia* descripti, *post* annum 562, alii autem in *Hibernia* descripti *ante* annum istum exarati fuere.

(1) Quatenus inquit Columbam in Britanniam venisse anno 565, et *xxxii annis* in Britannia commorasse, usque ad obitum. Ed. Cantabr. 1722, p. 106. (2) Tigernach. Cod. Bodl. No. 488, fol. 9, col. 4, lin. 42.

(3) Clocca vox est Hibernica *Clocc* Campana, Horologium. Confer Ceolfridi Abbatis Epist. ad Naitanum Regem Pictor. Bed. l. 5, c. 24, ubi Æquinoctium ad diem 21 Martii ope *horologii* se statuisse declarat.

(4) Adamn. ibid l. 3, c. 22, 23, et in Præfat. p. 337.

(5) Acta Bened. sæc. 2, c. 28. Item in Triade c. 32. Laudatur a Walafrido Strabone in Vita S. Galli apud Surium

Ex his etiam castigandi sunt Annales Ultoniæ, qui Columbæ nativitatem recte referentes ad annum 518, æræ nostræ 519, ejus obitum referunt ad annum ætatis 76, æræ nostræ 595,(1) cum id referre deberent ad annum ætatis 77, æræ nostræ 596.

Quod si objiciatur diem XIII Junii in Dominicam incidisse anno etiam 597, Antiquos obstare respondeo, uno ore affirmantes, Columbam media nocte Dominicam *Pentecostes* præcedente obiisse. Pentecostes enim anno 597, non in nonum vel decimum Junii, sed in secundum incidit.—Hinc sequitur IV Magistros, Columbæ obitum referentes ad annum 592, æram communem annis quatuor antevertere. Dies enim nonus Junii non in Sabbatum, sed in diem Lunæ incidit anno 592.—Sequitur etiam vetusta Martyrologia recte notare Natale S. Columbæ *nono Junii*, et accurate convenire Ecclesiæ Hibernicæ praxim, qua ejus festum eodem die celebratur, idque ex vetusta traditione, quæ supponit horam obitualem non ad Dominicam pertinere, vel ad decimum Junii, sed ad *Sabbatum, et ad nonum.* Præterea Hermannus Columbæ obitum recte refert ad ann. 596, ætatis 77.

Sequitur denique errare Bedam, et omnes qui ejus in Britanniam adventum referunt ad annum 565.(2) Anno enim ætatis 42 in Britanniam venisse, ibique annis 34 mansisse, testantur Adamnanus in Præfatione, et l. 3, c. 22, et Cumineus in c. 32. Nativitatis *annum* recte referunt Ultonenses ad annum æræ communis 519, *diem* vetus traditio ad 7mum Decembris, (3) nam a 7mo Decembris anni 519, ad 9num Junii anni 596 intercurrunt anni 76 et sex menses, et Adamnanus et alii qui dicunt vixisse in Hibernia annis 42, et in Britannia 34, loquuntur de annis completis et consummatis. Alii vero qui dicunt anno ætatis 77 obiisse, (4) loquuntur de septimo inchoato sed non completo. Verbo dicam, Dominica Pentecostes incidit anno 596 in diem x Junii, inchoatum more Romano, a media nocte, quæ diem nonum ejusdem mensis terminavit. Constat igitur ex nostris Annalibus, Columbam biennio citius in Britanniam venisse, et biennio longius ibi commorasse, quam a Beda narratur.

Codicum ætates horum Annalium ope definiuntur.

Sunt quibus hæ disquisitiones non magni momenti videbuntur, neque enim interesse putant nonnulli, quo anno Episcopus quivis, vel Abbas, vel Scriba, aut Regulus Hibernensis obierit, qui omnes a multis retro sæculis illacrymabiles periere.

At, si ex rebus, licet in se minimis, arma viris doctis et veri studiosis suppeditare possimus, quibus valeant portentosa recentiorum figmenta retundere, et quæ in Codicibus mendosa sunt ad pristinam restituere integritatem, verasque Codicum et Diplomatum ætates definire, æqui rerum æstimatores talia pro parvis habenda esse minime patientur.

Exemplum afferre juvat, quo hujus argumenti vis et præstantia dignoscatur.

---

tom. v, Octob. 16, c. 1.—Præterea Brendanus Rex Teffiæ, qui locum condendo Monasterio, *Dear-Magh* dictum, nunc *Durrow*, S. Columbæ donavit, obiit undecim annis ante obitum Columbæ, anno 585. Confer Bed. Hist. l. 3, c. 4, cum Tigernacho MS. Bodl. fol. 6, col. 4, et cum nota MS. marginale in Stephani Beda Lond. 1722, p. 186, in Bibl. Stowe.

(1) Vide notam nostram ad Annal. Ult. ann. 594, p. 33, Annot. ib. p. 123, et Prolegom. supra p. xl. not. 5.

(2) Bed. l. 3, c. 4, et Bedam secuti Hermannus Contractus, Florentius, Chron. Saxon. Fabius Ethelredus, Henr. Huntingdon, Capgravius, et alii.

(3) Martyrol. Dungal. ad 9 Junii, Marianus Gorman, Magnus O'Donnel c. 57, et alii in Triade p. 483.

(4) Beda l. 3, c. 4, Hermannus, Capgravius, IV Magistri, &c.

Extat in Bibliotheca Harleiana Codex antiquus Hibernicus quatuor Evangeliorum, cujus Amanuensis, qui seipsum *Maelbrigtam* appellat, inquit se finem Codici imposuisse, anno quo *Cormac mc Carthy*, Rex et Episcopus Momoniæ, interfectus est a Tordelbaco O'Brien.(1) Postea varia subjungit temporum et personarum adjuncta, quæ eodem anno evenerant, eaque in unam anni istius notam chronicam congerit, iisdem characteribus, et eadem manu qua totus Codex exaratus est. Habemus itaque Maelbrigtam, testem oculatum, testimonium *autographum* reddentem factis historicis, quæ, suo ævo, totæ Hiberniæ patefiebant. Ergo, si eadem facta, iisdem temporibus, in nostris Annalibus occurrunt, eidemque anno conveniunt, ab ipso testis oculati *autographo* procul dubio confirmantur, et ambo, mutuo auxilio, tam Codicis Harleiani ætatem, quam Annalium Hibernensium fidem, mutuis viribus sustentant.

De eodem hoc *Cormaco M' Carthy* agit alius scriptor coævus, S. Bernardus, in *Vita S. Malachiæ* Primatis Hiberniæ, (2) ex qua constat, Tordelbacum O'Conor Hiberniæ Regem, Cormaco agris exuto, fratrem ejus *Donatum mc Carthy* in Australis Momoniæ regno, et Concobarum O'Brien in Aquilonari substituisse. " Quare, inquit S. Bernardus, *Cormacus* Rex, pulsus regno, ad Episco- " pum Malachiam confugit, non tamen ut ope illius regnum recuperaret, sed magis Princeps devo- " tus dedit locum iræ, et necessitatem in virtutem convertit, privatam eligens ducere vitam.— " Paulo post, Concobarus O'Brien, videns quæ facta sunt, repletus est zelo, et miseratus regni desola- " tionem, et Regis (Cormaci) dejectionem, (cum fratre Tirdelbaco) descendit ad cellulam pauperis, " cui Cormacus, accedente mandato Episcopi, et Malachiæ consilio, vix tandem acquiescit. Pulsis " itaque Prædonibus, reducitur in sua, cum exultatione suorum, regnoque restituitur suo. Deinde " S. Malachiam, ab Ardmacha hostibus irruentibus expulsum, excipiens, illi et centum viginti " fratribus comitibus necessaria omnia subministrans, *Ibracense* quoque monasterium quod incole- " rent eis extruxit, adducta incontinenti animalia multa ad usus fratrum, multa insuper in auro et " argento ad sumptus ædificiorum pro Regia liberalitate collata."

Hæc S. Bernardus, sed annos quibus hæc gesta fuere non indigitat. Scribit Waræus Monasterium *Ibracense* prædictum, suo judicio, fuisse illud quod in comitatu Corcagiensi extruxit *Cormacus mc Carthy*, Rex Momoniæ, pro Canonicis Regularibus S. Augustini, ante adventum Anglorum anno 1134,(3) quodque Diarmitius, ejusdem Cormaci filius, et successor, possessionibus ditavit.

Giraldus Diarmitium illum, Cormaci filium et successorem, regem *Corcagiæ*, et Duvenaldum O'Brien *Limbrici* Regem appellat. *Corcagia* nempe Australis Momoniæ caput, *Limericum* Septentrionalis Regia habebatur. Gratianus Lucius Donati Mac Carthii Muscriæ Vicecomitis genus a Cormaco deducit A. D. 1662, his verbis—" Donatus enim filius est Cormaci, nepos Dermicii, pro- " nepos Thadæi, abnepos Cormaci junioris, abnepos Cormaci, trinepos Thadæi, qui patrem habuit " Cormacum, avum Dermicium magnum, proavum S.Cormacum."(4) Sed hæc quam incerta sint,

(1) Codex Harl. No. 1802.

(2) S. Bernardi Opera edita a Mabillonio. Paris 1690, duo vol. folio. Vit. S. Malachiæ c. 3 et 6.
Ergo ex S. Bernardo, Scriptore coætaneo, *Cormac M' Carthy* Episcopus Casselensis, Tirdelbac O'Conor Rex Connaciæ, Concobar O'Brien Rex Momoniæ Aquilonaris, et S. Malachias Episcopus Ardmachanus simul floruere.
De Concobaro O'Brien agit Chronicon Ratisbonense editum a Stephano Vito, ad ann. 1130 et 1140.

(3) Antiq. Hib. Lond. 1654, p. 196.

(4) Cambrens. Evers. ed. 1662, p. 162.

quamque parum valeant ad annum mortis Cormaci definiendum, vel inde constat, quod Cormacum anno 1138 interfectum fuisse tradit, ac proinde non nisi novem generationes, spatio annorum 524, ab anno 1138 ad ann. 1662 assignare convincitur! quod absurdum esse manifestum est, cum cuique generationi 60 plus minus annos, prepostere, contra naturæ leges, et experientiæ fidem ascribat!

Habemus itaque Codicem Harleianum, cujus ætas nullo modo definiri potest, nisi statuatur quo anno simul regnaverint Reguli Hibernenses *Midiæ*, *Connaciæ*, *Momoniæ*, *Argialliæ*, *Alichiæ*, *Ulidiæ*, *Lageniæ*, &c. qui, in fine Codicis, simul regnasse traduntur, eo ipso anno quo amanuensis *Maelbrigda* finem Codici imposuit. *Simonius*, vir alioquin eruditus, nesciens qua lingua, vel quibus characteribus hoc Maelbrigdæ testimonium autographum scriptum fuerit, suo tamen periculo, *nongentis* ab hinc annis, et literis *Saxonicis*, exaratum esse declarat. Sed characteres esse elegantiores, imo et *diversos* fatetur, ab istis vere Saxonicis, quos, in *Arte Diplomatica*, edidit Mabillonius. (1)

Quod elegantes sint, et *a Saxonicis diversi*, inspicienti manifestum est; neque secum constat qui, uno loco, Saxones appellat, quos altero, a vere Saxonicis Mabillonii diversos asseverat; falso etiam divinans ætatem Codicis posse ex solis characteribus definiri, cum contrarium pateat de Codicibus Græcis, et Latinis,(2) a fortiori autem de Hibernicis. Hiberni enim, a toto orbe remoti, nec iisdem Barbararum gentium incursionibus vexati, usibus antiquis tam mordicus adhæserunt, ut omnes eorum Codices, cujusvis sæculi, iisdem fere characteribus scripti sint; quibus Codices Latini sæculorum vi*ti*, vii*mi*, et viii*avi*, qui in Bodleiana, Cottoniana, et Vaticana conservantur. (3) Neque multum discrepant characteres Codicis prædicti Hibernici IV Evangeliorum in Harleiana, vel Codicis Tigernachi Oxoniæ, vel Codicis Poematum Hibernicorum in Bibliotheca Stowense No. I, vel Libri *Din-Seanchusa* ibidem No. VIII, vel Chronici Connaciæ ibid. No. IX, vel Libri Astronomici ibid No. X, aut a se invicem, aut a characteribus Codicis *Epistolarum S. Pauli* sæculi viii, in Bodleiana, (4) vel textus celeberrimi Codicis *Rushworthiani*, (5) quem Bedæ fuisse falso oppinatur Wanleus, cum a Monacho Hibernense scriptum fuisse constet, non solum ex characteribus plane Hibernicis, sed ex ipso nomine Scriptoris *Mac Regol*, (6) quem Hibernum fuisse, nomen *Mac*

---

(1) "Ils sont tres beaux, et different de ceux que le Pere Mabillon a representez dans la Diplomatique." Simon Bibl. Crit. t. 1, c. 18, p. 271.

(2) Vide Mabillonii cum Papebrochio de re Diplomatica controversiam.

(3) Quæ sequuntur Lectoribus ea Lege expendenda subjicio, ut quam diligentissime argumenti vim perpendant, et si a veritate discedo refellant. Amicus Plato, Amicus Socrates, sed magis amica *veritas*.
Characteres Hibernici cujusvis sæculi iidem sunt ac characteres Codicis Ninniani *de ponderibus et mensuris*, in Bodleiana N. E. D. 19, fol. 23. Vide Wanlei Catal. Oxon. 1705, p. 63. Iidem sunt ac characteres Codicis Poematum Juvencii, cui titulus—"Juvenci Presbyteri Paraphrasis in Evangelia," quem Codicem Hibernicum esse, evidenter patet, ex eo quod nonnullas voces Latinas reddit amanuensis in Hibernicas. Ita *Canus* redditur *Ceinth-liath*. Extat autem Codex hic in Bibliotheca Cantabrigiense.

(4) Laud. E. 67, f. 69.

(5) De Codice Rushworthiano notandum est, quod Amanuensis *M' Regol* seipsum in genetivo casu appellat *Mac Reguil*, quod si Latinus fuisset, scripsisset in genitivo *Mac Regoli*, vel Mac Regolii. Hiberni autem genitivum efficiunt scribendo literam *i* non post ultimam literam nominativi, sed vel ante, vel post ultimam vocalem, quam in monosyllabis omittunt ut *i* substituatur, ut *mac* filius, *mic* filii, at in pollysyllabis ut supra *Mac Regol*, gen. *Mic Reguil* vel *Mic Regiul*.

(6) Ibid. D. 24, No. 3946. "*Macregol* depinxit hoc Evangelium. Quicumque legerit, &c. orat pro *Macregiul* Scriptore." Vide in fine Codicis, et Wanlei Catal. Oxon. 1795, p. 81.

absque dubio demonstrat, et Abbatem Monasterii Birrensis in Lagenia, et Episcopum, et anno 820 obiisse, Annales nostri testantur; neque ullus unquam fuit, quovis sæculo, vel Britannus, vel Saxonus, vel Anglo-Normannus nomine *Mac Regol* appellatus, cum *O'* et *Mac* sint *exclusive* Scoto-Hibernici nominis designationes.

Scriptorum Saxonum de hoc *Mac Regol* profundum est silentium, ita quidem, ut nihil comperti, de eo invenire potuerit Wanleus.(1) Itaque nonnullis modestius fuisse reor, quæ nescierunt silendo pudori servire, quam, falsa comminiscendo, ab antiqua Hibernia laudem tanti Codicis abjudicare.

Concordant enim characteres Hibernici cujusvis sæculi, vel saltem in minimis discrepant, a characteribus Codicis *de Computo*, sæculi ix, in Bodleiana.(2) Conveniunt item cum characteribus Codicis cui titulus *Prosa Aldhelmi* in Cottoniana,(3) cujus specimen exhibetur in Catalogo Regio,(4) cum alio Codice Hibernico Cottoniano, *Galba A.*V, qui in edito Catalogo dicitur erronee(5) characteribus *Saxonicis* scriptus, quamvis Codex ipse hanc præseferat in ipso titulo Rubricam—"Psalmi Davidis charactere *Hibernico* vetustissimo. Præfigebantur olim hæc verba—*Liber Oswini* "*Regis.*"

Cum ergo ex *solis* characteribus nequeat definiri, quo anno Codex Harleianus Hibernicus IV Evangeliorum exaratus fuerit, et cum annus iste designari nequeat, nisi primo statuatur quo anno *simul vixerint* Principes, et Reguli, Episcopi, et Abbates omnes quos *Malbrigta,* Codicis Scriptor, simul in vivis esse testatur eo ipso anno quo Codicem scribere terminavit, quod, absque dubio, nequit aliunde quam ex Annalibus nostris Hibernicis ullatenus definiri, sequitur *primo,* non modicam esse horum Annalium utilitatem, etsi istorum Regulorum, Episcoporum, et Abbatum annos definire, plus laboris quam momenti res esse videatur. Sequitur *secundo,* fidem horum Annalium, *ipsa manu Maelbrigtæ* Scriptoris coætanei, de cujus testimonio nullus est dubitandi locus, ultra omnem controversiam confirmari.

Jamque ad ipsa Maelbrigtæ verba, ex Codice Harleiano 1802 fideliter decripta, accedamus.

I.—In fine Evangelii S. Matthæi— "*Or do Maelbrigte qi scribst h.c librum. Is mor* "*mignimh Corm.c mc Carthaig domarbad o Tair-* "*delbach h. Briain.*"	I.— [Ora pro Maelbrigta, qui scripsit hunc librum. Magnum facinus est Cormacum Mac Carthy occisum esse a Tordelbaco O'Brien.]
II.—In fine Evang. S. Lucæ— "*Or do Maelbrigte qi scribst h.c librum xxviii an.* "*etatis sue, in dara bl. iar sin gocthaig moir sh.*"	II.— [Ora pro Maelbrigta, qui scripsit hunc librum 28 anno ætatis suæ, secundus annus post ventum magnum is (erat.)
III.—In fine Ev. S. Johannis— "*Or do Maelbrigte hua Maelruanaig q.scribs.t h.c*	III.— [Ora pro Maelbrigta O'Maelruanaig, qui scripsit

(1) Wanlei Catal. p. 81. (2) Digby 63. (3) Vitellius F. 3. (4) Catalog. Bibl. Reg. Tab. XIII.
(5) Galba A. v. Cod. membr. in 8o minori constans hodie foliis 35, igne et madore corruptus. Vide Catal. novum nunquam nimium laudandum, in quo error hic castigatur pag. 242. Londini folio, cura viri diligentissimi *Jos. Planta.*

" *librum ·i· innardmacha, ocus in niamsir Donn-*
" *chatha hua Cerbaill ardrig Airgiall ro scribad,*
" *·i· imbliadain dan seside dea for Kl. enn. ·i·*
" *isinblian romarbad Corm.c mc Cardaig rig Escop*
" *Muman, 7 h Erenn archena innaamsir. ateat so*
" *hi rigra h Erenn isinnamsir sein, ·i· Murcer-*
" *tach mc Neil ua Lochlaind Ailiuch. Cu Ulad*
" *mc Conchobuir rig Ulad. Murcath ua Mael-*
" *sechlaind rig Mide. Diarmait mc Murchada*
" *rig Lagen. Conchobor ua Briain rig Muman.*
" *Tairdelbach ua Conchobair rig Connacht.*
" *Gilla mc Liac mc mic Ruadri hi Comarbas Pa-*
" *traic,* (inter lineas, *·i· mc ind ir dana do ib*
" *Birimm.*) *Bannach ar cech oen legfas fris in*
" *lebursa, gebed pr. ar anmain en scribeda, uair*
" *is mor hac eter etir corp ocus tractad ic.*"

hunc librum, id est in Ardmacha, et in tempore Donnchadi O'Carroll regis Argialliæ scriptus est. Hoc est post Bissextilem 2do supra Kal. Jan. anno quo occisus est Cormac mac Carthy, Rex Episcopus Momoniæ et Hiberniæ similiter suo tempore. Hi fuere Reges Hiberniæ tempore isto, id est, Murchertach filius Nialli O'Lochlin rex Alichiæ. Cuulad filius Concobari rex Ulidiæ. Murcath O'Malsechland rex Midiæ. Diarmitius mac Murchad rex Lageniæ. Concobar O'Brien rex Momoniæ. Tordelbach O'Conor rex Connaciæ. Gildas Mac Liag, filius filii Roderici, Successor S. Patricii, (inter lineas, i. e. filius viri Poematum, de clientela Bearim.) Benedictio supra quemcumque legerit hunc librum, qui recitaverit *Pater* pro anima Scriptoris. Nam magnum discrimen intercedit inter ægritudinem corporis, et tractatum de remedio.]

Decem itaque characteres anni istius, quo Maelbrigta(1) Codici Harleiano finem imposuit, quique ad unum quemdam æræ communis annum revocandus est, et ope Annalium nostrorum definiendus, hoc ordine ab eodem descripti leguntur.

1 *Anno secundo post ventum magnum.*
2 *Regnante Donnchad O'Carroll rege Argialliæ.*
3 *Anno quo Cormac Mac Carthy, rex et Episcopus Momoniæ, occisus est a Tordelbaco O'Brien.*
4 *Quo Murcertach mac Neil O'Lochlin rex erat Alichiæ.*
5 *Quo Cu Ulad filius Concobari rex erat Ulidiæ.*
6 *Quo Murcath O'Maelsechland rex erat Midiæ.*
7 *Quo Diarmait mac Murchad rex erat Lageniæ.*
8 *Quo Concobar O'Brien rex erat Momoniæ.*
9 *Quo Tordelbac O'Conor rex erat Connaciæ.*
10 *Quo Gildas Mac Liag erat Primas Ardmachanus.*


A sæculo inauditum esse existimo, in rebus præsertim Septentrionalibus, veritatem facti cujuscumque antiqui tanta rerum in uno anno concordantium varietate, totque personarum, locorum, et circumstantiarum adjunctis, quæ alibi quam in nostris Annalibus inveniri nequeunt, possit tam dilucide et inconcusse demonstrari.

(1) IV Magistri pariter ad annum 1138 eum *filium Poetæ* appellant.
(2) Alii fuere et plurimi hujus nominis Scriptores, Episcopi, et Abbates.—Convenit cum hujus ætate *Maelbrigda O'Brolchan*, de quo vide IV Magistros ad ann. 1139, et Colgani Acta p. 108, col. 2. At, diversum esse infra patebit.

CODICES HIBERNICI SÆCULI XII ET XIII.


Ex Codice Harleiano M.S. 1802 Scripto anno 1138.

№ 1



Ex Codice Hibernico Bodleiano Platonis Timeus Chalcidii


№ 2



Socrates in exhortationibus
s.s virtutem laudans. cum omnium
bonorum totiusque prosperitatis
causam consistere penes eam
diceret. addidit solam esse quam.


Ex Codice Hibernico Bodleiano Rawl. 487. cui titulus Leges Ecclesiasticæ fol. 55.

№ 3



Ex Codice Rawl. 505 fol. 210. Martyrologium Ængusii Colidei.

№ 4



Constat ex nostris Annalibus, omnes Regulos a Maelbrigta memoratos, quamvis diversis temporibus natos et defunctos, diversa Imperii duratione, et variis Hiberniæ regionibus, felici vel infelici exitu regnaverint, omnes tamen anno 1138, quo *Cormac mc Carthy* occisus est, simul floruisse, et in nullo alio anno posse omnes hos characteres simul consistere, vel convenire. Ergo Codex iste Harleianus eo anno exaratus est, ac proinde, sequitur ea quæ de Hibernorum pristina barbarie, a Giraldo et aliis exprobrantur, non nisi caute accipienda esse, præsertim cum characteres, pergamena, et atramentum præstantissimi sint generis, et ad libros æternitati quodammodo dicandos idonei; unde patet fucum lectoribus facere, qui in tota gente Hibernica, si quid ingenii, si quid cultus, si quid literaturæ, vel bonarum artium unquam extitit, illud totum in Anglicum Imperii moderamen, penitus refundere conantur!

Historicam veritatem aliter intellexit Camdenus, qui inquit, " Anglosaxones ab Hibernis rationem " formandi literas accepisse, cum initio eodem plane charactere usi fuerint, qui hodie Hibernis " est in usu."(1)—Vir nempe doctissimus ignorare non potuit " Anglosaxones in Hiberniam, tan-" quam ad bonarum literarum mercaturam, undique confluxisse, unde de viris sanctis sæpissime in " nostris Scriptoribus legitur—amandatus est ad disciplinam in Hiberniam."(2)

Giraldus de libro Kildariæ, suo ævo extante, et a se viso, inquit—" Liber mirandus, tempore " Virginis, ut aiunt, (i. e. sæculo VIto,) Angelo dictante conscriptus. Continet IV Evangelistarum " juxta Hieronymum concordantiam, ubi quot paginæ fere sunt, tot figuræ diversæ, variisque colori-" bus distinctissimæ. Hic majestatis vultum videas divinitus impressum, hinc mysticas Evange-" listarum formas, nunc senas, nunc quaternas, nunc binas alas habentes, hinc aquilam, inde vitu-" lum, hinc hominis faciem, inde leonis, aliasque figuras pene infinitas, quas si superficialiter, et " usuali more, minus acute conspexeris, litura potius videbitur quam ligatura, nec ullam attendens " prorsus subtilitatem, ubi nihil tamen præter subtilitatem. Sin autem ad perspicacius intuendum " oculorum aciem invitaveris, et longe penitius ad artis arcana transpenetraveris, tam delicatas et " subtiles, tam actas et arctas, tam nodosas, et vinculatim colligatas, tamque recentibus adhuc co-" loribus illustratas, notare poteris intricaturas, ut vere hæc omnia angelica potius quam humana " diligentia jam asseveraveris esse composita. Hæc equidem quanto frequentius et diligentius in-" tueor, semper quasi novis obstupeo, semperque magis ac magis admiranda conspicio."(3)

Cum his conferantur quæ de *legibus scriptis* Hibernorum dicuntur in Remonstrantia Magnatum Hiberniæ scripta anno MCCCXVI, (4) et quæ de Hibernorum artibus liberalibus congessi in Annalium Ultoniæ Annotationibus a pag. 123 ad pag. 194, itemque ad annos 438, et 938, et alibi passim.(5)—Longe ante Giraldum Auctor Vitæ S. Dagæi scripsit, Mocteum Episcopum Lugmadensem (hodie Lowth,) qui sexto sæculo floruit, manum *Dagæi* discipuli benedixisse, dicens " Plurima " de *ferro*, et *ære*, de *auro*, atque *argento* utensilia, ad usum Ecclesiæ pertinentia, arteficiose " manus ista operabitur, quod postea completum est.(6) Idem enim Episcopis, Abbatibus, aliis-

(1) Gough's Camden, t. 3, p 467. Annal. Ulton. Annot. a p. 128 ad 130, et a p. 153 ad finem.
(2) Confer Camdenum ibi cum Beda Hist. l. 3, c. 3.
(3) Giraldi Topogr. Hibern. Francofurti 1603, Dist. 2, c. 38, p. 730. De eodem libro agit Stanihurstus in l. 4to de Reb. Hibern. Lugd. Batav. 1584, p. 189, ex Giraldo.
(4) Supra p. xliv-v.
(5) Vide hæc Prolegomena passim, et Dissertationem de Characteribus Ogham ad calcem Inisfalensium, p. 124, &c.
(6) Confer Annal. Ulton. Annot. p. 126.

" que Hiberniæ Sanctis, Campanas, Cymbala, Baculos, Cruces, Scrinia, Capsas, Pixides, Calices, " Altariola, Chrismalia, *Librorumque Co-opertoria*, quædam horum nuda, quadam vero alia *auro*, " atque *argento*, *gemmisque pretiosis* circumtexta, ingeniose ac mirabiliter composuit." (1)

Jam vero hæc omnia, quæ longe ante Anglorum adventum evenere, non aliunde quam ex nostris Annalibus, ad sua quæque tempora revocari, non aliter ad suas quasque rationes Chronologicas restitui, aut ullatenus in medium pro rebus antiquis Historicis afferri posse dignoscuntur. Non satis est enim rem aliquam asserere, nisi et secum, et cum aliis vere antiquis, et vere genuinis, constare demonstretur. Sic, exempli causa, omnes fere recentiores asserunt, *Diarmitium Mac Murchad* Lageniæ Regem, ob raptam *Dervorgillam*, uxorem Tigernani O'Ruarc, in Angliam expulsum fuisse.(2) At, ex nostris Annalibus patet, *Dervorgillam* raptam fuisse anno 1152, (3) et restitutam anno 1153,(4) et obiisse in pœnitentia monastica in Monasterio Mellifontense anno 1193.

Ergo 14 anni interfuere inter raptam Dervorgillam et expulsum Diarmitium, et anni 19 ab eadem rapta ad ejusdem Diarmitii obitum, et adventum Henrici 2di, anno 1171.—Præterea Dervorgillæ nativitas incidit in annum 1114, ac proinde ad ætatis annum 52um pervenit anno expulsionis Diarmitii, qui et ipse ad annum ætatis 70mum, regni 40mum, eodem anno pervenit!

Attamen raptum Dervorgillæ, uxoris O'Ruarcii, et filiæ Murchertachi O'Maelsechnal Regis Midiæ, unicam fuisse expulsi Diarmitii causam, scribunt Giraldus, Reganus, Campionus, Hanmerus, Stanihurstus, et omnes fere Anglo-Normanni Scriptores a sæculo xiimo! (5)

I.—Quemadmodum autem ex nostris Annalibus patet non omnino veram esse narrationem istam, sic, a pari, ex iisdem demonstratur annus a Maelbrigda designatus, quo Codici IV Evangeliorum a se descripto finem imposuisse declarat. Primus enim istius anni character est—" *In dara bl. iar* " *sin goethaig moir*."(6) [Secundo anno post ventum magnum.]—Atqui ventum ingentem notant IV Magistri ad annum 1137, " *Gaoth mhor fo Er co ro trascar cranda iomdha, tighe, templu, 7 cumh-* " *da ti. Ro fhuadaicch dan daine, 7 innile isin ffairece i maigh Conaille.*" [Ventus ingens per Hiberniam prostravit arbores plurimos, domos, Ecclesias, et tecta domorum, abstulitque plurimos homines, et armenta in mare in planitie Tirconalliæ.]—Iidem Annales ad eundem annum Præpositum Dorensem *Gildam mac Liag*, quem S. Bernardus Gelasium appellat, ad sedem Ardmacanam evectum fuisse declarant.

II.—Secundus character ejusdem anni a Maelbrigda designati est—" *Isin blian romarbad Cormac*

---

(1) Edidit Colganus in Actis p. 733.

(2) Hanc narrationem de raptu *Dervorgillæ* conferunt cum raptu Helenæ, Mitford Hist. of Greece vol. 1, c. 1, § 4, Morritt Vindication of Homer, Lond. 1798, p. 7.—Omnes serviliter adhærent Giraldo. Vera expulsionis Diarmitii causa refertur in IV Magistr. Annal. ad ann. 1141, et 1166 quo Diarmitius expulsus est, non anno 1167, ut habet Lelandus Hist. Hib. t. 1, p. 16. Confer Annal. Inisfal. p. 113, not. 2, et p. 114, not. 2.

(3) IV Magistr. Annal. ad ann. 1152. Tigernachi Contin. MS. Bodl. Rawl. No. 488. (4) Ib. 1153.

(5) Epistolam invenio a Stanihursto editam, et O'Ruarcio adscriptam, in qua a Rege Roderico petit, ut læsa mariti jura vindicaret. At istam Epistolam, et totum *Regani* Opus supposititium esse, alibi indicabo.
Errant omnes qui dicunt Dervorgillam *uxorem* fuisse Murchadi O'Maelsechlan Regis Midiæ.—Errat Keatingus dicens filiam fuisse *Murchadi mc Floinn* Regis Midiæ. Scriptorum errores vel enumerare volumen exigeret. Obitum Dervorgillæ refert, ex Waræo et aliis, Archerus in Monast. Hib. ad annum 1193, pag. 480.—Epistola Donaldi Regis Ossoriæ ad Robertum Stephanidem, in Hanmeri Chronico p. 114, quæ Dervorgillam Regis Midiæ *uxorem* appellat, vel inde supposititia demonstratur.

(6) In fine Evangelii S. Lucæ MS. Codicis Harleiani No. 1802.

"*mc Cardaig, Rig Escop Muman ocus h Erenn archena, o Tairdelbach hi Briain.*" [Anno quo occisus est *Cormac Mac Carthy*, Rex Episcopus Momoniæ, et Hiberniæ similiter, a Tordelbacho O'Brian.]—Atqui Tigernachi Continuator, fere coævus, inquit ad annum 1138—" *Kl. Enn. for* " *Satharn, 7 vi dec for re.—Cormac mac mc Carth. domarb. do Tairr. h Briain, ·i· do cliamuin, 7* " *da cairdes Cr. 7 da Altraidh a fill, ·i· in Saigtheach Er uile, 7 r. Leithe Moga co comlan. Con-* " *cobar O'Briain an Airdrigi Muman. Amlaim mor mc Firbisig Oll. o Fiachraich uile re senchus, 7* " *re filigecht, 7 sai cleirig, comebthaigib ecailsi imda, 7 a togha do Cunga, 7 a ec and, iar mbuaidh* " *ongtha 7 aithrige.*" [Anno 1138 Kal. Jan. inciderunt in Sabbatum, et in diem Lunæ 16m.—Cormac mac Carthy occisus a Tordelbacho O'Brian, i. e. a genere suo, et Sponsore baptismali, et Altore nutritio suo, dolose, i. e. Doctor Hiberniæ totius is erat, et Rex dimidii Mogæ totius, i. e. dimidii Australis Hiberniæ. (1) Concobar O'Brian evectus ad summum Imperium Momoniæ. Amlafus magnus mac Firbis doctor Fiachracorum omnium in Historia, et in Poesi, et sapiens clericus, custos Ecclesiarum plurimarum, et electus Monasterii de Cong, et obiit ibi, post dolorem unctionis et pœniteniæ.]—Eadem habent ad eundem annum IV Magistri, qui non solum obitum Cormaci ad annum istum referunt, verum etiam *Gildam mac Liag* eo anno fuisse Archiepiscopum Ardmachanum, et *Tordelbachum O'Conor* Regem Hiberniæ, et *Donnchadum O'Carroll* Regem Argialliæ, et *Murchadum O'Maoileachlan* Regem Midiæ, et *Diarmitium Mac Murchad* Lageniæ Regem fuisse declarant.

Porro Cormacus iste idem est de quo S. Bernardus agit in Vita S. Malachiæ, ac proinde duos habemus testes oculatos ejusdem ævi, cum nostris Annalibus consentientes. S. enim Bernardus natus est anno 1091, et mortuus est die 20 Augusti anno 1153. (2)

Cum ergo, *Cormaci Mac Carthy* annus obitualis, quamvis *in se* parvi momenti esse videatur, tanti tamen valere ostenditur, ut inde demonstrari possit, quo anno Codex Harleianus Hibernicus IV Evangeliorum exaratus fuerit, manifestum est præcipitem esse eorum judicium, qui Annales nostros contemnendos esse clamant, quia scilicet voluptati parum conferunt, nec inter sæculi aurei Monumenta numerantur.

De Cormaci obitu nihil in medium afferre possum vel ex Ultoniensibus, vel ex Inisfalensibus, cum in prioribus omnia desint ab anno 1131 ad annum 1157, et in posterioribus ab anno 1130 ad annum 1160. Hæc autem satis superque indicant occisum fuisse anno 1138, ac proinde Codicem Hibernico-Harleianum IV Evangeliorum eo anno exaratum fuisse demonstrant.

III.—" *Dondchad O'Carrol Rex erat Orgialliæ.*"—Tertia hæc nota convenit cum dictis in numero præcedente, et cum omnibus nostris Annalibus, ex quibus patet Regem fuisse Argialliæ ab anno 1133 ad 1168 quo obiit. Monasterium Mellifontense condidit anno 1142, (3) Lowthense anno 1148, (4) interfuit Synodo Mellifontensi anno 1157, (5 Murchertachum Nialli filium, Hiberniæ Regem, vulgo Mauritium Mac Lochlin, cognomento ab Avo ducto appellatum, occidit apud Letterluin anno 1166, (6) interfuit Synodo Athboyense anno 1167, (7) et ipse occisus occubuit anno 1168. (8)—Ergo rex erat Argialliæ anno quo Codex Hibernico-Harleianus exaratus est.

---

(1) Conveniunt Annales Buelliani ad ann. 1138. Confer Annal. Ult. 1118. (2) Mabillonii Annales Bened.
(3) Annal. Clynni, War. Antiq. p. 204. Catalog. Monast. Cisterc. apud Colg. p. 653. (4) Ib. p. 203.
(5) Annal. IV Mag. 1157. (6) Ib. et infra p. cli. (7) Ib.
(8) Ib. et Codex Harleian. Ultoniensium Clarend. XLIX. Catalog. Ayscough. 4795, fol. 77, sed mendose *O'Connell*

Porro, Argiallia Regio erat ampla, totum Louthense Comitatum, et partes Ardmachani et Monachani complectens, cujus Arx Regia erat *Rathmore* juxta *Clochar*.(1) *Uriel* ab Anglis appellatam fuisse constat ex libro nigro *de Wigmore*, (2) eamque sibi vi et armis vindicasse Johannem de Courcy anno 1183, patet ex Annalibus Pembrigii, et ex Prologo Jocelini, idque Camdenus et alii satis superque demonstrant.—Postea vero Hibernis partim restituta, in Argialliam Hibernicam, et Uriel Anglicanam divisa fuit, ut patet ex "Notitia brevi Hiberniæ," scripta regnante EdwardoVIto, et adhuc extante in Cottoniana, (3) cujus exemplar penes me habeo, unde etiam patet partem Anglicanam ea conditione ab Indigenis Hibernis pacem sibi comparasse, ut £40 sterlinas annuatim solveret, per modum tributi dicti "*Black Rent*," idque O'Niallo Septentrionalis Hiberniæ Regi, quo tempore *Mac Mathgamna*, vulgo *Mac Mahon*, Regulus erat partis Hibernicæ.

Tendebat autem tota Regio Argial a *Midia*, i.e. a fluvio Bovinda ad Bannam, et Rex seu Regulus regionis istius non Regi totius Hiberniæ immediate, sed Regi Septentrionalis Hiberniæ obedientiam præstare tenebatur.(4)

Donchadi Regis obitum refert Tigernachi Continuator his verbis ad annum 1168—"*Kl. En for* "*Luan, 7 xviii for re, 7 bliadh. corabins. Oenach Tailltin la Ruadri ua Concob. la ri Er. Isin bl.* "*sin Donchad ua Cerbaill righ Airgial doeg.*"—[Kalendis Jan. incidentibus in diem Lunæ, et in Lunationem xviii, anno Bissextile. Conventio Taltinensis habita a Roderico Conor Rege Hiberniæ. Hoc anno Donchad O'Carroll Rex Argialliæ obiit.]—Eadem habent ad eundem annum Annales Inisfalenses, Notæ autem Chronicæ sunt—"*Kal. Enn. for* cetain, 7 xxix *for ri*," quæ diversitas Amanuensis vitio adscribenda est, conveniunt enim ad eundem annum IV Magistri his verbis— "*Dondchad ua Ceorbhaill tigerna Airgiall....doec,...iar mbuaidh ongtha, 7 aithrighe, 7 iar tiodh-* "*nacal tri cced unga d or ac sc. an choimdhe do Cleirchibh 7 Ecclaisib.*" [Donchad O'Carrol Princeps Argialliæ....obiit....post compunctionem extremæ unctionis et pœnitentiæ, et post oblatas 300 uncias auri ad sumptus Clericorum et Ecclesiarum.](5)

IV.—"*Murcertach mac Neill ua Lochlin Rex erat Alichiæ.*"—Alichia arx erat in qua lapis inaugurationis Regum Tironensium servabatur, tertio lapide a Civitate Dorense, ut ex nostro Glossario patebit.—Evinus, vel quisquis Auctor fuit septimæ Vitæ S. Patricii, scriptæ procul dubio ante sæculum 12mum, Arcem istam eodem nomine appellat *Aileach*. (6) Hinc, tota Regio quæ nunc *Tironia*, imo totus tractus ad Boream lacus *Neach*, antiquitus *Alichia*, et Regnum Alichiæ, ut in nostris Annalibus, appellabatur.(7) Hæc distinctio et divisio regni *Alichiæ* imprimis notanda est, ne cum regno *Ulach*, quod postea Ulidiæ nomen obtinuit, a rerum nostrarum ignaris, ut sæpe fit, imperite confundi contingat.

---

pro O'Carrol. Confer Annal. Buel. Autogr. Cotton. Titus A XX. fol. 23, col. 3, l. 27. Annal. Inisfal. ann. 1166, et Tigernachi Contin. 1168.

(1) Vita S. Patr. Dubl. 1747, p. 46. Acta SS. p. 737, 740, et Glossar. nostr. Topogr. voce *Rathmore*.

(2) MS. Harl. 67, c. 4, fol. penult.

(3) Cod. Cotton. Domit. A. 18, in Biblioth. Hibernico-Cotton.

(4) IV Magistr. ann. 1090 et 1148.

(5) Cum his confer Annal. Ult. Annot. a p. 162 ad 166.

(6) "S. Patricius comitatus est Principem *Eoganium* (filium Laogarii, a quo *Tir-Eogan*,) ad suam Aulam, quam tunc "habuit in veteri celebrique Regum sede *Ailech*." Triade p. 145.

(7) In Annalibus Ult. ad ann. 1124 *Aliuch*. Aliud erat Regnum *Ulach*, quod sæpe confunditur cum *Aliuch*. Vide infra p. cl. Item Annal. Ult. ann. 465, not. 2, p. 5, ann. 547, not. 3, p. 18.

Porro Murchertachus Rex *Alichiæ*, de quo hic agitur, ad regnum pervenit anno 1136, quo IV Magistrorum Annales hæc habent.—" MCXXXVI. *Maoliosa mc Maolcholaim prim challadoir Ar-" damacha, a prim chocaire, 7 a leabhar comhed dccc iar naithricche tocche aidche acini an chesct. " Conchubhar mc Domhnaill ui Lochlainn tigerna Ailcach cettus, 7 Ri an tuaisccirt uil et. Chonall, " Eoghain, 7 Ullta, 7 Airghialla, 7 Rioghdhamhna Er bhecs, do marbhadh d fhcraibh Maighe h Ithe " i meabhail.—Giolla Mura ua Hoccain domharbadh la mc Neill m. m. Lochlainn. Ruadri ua Con-" chobair 7 Uada ua Conchenainn do ghabhail la Toirrdhealbhach ua Cconchobhair.—Neidhe ua Ma-" oilchonaire an Sench. do ecc.*"—[MCXXXVI. Malissa filius Malcolmi, præcipuus Calculator temporum, et præcipuus Œconomus, et custos librorum Ardmachæ, obiit post pœnitentiam optimam nocte diei jejunii Passionis, i. e. feriæ sextæ Parasceves.(1) Concobar filius Donaldi O'Lochlin *Princeps Alichiæ* primo, et Rex Septentrionis totius, tam Conalliorum, quam Eoganensium, et Ulidiorum, et Argialliorum, et Regis materies, i. e. futurus Rex, seu hæres Regius Hiberniæ simul, occisus a viris Campi Ith dolose. Gildas Maria O'Hogan(2) occisus a filio Nialli filii filii Lochlini. Rodericus O'Conor et Uada O'Concennan capti a Tordelbacho O'Conor. Neid O'Maolconaire Historiographus decessit.](3)

Ejusdem Regis meminere iidem Annales ad ann.1139.—"*Cuchonnacht ua Dala Ardollamh le Dan " decc icceluain Eraird. Mathghaman ua Dubdha domarbh la Murcertach mc Neill an dioghail Con-" cob. ui Lochl.*" [Cuconnacht O'Daly, supremus Doctor artis poeticæ, obiit apud Cloonard. Mathgaman O'Duffy occisus a Murcertacho filio Nialli, in vindictam Concobari O'Lochlin.]

Ejusdem meminere iidem Annales ad annos 1143, 1145, 1147, 1148, ubi plura de eo narrantur, et de Conventu publico ab eo habito Ardmachæ, cum *Donnchado O'Carroll* Rege Argialliæ, qui, fœdere pacis inito coram Primate *Gilda mac Liag*, Murchertacho huic, non autem Murchado O'Maelsechlan qui Rex erat Midiæ, obsides dedit, et obedientiam jure promisit. (4)—Condidit Monasterium de *Newry* pro Cisterciensibus anno 1153.(5) Ecclesiæ Dorensis muri lapidei, ad 90 pedes ejus opera protensi, 40 dierum spatio peracti sunt. Opem quoque tulit ad 80 et amplius ædificia Doriæ construenda. Ecclesiæ istius Pomarium muro ambiendum jussit, et Ecclesiæ Mellifontensi boves 140, unciasauri 60, et prædium a Cœnobio non longe dissitum donavit. (6)

Tordelbacho Magno O'Conor totius Hiberniæ Regi, anno 1156 defuncto, successit Murchertach, ita ut non solum *Alichiæ*, sed totius Hiberniæ Rex, jure merito haberetur, usque ad obitum anno 1166.(7) Caute distinguendus est a Murchertacho O'Maelsechlan Rege Midiæ, de quo infra numero VIto agendum erit.—Filius enim fuit Nialli, et Domhnaldi filii Ardgarii nepos,(8) et sine renitentia

(1) Hujus obitum refert Colganus erronee ad annum 1146, Triade p. 304.—Errat etiam dum vocem Hibernicam *Chochaire*, quæ Œconomum significat, interpretatur *Antiquarium*. Ibid.

(2) Antiquæ *O'Hoganorum* familiæ manent adhuc non contemnenda vestigia in variis *O'Faganorum* familiis, tam in *Midia*, quam in *Connacia*.

(3) Item Tigernachi Continuator ad eund. ann.

(4) Annal. IV Magistr. ad ann. 1148.

(5) Charta Donationis infra p. clvii, ex Codice Harleiano Clarend. tom. xliv, Catalogi Ayscough 4792, Plut. viii, C, p. 179.—Dotationem confirmavit H. de Lacy anno 1237. War. Antiq. p. 181.

(6) Grat. Luc. p. 86.

(7) Annal. Buel. fol. 23, l. ult. ann. 1166, item IV Mag. Annal. ad eundem ann.

(8) De Murchertacho Rege *Midiæ* agunt Annales ad annos 1109, 1118, 1120, 1123, 1125, 1127, 1143, 1150. De Murchertacho Rege *Alichiæ*, et de Donaldo ejus Avo, vide annos 1090, 1119, 1120, 1121.

Rex totius Hiberniæ ab obitu Tordelbachi O'Conor anno 1156. Eochodius filius Donslebhii Rex Ulidiæ debitum ei obsequium excussit anno 1166, quare Ulidiam ingressus Eochodium expulsit. Paulo postea intercedentibus Primate *Gilda mac Liag*, *Donchado O'Carroll*, et aliis, eum pristinæ dignitati restituit; verum, vel priore iracundia recrudescente, vel nova nascente, oculos ei effodi, ac tres e suis Primoribus, contra fidem Primati datam, eodem anno necari ordinavit.

Hæc indigne ferens Donchadus *O'Carroll*, Rex Argialliæ, exercitum, e novem armatorum millibus conflatum, in Tironiam duxit, Regisque copias tumultarie in aciem eductas profligans, ipsum Regem occidit in prælio de Leterluin anno 1166.(1)

V.—" *Cuulad Rex erat Ulidiæ.*"—Confunduntur a nonnullis Regna *Alichiæ*, de quo actum est in numero præcedente, et *Ulidiæ* de quo hic. Regnum Ulidiæ vetus, a quo Ultonia nomen habet, Comitatum hodiernum Dunensem includebat, cum parte Ardmachani non modica, a flumine *Banna* ad lacum *Neach*, eaque erat Ultoniæ hodiernæ pars, quam Johanni de Courcy ad debellandam Henricus 2dus Rex Angliæ non æquo jure concessit, unde et Ulidiæ Princeps ab istius ævi Scriptoribus appellatur.(2) Antiquiorum Regum sedes Regia erat *Eamania*.(3) *Argiallia* ad Austrum Ulidiæ tendebat a Banna ad Bovindam (the Boyne;) *Midia* ad Austrum Argialliæ a Bovinda ad Liffeum et Senanum; *Lagenia* ad Austrum Midiæ tendebat a Liffeo ad Berbam (the Barrow;) *Momonia* ad occidentem Lageniæ a Berba ad Senanum; *Connacia* ad occidentem omnium, a Senano et Ernao fluviis, et a Lacu Ernao, a cæteris Hiberniæ Regionibus veluti Insula disterminabatur.(4) Ad Ulidiæ boream tendebat Alichia, alias Tironia, ultra lacum Neach, ad usque Tirconalliam, per quam a Connacia divisa erat. De regno *Alichiæ* agunt Jocelinus et Evinus in uno loco, de regno *Ulidiæ* in altero.—Ambo inquiunt S. Patricium ab Alichia, *versus Austrum*, ad terram *Ulidiorum*, reversum, et in finibus *Ulach*, quæ modo *Ulidia* dicitur, applicuisse testantur.(5)

De *Cuuladio* Rege, filio *Concubari*, silent Annales Ultoniæ.(6) At *Concubarum*, Donslevii Ultoniæ Regis filium, memorant ad annum 1107, et Niallum alium Donslevii filium Ultoniæ Regem ad annum 1127.—Vox *Cu Ulad* nihil aliud significat quam Canis-venaticus Ultoniæ, unde nomen non proprium, sed potius cognomen, ab agilitate et militari virtute derivatum esse videtur.

Iidem Annales ad annum 1127 duos Ulidiæ Reges occisos indicant, et eorum Successorem *Ragnallum* Conventionem pacificam habuisse narrant apud Ardmacham cum *Concubaro O'Lochlin*, cui obsides dedit anno 1130.—Desunt in iisdem Annalibus omnia ab anno 1131 ad annum 1156, quæ est cur plura in medium afferri nequeunt, quibus Cuuladii tempora illustrentur.—*Ragnallus* occisus est anno 1131, uti narrant IV Magistri, qui ad *annum* 1136, *Concubarum* filium Donaldi O'Lochlin, *Regem Ulidiæ*, eo anno occisum fuisse declarant, unde *Cuuladium* Concubari filium, qui Rex fuit Ulidiæ anno 1138, Concubari istius filium fuisse credendum est.

VI.—" *Murcath ua Maelsechnal Rex erat Midiæ.*"—Memoratur rex iste in Annalibus ad annos

(1) Annal. Buel. fol. 23, l. ult. ann. 1166. Item IV Magistri, et Inisfal.

(2) Jocelinus in Prologo ad Vitam S. Patricii, Girald. Hib. Exp. Annales Pembridg.

(3) Vide supra p. xiv, xxxix, xlvii, lii, lxv.—De Regno *Aliuch*, i. e. Alichiæ, agunt Annales Ulton. ad ann. 1124.—De regno *Ulad* vide Annal. Ult. ad ann. 547, not. 3, p. 18. Arx *Alichiæ* destructa fuit, et restaurata anno 1101. Ibid. Rex *Alichiæ* erat Rex Hiberniæ legitimus. Ib. 1090.

(4) IV Magistr. ad ann. 1137.

(5) Vide Glossar. nostr. Topograph. vocibus *Aliuch* et *Ulach*.

(6) Desunt nempe ab anno 1131 ad 1156.

1106, 1109, 1114, 1118, 1120, 1123, 1125, 1143, et 1153, quo obiit.(1) Ergo Rex erat Midiæ anno 1138. Fundavit Monasterium de Beatitudine, vulgo *Bectif*, pro Cisterciensibus, anno 1146, vel 1148, vel ut alii volunt 1151. Memoratur in Charta Conventionis inter Rodericum, ultimum Regem Hiberniæ Hibernici Sanguinis, et Henricum 2dum Regem Angliæ, ut alibi indicavi.(2) Narrant Annales expulsum fuisse e regno Midiæ per Tordelbachum O'Conor anno 1125, et iterum anno 1143, ita ut manifestus sit error Colgani et aliorum id referentium ad ann. 1144.(3)

VII.—" *Diarmait mac Murchad Rex erat Lageniæ.*"—De hoc Rege non opus est pluribus, cum idem sit de quo supra egimus p. cxlvi, Dervorgillæ raptor, Patriæ proditor, qui regnavit ab anno 1126 ad 1171, ac proinde Rex erat Lageniæ anno 1138. Diarmitii Arx Regia Fernensis per O'Ruarcium diruta est anno 1166, et ipse manu forti expulsus, Angliam eodem anno navigavit.—Interea Rodericus Rex Hiberniæ, Procerum Conventum apud *Ath buidhe Tlachtga* indixit anno 1167, cui interfuere—" *Gildas mac Liag* Hiberniæ Primas, *Laurentius O'Tool* Lageniæ Archiepiscopus, " *Cadhla* (sive Catholicus) *O'Duffy* Connaciæ Archiepiscopus, *Tigernanus O'Ruarc* Princeps Bref-" niæ, *Donnchad O'Carroll* Princeps Orgialliæ, Filius *Donslevii O'Eochada* Princeps Ulidiæ, *Diar-" mitius O'Maelsechlan* Rex Temoriæ, *Ragnall mac Ragnaill* Rex Dublinii, cum 13,000 Equitibus " et 6000 Peditibus Connaciæ, 4000 O'Ruarcii, 2000 O'Maelsechlanii, 4000 O'Carrolli et O'Eo-" chadi, 2000 Donnchadi mc Faolan, et 1000 Alienigenarum Dublinii."—Rex autem improvidus, nesciens quid Diarmitius in Anglia moliretur, hos omnes paulo postea dimisit. Anno quidem sequente 1168 Ludos Taltenios indixit, et Prælectoris Scholæ Ardmachanæ stipendium ampliandum, et alia ad populi animos conciliandos ordinari curavit. (4) At quam instabilis fuerit vulgi fides expertus est anno 1169, quo Diarmitius rediens cum Anglis, Lageniam et Dublinium, dolo potius quam armis subjugavit, et alienæ potestati viam latam aperuit anno 1171.—Ducum Normannorum nomina qui cum Diarmitio advenerunt exhibentur in Codice Cottoniano Julius *F* x.

VIII.—" *Concubhar O'Brian Rex erat Momoniæ.*"—De hoc Rege plura habent Annales Hibernici ab anno 1120, quo regnare orsus est, ad annum 1142, quo obiit. Ergo Rex erat Momoniæ anno 1138.—Chronicon Ratisbonense, eodem sæculo exaratum, quod penes se habuit, atque edidit Stephanus Vitus, de eodem Rege hæc narrat—" Isaacus, et Gervasius, qui nati erant in Hibernia ex " stirpe nobiliore, atque egregie instructi, ad Hiberniam pervenerunt, et salutato *Hiberniæ Rege " Conchur O'Brien*, cognomento *Slaparsalach*, qui causam ei adventus sui exposuerunt, qui eos " humaniter excepit, atque post aliquot dies in Germaniam honorifice remisit, onustos ingenti vi " auri, argenti, et preciosorum........Alii Principes Hiberniæ amplissima in Germaniam rever-" tentibus munera varii generis contulerunt. Isaacus autem et Gervasius missi erant in Hiberniam " tanquam Legati a Dionysio Scoto, consecrati Petri Ratisbonæ Abbate, petituri subsidium, et elee-" mosynam a Regibus, et Principibus sui soli natalis. His pecuniis ex Hibernia submissis emit

(1) Annal. Buel. Autograph, fol. 22, col. 2, l. 7—17, ann. 1153. Ejus filius et successor Maelsechnal Rex Midiæ obiit ante adventum Anglorum, anno 1155. Ibid. Errat Giraldus dicens *O'Ruarcium* Regem fuisse *Midiæ*, p. 760.

(2) Annal. Inisfal. p. 121, not. 1. Rymeri Fœdera t. 1, p. 41, Bened. Petrob. MS. Cotton. Jul. A 11, Vitel. E 17.

(3) Confer Annal. Buel. fol. 21, col. 2, l. 8, ann. 1143, cum Ulton. ann. 1125, p. 390, et cum Tigern. Contin. ad 1143.

(4) Annal. Ult. p. 126, 372, not. 1, et 384, not. 1. Cum reliquis Codicibus confer Collect. ex Annal. Ult. MS. Brydges vol. xxix, ann. 1162.

" Abbas aream, novo Monasterio extruendo commodam, ad Occidentalem partem Ratisbonæ. Nec " ante nec post tam mangum claustrum, tam nobilis structura in *turribus, parietibus, columnis, tes-* " *tudinibus*, tam cito erectum, et paratum ad plenum, sicut istud claustrum, quia abundantia diviti- " arum, et pecuniæ Regis Hiberniæ, et aliorum Principum erat sine mensura."

De eodem Conchubaro idem Scriptor inquit fuisse, " permagnæ nobilitatis, ac potentiæ, *Comites* " *cruce signatos, et Hierosolymam petituros*, ad Lotharium Regem Romanorum, et ingentia etiam " munera misisse." (1)—Atqui Lotharius obiit anno 1138. Habemus itaque non solum *S. Bernardum*, et *Maelbrigtam*, verum et *Chronicon Ratisbonense*, qui omnes Annalium nostrorum fidem coævo testimonio confirmant.

IX.—" *Tordelbachus O'Conor Rex erat Connaciæ.*"—Rex iste, vulgo *Tordhealbhach mor*, natus anno 1088, ad regnum Connaciæ pervenit anno ætatis 18vo, Christi 1106, et postea ad totius Hiberniæ gubernacula evectus est, non anno 1119 quo obiit Murchertachus O'Brien, nec anno 1121 quo obiit Donaldus O'Lochlin, ut aliqui erronee scripserunt, sed anno 1136, ut in Annalibus Ultoniæ indicavi, in nota ad annum 1121.(2)

Non me latet nonnullos, in Tordelbachi annis enumerandis, tempus quo totam Hiberniam administravit protrahere ad annos 35 ab obitu Donaldi O'Lochlin. At invicem conferendi sunt Annales nostri, et Catalogi antiqui metrici, in quibus omnibus, Tordelbachus non jure, sed vi, et cum renitentia Rex Hiberniæ appellatur, nec regnasse dicitur ultra annos 20, usque ad annum 1156; neque ullum invenio qui fuit jure *Rex Hiberniæ totius*, a *Maelsechlanni*, sive Malachiæ 2di obitu anno 1022, usque ad obitum Tordelbachi Magni O'Conor anno 1156.(3)—*Gildas Modudius*, qui sæculo 12mo floruit, annorum 70 interregnum ab obitu Malachiæ statuit, quo quisque æmulorum vi et armis, et renuentibus cæteris, supremi Regis sibi titulum arrogavit.(4) *Donnchadus*, Briani Borombei filius, plerosque superavit usque ad annum 1064, quo, per *Diarmitium* Maelnambi filium, Lageniæ Regem, regno exutus, Romam petiit, ubi in S. Stephani Monasterio obiens sepultus est.—Postea Diarmitius iste, qui fuit Donnchadi prædicti e Dervorgilla filia gener,(5) Rex Hiberniæ a pluribus salutatus est, usque ad prælium *Odbhæ*, in quo occubuit anno 1072. (6)

Tum vero *Tordelbachus Magnus O'Brien*, Briani Borombei e Thadeo filio nepos, qui regnum Momoniæ obtinuit anno 1064, totius Hiberniæ Regem se voluit appellari; et certe S. Lanfrancus, ut in notis ad Annales indicavi, eum pacis ac justitiæ amatorem, et *Hiberniæ Regem* appellat, et literas ad eum datas, " *Magnifico Hiberniæ Regi Tordelvaco*" inscribit,(7) extatque etiam in Cottoniana vetus exemplar Epistolæ Gregorii VIImi Pontificis ad eum missæ, cui titulus—" Gregorii Papæ ad Tirdelvachum *Regem Hiberniæ* et Clerum universum."(8)—De eo consulendi sunt Anna-

(1) De Hibernis ad Terram Sanctam euntibus vide Annales Inisfal. ad ann. 1043.

(2) Annal. Ult. p. 385, not. 1, item Annal. Inisfal. et IV Mag. Tigernachi Continuator eum *Regem Hiberniæ* appellat ab anno 1119.

(3) Vocab. Hibern. voce *Freasabhra*. Annal. Ult. not. ad ann. 1022 et 1121.

(4) Modudii Carmen de Regib. Hiberniæ usque ad ann. 1142 MS. in Biblioth. Stow.

(5) Errat Gratianus Lucius dicens fuisse " Donati O'Brien e Dervorgilla filia *nepotem*," p. 81.

(6) Vide supra p. xl.

Tigernachi Continuator Diarmitium istum appellat " Regem Lageniæ et Danorum Dublinii, et *Australis Hiberniæ*, " itemque Galliæ et *Hebridum*, ad ann. 1072.—Caradocus " *dignissimum et optimum Principem qui unquam in Hibernia* " *regnarit*."

(7) Sylloge Epist. Vet. p. 71, ann. 1074.

(8) Biblioth. Hibernico-Cotton. Claudius A 1, Membr. in 4to, sæculi 13tii vel 14ti.

les ad annos 1068, 1071, 1075, 1079, 1086, et 1089 quo obiit, anno ætatis 77, Regni 12mo juxta quosdam, juxta alios 22do, his regni initium a Donnchadi Patrui peregrinatione, illis a Diarmitii obitu ducentibus, et a priori sententia stantibus Thadeo, sive Michaele O'Clerio,(1) a posteriore autem Tigernachi Continuatore, et Peregrino O'Clerio in Annalibus, quorum sententiæ adhærendum esse demonstrant versiculi a IV Magistris citati, qui obitum Tordelbachi referentes ad annum 1089, tam *diem* hebdomadæ, quam *diem* mensis quo obiit, et *regni annos* 22, expressis verbis declarant.(2) Unde sequitur regni initium a Donnchadi Patrui Romam peregrinatione sumendum esse.

Annis interregni 72, a Modudio assignatis, elapsis anno 1094, *Murcertachus*, Tordelbachi præfati filius, et *Donaldus mac Lochlin*, O'Niallorum Septentrionalium Rex, de Principatu contenderunt spatio annorum 25, ut idem *Modudius* testatur. Eo intervallo Donaldus *Kenncoram*, Momoniæ Regiam, Murcertachus *Alichiam* evertit.(3)—Annales Inisfalenses, IV Magistri, et Tigernachi Continuator Murcertachum *Hiberniæ Regem*, S. Anselmus *gloriosum Hiberniæ* Regem appellat. Tribus vicibus Rex Dublinii renunciatus est, Godfredo inde expulso, et Classis ejus Hiberniam obivit. Chronicon Manniæ narrat, Danos Manniæ et Insularum ab eo postulasse, "*ut quemdam e Regali sua stirpe eis* "*mitteret in Regem, donec Olavus Godredi filius cresceret*, quorum votis annuens, ad eos regendos "misit *Donaldum* filium Thadæi O'Brien."—Attamen Rex Hiberniæ minime dicendus est, cum æmulus ejus *Donaldus*, filius *Ardgari*, *Lochlinni* nepos, *Malachiæ* pronepos, *Maelrunii* abnepos, *Flanni* adnepos, et Domhnaldi, fratris *Nialli Glundubii*, trinepos fuerit.(4) *Modudius* in vetere Regum Catalogo, quem ad annum perduxit 1142, inquit Donaldum fuisse cum Murcertacho regnandi societate conjunctum; assentiuntur Thadeus, sive Michael O'Cleri, et Colganus.—O'Duveganus, et Inisfalenses eum *Regem Hiberniæ* appellant ad annum 1121. Et quidem Murcertachus ei obsides dedit anno 1090. At postea ortæ dissentiones, ea lege diremptæ fuere, intercedente clero, ut alter in Boreali, alter in Australi Hibernia dominaret. (5) Obiit Donaldus anno ætatis 73, Principatus 27, Christi 1121. Murcertachus autem anno 1119.

Regis Hiberniæ titulum nullus postea obtinuit, spatio annorum 15m, usque ad annum 1136, quo *Tordelbachus O'Conor*, Rex Connaciæ, qui fuit ab *Achaio Moigmedonio* 23tius,(6) id sibi non sine refragantia vindicavit.—Is, devictis in prælio filiis Aedi O'Conor, Rex Connaciæ renunciatus est anno 1115. Eodem anno exercitum duxit Limericum; iterumque Momoniam rediens anno 1118, eam bifariam divisit, *Desmoniam* Donnchado Mac Carthio adjudicans, *Thomoniam* filiis Diarmitii O'Brian.(7) Dublinium eodem anno subegit. Momoniæ Arcem Regiam *Cenncora* expugnavit

(1) In libro Migrationum MS. Biblioth. Stowens.

(2) Hæc plane patent ex Annalium cum Catalogis Metricis collatione, a Genealogicis Scriptoribus accurate notanda. —Murcertachus ad Momoniæ regnum, defuncto Patre, pervenit anno 1089, sed nèc Lageniam nec Dublinium subegit usque ad ann. 1094. Annal. Ult. ann. 1094, p. 357, not. 1, ann. 1098, p. 361, not. 1, ann. 1102, p. 365, not. 1. Donaldus ad Tironiæ regnum pervenit anno 1083. Ib.

(3) Annal. Ult. ann. 1088, 1101, 1103, 1107, 1109, &c.

(4) Hæc in gratiam Genealogorum dicta sunto, qui Annales Ultonienses et IV Magistrorum nimium diligenter perlegere nequeunt.—" Nocturna versate manu, versate diurna."

(5) Conferantur Annal. Ult. ad ann. 1090, 1102, 1103, 1105, 1109, 1113.

(6) Confer seriem Regum Connaciæ in Annal. Ult. et IV Magistr. cum Catalogis Metricis qui in Regum Connaciæ numero, ordine, et nominibus, mire conveniunt.

(7) Confer quæ ex S. Bernardo coævo allata sunt supra p. cxli, cum Annal. IV Magistr. et Ulton. ad ann. 1118, et cum nota 3 infra p. clx.

anno 1119. *Taltinenses* Ludos pridem intermissos instaurans, juvenes pedum et equorum cursibus, luctaminibus, ejaculatione spiculorum, et pugnarum simulachro contendere assuevit, et Pontes tres, Athlonensem, Athcroensem, et Dunloedensem construxit anno 1120. Tria Castella ædificavit, Dunleodense, Galviense, et Cillmoilense, anno 1124. Regem Midiæ socerum suum expulsit anno 1125. Dublinii et Lageniæ regna contulit filio Concobaro anno 1126. Exercitum terra marique duxit Corcagiam, et Cormaco mac Carthy, in Monasterium pulso, subrogavit Donnchadum anno 1127.(1) Eodem anno Momoniam iterum tumultuantem 190 navium classe vastavit. Prima ejus uxor *Taltenia*, Regis Midiæ filia, e qua Rodericum genuit anno 1116, obiit anno 1128.(2) Pontem Athloniæ, a Midensibus dejectum anno 1125, restauravit, et ad ejus securitatem, Athloniæ Castellum ædificavit anno 1129. Hæc ædificia destruxerunt postea Midenses anno 1133. Plura de eo habentur in Annalibus ad ann. 1138. Pontes Athloniæ et Athliagiæ e cratibus fecit anno 1139. Conventum habuit Athloniæ eodem anno, in quo fædus iniit cum Rege Midiæ, qui idem fædus renovavit, et obsides Tordelbacho dedit anno 1141. Attamen Regem Midiæ iterum expulsit anno 1143. Pontem et Arcem Athloniæ re-ædificavit anno 1155. Calices argenteos, quorum aliqui aureis bracteis obducebantur, Clonmacnosiæ, 560 uncias auri, et 60 marcas argenti *cusi*,(3) equos etiam, porcorum greges, organa musica et lusoria, arcum, pharetram, aliaque omnia, excepto *scuto*, *gladio*, et *cratere* moriens, Ecclesiæ conferri imperavit.—Obiit anno C. 1156, ætatis 68, ad principem Aram Ecclesiæ Clonmacnosensis sepultus, postquam Connaciæ 50, Hiberniæ 20 annos dominaretur. (4)

X.—" *Gildas mac Liag* filius filii Roderici, i.e. filius Poetæ, Primas erat Ardmachanus."

De hoc Gilda plura habent Annales ab anno 1137 usque ad 1171, quo obiit. Ergo conveniunt cum Maelbrigtæ autographo, ac proinde omnes temporum et Personarum circumstantiæ, de quibus hactenus egimus, conveniunt cum anno C. 1138.

Hæc ad Annalium nostrorum fidem demonstrandam, satis superque sufficerent, nec aliis in re tam manifesta opus esset, nisi venerandi hujus Episcopi quæ manent vestigia, eo animum inclinarent, ut tanti Codicis existentiam ejus zelo tribuendam esse censerem. Hibernia, annis prope ducentis cum Danico hoste conflictata, mox ut ex ea tempestate emerserat, post prælium *Cloontarfense*, anno 1014, nonnullos genuit viros, morum sanctitate et literarum studio conspicuos, inter quos non minus scientia Antiquitatum Hiberniæ, quam virtutis laude floruere, *Cuanus O'Lochan*, *Colmannus O'Seasnan*, *Mac Cossius*, *Flannus Butensis*, *Conangius O'Maolconaire*, Auctor anonymus *Calendarii Casselensis*, *Mac Liagius* Pater *Gildæ* Primatis Ardmachani, *Dubdalethcus* Chronographus, *Aed Barbosus*, *Marianus Scotus*, *Tigernachus*, *Maelisa O'Brolchan*, *Erardus*, *Maelisa O'Stuir*, *Maelpatricius O'Dru-*

(1) Vide infra p. clx, not. 3.

(2) Errat Gratianus dicens primam ejus uxorem fuisse *Moram filiam Donaldi O'Lochlin*, et obiisse anno 1122. *Mora* filia Murcertachi O'Brian, et uxor Murcertachi O'Maelsechlan, obiit anno 1137.

(3) Gratianus Lucius habet " 540 uncias auri, et 40 marcas argenti." Flahertcus " 65 uncias auri, et 60 marcas argenti."—Ego autem hæc adduco ex vetusto et fere coævo Tigernachi Continuatore ad ann. 1156. De moneta *cusa* Hibernorum vide Annal. Ult. ann. 836, et 1118, Annot. ib. p. 160, et supra p. cxlviii.

(4) Errat Waræus obitum ejus referens ad 1157.

De Tordelbachi nativitate anno 1088 vide Annal. Buel. fol.19, col. 2, lin. ult. De initio Regni ejus ibid. lin.10. Alia de eodem ann.1147, fol. 21, col. 2, l. 15, obitum ib. fol. 22, col. 1, l. 19. *Dervorgalla* 2da ejus uxor obiit anno 1151.

gan, *Cocmanus*, *Gilbertus Limericensis*, *S. Malachias O'Morgar*, *S. Celsus*, *S. Laurentius O'Tool*, *Gildas Modudius*, *Conganus*, *Marianus Gormanus*, *Concubranus*, *Eoganius Ardmorensis*, aliique, quorum fragmenta metrica et prosaica, Hibernice scripta, partim in Bibliotheca Stowense, partim in Bodleiana conservantur.

Hi Barbariem a Danis invectam expellere cupientes, id non sine fructu majori conati essent, nisi in pertinaces suorum Principum, de regni Principatu contendentium, dissentiones incidissent, quæ omnium animos usque ad Anglorum adventum feros et irrequios tenuerunt.

Inter viros vere venerandos qui tenebras discutere, et mores in melius reformare satagebant, et Religionem ad pristinam formam revocare, eminebat *Gildas mac Liag*, qui, a *Mariano Gormano*, a S. Bernardo, et aliis ejusdem ævi Scriptoribus, *Gelasius* appellatus, in Boreali Hibernia natus est anno 1088.(1)

Is, in *S. Columbæ* celebri Monasterio *Dorensi*, Abbatis munus annis 16im sustinuit, ab anno ætatis 33, et Christi 1120, usque ad annum 1136, quo ad sedem Ardmachanam, hortante Malachia, plaudente Patria, evectus est, ut S. Bernardus in Vita Malachiæ testatur.—Anno 1137, non vulgarem mæroris causam illi præbuit mors *Maelpatricii O'Drugan*, Scholæ Ardmachanæ supremi Moderatoris, sub quo *Maelbrigta O'Maelruanaig*, tum 21mum ætatis annum agens, S. Scripturarum studio clarescere incipiens, Codicem, de quo hactenus egimus, propria manu exaravit.

Anno 1138 statuens subjectas suæ Metropoli Provincias visitare, Momoniam profectus est, ibique honorifice exceptus, et pluribus morum regulis ordinatis, absoluto circuitu Ardmacham revertens, suum in sede ista Coadjutorem Maelbrigdam O'Brolchan amisit, morte abreptum anno 1139.

Suffraganeum ejus fuisse Maelbrigtam istum patet ex Annalibus, et ex serie Primatum, in qua Celso successisse dicitur Mauritius anno 1129, Mauritio Malachias anno 1133, Malachiæ *Gildas mac Liag* anno 1136. Iidem Annales indicant Monachum fuisse Dorensem, quem Gildas in laborum suorum partem sociavit. Res ipsa declarat diversum fuisse a *Maelbrigta O'Maelruanaig* Codicis nostri amanuense, quem filium fuisse existimo Maelruanagii istius de quo IV Magistri ad annum 1138 inquiunt—"*Maolruanaig ua Cairellain Caindel tuaisceirt Er ar cruth, ar cheill, 7 ar gaiscc. do marbadh do cenel Moain.*" [Maolruanagius O'Carollan, Lucerna Borealis Hiberniæ, vultu, sapientia, et armorum certaminibus, occisus a clientela Moanii.]

Anno 1140 Connaciam profectus, omnibusque ad Ecclesiam istam spectantibus rite dispositis, Ardmacham eodem anno reversus est.

Anno 1143 civiles tumultus inter Tordelbachum O'Conor Regem Connaciæ, et Murchertachum O'Maelsechlan Regem Midiæ ortos, coram Altare S. Ciarani Cloonmacnosiæ composuit.

Postea Tordelbachus, fines Midiæ ingressus, Murchertachum captivum abduxit ad Arcem de Dunmore. Quare *Gildas*, et alii e Clero, ejus animum flectere cupientes, *Dunmoriam* profecti sunt. Sed Regem ad captivos dimittendos inducere, non nisi ea conditione potuerunt, ut Murchertachus Regimini saltem ad tempus cederet, et Concobarum Tordelbachi filium sibi subrogari pateretur.

Anno 1145, Cogitans de Ardmachana Basilica, aliisque sacris ædibus adhærentibus reparandis, pro calce et cæmento in hunc finem, ingentis molis fornacem extruxit, cujus latitudo ab omni parte erat ad 60 pedes protensa.

---

(1) Annal. Buel. 1143, fol. 21, col. 2, l. 17. Vide quæ de nomine *Gilda* dicta sunt supra a p. xxvii ad xxx.

Anno 1148 Synodum indixit apud *Inis-Patraic*, cui interfuere Episcopi 15m, Presbyteri 200, et alii de Clero, de quibus plura habent IV Magistri. Eodem anno Conventus publicus habitus est a Murchertacho O'Lochlin Rege Alichiæ apud Ardmacham, cui interfuere Donnchad O'Carroll Rex Argialliæ, et alii Proceres Septentrionalis Hiberniæ, qui, fœdere coram *Gilda* inito, omnes Murchertacho obsides dederunt, et obedientiam jure promiserunt.

Anno 1150. Cum portio tertia civitatis Ardmachanæ, quæ *Trian mor* dicta erat, incendio pro majori parte absumpta esset, Gildas ad id damnum reparandum piorum subsidia collegit, "peractaque Diœcesis suæ visitatione, bovem retulit a quavis domo *Biatachi*, (eorum nempe quorum officium erat Hospitia publica habere, terris ad id munus a Rege assignatis,)(1) item bovem a quavis domo libera, equum a quovis Duce Regionis, et 20 boves a Rege ipso."

Anno 1151, Cardinalis J. Paparo Hiberniam veniens, mansit una septimana in domo Gildæ apud Ardmacham. Eodem anno Gildas Connaciam more Primatiali iterum visitans, "torquem, sive annulum aureum, ponderis quinque unciarum, a Connaciæ Rege accepit."(2)

Eodem anno Prælium Moinmoiense gestum est inter Tordelb. O'Conor et Tordelb. O'Brian, in quo 7060 Momoniensium occisi fuere, cum Murcertacho filio *Concobari O'Brian*, Rege Thomoniæ, et *Roidamna*, i. e futuro Rege, seu hærede Regio Momoniæ totius.—Supremam in Momonia potestatem obtinuit deinde Tordelbachus O'Conor; "et Tordelbachus O'Brian, e Momonia expulsus, Limericum aufugit, secum transportans res pretiosas multas, nempe 200 uncias auri, 60 gemmas splendentes, Cornu Briani Boromhei, aliaque quæ postea inter victores Connachtenses divisit." (3)

Anno 1152, non autem anno 1151, ut refert Usserius,(4) communi consilio cum Cardinale Paparone, Synodum indixit, non Mellifonti, ut quidam scribunt,(5) sed apud *Kells*, ut patet ex vetustis Annalibus de *Cluainednach*, eodem fere tempore exaratis, quorum verba sunt "Anno ab Incarnatione Dni MCLII, *Bissextili*, et Symboli mali anno, Nobile Concilium in vernali tempore ad Dominicam Lætare Jerusalem, apud Kenanus celebratum fuit," &c.—Postea, Episcoporum qui interfuere nomina recensens, sic concludit, "*Pridie Nonas* Martii hæc Synodus *absoluta* fuit." Sed mendose. Sexta enim dies Martii, anno Bissextili 1152, Dominicam lætare præcessit, quæ in diem Martii 8vum incidit, et qua Synodus inchoata fuit, ac proinde pro *absoluta* inchoata legenda

---

(1) *Biatachi* Peregrinos gratis recipere, alere, et fovere tenebantur, terras hæreditario jure possidentes, et domos seu Xenodochia, de quibus vide Annales IV Mag. ad ann. 1116, et alibi passim.

(2) Errat Colganus id referens ad 1152. Act. p. 776.

(3) Hæc eadem, quæ, verbum verbo, ex IV Magistrorum Annalibus Latine reddidi, sic referuntur in Codice Harleiano, cui titulus "*Annales Anonymi* ab anno 1136 ad 1154.—"Battle of *Moinmore*, where *Dal-Cas* was put to the worst, and *Mounster*. So that their losses were innumerable, and until the sands of the sea, and stars of Heaven be numbered, it will not be numbered how many Nobles, Chiefs, and Gentlemen of Mounster there fell. So as never a *battle*, of the three that the king of Mounster Tirlac O'Brian had, escaped, but part of a *battle* only, and Tirlac went to Limerick when he could not stay in Mounster, and gave three score ounces of gold, and 60 jewels, with Brien Boru's cup to Sil Murray." Codex in Catal. Ayscough 4787, parte 2, fol. 96.

(4) Usser in Ind. Chronol. et alii eum sequuti.—Colganus falso inquit IV Magistros hoc Concilium referre ad ann. 1151. Acta p. p. 779, n. 18.—Habeo coram me ipsum *Autographum*, in quo refertur, et recte, ad 1152.

(5) *Mell* seu Mellifontem intellexit Waræus in Catalogo Episc. Casselensium ex vetere Annalista, sed erronee. IV Magistri ad ann. 1152 inquiunt, huic Concilio interfuisse Ecclesiasticos 3000.

est. Colganus *Pridie Idus* pro Pridie Nonas substituendum esse putavit, sed erronee. Pridie enim Idus fuit ab inchoata Synodo dies septima. (1)

Anno 1157 Gildas aliam Synodum in Monasterio Mellifontense, ad Basilicam Monasterii consecrandam, indixit. Murcertachus O'Lochlin qui interfuit Rex Iliberniæ, Monachis dedit ea vice boves 140, et 60 uncias auri, et prædium non longe dissitum, quod *Finnabhar-na-n inghen* dicebatur.—Obtulit præterea *Donnchad O'Carroll* alias 60 uncias auri, et totidem elargita est Dervorgilla, jam pœnitens uxor Tigernani O'Ruarc, cum Calice aureo pro summo Altari, et paramentis pro singulis novem Altaribus quæ in eadem Ecclesia conspiciebantur.

Anno 1158 alteri Synodo Episcoporum 25 apud *Brig mc Taidg* in Midia præfuit.

Anno 1161 "*Grenio* Archiepiscopo Dubliniensi, viro eximiæ sapientiæ, et variarum linguarum " peritia præclaro, defuncto, suffectus est Lorcanus O'Tuathail, quem Gildas in Archiepiscopum " consecravit anno 1162."(2) Eodem anno indixit Synodum *Claonarmense* in Lagenia, cui interfuere Episcopi 26, et in qua statutum est, ne ullus in posterum ad Theologiam docendam admittatur, qui non fuerit prius in Schola Ardmachana eruditus. Tironiam deinde ex officio visitavit.

Eo ipso anno, utrum suadente Gilda necne, Murchertachus O'Lochlin, Tironiæ Rex, exercitum duxit Dublinium, et Danos ad pacem, pretio unciarum auri 140, comparandam coegit.(3)

Anno 1167 interfuit Gildas Synodo *Athboyensi*, cujus supra mentionem fecimus. (4) Anno 1170 præfuit Synodo Ardmachanæ, de qua plura habet Giraldus.(5)

Anno 1172 cum jam 85m ætatis annum attigisset, Connaciam quarta vice visitavit. Ejus obitum referunt IV Magistri ad annum 1174 his verbis, " Gildas filius filii Roderici, Archieps. Ard- " mach. et totius Hiberniæ Primas, vir virginea puritate, et cordis munditia coram Deo et homini- " bus gloriosus, in senectute bona sanctissime obiit die Martii 27, feria quarta post Pascha, anno " ætatis 87. Antequam ad Primatum esset assumptus, fuit Comorbanus, i.e. Vicarius, S.Columbæ " in regimine Monasterii Dorensis."— Hæc illi Annales ex Authore procul dubio coævo, qui res tanquam visas, annos, et dies exacte observavit. Pascha enim incidit anno 1174 in diem 24m Martii, ac proinde feria 4ta post Pascha incidit in diem 27, quo etiam die Gildæ natalem, i. e. obitum celebrari, notat Martyrologium vetus Mariani, paulo postea exaratum, itemque Martyrologium Dungallense, et Cathaldus Maguir.—Neque parum roboris acquirunt ista, ex eo quod in iisdem Annalibus, ad eundem annum refertur obitus amici ejusdem Gildæ " Florentii Gormani, supremi " Moderatoris Scholæ Ardmachanæ, et omnium Hibernorum Doctoris egregii, in Divinis et huma- " nis scientiis peritissimi, post quam annis 21 in Francia, et Anglia, operam studiis navasset, et aliis " postea 20 annis Scholis Hiberniæ tanquam supremus Præfectus rexisset, qui *ipsa feria quarta* " *ante Dominicam Resurrectionis*, pie in Domino obdormivit."(6)

---

(1) Vide infra pag. clix, ex alio Codice Harleiano No. 4783.

(2) Eidem habet Scriptor fere coævus Vitæ Laurentii apud Surium Nov. 4.—Laurentius iste et 5 alii Episcopi Hiberni interfuere Synodo Lateranensi anno 1179.

(3) Eodem anno Diarmitius O'Maelsechlan Rex Midiæ uncias auri 100 pro Occidentali Midia solvere coactus est a Roderico O Conor Rege Connaciæ, et cum Diarmitius iste expulsus esset anno 1163, Murcertachus Mac Lochlin eandem summam auri pro eadem Provincia eidem Roderico solvere non dubitavit.

(4) Supra p. cxlvii. Confer IV Magistr. cum Tigernach. Contin. ad ann. 1166, quo Murcertachus O'Lochlin obiit, et Rodericus O'Conor Rex Hiberniæ renunciatus est, et Arx Fernensis destructa, et Diarmitius expulsus.

(5) Confer Annal. Inisfal. ad ann. 1170 cum Giraldo. Exp. Hib. l. 1, c. 18.

(6) Ejusdem meminit Henricus Saltereyensis qui claruit anno 1140, c. 25, ex MS. Codice S.Victoris Parisiensis, de

Quæ hactenus exposui, sequenti Charta, *Gildæ mac Liagi, Murchertachi mac Lochlin, Donnchadi O'Carrol,* et aliorum nominibus inscripta, confirmantur.

Charta Abbatiæ de Newry.(1)

Mauritius mc Laughlin, Rex totius Hiberniæ, universis Magnatibus suis, Subregulis, Principibus, Ducibus, Clericis, et Laicis, omnibusque et singulis Hibernensibus præsentibus et futuris, salutem.— Sciatis quod ego unanimi voluntate, et communi concessione Magnatum *Ultoniæ*, et *Ergalliæ*, et de *O'Neach*, Sc. *Donchad O'Cearbail* Regis totius *Ergalliæ*, et *Murchad* ejus filii regis *O'Meth*, et *Tricaccd erther*, et *Conla* Regis Ultoniæ, *Donnaldi O'Heda* Regis *On Each*, condonavi, et confirmavi in honorem B.æ Mariæ, et S. Patricii, et S. Benedicti patris et fundatoris ordinis Cisterciensis, Monachis Deo servientibus in *Nyvorcyntracta*, in perpetuam, et puram eleemosynam, terram O'Cormaic, ubi fundatum est Monasterium *Athcrathin*, cum terris suis, sylvis, et aquis, *Enacratha* cum terris suis, sylvis, et aquis, *Crumglean* cum terris suis, sylvis, et aquis, *Caselanagan* cum terris suis, sylvis, et aquis, *Lissinelle* cum terris suis, sylvis, et aquis, *Croa Druimfornact* cum terris, sylvis, et aquis, *Letir, Corcrach, Fidglassayn, Tirmorgonnean, Connocul,* &c. Has terras cum molendinis, ex dono meo proprio, dictis Monachis confirmavi, pro salute animæ meæ, et ut particeps sim omnium bonorum, Missarum, et horarum, et orationum, quæ in Monasterio ipso fient, et usque in consummationem sæculi. Et quia ipsum Monasterium *Ybarcyntracta* mera mea voluntate collocavi, ipsos Monachos, tanquam filios et domesticos fidei, sub protectione mea suscepi, ita quod a molestationibus et incursionibus omnium hominum sint liberi. Volo etiam ut quando Reges vel Duces de *On Each*, vel de *Ergallia*, aliquas terras pro salute animæ suæ ipsi Monasterio conferri voluerint, id diebus meis faciant, dum liberam licentiam et voluntatem meam habent, ut sciam quid et quantum de terreno meo regno Cœlestis Rex possideat ad opus pauperum suorum Monachorum. Testes et Fidejussores sunt *Gilla mac Liag* Archieps. Ardmachanus, tenens baculum Jesu in manu sua. *Æd O'Killedy* eps. *Ergalliæ*. *Muriach O'Coffay* eps. *Tirchcogain*. *Melissa mc in clerig-cuir* eps. *Ultoniæ*. *Gillacomida O'Caran* eps. *Tirconail*. (obiit 1180. Ann.Ult.) *Eacmarcach O'Cathan* rex *Fearnacrinn* et *Kennacta*. *O'Carriedh* magnus dux de *Clan Ængusa*, et *Clan Neil*. *Cumaige O'Flain* rex *O Turtray*. *Gillacrist O'Dubdara* rex *Fermanagh*. *Eacmarcagh O'Fofylain*. *Maelmocta mac O'Nebla*. *Æd* magnus *Maganagasa* (Maginnis) dux *Clan Aeda On Each Ulad*. *Dermait mc Cartayn* dux *Cenel Fagartay*. *Eachmili mc Conlacha*. *Gilla na naem O'Lourada* dux *Kynel Temnean*. *Gilla Odar O'Cathasay* Herenanus *Dundalethglass*. *Æda Maglanha* Erenanus *Inse Cumscray*, *Angen* Herenanus *Dromamoge*, et alii plurimi Clerici et Laici.

Hæc, de fide et utilitate horum Annalium, eo consilio lectorum acumini expendenda proposui, ut eorum auctoritati propria tribuatur æstimatio, neque ulterius in rebus tanti momenti, conjecturis potius, et vacillantibus semidoctorum opinionibus, quam accurata rerum æstimatione ducamur.— Veritatem, erugine jam pridem obsitam, nemo graviter feret tandem aliquando explorari, et cum

---

quo vide Usser. Primord. p 897, et Pitseum de Script. No.102. Neque cum isto confundendus est Marianus Gormanus, coævus Auctor Martyrologii, quem supra et alibi memoravi.

(1) Ex Codice Clarendoniano in Musæo Britannico tom. xlv—in Catalogo Ayscough 4792. Plut. VIII. C. p. 179.

tamdiu latuerit, tot fabularum Eclipsibus obducta, gaudebunt docti eam esse ejus vim, eamqe naturam, ut demum erumpens, tot testimonia secum in lucem afferrat, et eo splendidius enitescat, quo magis neglecta jacuerat, et erroris grandævitate opprimebatur.

Quæ hactenus dicta sunt, etiam sequentibus ex libro vetusto D. *Flannani mc Eogan* confirmantur. (1)

" An. MCLII ab Incarnatione Dni nri J. C. bissextili et embolismaliano, nobile Concilium in vernali tempore ad Dominicam lætare Jerusalem apud Ceannanus celebratum fuit, &c.

Hi sunt Epi. qui huic consilio interfuerunt—

Giolla Crist o'Conairci Eps. Lismor. Legatus.
Giolla mac Liach Primas Hiberniæ.
Domnaldus o'Lonargain Archieps. Momoniensium.
Aed o'Ossin Archieps. Connaghtensium, i. e. Tuaim.
Greri (Gregorius) Eps. *Athacliath* et Lageniensium.
Gilla na nemh Eps. Glendalogh.
Dungal o Ccallaidhe Eps. Lethclinen.
Tuistius Eps. Waterfordiensis.
Domnaldus o'Fogartaig Eps. Ossoriensis.
Find mc Tiarcain Eps. Kildarensis.
Giolla an Choimdheadh o'Ardmail Eps. Limericensis.
Muircheartach o'Maelidir Eps. Cluain mc nois.
Maeliosa o'Conachtain, Eps. Airthir Conacht.
Hua Ruadan Eps. Luigni.
Macriath o'Morain Eps. Conmaicne.
Ethni o'Miadachain Eps. Cluainiraird.
Tuathal o'Connachtaig Eps. Huambruain.
Muiridheach o'Cobthaig Eps. Ceanala Eogain.
Mael Patricius o'Banain Eps. Dailaraidh.
Maeliosa mc in Cleirich cuir Eps. *Ul.*—Pridie nonas Martii *cæptum* est hoc Concilium."

Paulo postea subjungit hic Codex Hibernice—

Rachertaighit 7 ra honoraighit Ep.otes da her sin tscinudsa as. chena is tar sarghad samtha Pr.ic. 7 Col.cil. tucadh pallium in Athacliath, no a Tuaim s. amhain pallium in Ardmach 7 pallium a Caisel.

In hac Synodo maxima facta est reformatio, maximusque honos exhibitus est Episcopatibus Hiberniæ. Attamen, contra jura Cleri Patricii et Columbæ Cille, datum est pallium Ecclesiæ Dubliniensi, vel etiam Tuamensi, quod dari debuit tantum Ardmachanæ et Casseliensi.

Jamque, ut eo redeam unde ipsa vis et ratio argumenti me coegit discedere, ex his omnibus sequitur, non solum Annales nostros non esse propter sermonis exilitatem spernendos, verum etiam plane errare eos, qui quidquid ingenii aut bonarum artium inter Hibernos extitere, illud omne vel Danorum vel Anglorum Imperio tribuendum esse, animo in Hibernos parum æquo, censuerunt. (2)

---

(1) Codex Harleianus No. 4783. Catalog. Ayscough fol. 29, No. 14.
(2) " The inroads of the Danes, which spread barbarism in other parts of Europe, tended rather to improve the Irish.

Chronicon Ratisbonense Annalium nostrorum ope emendatur.

Ex dictis patet, omnes characteres anni 1138, in Maelbrigtæ autographo designatos, cum Annalibus ad unguem convenire. Unus *Cuulad* Rex Ulidiæ deest, non quod is non fuerit eo anno Rex Ulidiæ, sed quia desunt folia in Codicibus, in quibus procul dubio memorabatur. Memoratur enim bis in Annalibus IV Magistror. ad ann. 1149.

Porro, ut Beda, et alii ope Annalium nostrorum emendantur, sic etiam emendatur Chronicon Ratisbonense vetus editum a Stephano Vito. Narrat enim eodem sæculo quo Gildas mac Liag, Malachias, Gildas Modudius, et reliqui supra memorati, floruisse " Egregium Clericum Hiber-" nensem, nomine Marianum, (Hibernice *Maolmuire ua Gormain,*) virum doctissimum, qui multo " tempore Parisiis septem Artes liberales,(1) aliasque professus fuit, et erat ibidem Præceptor Adri-" ani, qui tunc sedi Apostolicæ præerat."(2)

Alia adjungit idem auctor a quibus hic referendis piaculo esset abstinere.—" Christianus, " inquit, Abbas Monasterii Scotorum S. Jacobi Ratisbonæ, vir nobilis ex stirpe primariæ familiæ " Mac Carthi in Hibernia, jam exhaustis thesauris olim Ratisbonæ submissis a Rege Hiberniæ, vi-" dens suos inopia laborare, humani subsidii rogatu, fratrum suorum ut novum repeteret levamen " ægestatis, concessit in Patriam suam Hiberniam, ut a Rege ejusdem Christianissimo ac devoto " *Donato O'Brien,*(3) (jam enim vita functus erat fundator consecrati Petri, et Monasterii S. Jacobi " Scotorum, Rex Conchor O'Brien,) et ab aliis Hiberniæ magnatibus impetraret eleemosynas. Quem " Rex Donatus, cum Regina uxore, et Principibus Hiberniæ, feliciter expeditis suis negotiis, redi-

---

" *The most simple arts of life, even tillage and agriculture,* were almost wholly unknown amongst them." Hume Hist. of Engl. vol. 1, c. 9. Confer Annal. Ult. Annot. a p. 120 ad 192.

(1) Vide quæ de his dicta sunt Annal. Ulton. Annot. p. 160, &c.

(2) Adriani nempe IVti, qui Hiberniam debellandam Henrico 2do concessit!

(3) Errat in nomine, ex Annalibus castigandus. Nullus enim per ea tempora regnavit Donatus, seu Donnchad O'Brian. Donatus quidem *Mac Carthi,* Australis Momoniæ Rex a Tordelbacho O'Conor, totius Hiberniæ Rege, renunciatus anno 1127, *Cormaco* Casseliæ Rege extincto, totam *Desmoniam* sibi arrogasse videtur anno 1138. Id autem parum illi profuit. *Concobarus* enim *O'Brian,* quem ex Maelbrigtæ Autographo memoravi supra p. cli, No. VIII, dictus *Slaparsalach* etiam in libello de Stirpe O'Brianorum, apud Gratianum p. 103, et in Vocabulario Hibernico O'Briani voce *Slapar,* itemque *Concubhar na Cathrach* appellatus ibidem voce *Concubhar,* cum filius fuisset *Diarmitii,* et linea recta quartus a *Briano Boromheo,* Regnum *Thomoniæ* tenuit ab anno 1120, et tam *Desmoniæ* quam Thomoniæ ab anno 1138. —Tordelbachus O'Conor *Cormacum mac Cartheum* Regno Desmoniæ exuit anno 1127, ut notat S. Bernardus, eique substituit frtrem *Donatum,* seu *Donnchadum mac Carthy,* eodem anno. Sed Concobarus O'Brian Cormaci dejectionem misertus, ut idem S. Bernardus testatur, eum restituit, ita ut Rex Casseliæ, seu Desmoniæ, haberetur usque ad obitum anno 1138, quo intervallo Monasterium *Ibracense* fundavit. IV Magistri ad ann. 1137 inquiunt, " Concobarum " O'Brian Regem *Thomoniæ* et *Ormoniæ,* obsides dedisse Diarmitio Lageniæ Regi, ut Desmoniam pro eo tueretur."

Cum autem Cormacus postea regno et vita exutus esset, Concobarus totius Momoniæ sibi regnum vindicavit anno 1138. Mac Carthiorum potentiam sic labefactavit, sed non extinxit Concobarus. Ei enim, e vivis ablato anno 1144, successit frater ejus Tordelbachus, qui Collegam habuit in Australi Momonia *Thadaum mac Carthy,* Cormaci fratrem, usque ad annum 1148. Is nepotem suum Diarmitium Cormaci filium, in vincula conjecit, sed postea Diarmitius Regnum Corcagiæ tenuit usque ad tempora Giraldi Cambrensis, qui Diarmitium Mac Carthy Regem *Corcagiæ,* et Duvenaldum O'Brian *Limbrici* Regem appellat. Hib. Exp. l. 1, c. 31.

Hinc sequitur Auctorem Chronici Ratisbonensis, vel in *nomine,* vel in *congomine* Regis Momoniæ hallucinari, et debuisse scribere vel Donatum *Mac Carthium,* vel *Tordelbachum* O'Brian, qui procul dubio Rex erat Momoniæ ab anno 1142 ad ann. 1167, quo Dal-Cassiæ Regnum filio Murcertacho reliquit.

"tum in Germaniam parantem, oneravit ingentibus thesauris. Sed Christianus in Hibernia spiritum "Deo reddidit, et honorifice sepultus est ante Altare S. Patricii Ecclesiæ Metropolitanæ Casselen-"sis. Vir magnæ virtutis, genere Hibernus, nomine Gregorius, ex ordine Regularium Canonico-"rum S. Augustini, impetravit a Christiano admitti in ordinem S. Benedicti, qui, Christiano extincto, "apud Jacobi Ratisbonæ in Abbatis munere suffectus, Romam ab Adriano Papa consecrandus pe-"tiit...... Romæ cum Gregorius admissus esset ad audientiam Adriani, qui inter alia illum inter-"rogavit de Mariano, suo quondam Parisiis Præceptore. Magister Marianus, inquit Gregorius, "bene valet, et apud nos Ratisbonæ, seculo derelicto vivit Monachus. Adjecit Papa—gratias Deo! "Neque enim *novimus in Ecclesia Catholica, sub Abbate talem*, qui excellat sapientia, prudentia, in-"genio, eloquentia, bonis moribus, humanitate, dexteritate agendi, aliis divinis bonis, sicut Ma-"gister meus Marianus. Gregorius, Ratisbonam reversus, a Monachis urgetur, ut pro recuperanda "pecunia, quæ apud Hiberniæ Regem mansit in deposito, proficiscatur. Qui in Hiberniam appulsus, "cum cognovisset vita functum Donatum, accessit ad ejus successorem Murcertachum O'Brien, "cui Abbas exhibuit literas *Conradi* Regis Romanorum.—Rex Hiberniæ gavisus de adventu Ab-"batis, habuit ipsum honorifice, tradiditque eidem totam quæ deposita fuit apud Archiepiscopum "Casselensem pecuniam, quæ adhuc valde augebatur liberalitate reliquorum Hiberniæ Magnatum. "Quibus pecuniis emit Abbas plurima prædia, oppida, villas, et in ipsa urbe Ratisbona multos "areas, domos, et sumptuosa ædificia, et super hæc omnia supererat ingens copia pecuniæ Regis "Hiberniæ, et cogitavit Abbas Gregorius abunde prospicere templo de sacra supellectile, et con-"struxit novum ex lapide polito magnificium, et vastæ capacitatis Cænobium, diruto antiquo quod "ruinam minabatur." Chron. Ratisbonense apud Mabillonium et Gratianum.

Hæc omnia consisterent, si pro *Donato O'Brian*, scriberetur vel *Donatus Mac Carthy*, qui fuit *Cormaci* filius, et jure successor, vel *Thadeus Mac Carthy* Cormaci frater, qui regnavit Rex Desmoniæ ab anno 1144 ad 1148, et si pro *Murcertacho* O'Brien substitueretur *Tordelbachus* O'Brian, qui Concobari frater et successor fuit usque ad ann. 1167. *Lotharius* enim Henrico IVto successit anno 1125, et obiit anno 1138, quo Cormacus Rex Casseliæ occisus est. Atqui *Concobarus O'Brian* regnavit Rex Thomoniæ et Ormoniæ ab anno 1127 ad ann. 1138, et deinde totius Momoniæ Rex fuit ad annum usque 1144.

Conveniunt ergo cum nostris Annalibus quæ in Chronico Ratisbonense de eo narrantur, quod "*permagnæ nobilitatis et potentiæ Comites, cruce signatos, ad Lotharium, et ingentia munera miserit,* "*et Monasterium Ratisponæ condiderit,*" &c.—Postea vero idem Chronicon subjungit, *Concobaro defuncto*, regnasse *Donatum O'Brien*, eique successisse *Murcertachum O'Brian*, Imperante *Conrado tertio,* quod nequit consistere. Conradus enim Lothario successit anno 1138, Aquisgranæ consecratus anno 1139, et obiit Banbergæ anno 1152, et Concobaro O'Brian, defuncto anno 1144, successere frater ejus *Tordelbachus O'Brian*, Rex Thomoniæ et Ormoniæ, et *Thadæus Mac Carthy* frater Cormaci, Rex Desmoniæ usque ad ann. 1148, et tum Thadæo isto defuncto, successit de jure *Diarmitius Mac Carthy* Cormaci filius. Tordelbachus vero totius fere Momoniæ Imperium tenuit usque ad ann. 1167.—Porro Chronicon istud Monasterii Scotorum Ratisbonæ, a posteriore quodam Amanuense anachronismis inquinatum fuisse, notavit Vitus, qui præterea asserit Plagiarium quemdam verba "*ex Scotia seu Hibernia Insula*" scalpello abrasisse, non ita tamen, quin abrasarum vocum vestigia visantur.

†

Hactenus dictis non officiunt Bullæ Adriani IV, vel Alexandri III.

Adrianus Pontifex, de quo agitur in hoc Chronico, is est, qui Bullam, ad "subdendam legibus Hiberniam, et vitiorum plantaria inde extirpanda," Henrico 2do concessit.—Nonnulli Bullam istam rejiciunt, quia nec locus, nec dies, nec annus ei adscripti leguntur, quæ sola labes in quocumque Diplomate indubitatam gignit adulterationis suspicionem, et hæc suspicio vel inde augetur, quod licet Bulla impetrata asseratur anno 1155, non fuerit evulgata, nec nisi a secretis visa, usque ad annum 1172; neque credibile videtur Adrianum, qui suum Præceptorem Hibernum tam impense coluit, quique tot viros sanctos tum in Hibernia florentes observavit, Bullam tamen edidisse, in qua totam gentem Hibernicam morum fœditatis insimulavit.(1)

Et certe ingratitudinis subeundæ timor eum coercere debuit; neque rationi consonum esse videtur, ut beneficio scholasticæ institutionis a Mariano perceptæ, non aliam vicem rependeret, quam tot Hibernos, doctrina et sanctitate conspicuos, quorum nonnulli etiam Legati vices fungebantur, ignominia inureret, et ad sylvicolas et barbaros amandaret.

Hæc quidem me moverent, nisi alios invenissem beneficiorum æque immemores, et ad fidem calumniis præstandam proclives; neque censeo Bullam esse commentitiam quia calumniis referta, sed calumnias refellendas esse quia historicæ veritati adversantur. Genuinam esse inquiunt Magnates Hiberni in Epistola ad Johannem xxiidum, exarata anno 1316,(2) eamque memorare videtur, qui eam obtinuisse dicitur, Johannes Sarisburiensis,(3) æque ac Giraldus.

Sed neque barbaros, nec rudes, multo minus *bestiales*, Bulla ista Hibernos appellat, uti Giraldus, et Matthæus, eorumque cæci imitatores proclamant.(4) Vix enim aliud in Hibernia desiderari *innuit*, quam ritus quosdam Ecclesiasticos, nec gentis mores sic extra humani commercii limites excurrisse declarat. Sed tenuem inconcinnioris vitæ notam, in Bulla inustam, Giraldus, et alii latius disseminare, et insita hominibus libidine amplificare satagerunt. Postea, cum Hiberni vim vi repellerent, (non enim scripta sed nata lex est, ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim aut tela latronum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis,) augentibus inimicitiis, calumniæ utrimque crevere, et expeditioribus inter Romam et Angliam intercurrentibus literarum commerciis, (5) prodiit Bulla Alexandri 3tii, in qua Hibernia *barbara natio*, et *spurcitiis* coinquinata appellatur!

---

(1) Hanc Bullam primus edidit Giraldus. Hibern. Expug. l. 2, c. 6.—Alia suspicionis nota oritur ex eo quod in Bullario Pontificum desideratur.—Nec memoratur a Petro Blessense qui Henrico 2do erat e Secretis, etsi multas scripserit Epistolas, aliaque Opera, edita Moguntii anno 1600, et Parisiis anno 1667. Vix poterant res tam arduæ inter Regem et Pontificem agitatæ, Cantuariensem Archiepiscopum, qui Regi a Secretis Epistolarum erat, effugere, præsertim cum Rex plerumque et præcipue, in melioris notæ negotiis in tabulas referendis, ejus opera uteretur.

(2) Vide supra p. xliv, edidit *Hearne*, Oxon. 1722.

(3) Lib. 4 Metalogici c. ult. Caput istud laciniam esse, Sarisburiensis Operi assutam, plurimi opinantur. Repugnat enim libro 6to, c. 24, et libro 8vo, c. 23, in quibus palam profitetur se Adrianum primo apud Beneventum convenisse anno 1156.—Giraldus inquit Bullam *in Archivis Wintoniæ repositam* fuisse. Ib. Hæc plane indicant, ei cordi fuisse ejusdem indicare existentiam, et *dubium* omne amovere de ejus authenticitate, quæ solicitudo mihi quidem suspecta videtur.

(4) Matth. ad ann. 1155. Girald. Hib. Exp. l. 1, c. 33, 45, et l. 2, c. 6.

(5) "Laurentius (O'Tool) Dubliniensis Archiepiscopus, vir bonus et justus, ob privilegia in Lateranensi Concilio cui "intererat, contra Regiæ dignitatis honorem, *zelo suæ gentis*, ut ferebatur, impetrata, Anglorum Regi suspectus, et ob

Unde hanc Hiberniæ notitiam derivaverit Alexander, prodit Giraldus.—" Ex Henrici triumphato-" ris mandato, in civitate Cassiliensi Concilium celebrarunt. Ibi vero *requisitæ*, et auditæ publice, " terræ illius, et gentis, tam enormitates, quam *spurcitiæ*, et in scriptum, et *sub sigillo Legati Lis-" morensis*, qui cæteris ibidem dignitate tunc præerat, *ex industria* redactæ sunt."—Postea subjungit—" cum prænotatis *spurcitiarum* literis, in Synodo Cassiliensi *per industriam quæsitis*, directis ad " curiam Romanam nuntiis, ab Alexandro III privilegium impetravit."—Hinc, in Alexandri Bulla, mores horridiores Hibernis affinguntur quam in Bulla Adriani. Hæc Hibernos aliqua morum fœditate tinctos fuisse, magis innuit, et insinuat, quam contumeliose declarat. At Alexandri Bulla, penitus effrænata, gentem Hibernicam " Christianos nomine, *cætera barbaros*," appellare non erubescit!

Non is sum qui negem Hibernos *nullo* vitiorum morbo eo ævo laborasse. Imo vero plurima cum cæteris gentibus communia, et nonnulla sibi peculiaria, Annales nostri testantur. Sed de Clero Hibernico Giraldus ipse inquit, fuisse " Religione commendabilem, et inter varias quibus pollet vir-" tutes, castitatis prærogativa præcellit. Item Psalmis, et horis, lectioni, et orationi vigilanter in-" servit, et intra Ecclesiæ septa se continentes, a divinis officiis non recedunt."(1)

Legatur ejusdem Operis caput ximum, cui titulus " De gentis istius in musicis instrumentis peritia incomparabili," et Distinctio 1, c. 4, 5, " *De uberi frugum proventu*," et conferantur cum iis quæ de Agriculturæ ignorantia ex eodem Giraldo excepsit Hume.(2) Nemo profecto hæc simul conferre poterit, qui non plane perspiciat, plura in Giraldo desiderari, quæ flagrantibus odiis reticenda potius quam propalanda existimavit. Dicant alii quo pacto, in regione agriculturam vel spernente, vel ignorante, victus tot Monachorum millibus, tot Regibus, Episcopis, et populorum catervis suppeditaretur? In vix perviis paludibus, et præruptorum Montium jugis, et clivis, sulci etiamnum extant, profunde sub terræ superficie reperti, vestigia aratri indicantes, et Agricolarum labores, qui propter immensam hominum multitudinem, quæ per totam Hiberniam ubique se diffudit, a campestribus arvis, et pascuis, ad asperiora quæque colenda se contulerunt. Giraldus ipse de Hibernia inquit, " Planicies habet per loca pulcherrimas, sed respectu sylvarum modicas. " Gleba *præpingui, uberique frugum proventu*, felix terra est, et fæcunda frugibus arva. Pecore " montes, nemorosa feris abundant. Pascuis tamen quam frugibus, gramine quam grano fæcun-" dior est Insula, multam fruges in herba, plurimam in culmis, minorem in granis spem promittit. " Tritici namque grana contracta sunt hic et minuta, et vix vanni alicujus beneficio purganda. " Abunde satis et campi vestiuntur, et horrea farciuntur. Sola vero grannaria destituuntur."(3)

Ejusdem Distinctionis caput 49num agit " De *tritici* semine per imprecationem Corcagiensis " Episcopi non proveniente." Caput 51mum " De *Molendino* quod non diebus Dominicis, nec de " furto, vel rapina quicquam molit." Capita 52dum et 53tium, " De Molendino quod feminæ non " intrant."

Ex Giraldo itaque duo secum pugnantia narrata habemus, quarum una, " *Gens hæc agriculturæ*

" hoc, tam in Anglicanis, quam transmarinis Galliæ partibus, *diu detentus, obiit.* Cui successit Joannes Comminus " Anglus, qui Ecclesiæ Hibernicæ statum egregie sublimasset, nisi semper gladius gladio," &c. Girald. Hib. Exp. l. 2, c. 23, p. 799.

(1) Girald. Topogr. Dist. 3, c. 27, p. 745.—" *De Clero Hibernico in multis laudabili.*"

(2) Vide Annal. Ult. Annot. p. 193, not. 1, et supra p. clvi.

(3) Topogr. Hib. Dist. 1, c. 4, 5.

labores aspernatur," mera est assertio viri, qui non nisi parvam Hiberniæ partem peragravit.(1)—Altera res est *facti*, quæ, fide Annalium, segetes passim memorantium, et ipsa vetere gleba, aratri sulcis impressa, fulcitur.

De Annalium nostrorum Codicibus, et de aliis Hibernicis, qui eorum utilitatem et fidem demonstrant.

Quod si non alia veteris Hiberniæ vestigia manerent, quam quæ Scholæ veteres,(2) et Codices etiamnum extantes exhibent, ea sola sufficerent, ad convicia refellenda, quæ Parentum odia et discordiæ civiles pepererunt. Imprimis enim, dum Annalium nostrorum miram cum antiquissimis Codicibus et autographis concordantiam indicant, literarum studia antiquitus in Hibernia ita floruisse demonstrant, et rerum Historicarum talem fuisse, et tam gnavam solicitudinem, saltem quoad præcipuos eventus, ut de eorum veritate ambigere esset insanire. Omnis enim Historia verax habetur, quæ res gestas narrat, ut in Autographis, Inscriptionibus, et in libris coætaneis referuntur. Annales autem nostri non solum ad hunc Canonem appellant, et se hac ratione fulciri ostendunt, sed præterea consensui isto plurima adjiciunt additamenta, quæ quamvis sint numero, et varietate, et minutis locorum ac temporum circumstantiis pene infinita, et alibi inveniri nequeant, secum tamen ubique constare, et corporum cœlestium motibus convenire demonstrantur.

Atqui, si hujus mirandæ in tot rebus gestis convenientiæ causam, paulo diligentius inquiramus, non aliunde quam ex principio supra memorato petendam esse patebit; nempe Scriptores nostros cujusvis sæculi, Monasteriorum veterum Annales descripsisse, iisque non alia adjecisse, nisi recentiora, quæ ad sua usque tempora pervenerunt. (3)

Nemo, vel tantisper in rebus Saxonicis institutus, nescire poterit, Annales *Florentii* non alios esse quam eos, quos Marianus Scotus sæculo præcedente ex vetustioribus concinnavit, quos cum Florentius optime digestos perciperet, eos ita descripsit, ut suum Opus non aliud esse assereret, quam Opus Mariani ad sua tempora perductum, ab anno nempe 1043 ad annum 1118, quo vitam una cum Opere terminavit.(3) Idem Opus postea ab alio ejusdem Wigorniensis Monasterii Monacho continuatum fuit ad annum 1141, quanto vero ulterius, ac nostro sæculo vicinius, recentioribus adjunctis postea auctus pervenerit, editores Francofurtenses Doctorum investigationibus derelinquunt.

Jam vero, quod de Florentio Mariani continuatore dictum est, posset et de ipso Mariano dici respectu aliorum, quorum opera collegit; idque et de Chronico Saxonico, et de Annalibus Hibernicis dicendum esse, ab intrinseco manifestum est.—Gibsonus Chronicon Saxonicum *variis sæculis* scriptum fuisse, ac *plures auctores* agnoscere fatetur.(4) Et quidem omnia quæ in Chronico isto ad Historiam Ecclesiasticam pertinent, usque ad annum 731, quo Beda Historiæ suæ finem imposuit, ex Beda deprompta esse, ipsa verba declarant. Anglo-Saxonum autem cum Britannis prælia, et bella quæ per multos annos duraverunt, unde petenda sint, alium scriptorem idoneum habemus neminem. Desiderantur enim ista tam in Gilda quam in Beda, ita ut Chronico Saxonico debeamus, quod aliquæ istorum temporum notitiæ ad nostra tempora pervenere.

---

(1) Annal.Ult. Annot. p.122, 125, &c. (2) Supra p. cxxxv.

(3) Florent.W. ad ann. 1118. Confer Matth.Westm. ad ann. 1082. De Mariano vide Bibliothecam nostram *Hibernico-Cotton.* Nero C v. (4) Chron. Saxon. Præf.

Itaque cum nemo asserere possit, Chronici Saxonici Scriptorem, testem fuisse oculatum bellorum, quæ Bedæ tempora præcesserunt, in vetustos aliquos Annales eum incidisse necesse est, unde rerum istarum notitiam collegit; et mihi quidem videtur, idem dicendum esse de rebus gestis quæ in eodem Chronico sequuntur a Bedæ temporibus, i. e. ab anno 731, usque ad initia Regis Ælfridi, quo regnante, primam istius Chronici partem exaratam fuisse opinor.—Atqui antiquior est Annalium nostrorum origo, ut patet ab intrinseco, et ex dictis de Eclipsi anni 664. Quanquam enim Hibernia crebris vastationibus, bellisque civilibus, durante sua Monarchica Pentarchia vexaretur, Sacris tamen Ædibus, in quibus consuetudo res notatu digniores in publicis Codicibus referendi invaluit, ita magnus honos habitus est, ut etiam inter cædes, et rapinas, usque ad Danicam invasionem, inviolatæ servarentur.

Sic, etiamsi fateamur, eum qui Annalium Ultoniensium *primam partem* sæculo 12mo collegit, quisquis demum ille fuerit, varias Pentarchiæ Hibernicæ Regiones non vidisse, nec Regulos qui ante Bedæ tempora floruere, nemo tamen negare poterit, eum Annales quosdam vidisse, in quibus Eclipsis anni 664, et res gestæ quæ a sæculo ivto ad sæculum viiivum evenerant, servatæ legebantur. Neque dubitandum est quin ii, qui eosdem Annales postea continuaverunt, viderint alios Annales in quibus servatæ erant res gestæ Regum et Regulorum sæculi xiimi, quos, ex Maelbrigtæ autographo, exarato anno 1138, eo anno simul floruisse declaravi.

Quamvis ergo nec unius auctoris Opus sint Annales Ultoniæ, nec unius ætatis, tamen, cum unus quisque Continuator vetustiores Annales servaverit, quævis pars, tam *prima*, quam *secunda*, coævi testimonii auctoritatem præ se ferre censenda est.(1)

Inter *primam* partem Annalium Ultoniensium, et *secundam*, latum esse discrimen, existimaverunt Usserius et Waræus. Flaherteus, in Epistola ad Lincæum, breviter inquit, inter istorum Annalium Scriptores numerandum esse *Cathaldum Maguir*, qui obiit anno 1498, et *Rodericum Cassidæum* Archidiaconum Clochorensem, defunctum anno 1541, a quo *recogniti* erant, et *continuati*.(2)—Colganus de eodem Maguir—"Compilavit, inquit, ex variis vetustis Patriæ Monumentis Annales Sennatenses," i. e. Ultonienses.(3)—Usserius, accuratior, *Maguirium* et *Cassideum* non Scriptores, sed *Collectores* Ultoniensium appellat, quos Gulielmo Malmesburiensi cognitos fuisse, sed non ubique ab eo, qua decuit reverentia, Momoniensium Catalogo antepositos affirmat.(4)

Jam vero vetus de quo hic agitur Catalogus, is est Episcoporum Catalogus, qui in *Psalterio*, a

(1) "On comparing the two MS. Saxon Chronicles, *Tib. B* 1, *Tib. B* 4, I find that they contain in several places passages, which are no where else preserved, but in Florence, or Matthew of Westminster, Hoveden, or in Huntingdon. The Annals of these writers are therefore perhaps but Latin translations of Anglo-Saxon Chronicles . . . . . At least the existence of similar passages, yet in Anglo-Saxon, is one of the best proofs we can obtain of this curious fact, that the Latin narrations of all our Chroniclers, of the events preceding the Conquest, are, in general, translations, or abridgments from the Anglo-Saxon documents of our ancestors. This fact is curious, because wherever it obtains, it gives to the whole series of our Annals *the force of contemporary evidence.*" Turner Hist. of Anglo-Saxons Book VI, c. 2, not. 14.

(2) Epist. ad J. Lincæum. Lond. 1685, p. 19. "Annales quibus Waræus et Usserius Ultoniensium nomen impertierunt, a Colgano *Senatenses* vocantur, a *Cathaldo Maguir*, de *Senat-Mac-Megnus* in Fermanach agro, scripti, qu Ecclesiæ Ardmachanæ Canonicus, et insignis Historicus, anno 1498 vita functus est," &c.

(3) Acta SS. Lovanii 1654, p. 92.

(4) Duo habuit penes se istius Catalogi exemplaria Usserius, Primord. p. 875.

Cormaco Episcopo Casseliense sæculo nono scripto, conservatur, et Waræus de eodem Cormaco scribens inquit, "Virum fuisse eruditum, et Antiquitatum Hibernicarum scientissimum, et scripsisse "lingua sua Patria Historiam *Psalter Cashell* vulgo dictam, quæ etiamnum extat et magno habetur "in pretio."(1)

Cum ergo fateantur Usserius, Waræus, Colganus, et alii omnes qui de Ardmachanorum antistitum successione scripserunt, huic vetusto Catalogo anteponendos esse Annales Ultoniæ, sequitur procul dubio *primæ partis* auctorem longe alium fuisse a Maguirio, qui, multis post nonum sæculis, anno 1498 obisse memoratur. In Catalogo Casseliense, S. Patricii Successores, eo ordine quo in prima sequentis tabellæ columna, exhibentur. Vera autem series ex nostris Annalibus colligitur in secunda.

Catalogus Episcoporum Ardmachanæ Ecclesiæ, ex Psalterio Cassel, et ex Annal. Ult.

PSALTER. CASSEL.

		Annis
1	*Patraic*......	
2	*Sechnal*......	vi
3	*Sen Patraic*...	x
4	*Benin*........	x
5	*Iarlath*......	xviii
6	*Corbmac*......	xv
7	*Dubtach*......	xvi
8	*Ailil*.........	xiii
9	*Ailil*.........	x

ANNAL. ULT.

	Annis	usque	
Patraic....		493	
Benin......	x	455	Hi tres Discipuli, vivente S. Patricio, ejus fuere coadjutores.
Iarlath.....	x	465	
Cormac.....	xviii	483	
Dubtach....	xv	498	Dubtachus pariter usque ad ann. 493.
Ailil........	xvii	514	
Ailil........	x	527	

Cæteri Episcopi, juxta Momoniensium Catalogos, hoc ordine percurrunt—*Duach*.... *Fiachre*.... *Feidhlimid* annis xx. *Caerlan* x. *Eochoid*.... *Senach*.... *Maclaisre*.... *Tomeine* xxxv. *Segeine* xxvii. *Flanniusebhla* xxvii. *Suibhne* xv. *Congasa* xx. *Kele-Petair* vii. *Ferdacrich* x. *Foennelach* iii. *Dubhdaletha* xv. *Arectach* i. *Cudinaisc* iv. *Connmac* xiv. *Torpach* i. *Nuad* iii. *Maclongsech* xiii. *Artrig* ii. *Eogain Mainistreach* viii. *Forannan* xiv. *Diarmait* iv. *Fethgna* xxii. *Ainmire* i. *Cathasach* iv. *Maelcobha* v. *Mael-Brigda* xxix. *Joseph* ix. *Mael-Patraic* i. *Cathasach* xx. *Muredach* ix. *Dubhdalethe* xxxiii. *Murecan* iii. *Mael-Muire* xix. *Amalgad* xxx. *Dubhdalethe* xii. *Cumascach* iii. *Mael-Josa* xxvii. (obiit anno 1091.) *Domhnall*.... (obiit anno 1105.)

---

(1) Antiq. Hib. Lond. 1654, p. 92. "Excerpta quædam ex dicta Historia in vetusto habeo Codice Membraneo *Psalter-"narran* appellato, ante annos plusquam ccc exarato. In eodem Codice sunt multa Miscellanea de Rebus Hiber-"nicis, partim Latine partim Hibernice, collecta per *Oengusium Celide*, (sæculo nono,) inter quæ Catalogum habemus "nudum, solam nimirum nomina Regum Hiberniæ ab Heremone ad Brianum filium Cinadi cognomento *Boro*."—Confer Catalog. Cod. MSS. II. Comitis Clarend. Oxon. fol. 1697, p. 4. "The oldest Irish MS. which we have discovered is the *Psalter of Cashel* written in the latter end of the xth century." Astle Orig. of Writ. p. 120.

Notavit recte Colganus, Scriptorem qui hunc Catalogum a Cormaci ævo ad *Domhnaldum* perduxit, scripsisse ante annum 1105. Eo enim anno obiit *Domhnaldus* iste, cujus, tanquam adhuc viventis, annos regiminis non determinat.

In hoc vetusto Catalogo includuntur *Sechnall*, i. e. Secundinus S. Patricii discipulus, (1) et *Sen-Patraic*, seu Patricius cognomento Senex, qui, æque ac Benignus, S. Patricii Suffraganei numerantur. Excluduntur autem in Annalibus Ultoniensibus, in quibus ad annum 481, æræ co[illegible] 482, *Iarlathus Tertius* Episcopus Ardmachanus appellatur. Quæstio jam oritur cuinam Catalogo adhærendum sit, Momoniensium, qui longe ab Ardmacha aberant, an Ultoniensium, qui ex ipsis Ardmachanæ Ecclesiæ archivis suam de Episcopis notitiam derivaverunt?

Colganus Secundinum et Senem Patricium includit, nulla tamen alia producta auctoritate præter Catalogum Casselensem quem sæculo 12mo exaratum fuisse declarat.

At *Sechnallum* in Ecclesia sua de *Domhnach-Seachlin*, (hodie Dun-Seachlin,) et vixisse, et obiisse, patet non solum ex Annalibus, id una voce asserentibus, (2) verum ex Jocelino, in Vita Patricii c. 177. Locus ipse, apud Midenses adhuc celebris, in Charta Donationis Hugonis de Lacy, quam Eugenius Cloonardensis, sive Midensis Episcopus, confirmavit anno 1183, *Dovenach Sakelin* nuncupatur, et de instituenda Cantuaria in Ecclesia *S. Secundini Episcopi*, decretum editum invenimus in regni Comitiis habitis sub Edwardo IVto.

Sen Patricium quod attinet, anni in Catalogo Casselensi ei tributi, recta nos ducunt ad annum 445, *Cormaci* enim, *Episcopi Ardmachani, hæredis Patricii*, quies refertur ad annum *quartum* post excessum Patricii, ac proinde ad annum 497, et cum primus Cormaci ejusdem annus incurrat in annum 483, anni xviii regiminis antecessoris ejus *Iarlathi*, inde subducti, primum Iarlathi annum revocant ad 465, a quibus si subtrahantur x anni *Benigni*, perveniemus ad annum 455. Alii x *Senis Patricii* anni inde deducti, ducunt ad 445, et demum vi residui Sechnalli inde deducti, primum Sechnalli annum exhiberent 439.

Atqui Ardmachanam Ecclesiam non fuisse a S. Patricio fundatam ante annum 445, plane patet ex dictis in nota in Annal Ulton. ad annum 444. Præterea *S. Patricium*, quem plurimi cum *Sene* Patricio confundunt, suum in Ardmachana Ecclesia successorem designasse Benignum, narrat Probus in initio libri 2di.—Atqui Probus Ardmachæ propior, et Cormaco non nisi paucis annis posterior fuit. Paulinus enim Abbas Indenensis, ad quem Opus suum inscripsit, juxta Annales Hibernicos, obiit anno 920. (3) Tirechanus præterea, qui his omnibus vetustior est, de Benigno inquit " Ipse est Benignus Episcopus, *Successor Patricii in Ecclesia Machiæ.*" Unde Jocelinus, Tirechani auctoritate jure merito ductus, inquit, " Successorem Ministerii sui Benignum, sicut et fuit, fore " prædixit. Idem namque Benignus, *in regimine Pontificatus Primatusque totius Hiberniæ, suc-" cessit S. Patricio.*"

Gul. Malmesburiensis, in libro de Glastoniensis Ecclesiæ antiquitate, in cujus Prologo et Vitam B. Patricii, et miracula B. Benigni, a se conscripta fuisse memorat, Benignum, vivente Patricio,

(1) Confer dicta supra p. xlix, lxx, et lxxi, cum Annal. Ult. Annot. p. 153, 156, &c.

(2) Annal. Ult. ad ann. 448. Scribitur *Sechnall, Seachnall, Seachlann,* et *Seachluin,* et *Domnach* Ædem Sacram significat.—Auctor habetur Hymni Alphabetici in laudem Patricii, quem, ex vetustissimo Codice Hymnorum, memorat Usserius p. 825. Eundem Hymnum ex eodem Codice edidit Colganus.

(3) IV Magistr. ad ann. 920.

Pontificem fuisse agnoscit, sed in successionis ordine, uti notat Usserius, Momoniensium potius quam Ultoniensium Annalium Catalogum sequutus est. "Anno, inquit, 45 , S. Benignus venit "Glastoniam, hic Discipulus S. Patricii, et Successor in Episcopatu ejus *tertius* in Hibernia fuit, "quemadmodum eorum gesta testantur." Verum ex Annalium Ultoniensium serie, secum ubique constante, patet, Benignum, post Xm annos in regimine Ardmachana exactos anno 464, obiisse quarto postea anno 468.

Porro ea quæ in Charta ista apocrypha a Malmesburiense ex *Charta Patricii* Glastoniæ servata narrantur, non solum suspectæ fidei sunt, sed omnino rejicienda, cum Æra Christi, quæ S. Patricio penitus ignota fuit, ibi designata inveniatur.(1)

Cum ergo, non obstante Catalogi Momoniensis antiquitate, Annalibus tamen Ultoniensibus majorem fidem adhibendam esse pateat, sequitur procul dubio, longe antiquiorem esse istorum Annalium Scriptorem quam vel Maguirius, vel Cassideus, qui non nisi sæculo 15to floruere.

Et quidem, quid aliud sibi volunt verba antiquissima Hibernica, non amplius in usu, quæ ab Amanuensibus, hinc inde, aliis recentioribus Hibernicis explicantur, ut ad ann. 776? Quid inquam aliud sibi volunt, nisi quod ista antiqua, obsoleta, et plurium ætatum oblivione quasi sepulta vocabula, a vetusto auctore usurpata, non potuerint intelligi florente Maguirio, nisi recentioribus interpretarentur? Qua alia ratione explicari possunt verba "*vel sic secundum alium librum*," quæ sæpe in ipso textu Codicis Bodleiani recurrunt, nisi quod Maguirius, qui istos Annales continuavit, plures habuerit penes se Codices antiquos, quorum lectiones variantes conservare, et in textu reponere, sui officii fuisse jure merito arbitratus est.

Constat præterea ex MSS. Codicibus, et Excerptis adhuc extantibus in Cottoniana et Harleiana, inter se collatis, plurima olim extitisse Ultoniensium Annalium exemplaria, variis lectionibus distincta, quæ temporum injuria periere. Waræus, inter alios Codices suo tempore extantes, memorat "Exemplar Annalium Ultoniensium, partem primam continens usque ad annum 1131."(2)

In eodem Catalogo aliud Exemplar his verbis memoratur—"Annales Ultonienses, partim Latine, "partim Hibernice, ab anno 431 ad 1441."

Tertium exemplar, sed valde corruptum, et a quodam linguæ Hibernicæ penitus ignaro exaratum, extat in Codice Clarendoniano Musæi Britannici, quod incipit ab anno 431, et explicit ad *ann.* 1307, *alias* 1303. (3) Hujus Codicis Amanuensem, linguæ Hibernicæ penitus ignarum fuisse, in notis ad annos 453, 458, 467, et passim alibi demonstravi.

Alium Codicem in Bibliotheca Chandosiana extitisse, constat ex ipso Catalogo venditionis, extante in Bibliotheca Stowense, (4) at nullum inveni vel in *Vaticana*, vel in *Vallicelliana*, quondam Cardinalis *Passionei*, vel in *Barberiniana*, aut in *Imperiali* Romæ, quas omnes licuit olim, studiis adolescentiam alentibus, perquirere, et perscrutari.

---

(1) Gul. Malmesb. de Antiq. Glast. MS. Cod. Vespas. D. xxii. Edidit Hearne Antiq. of Glaston. Oxford. 1722, p. 16, et in Append. No. I, p. 114. Item Dugdale Monast. Lond. 1682, t. 1, p. 11, et Waræi Opuscula, Lond. 1656, p. 153. Confer quæ de Æra Commune dicta sunt supra, a p. x ad p. xliv, et a p. cxxxii ad cxl.

(2) Catal. Cod. MSS. J. Waræi. Dubl. 1648.

(3) Cod. Clarend. xlix in Catalogo Ayscough 4789 "Annal. Ult. ab anno 431 ad 1303." In hoc Codice desunt anni ab anno 1131 ad 1156, ut in Codice Bodleiano.

(4) Original Sale Catalogue p. 121, No. 2967.

Nec mirum! Qui enim tot clades, et incendia, in nostris Annalibus memorata, perpenderit, sentiet sane, mirandum potius, post tot excidia reperiri posse quæ supersunt, quam non posse in medium proferri quæ desiderantur, præsertim cum antiqua Hibernorum Monasteria, " de *ligno levigato* constructa, *more Scotico*, et pulchre satis,"(1) facillime comburerentur. Hinc evenisse patet sacras et profanas regni antiquitates irrecuperabilem fecisse jacturam. Hinc nulla jam a pluribus sæculis extat notitia vel libri *Cuanac*, ex quo plura proferuntur in nostris Annalibus ad annos 468, 471, 474, 482, 489, 544, et 628, vel libri *Duibdalethenar* memorati ibidem ad ann. 628. Hinc etiam in deperditis numerandum est *Chronicon magnum*, cujus mentio fit ad annum 438, item Chronicon *Dubdalethei*,(2) et alia plurima quæ a multis sæculis desiderantur.

Quartum Ultoniensium exemplar memoratur in Catalogo librorum MSS. Angliæ et Hiberniæ, edito Oxoniæ A.D. 1697. " Annales Ultonienses, sic dicti, quod præcipue contineant res gestas " Ultoniensium, [hoc tamen *gratis*, et *falso* asseritur,] Codex antiquissimus, charactere Hibernico " scriptus, et lingua partim Hibernica partim Latina. Incipit ad an. 444, explicit ad an. 1041, " quo obiit Rodericus Castidæus, qui scripsit dictorum Annalium *partem posteriorem*."(3)

Quintum demum, istis longè præstantiorem, mihi videre licuit, et summa cura, atque labore describere in Bibliotheca Bodleiana, in qua extat inter Codices Rawlinsonianos No. 489.

Hujus eximii Codicis textum exhibeo, omni ex parte integerrimum, et præstantissimum; non quod sit omnium, vel in Gallia, vel alibi antiquissimus, sed quod lectiò quam exhibet emendatior sit, et majori cura recognita quam in quovis alio quod sciam. Neque enim in hisce, antiquitati *soli*, sine aliis adminiculis, adhærendum esse opinor; multum certe prodest Codicis vetustas; plurimi tamen Evangeliorum Codices juniores reperiri possunt, quorum præstantia in dubium vocari nequit, dum, e contrario, non pauci satis antiqui habentur, qui, tamen, non ideo inter præstantes numerandi sunt.—Si Codex quivis majori diligentia descriptus sit, si cum accuratissimis Scriptoribus antiquis consentiat, si veram regionum geographiam, veram temporum seriem, locorum nomina antiqua, familiarum genealogias, linea recta, et laterali, Principum, Episcoporum, Abbatum successiones, et personarum minutissimas quasque circumstantias ita conservat, ut non nisi ex puro putoque veritatis fonte, tot facta, varietate, numero, et indole notanda, hauriri possent, is a me Codex præstantissimus habetur, etsi Scriba suum officium non omni quo potuit studio egerit, nec omni qua debuit diligentia, vel peritia artis suæ; imo, etsi nesciam ex quo fonte hauserit, num e Codice omnibus numeris absoluto, in quo nihil præ incuria prætermissum, nihil superadditum inveniatur.

Denique si alius extat Bodleiano præstantior, afferatur; nam hæc etsi mihi inconcussa videntur, tamen si quis meliora afferet, facile in ejus sententiam transibo.

Codex hic Membranaceus est, et in folio, characteribus Hibernicis descriptus, nitidis quidem, sed, solito Hibernorum scribendi modo, tot syllabarum, et verborum abbreviaturis confertus, ut non

(1) S. Bernard. de Vita S Malachiæ, Cogitosus de Vita S. Brigidæ c. 35, et Annal.Ult. Annot. p. 134, 138, &c.

(2) Chronici hujus meminere IV Magistri non ad ann. 878, ut scribit Harrisius in Waræi Scriptoribus, Dubl. 1745, p. 66, sed ad ann. 978, ut in Annal. *autographis* in Biblioth. Stow.

(3) Notandi sunt errores in hoc titulo.—Secundum Waræum R. Cassideus [non Castidæus] obiit A. D. 1541.—Waræi Scriptores cum additamentis Harrisii, Dublin. fol. 1746, p. 93. Convenit Flaherteus p. 19.

nisi improbo labore legendus sit. Incipit ab anno 431, explicit ad annum 1541, quo obiit Rodericus Cassideus, qui hujus Codicis partem postremam propria manu exaravit.

Res gestæ stylo barbaro narrantur, partim Hibernice, partim Latine, ita tamen ut quæ ad Hiberniam pertinent, præsertim a nono ineunte sæculo, Hibernice, quæ vero ad res externas, Latine referantur; sed utroque sermone ita permixta est narratio, ut sæpe, non solum sub eodem anno, sed etiam in eadem linea, alternas phrases, nunc lingua Latina, nunc Hibernica, exhibeat.

Hinc, fidei liberandæ causa, quæ Latina sunt, suis propriis terminis, servata Hibernica orthographia, quæ Hibernica, etiam suis terminis, charactere tamen distincto Italico, et cum versione Latina intra parenthesim, antiquitati consulens, exhibere curavi.

Piget primam paginam Codicis, præ incuria ita deletam, ut vix, et ne vix quidem ulla arte legi possit, ac proinde necessario recurrendum ad alios inferioris notæ, ut pagina ista ad pristinam integritatem quodammodo restituatur. Huic defectui subvenire cupiens, primam istam paginam, 13im annos complectentem, ab ann. 431, ad ann. 444 exclusive, cum prima pagina Codicis Clarendoniani quam diligentissime contuli, neque in aliqua parte discrepare inveni ea quæ in Bodleiano vix discernere potui, ab iis quæ in altero facillime leguntur.—In sequentibus annis, facta Codicum diligenti collatione, si quæ vox vel sententia in cæteris habetur, quæ non in Bodleiano, vel si quæ legendi varietas, ita rem totam institui, ut textus Codicis Bodleiani intactus maneat, et diversitates omnes in notis inveniantur. Quæ mihi lectio potissima visa est, eam in textu, cæteris in imam paginam conjectis, reponere potuissem, non enim desunt doctissimi viri, qui hanc methodum, in aliarum gentium Historicis antiquis edendis, libere sequuti sunt. Hanc tamen libertatem mihimet penitus denegare decrevi. Ideoque, scribendi compendia quæ difficiliora sunt, et formam literarum Hibernicarum omittens, in cæteris omnibus Codici Bodleiano ita adhæsi, ut Latinitatis barbaræ orthographiam retinuerim, cujus vitia a sermonis Hibernici indole derivanda est. Hinc sæpe invenies *scribsit* pro scripsit, mors *Breasail*, mors *Imair*, quies *Colmain*, *Nechtain*, *Brendain*, &c. pro mors Bresalli, Imari, Colmanni, Nechtani, Brendani, &c. *Ebscob* pro Episcopus, et multa similia, ex quibus constat amanuenses, ad usum gentis Hibernicæ hæc opera describentes, verba Latina ad normam Hibernicæ pronunciationis, potius quam rectæ et puræ Latinitatis describere voluisse. Plurimi Codices supersunt, ab antiquis amanuensibus eleganter conscripti, qui tamen ab orthographiæ regulis longissime aberrant. Centies literæ *e* et *t* occurrunt pro *i* et *d*, et viceversa. Centies *f* scribitur pro *v*, *u* pro *o*, et viceversa, *referentia* pro reverentia, *provanum* pro profanum, &c. Quod si aurei sæculi Scriptores reviviscerent, et suorum Operum Codices qui extant inspicere possent, dolerent quidem de mædii ævi amanuensibus, qui voces Latinas ad vulgi pronunciationem accommodare satagebant, sed non ideo propria Opera uti spuria rejicerent, aut res gestas negarent. Mendosa enim orthographia factorum veritati non officit, et qui Annalium nostrorum facta rejiceret, quia puram non redolent Latinitatem, prorsus insaniret.

Hæc de orthographia sufficiant in præsentiarum, plura docebit usus. Codicis formam quod attinet, est in folio mediocri membranaceo. Margo est unius policis cum dimidio, folia *primæ partis* deperdita, sunt ea, quæ res gestas continebant ab anno 1131 ad ann. 1168. Binæ sunt in quavis pagina columnæ, dimidio policis circiter a se invicem distantes. Literæ sunt ubique rotundæ, more omnium Hibernorum cujusvis ætatis. Atramentum ejusdem speciei est ab initio ad finem. Fuscum nempe, spissum, et in hoc diversum ab antiquiore atramento Codicis Tigernachi, quod sit diu-

turnitate deciduum, cum atramentum Codicis antiquioris Tigernachi, ubique æternitati dicandum videatur, firmiter enim adhærescit membranæ, absque ulla crusta quæ decidat, vel literarum erosarum foramine, quæ impediat quominus omnes literæ facillime legantur.(1)

Chronici Tigernachi Codex MS. Bodleianus, Rawlinson 448.

Clarissimus Auctor Historiæ Artis Scribendi, Operis nempe pluribus titulis eximii, ignorans plura esse in hoc Tigernachi Codice opuscula, specimen exhibet characterum qui in fine Codicis habentur, ad ann.1407, pro specimine Annalium Tigernachi, qui tamen obiit A.D..1088! Attamen, discrimen inter characteres primæ, et hujus ultimæ partis, intuentium oculis manifeste patebit, si modo caute et diligenter pergameuam, atramentum, et ipsam literarum rudiorem formam inspiciant. Etsi enim omnes istius Codicis characteres sint Hibernici, nec ita differant, ut ad diversa sæcula pertinere dicantur, attamen diversa manu, diverso atramento, et diversa pergamena scriptos esse manifestissime constat, nec eadem elegantia nitent *ultimæ* partis characteres qua *primæ*, nec iisdem Majusculurum ornamentis, et pergamena prioris partis usque ad columnam 64, longe differt a rudiori, et aspera, unde specimen anni 1407 laudatus auctor se descripsisse fatetur.

Præterea Waræus titulum et elenchum Codicis his verbis exhibet. " Annales Tigernachi O'Broin, " Erenachi Clonmacnoisiensis, in quibus author historiam universalem attingit, usque ad adventum " S.Patricii. Inde vero Res Hibernicas usque ad annum Christi 1088, quo obiit, satis diligenter de- " scribit. Liber meus MS. caret principio, et incipit a morte Alexandri Magni. Continuavit ejus " Annales aliquis Anonymus usque ad ann. 1178, sed quamdiu postea me latet, *nam cætera desunt* " *in libro meo,* (nempe in Cod. Bodl. prædicto,) qui continet præterea fragmentum Annalium Priora- " tus *Insulæ omnium Sanctorum,* in Shenano fluvio, *ab anno* 1392 *ad ann.* 1407. Horum *partem* " *aliquam* scripsit Augustinus Magriadan, illius Cænobii Canonicus Augustinianus, qui *obiit anno* "1405. Accesserunt Collectanea recentia de rebus Hibernicis in foliis chartaceis."(2)

Ex his manifestum est--Imo, Codicem sic a Waræo descriptum, eundem esse, jam Bodleianum, quem Auctor Operis *De Origine Scribendi* describit. IIdo, Specimen quod Auctor iste producit, ex fine Codicis, et ad annum 1407, non solum non esse deductum ex Annalibus Tigernachi, qui obiit anno 1088, sed nec ex ejusdem continuatione, quæ desinit in folio 27mo, columna 4ta, anno 1178. IIItio, Specimen istud esse penitus diversi Operis, quod in ejusdem Codicis calce servatur. IVto, Opus istud alia etiam manu scriptum esse, non potuit enim Aug. Magriadan, qui obiit anno 1405, ea scribere quæ pertinent ad annum 1407.

Denique, nemo est qui non plane perspiciat, *ex sola scribendi diversitate,* longe diversum fuisse amanuensem qui Tigernachi opus, in isto Codice servatum, eleganter exaravit, et illum qui barbara manu opus descripsit, unde specimen de quo agitur descriptum fuisse dolendum est. Dolendum est enim virum alioquin doctum, et accuratum, in re tam gravi errasse, et totius Codicis ætatem, ex recentiori Opere, in calce ejusdem Codicis servato, referre ad annum 1407, quod plane erroneum

(1) De atramento Codicum MSS. cl. viri Thomæ Astle, qui nunc in Bibliotheca Stowense adservantur, vide " *Some Observations on Ancient Inks, by C. Blagden. M.D.*" Philos. Trans. vol.77, p 541. Lond. 1787.
(2) Catal. rarissimus MSS. Cod. J. Waræi. Dubl. 1648, 4to minori, in Bibliotheca Bodleiana.

esse manifestum est. Codex enim iste idem est quem Innisius se aliquando vidisse testatur. "The "Chronicle of Tigernach which Sir J.Ware possessed, and is now in the Duke of Chandos' library, "is a *very ancient MS.* but seems not so entire as one that is often quoted by O'Flaherty."(1)

Piget Codicem me Bodleianum non posse cum Flaherteano isto conferre, praesertim cum Codicis Bodleiani notæ Chronicæ sint valde depravatæ, et vix ullo studio possint, absque Flaherteani adminiculo emendari. Quod si quis posthac, huic defectui subvenire cupiens, de Codicis Flaherteani casibus inquirere velit, sequentia ei profutura ex Gallico Scriptore animadvertenda propono—

"C'est un principe incontestable, que sur l'histoire de chaque pays, les Annales Nationales, "quand elles sont anciennes, authentiques, et reconnus pour telles par les etrangeres, meritent "plus de foi que les Annales etrangeres. A plus fort raison, en meritent elles plus que tous les "Romans Poetiques du monde. Or plusieres Scavans etrangeres reconnoissent que les Irlandois "ont des Annales d' une antiquité tres respectable, et d' une authenticite a tout epreuve. C'est "le jugement qu' en port M. *Stillingfleet,* dans le Preface de ses Antiquitès, ou il paroit, au con- "traire, faire tres peu de cas de tous les Monumens de la nation Ecossoise. M. *Innes,* qui n'a "jamais flatte les Irlandois, reconnoit l'antiquite, aussi bien que l'authenticite de leurs Annales, "particulierement de celles de *Tigernach,* d' *Inisfalen,* et de quelques autres. Il remarque que la "copie des Annales de Tigernach qui appartenoit a M. O'Flaherty, auteur de l'Ogygia, paroissoit "plu parfaite que celle qui se trouvoit dans la Bibliotheque du *Duc de Chandois.* Je croi devoir "declarer ici, que *je possede* actuelement cette meme copie des Annales de Tigernach, que possedoit "M. O'Flaherty, avec un ancien Apographe, de la Chronique de Clonmacnois, qui est bien connu "sous le titre de *Chronicon Scotorum Cluanense,* et qui appartenoit aussi au meme M. O'Flaherty, "qui le cite bien souvent dans son Ogygia. Je possede aussi une copie parfaite, et authentique, "des Annales d'*Inisfalen.*"(2)

Porro, non alium quam Codicem Bodleianum, verbis supra allatis designasse Innisium, ex sequentibus manifestum est.

"In the same Chandos Library are the Annals of Inisfalen and Tigernach. These indeed want "some leaves in the beginning and elsewhere, and begin only about the time of Alexander the "Great. But, till S. Patrick's time they treat chiefly of the general history of the world......... "The Annals of Inisfalen are likewise in the same library, and contain a short account of the his- "tory of the world in general, and very little of Ireland till A. D. 430, where the Author properly "begins at folio 9, a Chronicle of Ireland, after these words in Latin—*Hic finit parva præscriptio* "*de principio Mundi.*—Then follows a little after, *Laogaire mc Neill regnavit annis xxiv,* and thence- "forward contains a short Chronicle of Ireland to 1318. (3) These three MS. Chronicles of Ti- "gernach, Ulster, and Inisfalen, are written in Irish characters, and in the Irish language intermixed

(1) Innes Crit. Essay, v. 2, p. 504. Lond. 1729.—Colganus nullum penes se habuit Tigernachi Codicem, ut patet ex Triade p. 484.—Omnia indicant Codicem Bodleianum exaratum fuisse annum circiter 1178.

(2) Memoire de Mr. de C. sur les Poemes de M. Macpherson, dans le Journal des Scavans tom. VI, ann. 1764, Mois Octob. pag. 351, et ibid. tom. IV, ann. 1764, p. 64.

(3) Vide notam nostram ad Annal. Inisfal. ann. 1196. *Inisfalensium* Codex Bodleianus, jam primum editus, is est de quo agit Innisius.

" with Latin. They were formerly collected with many other valuable MSS. relative to Ireland " by Sir J. Ware, and came after, first to the Earl of Clarendon, and then to the Duke of " Chandos."(1)

Marianus inter coætaneos se *Tigernachum* habuisse testatur. " Hoc autem mihi retulit Tigernach Senior meus."—Eadem habet Florentius ex Mariano. Anno, inquit, 1043, *Anmchadus* Scotus, Monachus, et inclusus in Fulda, obiit. Super ejus sepulchrum Marianus, hujus Chronici Auctor, decem annis ad pedes ejus stans inclusus, Missam cantabat, qui etiam hæc de supradicto Anmchado retulit.—" Ipse, inquit, cum in Hiberniæ esset Insula quæ *Kealtra* dicitur, quadam die, " fratribus quibusdam advenientibus, cum licentia Senioris sui, nomine *Corcran*, caritatem eis fecit, " cumque quidam post cibum essent egressi, illi qui remanserant, ad ignem se calefacientes, conse- " derunt, atque bibere ab eo petierunt, quo nolente sine licentia, coegerunt illum. Tandem con- " sensit. Prius tamen ex eo potu Seniori suo quasi benedictionem misit. Crastino autem ab eo " interrogatus, unde sibi illum potum misisset, omnia quæ gesta erant retulit. Moxque propter " hanc tantam culpam, eum Senior de Hibernia exire jussit, quod ille humiliter adimplevit. Sic- " que Fuldam veniens, sancte vivendo inclusus, ut prædixi, obiit. Hoc autem mihi retulit Tiger- " nach Senior meus, cum quamdam culpam parvam coram eo fecissem.—Hæc ait Marianus."(2)

Duos vel tres eo ævo *Tigernachos* extitisse non inficior, nec parvi negotii rem esse existimo, accurate definire, quis istorum sit de quo agit Marianus, cum omnes fuerint Hiberni. Abbatem vero fuisse constat ex voce *Seniore*, quo nomine Monasteriorum Hiberniæ Abbates passim appellantur. Patet præterea ex dictis, duos Monachos Hibernos, *Anmchadum*, et *Corcranum*, Abbatem Monasterii Inis-Celtraensis, haud longe distantis a Cluanmacnósia, fuisse Tigernachi istius coætaneos, sed paulo seniores.

Atqui *Corcrani* istius obitum referunt IV Magistri ad annum 1040.(3) Nec refert quod eum appellant *Anachoretam*. Abbates enim plurimi vitam solitariam, etiam functi munere Abbatiale, ducere solebant, uti patet de Coemgino, Fechino, Maccrecio, et aliis; et Colganus de hoc ipso Corcrano agens, inquit, habuisse penes se pervetustum Corcrani ad fratres Monasterii de *Ardoilen* in Connacia Opusculum, de Reliquiis et Virtutibus *S. Gormgalli*, ejusdem Monasterii Abbatis, qui juxta IV Magistros obiit A. D. 1017.

Anmchadum quod attinet, in Annalibus nostris passim memoratur Regiuncula Connaciæ, Sennano fluvio limitaris, quæ *Tir Siol n Amchada* [Regio Stirpis Anmchadi] appellatur, in qua celebris est Ecclesia *Cluanfertensis*, cujus Episcopus *Anmchada* obiit anno 1117, uti narrant IV Magistri, et Annales Cluanenses, Inisfalenses, et Ultonienses, ad eundem annum.(4) Atqui non longe ab eadem regione distat insula *Celtra*, in fluvii Senani lacu Derg. Ergo Annales nostri cum Florentio et Mariano

---

(1) Innes ibid. Confer not. 2 supra p. xii. Alium Tigernachi Codicem, ab his diversum, ab Avo quondam meo memoratum invenio, in *Collectaneis de Rebus Hibern.* No. X, p. 231—237. (2) Florent. Wigorn. p. 624.

(3) " Corcranus, insignis Ecclesiasticus, Anachoreta, et Archimagister Occidentalis Europæ in Religione et Scientia, Lismoriæ obiit." IV Mag. ad ann. 1040.

(4) Paulo antiquior est Anmchada, quem memorat Marianus, idemque cujus meminere Martyrol. Angl. ad diem 30 Jan. Wion in lib. 3, Hugo Menard in Martyrol. Bened. et Ferarius in Calendario ad eundem diem. Item C. Brower l. 1, Antiq. Meldens. c. 20, et Cratepolius de Episcopis Germ.

tam in regionum nominibus, et situ, quam in ratione temporum, convenire demonstrantur. Alium enim fuisse Anmchadum Hibernum, Tigernacho paulo seniorem, patet ex Chronico *Hirsaugiense* ad ann. 1045, (1) et Tigernachi vetus Codex Bodleianus a suo Continuatore, ut videtur, sæculo 12mo exaratus, Tigernachi obitum refert his verbis ad annum 1088—" *Huc usque Tigernachus scribsit. Hoc anno quievit.*" Consentiunt Annales Ultonienses, (2) Momonienses,(3) et IV Magistrorum, qui Tigernachi obitum ex vetustis Annalibus his verbis describunt. " A. D. MLXXXVIII. *Tigernach ua Braoin Ard Comarba Ciarain agus Comain, decc in iomdaid Ciarain, sui Leigind agus Senchusa Erind e. Maoiliosa ua Maoilgiricc Ard-file 7 Ard-Ollam decc. Mor ingen Toirrdhealb. ui Briain ben Ri Connacht decc.*" [Tigernach O'Braoin Vicarius Ciarani et Comani decessit in loco Ciarani, i. e. in Cathedra Abbatiale S. Ciarani Cloonmacnosiæ. Sapiens Prælector, seu Scholarum Præpositus, et Historiographus Hiberniæ is.—Maelissa O'Maolgiric Archipoeta et Archidoctor obiit. Mora filia Tordelbachi O'Brian uxor Regis Connaciæ obiit.]

Consentiunt Waræus, Usserius, Gratianus, Flaherteus, Colganus, Nicholsonus, Harrisius, et reliqui omnes a sæculo 12mo.(4) Neque solum in Abbatiali munere, et in anno obituale Tigernachi, conveniunt Annales nostri, verum etiam omnium Cluanmacnosiæ Abbatum nomina, et successiones enumerant ab ipsa Monasterii origine anno 548, et ita quidem, ut Abbatum ordo, ab eo ipso fundationis anno, usque ad sæculum 15tum, veterum testimoniis confirmari inveniatur, ubicunque de Cluanensis Monasterii gestis, eos aliquid referre, vel Abbatum momina memorare contingit.(5)

De Nota ⊢ in nostris Codicibus.

Simonius, de Evangeliorum Codice Harleiano supra laudato, inquit—" Ce qui merite encore d'estre plus observè, c'est que le lettre *h*, qui est plutot esprit que une veritable lettre, y est ecrite, en effet, sur des certains mots a dessus des lettres, comme on marque les esprits de la langue Grecque, par example au lieu de Phares, on lit dans le MS. *pares*, au lieu de Abraham, on lit *Abraam*, au lieu de horrea on lit *orrea*."

Ex his notis, Simonius se Codicis ætatem quodammodo divinare, et aliis concurrentibus ad sæculum nonum referre potuisse putavit.(6) Verum nota aspirationis ⊢ in Codicibus Hibernicis cujusvis ætatis sæpe recurrit. Extat in Codice Stowense *Dinseanchus*, a quingentis annis exarato, et in aliis, æque ac in Codice Hibernico Harleiano anni 1138. Cur et quando in exteris Codicibus desueverit, alii inquirant, unde autem eam derivaverint Scribæ Hibernici, produnt Gellius, et Quintilianus.

---

(1) Edidit Trithemius.—Confer ejusdem Opus De Viris Illustr. l. 3, c. 244.

(2) Rawlinson No 489, folio 44, col. 4, lin. 15. Item in Codice Harleiano fol. 55, col. 2.

(3) Annal. Momon. apud Archdal. in Monast. Hib. Dubl. 1786, p. 386.

(4) Usser. Primord. p. 610, 11, 693, &c.

(5) Confer Annal. Ult. et IV Magistr. ad ann. 548, cum Adamnano de Vita Columbæ l. 2, c. 1, et l. 3, c. 4, et cum Annal. Ult. Annot. p. 124, &c.—Errat Colganus Kierani obitum referens ad ann. 548, Act. p. 466. Obiit enim anno 549, proximo post conditum Monasterium Cluanense, ut recte notavit ex Annal. Ult. Usser. Primord. p. 909, et 1040. Colganus Vitam Kiarani edidit ex tribus Codicibus—1, *Salmaticense*, 2, *Insula SS. Lacus Righ*, et 3, ex *Codice Hibernico perantiquo*. Sed Codices istos corruptos esse fatetur.

(6) Ric. Simon. Biblioth. Brit. t. 1, p. 271.


CODICES HIBERNICI SÆCULOR. XII ET XIII COLLATI CUM VETUSTIORIBUS S. KILIANI, MAC REGOLI, ET ALIOR. EP. NUNC. P. CXLIII AD CCXXXII &c.

No. 1. Ex Tigernachi Cod. Rawl. 488




Gildæ Coemani Carmen Hibern. Ex Codice Bodleiano Laud F. 95 fol. 33

No. 5.



Ex eodem Codice

No. 2.



Laud. F. 95. fol. 59. Salter Caisil. Sæc. XIII.


No. 6.



Ex Codice Kiliani


Eckhart Hist. Franc. Orient. t. 1. p. 451.

No. 3. p. cxxiii



Ex Tigernachi Codice Rawl. 502. folio 1. b.

No. 4.



Continet Codex iste Opus Psalter na rann a fol. 19 ad fol. 39. versibus Hibernicis 3826.

Ex Codice Stowense Dinseanchus anni circiter 1300.

No. 7.



Gellius inquit Fidum Optatum ei ostendisse librum 2dum Æneidos "mirandæ vetustatis, emptum "sigillariis xx aureis, quem *ipsius Virgilii fuisse credebat,* in quo, cum iste versus ita scriptus "esset—*Exultat telis, et luce coruscus aena*—additum supra vidimus *h* literam, et ahena factum."(1) Eodem fere tempore quo Gellius, Quintilianus de eadem litera inquit—"An rursus aliæ (literæ) "redundant præter illam aspirationis notam ⊢, quæ, si necessaria est, aliam contrariam sibi "poscit ⊣."(2)

Atqui Quintiliani Opera primus edidit Poggius, ex vetustissimo Codice invento in turre Monasterii Hibernici *S. Galli,* in quo plures antiqui Codices inventi sunt, quam in quovis alio totius Europæ.(3)—Hinc, etsi iste modus scribendi literam *h,* in reliqua Europa desueverit, tamen cum Hibernorum Scribæ vetustissimos penes se habuerint Codices Quintiliani, minime mirandum est eos, in literarum formis, antiquissimis Latinorum exemplaribus, Religioni habuisse adhærere.

Forma literarum Hibernicarum cujusvis ævi, rotunda, et elegans, et a Franco-Gallica, et Anglo-Saxonica longe diversa, vetustissimis quæ extant sæculi 6ti Latinis Codicibus accedit; atque hinc, cum Literarum usum ab Hibernis derivaverint Anglo-Saxones Boreales, (4) eadem scribendi ratio primitus inter eos invaluit, quæ inter Hibernos, ut patet ex Codice *Ceaddæ,* quem a quodam Scriba Hibernense scriptum fuisse existimarem, nisi aliunde scirem, Ceaddam, aliosque istius ævi Nordanhymbros, discipulos fuisse Aidani, et *Magistrorum Hiberniæ,* quorum memoriam Beda grato animo commendat. (4)

Eandem methodum scribendi literam *h,* usurpatam invenio in Codice Cantabrigiense, cui titulus "*Ful-spel-boc,*" in quo, præter IV Evangeliorum versionis Vulgatæ exemplar antiquum, habetur Saxonica enumeratio librorum quos septingentis abhinc annis, simul cum Codice isto, Leofricus Episcopus Ecclesiæ Exoniensi donavit.(5) In hujus Codicis p. 103 et 362, Pascha scribitur *Pa[H]sca,* Michael *Mic⊢-ael.* Atqui hæc Hibernica scribendi methodus, in omnibus nostris Codicibus cujusvis ætatis, imo in Vocabulariis et Grammaticis Hibernicis, in quibus potestas et usus literæ *h* describitur, ab immemorabili tradita reperitur.

Porro, Codex Hibernico-Harleianus de quo hactenus egimus, diversus est ab aliis duobus pariter Hibernicis, de quibus agit Usserius,(6) et a quarto de quo agunt Magnus O'Donnel in Vita Columbæ, O'Brianus in Vocabulario, et Flaherteus.(7) Neque confundendus est cum Hibernico Evangelio-

(1) Auli Gellii Noct. Attic. l. 2, c. 3, ed. Gronov. Lugd. Bat. 1706, 4to.

(2) Quintil. Instit. l. 1.

(3) Vide quæ de hoc Monasterio dicta sunt in Annal. Ulton. Annot. p. 182, et Scheutzeri Iter Alpinum. Item Mabillon. Acta Bened. t. 2, p. 230, et l. 3, n. 23. *Histoire Literaire* de la France t. 3, p. 563, cum Canisii Let. Antiq. t. 5, ed. Basnagi p. 896, Walafridi Strabonis De Vita Galli Prosaica, Notkeri De Vita ejusdem Metro. et Bibl. PP. Lugd. t. 11, p. 1046.

(4) Bed. l. 3, c. 2, 3, 25, 26, 27, et l. 4, c. 4.

(5) Vide supra pag. xlix.—Dugdale Monast. Angl. t. 1, pag. 221. Codex in fol. min. Cantabr. super D, &c. Art. 120. Continet diversa Opera, ut *Fulle Maesse-bec,* [integra Missalia,] *Englisc Xpes. bec,* [Evangeliorum Liber Saxonice,] *Scrift-boc on Englisc,* [Confessionale Saxonicum,] *Mycel Englisc boc be gehpylcum,* [Liber ingens Saxonicus de plurimis rebus poetice scriptus,] *Sedulies-boc,* [Seduli Scoti Liber,] &c.

(6) Usser. Primord. p. 691.

(7) Confer Vocab. Hibern. voce *Comhdach,* cum Vita Columbæ, scripta ante ann. 700 per Adamnanum, l. 1, c. 3, 23,

rum Codice de quo consulendi sunt Annales Ultonienses ad ann. 434 et 552, vel cum S. Columbæ Codice Evangeliorum, gemmis et auro celato, quem quidam latrones ex oppido *Kellense*, Columbæ sacro, abstulerunt, quemque post duos menses, gemmis, auro, et cœlatione exutum, sub cespitibus repertum fuisse, narrant IV Magistri ad annum 1006.—Venerandum hunc Codicem, totius Europæ facile principem, usque ad Usserii tempora extitisse, patet ex sequentibus Usserii verbis, quibus Annalium nostrorum auctoritatem aperte confirmari, manifestissimum esse opinor.

"Inter κειμηλια Monasterii S. Columbæ, *Durrogh* vulgo appellati, in comitatu regio, Codex *vetus-*"*tissimus* servabatur, quem ipsius Columbæ fuisse Monachi dictitabant, ex quo, et *non minoris an-*"*tiquitatis altero*, eidem Columbæ assignato, quem in urbe *Kelles*, sive *Kenlis* dicta, Midenses "sacrum habent, diligenti cum editione Vulgata Latina collatione facta, in nostros usus variantium "Lectionem binos libellos concinnavimus."

Pauca habet de Codice Hibernico-Harleiano Tolandus in Nazareno, sed tam obscura sunt, ut nihil inde colligere liceat, præter ea quæ vir suspectæ fidei vix audet asserere, vel tentat divinare.(1)

Atqui hæc omnia plane demonstrant longe aliam esse conditionem Annalium nostrorum, a fictis Carminibus quæ, falso nomine, *Oissino*, aliisque nescio quibus adscripta, mulgendis vulgi auribus, anili jactantia circumferuntur. Annalium enim Codices extant, et res gestæ historica fide dignæ, sanioris criticæ legibus se fulciri ostendunt. Hæc autem Carmina, ut adulterina, et Historico prorsus indigna, nolens volens rejicere cogor. Constringunt enim me leges istæ, et ipsa stolida jactatio vetustatis, cujus nullum vestigium, imo nec vestigii vestigium reperiri potest, exceptis Carminibus Hibernicis, quæ in Musæis, Britannico, Bodleiano, Dubliniense, et Stowense, conservantur.(2)

Oleum et Operam perdidere doctissimi viri, qui jam a quinquaginta et amplius annis, exclamare non cessant, reddendam esse rationem, quis primus *Ossiani* fabulas tradiderit, ubi tamdiu latuerint, quomodo, tot post sæcula, lingua Hibernica quæ in istis Carminibus exhibetur, prorsus eadem sit, quæ hodie corrupta, barbaro vulgi sermone, vocibus Anglicis, et S. Scripturæ ac recentiorum Poetarum phrasibus intermixta, non solum recentem indicat fabricatorem, verum etiam eum qui linguæ antiquæ vocabula et indolem ignorans, nescivit mendacia ista senescentis antiquitatis erugine ita celare, ut verborum involucris obtecta, amicas tenebras, et noctem, criminibus literariis propitiam, sibi tutamini adsciscerent, potius quam suam novitatem propalarent. Neque tantum veterum de his fabulis altum silentium, aut recentiorum in fingendo discordiam, et metachronismata admiror, quantum paucorum in re tam aperta concordem inverecundiam, qui non solum nullum Codicem antiquum in medium afferre possunt, nullum testem antiquitatis, sed dum puerorum more late declamant, æstuantque, hinc inde spumantes, suos tamen Majores ante S. Columbæ ex Hibernia adventum anno D. 562, literarum usum penitus ignorasse fatentur.

---

et 24, Triade p. 313 4, l. 2, c. 8 et 9, p. 352, et l. 3, c. 23, p. 370. Item ejusdem Vita edita per *Magnum O'Donnel* anno 1520, l. 3, c. 42, ibid. p. 438, cum Waræi Antiq. Lond. 1654, c. 17, p. 186. Martin's Western Isles, Lond. 1703, p. 89, Philos. Trans. vol. 27, p. 505, et Innes Crit. Ess. t. 2, p. 575.

(1) Toland Nazarenus, 2d edit. revised, Lond. 1718, Let. 2, p. 8. Simonii sententiam de Codicis antiquitate non refellit, neque audet prædere suam!

(2) Vide supra p xii ad xv, et xxiii. Item p. xxxix, v. 58, p. lxv, ciii.

De Notis 7 ac 9 in vetustis Hibernorum Codicibus.

Antiquitati quam Codicibus quibusdam Hibernicis, Bodleianis, et Stowensibus, tribuendam esse dixi, objicient forte nonnulli, inveniri in iisdem notas 7, et 9, quæ vulgo Cifræ Arabicæ dicuntur, et in Britannicis Insulis ignotæ erant, ante tempora Roberti Grosteste, anno 1283.

Hæc et similia objicientibus, breviter respondeo, vel notas prædictas non esse Cifras Arabicas, vel Cifras esse sæculo viiivo antiquiores. Istæ enim duæ notæ, quæ solæ Arabicis similes in nostris Codicibus inveniuntur, memorantur ab Isidoro, in libro 1mo Etymologiarum c. xi, et extant in vetustissimis Codicibus, ac Chartis Anglo-Saxonicis in Bibliotheca Stowense.(1) Atqui Cifræ quæ Arabicæ appellantur, ut nunc in usu, non sunt certe sæculo xmo antiquiores.

Notandum est, secundo, omnes nostrorum Codicum numeros, iis exceptis qui post sæculum 14tum exarati fuere, non solum Romanos esse, sed Romanos antiquos. Nullibi enim invenio numerum 4 scriptum sic IV, sed ubique sic IIII.—IIItio, Notæ prædictæ nullibi in nostris Codicibus usurpantur pro numeralibus, sed pro abbreviaturis syllabarum *et* ac *us*.(2)—IVto, Notæ prædictæ eæ sunt quæ pro syllabis exprimendis primus invenisse dicitur *Tyro*, Ciceronis libertus, a quo Tironianæ appellantur.—Vto, Notas istas a Monachis Occidentalibus conservatas fuisse, indicant Isidorus loco citato, et Sidonius Apollinaris in Epistola 9na libri 9ni, easque, sexcentis abhinc annis, Petrus Diaconus Monachus Cassinensis explicavit, earumque ectypa Petrus Hamo, et alii exhibuerunt, edita a Grutero, Mabillonio, et aliis.—VIto, Monachis Britanniarum non ignotas fuisse Tironianas, indicat Sidonius loco memorato, ubi, de Riochato agens, *Monacho Britanno*, a quo Fausti libros raptim describendos acceperat, inquit, "tribuit et quoddam *dictare celeranti*, scribarum sequacitas salutosa "*compendium*, qui comprehendebant *signis*, quod literis non tenebant."

Riochatus de quo hic, is est, cujus mentio fit in vetustissimis Litaniis Anglo-Saxonum, a *mille et amplius annis* compositis, imo *exaratis*, quas in tomo 2do Veterum Analectorum edidit Mabillonius,(3) de quarum antiquitate nulla est dubitandi ratio, cum et ipsum Codicem Remigianum, unde descriptæ fuere, a *mille* annis ad minus exaratum esse, doctissimi viri fateantur.

Extant præterea notæ istæ in Psalterio Germanense, literis aureis, et argenteis, sæculo 6to exarato, ante obitum S. Germani Parisiensis anno 576,(4) itemque in Psalterio S. Salabergæ, quæ fuit discipula Eustasii, et Walberti, 2di nempe, et 3tii Abbatis Monasterii Hibernici S. Columbani Luxoviensis, ab anno 614 ad ann. 656.—Salabergæ Vitam scripsit Auctor gravis, et fere æqualis, ex cujus Opere Hadrianus Valesius Dagoberti Sigeberti filii in Hiberniam exilium, et ad Austrasiorum revocationem, doctissime demonstravit.(1) Atqui hæc recta nos ducunt ad Monasteria Hibernica

(1) Codex Stowens. Chartar. ad ann. 786, 804, 814, 824, 825, 831, 843, et 845. Confer *Waltheri* Lexicon, Gontingæ 1747, p. 443, et *Spelmanni* Opus MS. in Bibliotheca Stowense "*Archiasmus Graphic.*" p. 162 et 175, cum Wallisii Algebra fol. Oxon. 1685, a p. 4 ad 14.

(2) Vide supra p. vi, et Annal. Ult. ad ann. 548, not. 2.

(3) Analecta Vet. Paris. 1676, p. 669. In hoc venerando Codice memorantur SS. *Patricius, Brendanus, Munna, Columcille, Brigida.* Erubescant quorum interest! Vide supra p. xl. Riochatus is esse videtur *S. Riochus*, Episcopus Insulæ *Inis-bo-finde*, ad littus Occidentale Hiberniæ, cujus meminit editor Cantabrigiensis Bedæ ad l. 4, c. 4, p. 146. Is enim et Sidonius eodem tempore floruere, annum circiter 460. Confer Sidonii Opera edita a Sirmondo anno 1652.

(4) Annal. Bened. t. 1, l. xi, No. 12, p. 306, l. xii, p. 350, l. xiii, p. 379, l. xiv, p. 440, et Diplom. l. 5, p. 356 et 456.

(5) Salabergam Adalbergam appellat Jonas in Vita Columbani, cujus duo antiqua exemplaria cum editis conferre li-

Columbani, primi Abbatis Luxoviensis, unde Salaberga, et Fara, Eustasius, et Walbertus, literarum et fidei rudimenta accepere. (1) Columbanus enim ex *Hibernia in Galliam venit*, fatente Mabillonio,(2) *antequam Regula S. Benedicti in Britanniam majorem, ne dum in Hiberniam penetrasset*, et ubi in Galliam advenit, in *nullo Galliæ substitit Monasterio*, sed statim cum suis secessit in Vosagi solitudinem, ubi Luxovium, aliaque Monasteria ædificavit, atque his eandem vivendi normam præscripsit, *eosdemque ritus, et mores*, psallendi nempe, legendi, scribendi, &c. quos in Hibernico Benchorense Monasterio se didicisse gloriatur. (3)

Itaque ex Hibernorum Scholis prodiit is scribendi methodus, quæ in *Salabergæ* Codice reperitur. Columbano enim successit ejus discipulus *Eustasius*, 2dus Abbas Luxoviensis, cujus Vitam scripsit ante Bedæ tempora Jonas,(4) Eustasio *Walbertus* 3tius Abbas, pariter a Jona celebratus, (5) et hi fuere Magistri, quorum Opera Salabergæ Monasteria crevere. Ergo extitere inter Hibernos notæ 7 ac 9 ante tempora Adamnani, et ante annum 656.

Denique, etiamsi prædictas notas a Cifris deductas esse concederem, potius quam Cifras ab ipsis, quod tamen penitus negandum est, non inde sequeretur Codicem Hibernico-Harleianum IV Evangeliorum, aut Tigernachi Codicem, aut Inisfalensium Codicem in Bodleiana, aut Codices Hibernicos in Biblioth. Stowense, non esse ad eas ætates referendos, ad quas referri debere declaravi. Nemo enim hactenus demonstravit, Cifras vulgo dictas Arabicas, esse vel Arabicas, vel ab Arabis derivatas sæculo ximo. Id quidem asseruit Kircherus, vir facundus, et eruditus, sed fervidi ingenii, et opinionibus non minus indulgens quam confrater ejus Harduinus, et Goropius Becanus, ut patet ex *Mundo Subterraneo*, aliisque Operibus de Obeliscis, &c. a quibus referendis, et nomen et fama doctissimi viri nos penitus absolvunt.—Papebrochius certe accuratior, Cifrarum usum Europeis ante bella sacra ignotum fuisse contendit, (6) et Mabillonius nullam Cifram Arabicam in libris se deprehendisse inquit ante annum 1375, quo eas apposuit Petrarcha in Codice librorum S. Augustini in Psalmos, earumque initium in Europa, in sæculo xiiitio consistere asseverat.—Extat etiam in Archæologia Londinense charta viri eruditi G. North, in qua eas refert, saltem quoad Insulas Britannicas, ad tractatum *De Sphæra* per Robertum Grosteste, anno 1283, (7) unde sequeretur omnes Codices Britannicos in quibus Cifræ istæ reperiuntur, esse ad sæculum 14tum referendos!

Non agitur jam de Codicibus Hibernicis Stowensibus supra memoratis, in quibus iterum assero

---

suit, in Bibliotheca Christinæ in Vaticano No. 524, et No. 1025. Hujus 2di Exemplaris, complectentis folia 210, prima pagina hanc rubricam recentem exhibet—" *Volumen* LXXXIX, *non Petavianum* 1284."—Incipit a Regula S. Benedicti.

(1) Annal. Ulton. Annot. p. 183, et seq.

(2) Annal. Bened. l. viii, No. 17, p. 214. Confer Codicem S. Galli qui *ad annos mille accedit*, in Analectis t. 4, p. 635, ubi extat vetus exemplar " *Regulæ Cœnobialis Patrum de Hibernia.*"

(3) Annal. Ult. Annot. p. 180. Confer 129, 133, &c. ibid.

(4) Edidere Sirinus in Collectaneis Sacris, Surius, Messinghamus, Mabillonius, Bollandini. Ejusdem meminere Martyrologia antiqua Usuardi, Adonis, &c. Obiit Columbanus annorum saltem 90, anno 615. Annal. Ult. Annot. p. 180.

(5) Ejusdem meminit Calendarium veterrimum Benedictinum, a mille annis *uncialibus literis* exaratum, apud Mabillonium Annal. t. 1, p. 479. Item *Volumen de gestis S. Walberti*, antiquum, et forte coævum, quod penes se habuit *Adso*, Abbas pariter Luxoviensis sæculo ix, qui totum Opus suum de *Vita Walberti* inde compilavit. Scripsit Jonas Vitas Columbani, Eustasii, Attali, et Faræ, editas a Mabillonio, et inter Opera Bedæ.

(6) Papebrochii Propyl. No. XIX. Philos. Trans. Abr. v. 3, part. 2, p. 442, v. 9, p. 432, et v. 10, p. 1260.

(7) Archæol. Lond. t. x, p. 374. Confer t. 1, p. 149.

nullas esse Cifras, nec unam quidem. Cum vero Cifræ istæ non semel recurrant in Annalium Ultoniæ Codice Bodleiano, et forte in aliis antiquioribus, non abs re est indicare *notam numericam* 5 sæpius inveniri in Polypticho Remigiano sæculi 6ti supra memorato, in quo usque quater occurrit in quatuor versibus editis a Mabillonio.(1) Rabanus Maurus sæculo nono inquit, notam istam 5 esse numericam, et designare sex uncias.(2) Extant præterea Cifræ numericæ 1, 2, 3, 5, 7, 8, 9, in MS. Codice sæculi ximi Operum *Guidonis Aretii*, qui floruit anno 1028, (3) et Nicolaus Vignerius inquit Bernelinium discipulum Gerberti, qui Sylvestri 2di nomine ad Pontificatum evectus est anno 999, quatuor libros composuisse de *Abaco* et *numeris*, unde scire possimus originem Cifrarum, quarum hodie utimur in Arithmeticis. (4)—Extant duo exemplaria Operis Bernelinii istius in Vaticano, quorum unum in Bibliotheca Christinæ No. 480, alterum in Alexand. Petav. No. 4539.

De Gerberto hæc habet Ditmar in Chronico, " optime callebat astrorum cursus discernere, et con-" temporales suos variæ artis notitia superare. In Magdeburg horologium fecit, illud recte consti-" tuens, *considerata per fistula quadam stella nautarum duce.*"(5)—Occasionem dedit fingendi eum Magicis artibus deditum fuisse, summa in Mathematicis peritia, et in Machinis excogitandis acerrimum ingenium, quæ, rudi sæculo, absque familiari genio, et Dæmonis ope, fieri non posse videbantur. (6)

Librum ejus *De Geometria*, in Codice Farnesiano notavit Panvinius, in Annotationibus ad Platinam.(7) Ejus Epistolam *De Spheræ* constructione edidit Mabillonius. Liber ejus *De Numeris*, et pleræque Epistolæ, ex Codice *Papyrii Massonii* editæ, extant in Bibliotheca PP. et in tomo 2do Historiæ Francorum A. Duchesnii, quæ omnia valde me movent ad credendum, Gerbertum fuisse eum, qui notas Tyronianas ad numericarum usum traduxit, antequam ad Pontificatum eveheretur anno 999. Quid enim aliud est Cifra 7, nisi nota Tironiana 7, quæ exprimit syllabam *et* in Codicibus Hibernicis? Quid Cifra 9 nisi nota Tironiana 9, quæ exprimit syllabam *us*?

Malmesburiensis quidem asserit " Gerbertum primum fuisse, qui, Abacum *a Saracenis rapiens*, regulas dedit quæ a sudantibus Abacistis vix intelliguntur."

At, etsi ex his sequeretur eum primum ab Arabis rapuisse *Abacum*, (8) non ideo sequitur Cifras ab eodem fonte esse derivatas, cum Arabes ipsi ultro agnoscant Cifras numericas minime sibi deberi, et propriis numerorum notis caruisse, ideoque *Notariis Christianis* se usos fuisse fateantur. Seldenus immerito reprehendit Landulphum Sagacem, Auctorem Historiæ Miscellæ, qui id plane asserit sæculo ixno.(9) " Quoniam impossibile est, eorum (i.e. Arabum) lingua, monadem, aut dualitatem,

---

(1) De Re Diplom. p. 456 " *sunt mansi ingenuiles* xcii5. *Ova* II.cvii5."

(2) Rabanus in libro de Computo edito a doctissimo Baluzio. Miscellan. t. 1, p. 13.

(3) Nouveau Traite de Diplom. l. iv, Præf. p. vii. (4) Biblioth. Hist. ib. part 2, p. 646, edit. 1588.

(5) Ditmar in extremo libri 6ti Chronici, quod scripsit ante ann. 1030 quo obiit, p. 399.

(6) Malmesb. ibid. Perizonius recte inquit, ideo *Magum* dictum fuisse, quia *Cifræ*, ab eo ad numeros traductæ, *pro notis magicis vulgo habebantur*. Annot. ad Vossii Varior. Melam Lugd. Bat. 1748, p. 950.

(7) Librum istum edidit Bernardus Pezius in Thesauro Anecdot. t. 3, part. 2, p. 5. Mabillonius inquit extare in Codice MS. Thuaneo vetusto, Analect. t. 2, p. 212.

(8) Nihil certe aliud probant verba Malmesb. l. 2, c. 10, p. 36.—Eadem fere verbatim habet V. Bellovacensis, in Speculo Hist. edito Strasburgi 1476.

(9) Edit. Hanov. 1611. Eum confundunt nonnulli cum Paulo Diacono, ut in Anthologia Lond. t. x, p. 364-5.

" aut trinitatem, aut octo et dimidium, aut tria scribi, propter quod et usque hodie *Notarii sunt* " *Christiani.*" Eadem habet Theophanes, qui præterea inquit—" A publicis Vectigalium actis " conficiendis, ad breve temporis spatium, Saraceni, invidia ducti, Christianos prohibuerunt, rursus " autem necessitate compulsi, quod ipsi *numeros et summa scribere non possunt*, eadem eis reposue-" runt in manus." (1) Seldenum in errorem induxit vox *Cifra*, quæ Arabica esse dicitur, quamvis derivari videatur a voce Hebraica *saphar* numerare, et quamvis a sola voce ad rem ipsam, inanis sit, et fallax illatio, nemo enim inquit literas Latinas esse origine Latinas, ex eo quod vox *litera* sit Latina, neque Arabica dicenda est Astronomiæ inventio, ex eo quod plurimæ voces astronomicæ procul dubio Arabis tribuendæ sunt.

Itaque Malmesburii verba, cum authenticis temporum Historiis concilianda, nihil aliud innuunt, nisi artem *Abaci*, ad Arabes ab Europeis traductam, et ab eorum Notariis, propter Arabum commercia, emendatam, ab ipsis Arabis postea raptam fuisse *primum a Gerberto*, qui, nova inventione, eorum methodum emendavit, ita ut notæTironianæ, ad numeros traductæ, postea Cifræ appellarentur.

Gerbertus ipse inquit, penes se habuisse volumina *Boethii de Astrologia et Geometria*, et in Epistolis 17ma, et 25ta, nonnulla habet " *De Multiplicatione et Divisione numerorum*," et Vossius in notis ad Melam, plane inquit illas ipsas notas, quæ Cifræ dicuntur, quibus nunc utimur, extare quoque in notis Senecæ et Tyronis, multo *vero clarius apud Boethium* in Elementis Geometricis."(2)

Jam vero Gerbertus Abbas fuit Monasterii Hibernorum Bobiis, antequam ad Pontificatum eveheretur anno 999,(3) ac proinde minime mirandum esset, si nonnullæ Cifræ invenirentur in Codicibus Hibernicis sæculi ximi aut xiimi, in quibus tamen, ut dixi, non aliæ inveniuntur quam notæ Tyronianæ 7 ac 9, quod unicum demonstrandum suscepi.

Codex dictus Cuthberti Characteribus Hibernicis exaratus.

Alii Codices antiqui, qui ex Scholis Hibernicis prodierunt, idque ante sæculum viiivum, eamdem scribendi methodum præseferunt, easdemque notas Tyronianas, quæ Codex Tigernachi Bodleianus, aliique Stowenses quos supra memoravi. Inter hos, celeberrimus *Cuthberti* Codex, in Bibliotheca Cottoniana servatus, procul dubio numerandus est. (4) Characteres enim istius Codicis sunt plane Hibernici, et tantum a Saxonicis diversi, quantum Saxonici a Latinis, eoque tempore scripti, quo Adamnanus, Legatus ex Hibernia missus, Codicem suum De *Locis Sanctis* Regi *Aelfrido* præsentavit anno 687.(5)

Non ignoro scribendi methodum, quæ apud priscos Saxones Australes invaluit, ante tempora *Aelfridi Magni*, diversum fuisse ab ea, quæ, regnante eodem Aelfrido, introducta fuit. Valde enim differunt characteres Codicis Cantabrigiensis Chronici Saxonici, qui regnante Aelfrido isto exaratus

---

(1) Landulph. Hist. Miscell. l. 20 et 22, Huet. Demonstr. p. 295. Confer Anast. Biblioth.

(2) Confer Perizon Annot. ad Melam l. 2. c. 12, p. 949 et 950-1, cum Vossii Observ. in Melam Varior. Lugd. Bat. 1748, t. 2, p. 619.

(3) Collectan. Sacr. p. 360, et Panvini notæ ad Platinam.

(4) Codex Cotton. Nero D. iv. Confer Bibliothecam nostram *Hibernico-Cotton.* Nero D iv.

(5) Vide Annal. Ult. ann. 686, not. 1. Confer Prolegom. supra p. lxxx.
" The geographical knowledge of the Anglo-Saxons must have been much improved by *Adamnan's* account of his " visit to the Holy Land, which Bede abridged." Turner's Hist. of Anglo-Sax. vol. 4, p. 462.

est, annum circiter 891,(1) a characteribus antiquioribus Diplomatum Anglosaxonum quæ in Bibliotheca Stowense conservantur. At, minime sequitur, ex eo quod *duæ* fuerint diversæ Anglosaxonicæ scribendi rationes, quarum una, introducta a S. Augustino et Sociis, ex Schola Cantuariense emanavit, altera ab Aelfrido Magno, nunquam extitisse *tertiam* scribendi rationem, plane Hibernicam, quæ ab Hibernorum Schola Lindisfarnense repetenda est.

Beda non semel, *primos Nordanhymbrorum Magistros*, et *Episcopos*, et *Abbates*, Hibernos fuisse, grato animo declarat,(2) et Cuthbertum ab iisdem educatum fuisse testatur, et doctissimus Bedæ editor Smithus, in nota ad hunc locum, *certum* esse inquit, Cudberctum ab *Hiberniensibus* educatum fuisse, in Monasterio *Mailrosense*, et inde expulsum cum cæteris Hibernensibus." (3)

Mailrosense et Lindisfarnense Monasteria condita fuere ab *Aidano* Hiberno, *primo Nordanhymbrorum Episcopo*, quem Rex Oswaldus ad Evangelium Nordanhymbris prædicandum invitavit anno 635. " Exin cœpere plures, per dies, de Scottorum regione venire Britanniam, atque illis Anglorum Provin- " ciis quibus regnavit Rex Oswald, magna devotione verbum fidei prædicare. Construebantur ergo " Ecclesiæ per loca, *imbuebantur Præceptoribus Scottis* parvuli Anglorum, una cum majoribus stu- " diis, et observatione disciplinæ regularis. Ostenditur usque hodie, et in magna veneratione ha- " betur, locus ubi Oswald signum Crucis erexit, in quo fratres Hagulstadenses omni anno vigilias " pro salute animæ ejus facere solent, plurimaque Psalmorum laude celebrata, victimam pro eo " mane sacræ oblationis offerre. Nec immerito, quia nullum, ut comperimus fidei Christianæ sig- " num, nulla Ecclesia, nullum Altare, in tota Berniciorum gente erectum est, priusquam hoc sacræ " crucis vexillum novus militiæ ductor statueret." (4)

Adamnanus, qui dimidio sæculo ante Bedam floruit, inquit, ante tempora Oswaldi, et Oswii qui Oswaldo successit anno 642, " totam illam Saxoniam *gentilitatis et ignorantiæ tenebris* obscuratam ' fuisse, excepto ipso Rege Oswaldo, cum duodecim viris, qui cum eo, Scotos inter exulante, bapti- ' zati sunt."(5) Eadem habet auctor pervetustus *Vitæ Bedæ*, quam ad editionis suæ Cantabrigiensis calcem edidit Smithus.(6) Aidano defuncto anno 651,(7) successere alii duo Episcopi Hiberni, *Finanus*, et postea *Colmannus*, qui, a Wilfrido propter ritus Paschales exagitatus, Episcopatui cessit, et in Patriam *Hiberniam* rediit anno, uti narrat Beda, 664, qui fuit Oswii Regis 22dus, ' et Episcopatus Scottorum, quem gesserunt in Provincia Anglorum, *annus tricesimus*. Siquidem ' *Aidanus* xvii annis, *Finanus* x, et *Colmanus* tribus, Episcopatum tenuere.—Reverso autem Patriam ' Colmano, suscepit pro illo Pontificatum Nordanhymbrorum *Tuda*, qui erat apud *Scottos Austri-* ' *nos* (i. e. in Momonia Provincia Hiberniæ) eruditus, atque ordinatus Episcopus."(8)

---

(1) Wanlei Catalog. Cod. Anglosax. Oxon. 1705, Præf. Confer Codicem Bodl. Laud. E. 80, cui titulus Annales Anglo-Saxon. a C. nato ad ann. 1144, quo anno exemplar istud exaratum fuisse videtur.

(2) Bed. Hist. l. 3, c. 2, 3, 25. 26, et 27, ad ann. 635. ed. Cantabr. 1722, p. 104, 105, 131, et 134. Confer Annal. Ult. 663, 675, 684, 686, 703, et Annot. ibi a p. 126 ad 130, et a p. 153 ad 158.

(3) Bed. edit. Cantabr. l. 4, c. 27, et in Vita Cuthberti c. 4, 7, 8, et 22.

(4) Bed. Hist. l. 3, c. 2 et 3, p. 104 et 105, et c. 25, p. 131, ib. Confer c. 27, p. 136, ad ann. 664, et Dugdale Monast. Angl. t. 1, p. 38, cum Florentii Catalogo Lindisfarnensium.

(5) Adamn. De Vita Col. l. 1, c. 1. Triad. p. 338, et Leland. Collect. t. 1, p. 5, linea 18.

(6) Pag. 816. (7) Bed. l. 3, c. 14, p. 118, et Annal. Ult. ad ann. 650.

(8) Bed. l. 3, c. 26 et 27, cum. l. 4, c. 12, et cum Annal. Ult. ad ann. 663, not. 2, et 675, not. 3. De *Scotis Austrinis*, i. e. Momoniæ, confer Bed. l. 3, c. 3, 4, 14, 25, 26, 27.—Obiit *Tuda* anno 664. Bed. l. 3, c. 27.

Tudæ successit *Eata*, quintus Episcopus, de quo Beda inquit—" Fratribus qui in Lindisfarnensi " Ecclesia, Scottis abeuntibus, remanere maluerunt, præpositus est *Abbatis* jure *Eata*, qui erat Ab- " bas in Monasterio quod dicitur Mailros, quod aiunt Colmanum abiturum petiisse, et impetrasse " a Rege *Osuiu*, eo quod esset idem *Eata* unus de duodecim pueris Aidani, quos, primo Episcopatus " sui tempore, de natione Anglorum erudiendos in Christo accepit. Ipse est *Eata*, qui non multo " post eidem Ecclesiæ Lindisfarnensi *Episcopus* factus est." (1)

Eata septem annis Ecclesiæ Lindisfarnensi auctoritate Episcopali præfuit, ab anno 678, quo consecrari meruit, ad annum 685 ineuntem, quo Cuthbertum, *sextum* Episcopum, successorem accepit.(2) Hic in Monasterio Hibernorum *Mailros*, sub prædicto *Eata*, et *Boisilo* Magistro, educatus,(3) cum multos in *Mailrosensi* Monasterio degeret annos, translatus est ab Abbate *Eata* ad Insulam Lindisfarnensium, et multis postea annis, placuit ut, *Eata* reverso ad sedem Ecclesiæ Hagustaldensis, cui regendæ primo fuerat ordinatus, Cudberct Ecclesiæ Lindisfarnensis gubernacula susciperet anno 685.(4)

Obiit Cuthbertus anno 687, et Episcopatum Ecclesiæ Lindisfarnensis " *anno uno* servabat venera- " bilis Antistes *Uilfrid*, donec eligeretur qui pro Cudbercto Antistes ordinari deberet. Ordinatus est " autem post hæc *Eadberct*," septimus Episcopus Lindisfarnensis, anno 688.(5)

Hoc tempore Socii Bollandini contigisse indicant, cladem a Beda descriptam in Vita Cuthberti cap. 40, ideo nempe, quia Wilfridus antiqua Patrum Hibernorum statuta, quæ Cuthbertus moriens successoribus commendaverat, voluerit abrogare.(6) Eadbercto, in Hibernorum Scholis pariter educato, successit *octavus* Episcopus *Eadfridus*, cui Beda Vitam Cuthberti dedicavit. Rexit is Ecclesiam Lindisfarnensem ab anno 698 ad annum 720, et idem est, qui, vivente Cuthberto, IV Evangeliorum Codicem, *Textum S. Cuthberti* appellatum, descripsit, annum circiter 686.

Atqui *Aldhelmus*, Maildulphi Hiberni discipulus, qui Anglo-Saxonum primus Carmina Latina composuit, ad hunc *Eadfridum*, ex *Hiberniæ* Scholis redeuntem, Epistolam scripsit No. XIII, in qua pluribus agit de exteris, ad capessendum ingenii cultum, *catervatim in Hiberniam confluentibus*, et de Eadfrido " *ambrosiam referente ex Hiberniæ* brumosis circionum Insulæ climatibus, ubi, *ter bino cir-* " *citer annorum* circulo, uber Sophiæ sugens metabatur, unde repatrians, Præceptoris vocamine " fretus fungeris....Quod præconio citra modum rumoris *Scottico* in solo degentium, quorum " contubernio parumper fretus es, auditus nostri quatiuntur, et per tot tantaque telluris stadia lec- " tionis opinio, Pagis Provinciisque divulgata, crebrescit, siquidem tam creber meatus est isthinc " illincque, navigero equoreas fretantium calle gurgites, velut quædam contribula apium germani- " tas," &c. (7)

---

(1) Bed. ib. l. 3, c. 26, et in Vita Cuthberti c. 6, p. 233, lin. 33. Item c. 4 et 16. (2) Ib. l. 3, c. 26, p. 135, not. 7.

(3) Ib. l. 4, c. 27. Quamvis *Aidanus* primus fuerit Episcopus Nordanhymbrorum, alii tamen Hibernici ejus Præcursores memorantur a Beda l. 3, c. 5, et a Lelando Collect. t. 2, p. 318, 320, 327, 338, 365, et 406. Confer Catalog. Episcopor. Hagulstadensium, ibi p. 333, et Catalog. Mercior. p. 318.

(4) Sunt Bedæ verba ib. c. 28, p. 177. Confer Dugdale Monast. t. 1, p. 38.

(5) Ib. c. 29, p. 179, et in Vita Cuthberti c. 40, p. 259.—Obiit septimus iste Episcopus anno 698. Vita Cuthberti c. 43, p. 262. Confer Bedæ Hist. l. 3, c. 25, et l. 4, c. 29, 30.

(6) Mabillon. sæc. Ben. 2, p. 878, 910, inquit Cuthbertum suscepisse Romanum morem, sed refellitur a Bollandinis.

(7) " Aldhelmi Malmesburiensis Abbatis ad Eahfridum, *ex Hibernia in Patriam reversum*," in Sylloge p. 37. Turnerus de Aldhelmi Carminibus agens t. iv, notare debuit stylum esse Hibernicum, et ab *Hibernis derivatum*, ut patet ex Columbani fragmentis, et ex dictis supra p. lxvi, et seq. cum quibus conferendi sunt Annal. Ult. ad ann. 663, not. 2, 675, 684, 686, 703, 727, et Annot. ib a p. 126 ad 130. Item Bed. Hist. l. 3, c. 3, 4, 14, 25, 26, 27, l. 4, c. 4 et

Cum ergo in Hiberniæ scholis educatus fuerit Eadfridus, non est dubitandum, quin IV Evangeliorum Codicem iis characteribus scripserit, qui, a *Magistris Hibernis* traditi, Hibernici jure merito appellantur.—His auctoritatibus ducti, Camdenus et Usserius recte scripsere, Saxones, saltem Boreales, literarum formam, ac usum, cum fidei Christianæ rudimentis, ab Hiberniæ Monachis accepisse, antequam Saxones Australes literas, et leges Romanas, a S. Augustino et sociis traditas, delibarent. (1) Non agitur impræsentiarum vel de Orientalibus vel de Australibus Saxonis.

Agitur autem de *Nordanhymbris*, quorum Imperium ab Humbro ad hodiernæ Scotiæ æstuaria, et a mari Orientali ad Occidentale tendebat. Certum est prætcrea *Menavias Insulas* inclusisse,(2) neque desunt doctissimi viri qui insuper inclusisse scribunt regiones ultra æstuaria, *Mailrossensem*, *Edinburgensem*, *Dunbarensem*, *Haddingtonianiam*, *Fifdaliam*, *Anandaliam*, *Niddesdaliam*, aliasque regiones, ad quas Episcopatus Lindisfarnensis, usque ad Bedæ tempora protendebat. (3)

Nihil in historia certius quam quod, sicut Columba Hibernus, adjuvantibus xiim Discipulis Hibernis, et postea pluribus, Pictos ad Christianam fidem, et literarum usum perduxit, sic *Aidanus* Hibernus, xiim Hibernis opem ferentibus, Deirorum et Berniciorum regna eadem luce illustravit.(4)

Paulinus quidem ad Nordanhymbros missus fuit ex Cantia, et Regi Edwino fidem prædicavit. Id autem incassum fuisse, et infelici exitu effectum, et nullo fructu, Beda ipse testatur.

At, ex Aidani Schola prodiit Schola *Inhrypum familiarum quadraginta*,(5) et Schola S. Hildæ apud *Streaneshalch*, (Whitby,) quæ istam præcipue habuit gloriam, ut ex ea *Wilfridus* Eboracencis, et alii non pauci, ad summum Ecclesiastici honoris apicem eveherentur. (6) Hinc eruditus Bedæ editor Cantabrigiensis ingenue fatetur—" Ex Aidani Schola Lindisfarnense illustres prodiisse viros, " et eruditionis fama, et celebritate nominis florentissimos, quorum ex doctrina et industria, fructus " cœpit uberrimos tam Ecclesiastica quam literaria respublica."—Hæc satis superque indicant, unde, et a quibus, Nordanhymbri vetustiores literarum rudimenta derivavere.

Extat præterea in Bibliotheca Cottoniana—" Codex MS. Membranaceus in 8vo minori, con" stans hodie foliis 35, igne et madore nimium corruptus, *Psalterium Davidis*, characteribus *Hiber*-

---

26, l. 5, c. 25, et in Vita Cuthberti c. 24, et Smithi notam ibi, et ad Hist. l. 4, c. 26. Hist. Dunelm. Eccl. MS. in Bodl. Laud 53, fol. 18.

(1) Bed. 2, c. 5. *Leges Romanas*, a S. Augustini tempore, *Saxonica lingua* scriptas, ad sua usque tempora servatas fuisse declarat. Extant adhuc Decreta ista, ni fallor, in textu Roffense, quem Ernulfus Episcopus reliquit. Eorum exordium edidit Spelman Concil. t.1, p. 127, Reliqua Hickesius in Thesaur. Dissert. Epist. p. 89, quod notare debuit Turnerus Historia Anglo-Saxonum, t. IV, ubi de Legibus Saxonum. Quod si id non pateret ex Beda, pateret ni fallor ex Legibus Inæ, Gulielmo Lambardo interprete, Londini 1586, quæ Romanis ita accedunt, ut inde plane deductæ videantur. (2) Bed. l. 2, c. 5, et Steven's Bede ib. Lond. 1723, p. 128.

(3) Annal. Ult. ad ann. 670, not. 3, Bed. l. 4, c. 3, Usser. Primord. p. 668.—Saxones à Pictis postea repulsos fuisse, narrat Beda l. 4, c. 26. Confer Appendicem No. 2, ad Opera Bedæ Cantabrigiæ 1723, p. 654.

(4) Cum locis hactenus ex Beda allatis, confer Capgrave in Vita Aidani, Broughton Monast. Angl. ed. 1650, a p. 155 ad 159, Beda numerat Aidani Discipulos Anglos, *Ceddum, Ceaddam, Bosam, Tudam, Eatam, Cuthbertum, Eadherum, Trumbertum.* De Hibernorum ritu, ad exteros, *cum 12m sociis*, proficiscendi, et prædicandi, confer Triad. p. 373, not. 18, Acta SS. p. 398, not. 24 et 46, Adamnan. l. 1, c. 1, Triad. p. 338, et Smith not. ad Bed. l. 4, c. 4, p. 146.

(5) Bed. l. 3, c. 25. Prima Nordanhymbriæ Monacha fuit *Heiu*, quæ, dirigente *Aidano*, Monasterium condidit ad ripam fluvii *Were*. Bed. l. 4, c. 23, p. 168, ad ann. 650.

(6) Bed. l. 4, c. 23, cum l. 4, c. 4, ann. 658 et 667, et Smithi Appendix, No. XIV, p. 725.

" *nicis* vetustissimis, qui dicitur (in Rubrica) fuisse *Liber Oswini Regis*."(1) Atqui, hujusce Codicis characteres iidem sunt ac Codicis Cuthberti, Tigernachi, Libri Invasionum in Bibliotheca Stowense, Codicis Harleiano-Hibernici IV Evangeliorum anni 1138, et omnium veterum Hibernicorum, qui ad nostra tempora conservantur. Neque eos multum discrepare existimo a quatuor Codicibus vetustis Epistolarum S. Patricii, quos, a nongentis annis exaratos, suo adhuc tempore extitisse testatur Usserius. Horum unus servabatur in Bibliotheca Ardmacana, alius adhuc extat in Cottoniana, et duo in Ecclesia Salisburgense.(2)

Denique, eadem est versio interlinearis Anglo-Saxonica textus S.Cuthberti, ac ea quæ servatur in Codice Litchfeldense *S. Ceaddæ*, qui literis pariter Hibernicis exaratus est. Camdenus de Cuthberti textu inquit—" The ancientest Saxon that I can find, was, about the year 700, found in " antient Saxon glossed Evangelists, in the hands of my good friend Mr. R. Bowyer, written by " *Eadfride* the 8th Bishop of Lindisfarne, and divided according to the ancient Canon of Euse- " bius."(3) Postea Orationem Dominicalem exhibet ex ista Glossa Eadfridi, in qua, verba " panem nostrum quotidianum" sic interpretantur, *uran hlaf ofer wirtlic sel us to daeg*, i. e. nostrum panem *super-substantialem.*—Atqui eadem est interpretatio in Codice *Ceaddæ*,(4) qui, ut dixi, characteribus Hibernicis, eodem fere tempore, et in iisdem Scholis, ac in eadem regione qua Codex dictus *S. Cuthberti* exaratus est. *Ceadda* enim, æque ac *Ceddus* frater, discipulus erat *Aidani*. (5)

Habemus ergo identitatem, non solum characterum, qui plane Hibernici sunt, tam in Ceaddæ Codice, quam in Codice Cuthberti, verum etiam identitatem temporis, disciplinæ, rituum, morum docendi, et dicendi, legendi, ac scribendi, quæ originem produnt Hibernicam, a Schola Cantuariense longe diversam, ut alibi indicavi.(6) Et certe, in Australium Saxonum versionibus non alia interpretatio legitur quam *daily*, usque ad tempora Richardi 2di, et Wickliffi, qui ad veterem rediisse videtur Glossam Nordanhymbrorum, *Over other substance;* utrum veritatis studio, an in odium S. Hieronymi, et *Vulgatæ* id fecerit, aliorum esto definire.—Certum est non aliam versionem quam *daily* inveniri in Anglo-Saxonica, seu Dano-Saxonica versione, scripta *ante Conquestum*,(7) ad quam instituta fuit prima editio versionis Anglicanæ, edita Londini anno 1571, ut patet ex Opusculo " Divers ancient Monuments in the Saxon tongue." Londini 1638.

---

(1) MS. Cotton. in vetere Smithi Catalogo Galba A v.

(2) Vide Biblioth. nostr. Hibernico-Cotton. Tiberius E 1, et Nero E 1.

(3) Camden Remains p. 20.—Non in capita, quæ divisio prima instituta fuit a Stephano Langtono Antistite Cantuariense exeunte sæculo 12mo, vel a Cardinale Hugone. Robertus Stephanus capita ista postea in versus divisit.

(4) Codex Litchfeldensis in Llhwyd Archæol. Brit. vol. 1. Astle p. 100.

(5) Bed. Hist. l. 3, c. 22, 23, 24, 28, p. 138, et l. 4, c. 3, 4, et p. 745.

(6) Annal. Ult. ad ann. 660, 742, 756, 766, 777, 805, et Annot. ib. a p. 122 ad 130, a p. 153 ad 158, et a p. 168 ad 192.

(7) Codex Cotton. Nero E F 3, 15. Confer Wanlei Catal. p. 64 et 67, cum Lewis's Hist. of Translat. Lond. 1739, p. 4.—In Petitione Catholicorum Angliæ ad Jacobum 1mum, mense Julio anni 1604, memoratur Biblia antiqua MS. Gregoriana duobus voluminibus, " quæ *ipsissima* est, et *eadem numero*, quam S. Gregorius huc misit, cum nostro Apos- " tolo S. Augustino, usque adhuc conservata, speciali Dei providentia." Hæc verba, a *DD Sutcliffo*, in sua ad eandem Petitionem *Responsione*, citantur —Quid huic venerando Codici postea evenerit ignoro.
Extat autem, *S. Gregorii* Liber *De Cura Pastorali*, cujus meminit Rex Aelfridus in Præfatione Metrica, quam suæ ejusdem versioni præfixit. Hickesii Thesaur. t. 1, p. 3.

Nemo inficiabitur horum Codicum characteres, eosdem esse ac Characteres Codicis Evangeliorum, dicti *S. Columbæ*, in Bibliotheca Dubliniense, quem in *Epistola Nuncupatoria* breviter indicavi, pag. 182, et 237, quemque S. Columbæ manu exaratum fuisse ipse Usserius credidit, æque ac Nicolsonus, et Flaherteus, *quorum prior his verbis Codicem prædictum describit.* " The " Oxford Catalogue of MSS. 8vo. Membr. p. D. Joh. Episc. Norvic. n. 1664, takes notice of a " Copy of the four Gospels, whereof this account is there given—*Codex hic vetustissimo Hibernorum* " *Charactere exaratus, continet tantum principia Evangeliorum, Secundum Matthæum, Marcum,* " *et Lucam, integrum vero Evangelium Joannis. Habentur in margine quædam Genealogiæ* " *Hibernicæ.* There is also a venerable Vellum MS. in the College Library, at *Dublin*, of the " four Latin Gospels, whereto are prefixed the contents of the Chapters, interwoven with old " grants to Monasteries, and other matters in the Irish tongue. This is called the book of *S.* " *Columb-Kille.* The following inscription is on a Silver Cross upon the cover of this book, said " to be Columba's own writing, and given to the Library of Trinity College in Dublin, by Dr. " Jones, Bishop of Meath,—*Oroid acus bendacht Columb-Chille do Pland* (lege *Fland*) mac " *Maoilseachnail, do Righ Erenn, les an dernad an Cumhdach so*—Oratio et benedictio Columbæ-" Cille sit Flano filio Malachiæ Regi Hiberniæ, qui hoc Operimentum fieri fecit. This Flann " was King of Ireland from the year 879, to the year 916." (1)—Recte itaque animadvertit Camdenus " Anglosaxones *ab Hibernis rationem formandi literas accepisse, cum eodem plane chactere usi fuerint*, et in Hiberniam, tamquam ad bonarum literarum mercaturam, undique confluxerint, unde de viris Sanctissimis sæpissime in nostris Scriptoribus legitur, *amandatus est ad Disciplinam in Hiberniam.*" (2)

Etiam si concedamus extare etiamnum Codicem, Anglico sermone scriptum ab Eadfrido, octavo Episcopo Lindisfarnense, annum circiter 688, (3) quod tamen veritati repugnat, (4) id nostræ, de Literarum Anglosaxonicarum origine Hibernica, sententiæ non officeret, tum quod *Aidanus* noster Scholas *Melrosensem, Lindisfarnensem*, et alias plures, ante id tempus, regnante *Oswaldo*, instituit, in quibus, testante Beda, l. 3, c. 3, *imbuebantur Præceptoribus Scottis parvuli Anglorum*, ante annum 642, quo Oswaldus obiit, tum etiam quod, Oswaldo defunto, successit *Oswi*, " qui a " *Scottis pariter edoctus*, et *baptizatus, illorum etiam lingua optime imbutus, nil melius quam quod* " *illi docuissent autumabat.*" ib. l. 3, c. 25. (5)

---

(1) Nicolson's Irish Libr. Dubl. 1724, 8vo. Pref. p. XXVII. De eodem Codice eadem habent Lhwyd, ad Archeologiæ calcem, p. 436, et Flaherteus in Ogygia Vindicated, p 26.

(2) Camdeni Hibernia.

(3) Camden's Remains, p. 19.

(4) Vide *Epistolam Nuncupat.* supra pag. 209.

(5) Angli veteres ubique se Hibernorum pietati Religionem et Literas debere fatentur, eorumque Artes laudant, *Geometriam, Mechanicam, Astronomiam, Grammaticam, Physicam, Artem Metricam*, &c. Vide *Aldhelmi* ad *Eahfridum* ex Hibernia in Patriam reversum Epistolam scriptam anno 690, Sylloge, p. 38, Confer. Annal. Ult. locis citatis et ad ann. 626, 650, 660, 663, 667, 668, 684, 5, 6. 691, 703, 706, 712, 715, 731, 734, 747 not. 4, 756 not. 1, 766, not. 1, 777 not. 1. Item p. 115 not. 1, a p. 122 ad 130, ab 138 ad 140, ab 153 ad 160, et ab 168 ad 192. Item Prolegom. p. xlix, p. lvi ad lxxvi, p. cxxiii ad cxxviii, et a p. cxxxvii ad cxl.

Quod si vel unus Codex Hibernicus annorum mille extare censendus est, quod in superioribus satis demonstratum puto, quidni et alios antiquiores, in istis Codicibus memoratos, extare, vel saltem extitisse, fateamur? (1)---Sed monet jam nimia prolixitas ut ad Annalium nostrorum Codices, Scriptores, Notas Chronicas, et vetustissimos Auctores Metricos accedamus.

---

(1) " I have seen hand writings of *S. Columb*, in Irish Characters, as straight and as fair as any print of above a thousand years standing, and in the College of Dublin, Irish letters engraven in the time of Flan, King of Ireland, anno 916, deceased, which I instance to shew that there might be the like to be seen of a thousand years before." Ogygia vindicated, p. 26.

Codicem *S. Gallensem* Vitæ *S. Fintani* Rhenaugiensis, auctore Contubernali suo Hibernense, characteribus Hibernicis scriptum, et cum Codicibus *Augiense, Zwifaltense, Rhenaugiense* et aliis collatum, edidit Goldastus, Rer. Aleman. t. 1, p. 204, Mabillonius in Actis SS. parte i, p. 377, et postremo Georgius G. Zaph in Itinere edito Friangen. 1786, t. 1, pag. 233, in quo quædam Hibernica extant cum Germanicis intermixta.

FINIS TOM. I.

* Errata quædam in sequenti Indice corriguntur, vocibus—*Annales, Eamania, Codices. Orosius, Regum numerus, &c.*

INDEX

RERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR. (1)

Numeri Romani I, et II, partem primam, et secundam Prolegomenorum indicant, Cifræ Arabicæ paginas.---Hujus Indicis Verba, cum Indice ad *Epistolam Nuncupatoriam* adjuncto conferenda sunt.

(1) Indicem hunc, ordine Alphabetico dispositum, ita digessi, ut cum *priore*, ad Epistolam Nuncupatoriam adjuncto, facile conferri possit, Plura, quæ in hoc volumine obscura viderentur, aut erronea, ejus ope emendantur, aut illustrantur, præsertim in Vocibus *Annales, Codices-Reges*. Conferendus est etiam *Elenchus Contentorum* Partis ii.

D

E

F.

G.

H.

I

M.

Poemata vetera Hibernica extantia in Codicibus Stowensibus, quæ in hoc volumine memorantur. (1)

(1) Ignoti sunt Auctores Carminum quæ nullius nomen adjectum habent.

* Giraldus ait---" omnium Regum Hiberniæ ab Heremone *primo* ad Rodericum ultimum numerum esse 181." Topogr. D. 3, c. 45, p. 750.---At veteres Catalogi omnes consentiunt in Regum Ethnicorum numero a *primo Slangio* ad Patricium 136, et deinde ad *Maelsechnallum ii*, defunctum anno 1022, Reges Christiani sunt 48, periodo annorum 594.

† Lectorem oro ut sequentia, omissa supra parte 2, pag. 48, linea 26, a voce *tribuamus*, restituantur.---" quibus si 12 annos regni tribuamus, non enim plures sinit Catalogus certissimus Regum Christianorum, adjicere oportebit *Attacattorum* Dominationem annorum fere 100, de qua, pag. 77, ut periodum efficiant annorum 432, juxta intervalla supra memorata, pag. 39."

Miror quidem ab *Eamania condita*, juxta Tigernachum, regnante in Ægypto Ptolemæo *Lagide*, ante C. circiter 300, Reges Hiberniæ totius fuisse 33 ad Christum, et tamen inde ad Patricium, spatio annorum 432, non fuisse plures quam 28, vel 29.

S.

T.

(1) In Caroli M. Testamento (Eginhart ann. 811.)—"*Mensa aurea totius mundi descriptionem complectitur.*" Annales Colmarenses ad ann. 1265, *Mappam Mundi* memorant, *in pellibus* 12 *pergameni*. Trithemius ait—"*Comparavi mihi ante paucos dies, pro ære modico, Sphæram Orbis, in quantitate parva nuper Argentinæ impressam, simul et in magna dispositione Globum terræ, in plano expansum, cum Insulis et regionibus noviter ab Americo Vespuccio, Hispano, inventis in mari occidentali,*" Ep. ad G. Weldicum. Confer *L' Elogio d' Amerigo Vespuccio dal Marchese Venuti*, 1787.

U.

(1) *Turres* veteres Hibernicas, conditas fuisse ad 4 anni *Rathas* Gnomonice indicandas, conjiciens scripsi. i. 32.—Fateor quidem Apicem umbræ, profectæ a Stylo alicujus vertice acuto, deprehendi non posse accurate in linea Meridiana, cum propter Penumbram, tum quia, Sole ad certam altitudinem evecto, acuti verticis umbra cum umbra trunci confunditur, neque respondet cum Solis centro, sed, in latitudine septentrionali, cum Solis Margine Septentrionale. Attamen cum Ludi Taltinenses et Temorenses spatio *dierum* 15, ante et post æquinoctia et solstitia Æstiva celebrarentur, fieri vix poterat quin, eo intervallo, Druidæ, Solis et Stellarum cultores, Gnomonis ope

---

Æquinoctia, et Solstitia definirent, ac vertentis anni Cardines quatuor, intercalatione quadam juxta Solis altitudinem facta, Populari Decreto proclamarent. Procul dubio *Turres* in antiquissimis Hibernorum Carminibus memorantur, ut in Carmine *Martha magh Turreadh*, et in *Prælii Lenensis* Historia Metrica scripta a *Senchano Eigceas* Sæculo VII. Inclusoria Anachoretica quod attinet, longe diversa erant a turribus istis. Inclusorium in quo Marianus Scotus Fuldæ inclusus est, Cella erat, muro externo circumvallata, neque *ullibi* terrarum extitere unquam Inclusoria Anachoretica Turribus Hibernicis similia. Quatuor aperturæ prope Apicem, quatuor orbis Cardines respiciunt, neque ullatenus credibile est, hominem potuisse, non dico 20 annis, sed vel *una hyeme* in ulla ex istis turribus inclusum supervixisse. Vide Carmina Vetera Hibernica supra "*Marta Magh tuirreadh*,"—"*Torinis Inis an Tuir*," et *Cath Moighe-Tura*, supra in Indice, item *Temoriam Turrium* in Coemano, supra voce *Temoria*, et alia plura, quæ plane indicant, Turres in antiquissimis Hibernorum Scriptis Traditionibus, tamquam ab immemorabili conditas, memorari.

(1) Vulgatæ hodiernæ exemplar est *Codex Evangeliorum Harleianus*, *Hibernicis characteribus* exaratus a *Maelbrigda*, anno 1138, in quo extat *Carmen Hibernicum* de Apostolis et Evangelistis, eodem anno, et eadem manu exaratum, quod Hibernicæ linguæ peritorum opem et industriam exposcit, ut supra parte ii, pag. 143.

FINIS TOM. I.

ERRATA

IN PROLEGOMENORUM PARTE I CORRIGENDA.

Pag.		*Lin.*	*Pro*
i	not. 1,		Piristrato *lege* Pisistrato.
ii		16	Trophicus *lege* Tropicus.
iii		13	Ι ϐηριον *lege* Ιϐηριαν.
iv		21	*Irenen*, Sacrum *lege* Iernen, et Sacrum.
	not. 2,		proculum *lege* poculum.
			πολυκαληος lege πολυκαλκος.
xviii		17	Unicas *lege* uncias.
xxii		28	possesserunt *lege* possederunt.
xxvi		14	consultere *lege* consulere.
		29	dele punctum inter *loci* et *Nundinarum*.
		31	omittandum *lege* omittendum.
xxviii	not. 1,		Vospicus *lege* Vopiscus.
xxix		31	annuum *lege* annuam.
xlix		21	Coemanus *lege* Maolmura.
lvii		25	Hand *lege* Haud.
		13	Hibernici Iernæ *lege* nominis *Iernæ*.
lix		27	prætere, a *lege* præterea.
lxi		24	Colonis *lege* Coloni.
lxiv		33	filii Conni *lege* filii Arthuri filii Conni.
lxxx		38	dele *de*
lxxxviii	not. 2,	4	anno 420 *lege* anno 520.
xc		7	Cybalum *lege* Cymbalum.
xciii		21	maga *lege* magna.
xcviii		14	*Alchid* lege *Alcluid*.
ciii		22	Strophe *lege* Stropha
cvii		8	omnio *lege* omnino.
cxxix		25	*Duffis* lege *Duffi*.
cxxx		24	procentes *lege* procedentes.

IN PARTE II.

ix		2	*blinain* lege *bliadhain*.
		20	Erci *lege* Ercæ.
21	not. 7,		* Gildarum ætates plenius indicantur parte i, pag. 168.
xliii		27	imitavere *lege* imitati sunt.
xlviii		27	N. B. Quædam in hac linea omissa a voce *tribuamus*, restituta leguntur in *Indice*, Voce *Regum* numerus.
liii		28	confusisse *lege* confusit.
lvi		8	duobus *lege* duabus.
lxi	not.		indicat, et *lege sed portionem*, et
lxiii		10	possesserunt *lege* possederunt.
lxv		10	nec plures 15 *lege* nec plures quam 15.
		13	vexilla *lege* vexillo.
lxvii		24	Roscurense *lege Roscreense*.
lxix		5	gesta *lege* res gestas.
lxx	not. 1,		Auctorio *lege* Auctario.
lxxi		8	Idomate *lege* Idiomate.
lxxvi		13	in mirifice *lege* mirifice in.
		27	Harum *lege* Horum.
lxxxv		6	ncongruis *lege* incongruis.

J. SEELEY, Typog. Buckingham.

00031100